www.e-rara.ch

Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-22314

Pars quarta

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

Rm 303 ac

Emptis duobus Imperialibus

GISBERTI VOETII
Theologiæ in Acad. ULTRAJECTINA Professoris.

SELECTARUM DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM, PARS QUARTA.

In quâ præcipuè tractantur selectæ materiæ & Quæstiones ad Secundam Decalogi Tabulam spectantes.

Cui accedit

SYLLABUS QUÆSTIONUM
Ad totum
DECALOGUM.



AMSTELODAMI,
Apud JOHANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE,
& Viduam ELIZÆI WEYERSTRAET. cIↃ IↃ c LXVII.

BIBLIOTHEK
DER
CANTONAL=
LEHR=
ANSTALTEN
ZU
ZÜRICH.

Reverendis, Pietate & eruditione Spectatissimis

ABRAHAMO van de VELDEN *in Middelburg.*
JUDOCO van LODESTEYN. } in ULTRAJ.
CORNELIO GENTMAN. }
JOHANNI TEELINCK *in Campensi.*

} Ecclesiis, verbi divini præconibus fidelissimis dissertiss.

Fratribus, & Amicis in Domino dilectiss.

REVERENDI VIRI,

CUm ante annos aliquot consilium cepissem qualiacunque opuscula mea in posterum edenda alicui aut aliquibus ex collegis meis dedicandi, qui theologi theologicè de illis judicare possent; & jam unum *de cœlo beatorum* a. 1666. sub nomine JOH. SLAETSII in ministerio ecclesiæ Heusdanæ ante complures annos collegæ; alterum, (*Tertia* scil. *pars selectar. disp.*) sub nomine JOHANNIS HOORNBEEK nuper defuncti, in utroque ministerio Ultrajectino antea collegæ, & ANDREÆ ESSENII ac MATHIÆ NETHENI, illius in utroque, hujus in ministerio Academico-theologico tunc collegarum, anno 1659. prodierint: proximum videbatur, ut vobis hanc *quartam selectar. disp. partem* inscriberem; aliorum quorundam post vestrum ad nos introitum, & ministerium aliquamdiu hic obitum, successivè huc

vocatorum gratam & honorificam mentionem dedicatione aliquâ, si Deus volet, facturus.

Rationes, cur vobis potissimum in ministerio ecclesiastico antehac aut in præsenti collegis, quartam hanc partem consecrare voluerim, videor mihi habere non contemnendas.

Prima est, quia olim inter discipulos nostros effulgentes, tanquam ante *sacerdotium sacerdotes* (uti de Basilio Nazianzenus) doctrinam secundum pietatem, hâc quartâ parte contentam, in hâc Academiâ publicis privatisque exercitiis nostris traditam cupidè & probè didicistis; eandemque in ministerio ecclesiastico constituti, usque in hunc diem constanter & fideliter retinere, profiteri, atque aliis inculcare non desinitis. Quamvis autem tibi Rever. ABRAHAME van de VELDEN tam diu in hâc nostrâ Academiâ, per afflictam valetudinem, tunc subsistere non contigerit; ut materias & quæstiones hic tractatas ex me, & ex ἰσοψύχοις atque ὁμοψήφοις per omnia, collegis tunc meis, privatim publicève audire potueris: resumtis tamen viribus, & studio theologico in Academiâ Leidensi sub ὀρθοδοξωτάτοις & eruditissimis præceptoribus feliciter defunctus ostendisti, te eandem doctrinam secundum pietatem, speciatim hanc practicam & decalogicam, & probè didicisse & constanter profiteri, docere, tueri.

Se-

Secunda est, quod fraternam amicitiam, & in orthodoxâ fidei pietatisque doctrinâ συζυγίαν ac conspirationem hactenus cultam, ex invidiâ, aut ambitiosâ ἰδιοδοξίᾳ, aut contendendi studio, aut cosmicâ velificatione, συγκαταβάσει, ἀνθροπαρεσκείᾳ, neutiquam comperti estis luxare aut laxare: ita ut metuendum aut dubitandum mihi non sit, de aliquo fastidioso hujus doctrinæ contemtu, aut dedicatione vobis ingratâ. Certè si de eo dubitarem, utique tam importunus nollem esse, ut vobis aut alicui mortalium ἀδώρῳ aliquo δώρῳ nauseam moverem, & aversum à doctrinâ nostrâ ingenium, contra eandem, quasi per antiperistasin, acuerem.

Exemplum celeberrimi Calvini me monuit, fastidientibus & vel in totum vel in tantum à doctrinâ nostrâ, & consequenter à nobis (uti plerumque fieri solet) quodammodo aversis, per publicam dedicationem librum aliquem non facile obtrudendum: ne cum Calvino ad *optimum portum pœnitentis*, *mutationem consilii* (uti alicubi apud Ciceronem ad Atticum) aliquando confugere, imo & publicè inscriptionem inducere cogamur. Verba Calvini sale condita hâc occasione ex Epistol. Dedicator. ad Illustriss Principem Nicol. Radziwil, commentar. in Acta anno 1560. præmissâ vobis aliisque non pigebit exhibere.

„ Quod Regum, inquit, nomina, quibus hos Com-

„ mentarios dicaveram, induxi : ne in crimen levi-
„ tatis apud quosdam imperitos mutatio incurrat,
„ breviter reddenda mihi ratio est. Nam quum
„ & patris mortui memoria venerationem quam
„ meretur apud me retineat, & filium qua decet
„ observantia colam : eorum tamen nomina in
„ hac secunda editione expungere me coëgit quo-
„ rundam importunitas, qui dum vesano in me o-
„ dio perciti metuunt ne quid meis scriptis gratiæ
„ conciliet Regum majestas, illis vehementer
„ displicuisse jactant, nomen suum doctrinæ de
„ Sacramentis quam improbant, fuisse admixtum.
„ Id verum sit, nec ne, in medio relinquo, neque
„ verò mea interest : quando neque privatum
„ lucrum, neque favorem mihi captavi. Sed quia
„ indecorum ac turpe mihi esset, scripta quæ satis
„ multos reperiunt voluntarios Lectores, invitis
„ obtrudere, palàm nunc facere operæ pretium
„ fuit, nihil unquam minus mihi fuisse in animo:
„ sed plus speraſſe humanitatis quàm expertus sum.
„ In eo certè nihil esse offensionis potest, si ab eo-
„ rum, qui mea officia fastidiunt, contemptu me
„ subducens, suis quas appetunt, & quibus se oble-
„ ctant delitiis, frui patior.

Tertia est, quod vos, cum JUSTO van den BOGAERT eximio quondam discipulo, post concionatore, collegâ, fautore amicissimo, immaturè huic ec-

ecclesiæ, suis, & nobis a. 1663. erepto, potentibus & ψυχαγωγικαῖς tum concionibus tum precibus publicis, tanto auditorum concursu & confluxu frequentatis; accedente singulari ἐνταξίας ecclesiasticæ studio, nec non privatis, præter publicas, catechizationibus & concionum repetitionibus, insuper assiduis quorumcunque animo aut corpore afflictorum, ignorantium, tepidorum, vacillantium, lapsorum & labentium, καθ' οἴκους visitationibus alloquiis, instructionibus, opportunis, importunis (ita loqui liceat) tantam lucem hic extulistis: ut ecclesiæ nostræ hâc in parte peculiaris felicitas non tantum in vicinià, sed & toto Belgio passim (absit invidia!) prædicata ac celebrata fuerit. Quamvis autem duos ex vobis, divinâ providentiâ ita disponente, ante annos aliquot ad alias ecclesias transferri, ibique lucem vestram lucere contigerit, non tamen στενοχωρεῖσθε in nobis (2 *Cor.* 6. v. 12.) nec in ecclesià nostrâ. Illa præter testem vestrum in cœlis, & in conscientiâ vestrâ, vobis & duobus in hâc statione etiamnum conspicuis, testis est, nullis technis nullis machinis à testimonio verbali & reali ferendo submovenda: Cui suo modo dicere potestis, quod Apostolus suæ Corinthiacæ 2 Corinth. 3. v. 1.-7. *Num egemus, ut nonnulli, commendatitiis epistolis apud vos. Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omni-*

omnibus hominibus. Dum manifestum est, vos esse epistolam Christi subministratam à nobis, inscriptam non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis, &c. Nihil restat, quam ut vos, Reverendi viri, orem, ut mundo mortui propositum vobis stadium animosè decurratis, & opera vestra posteriora prioribus meliora sint. Deus noster est, eritque clypeus vester, & merces vestra valde magna *Genes.* 15. v. 1. Mercedem ab hominibus ne quærite nec exspectate: sufficiat vobis אל שדי, sufficiat gratia Christi, sufficiat Christus, qui est omnia in omnibus. *Beatus ille servus, quem Dominus veniens invenerit ita facientem.* Math. 24. v. 46.

ULTRAJECTI VI. Kal. Februar. cIↃ. IↃc. LXVII.

Vester in Domino

GISBERTUS VOETIUS.

IN-

INDEX DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM

Hâc

Quartâ Parte Contentarum.

1 Disput. de Argumentis Theologicis ab Absurdo Consequenti. Pag. 1
2 De Lege & Euangelio. Pars Prima. 17
3 Ejusdem Pars Secunda. 30
4 Ejusdem Pars Tertia. 47
5 De Foro Poli & Soli. Pars Prima. 62
6 Ejusdem Pars Secunda. 75
7 De Iudiciis Dei pars Prior. 91
8 Ejusdem pars Altera. 102
9 De Dilectione proximi. 113
10 De Exemplo Bono, ejusdemque Imitatione, & Oppositio Scandulo. Pars prima. 124
11 Ejusdem pars secunda. 132
12 Ejusdem pars tertia. 141
13 Ejusdem pars quarta. 147
14 De Officiis Charitatis erga proximum peccantem, pars prior. 157
15 Ejusdem pars Altera. 167
16 De Cæca Obedientia Papistarum, pars Prior. 182
17 Ejusdem pars Altera. 194
18 De Magistratu Politico. 206
19 De Iure Regio Hebræorum. 211
20 Disquisitio de Autore Vindiciarum contra Tyrannos. 231

* *

21 De

21 De Homicidio & Læsione sui-ipsius, nec non Spontanea Flagellatione. 244
1. Appendix ad Problemata. 270
2. Appendix de propriæ Navis Incendio. 256. 281
22 De Peste, seu Pestis Antidoto Spirituali. 292
23 De Excelsis Mundi, ad VII. Decalogi Præceptum, prima, quæ est de Choreis. 325
24 Ejusdem disp. secunda de Comœdiis. 356
25 Ejusdem pars Altera. 367
26 Ejusdem disp. tertia, quæ est de Abusibus in Victu & Conviviis. 385
27 Ejusdem disp. quarta, quæ est de Luxu & Vanitate in Vestibus, Domibus & Suppellectile. 403
28 Ejusdem pars Posterior. 417
29 Ejusdem disp. quinta, quæ est de Ornatu Faciei & Capillorum. 429
30 Ejusdem pars secunda, 444
31 Ejusdem pars Tertia. 453
Appendix ad Excelsa Mundi. 462
32 De Ebrietate. 493
De Sanitatibus seu Poculis boni ominis. 500
Appendix ad disp. de Ebrietate. 503
33 De Simonia, pars prima. 515
34 Ejusdem pars secunda. 523
35 Ejusdem pars tertia. 533
36 Ejusdem pars quarta. 540
Appendix ad disp. de Simonia. 551
37 De Usuris, pars prior. 555
38 Ejusdem pars Altera. 567
De Trapezitis. 575
39 De Pseudographemate Usurario. 590
40 De Restitutione. 608
Appendix aliquot Quæstionum specialium. 616

41 Ali-

41 *Aliquot Problemata ad IX. Decalogi præceptum, de Mendacio, simulatione & dissimulatione. Pars prima.* 631

42 *Ejusdem pars secunda, de Dolo, Æquivocatione, Mentali Restrictione.* 640

Appendix Affinium quarundam Quæstionum. 653

43 *Ejusdem pars tertia, de Falso.* 661

44 *Ejusdem partis tertiæ, de Falso, sectio Altera.* 681

Appendix aliquot Quæstionum. 695

45 *De Calumnia, Obtrectatione & Convitio, pars Prima.* 702

46 *Ejusdem pars Secunda.* 715

47 *Disquisitio ad Thomæ 1. 2. Quæst. 68. 69. 70. de Donis, Beatitudinibus, & Fructibus Spiritus.* 729

48 *Explicatio Ecclesiast. IX. v. 11.* 739

49 Disputatio *continens Positiones aliquot Miscellaneas.* 745

50 *Syllabus Quæstionum ad totum Decalogum.* 763

51 *Addenda.* 825

DE ARGUMENTIS THEOLOGICIS AB ABSURDO CONSEQUENTI.

Resp. HENRICO NOLTHENIO Bommeneëdano. 2. *Martii*, 1660.

CONsequentia Gr. ἀκολουθία, & oppositum ejus incon- §. 1.
sequentia Gr. ἀνακολουθία quid sint, ex elementis Logicis præsupponitur. In theologiâ, ut & in omnibus aliis scientiis duûm generum consequentiæ comparent. *Prioris* generis nihil aliud sunt, quam simplices veritatis demonstrationes per argumenta seu rationes ex fontibus scripturarum, etiam ex lumine naturali (in iis quæ terminos theologiæ naturalis non excedunt) desumtas. Est enim theologia nostra scientifica & argumentativa: uti recte *Thomas*, cum suis *part.* 1. *qu.* 1. *art.* 8. & nos ex professo pluribus probamus *part.* 1. *select. disp. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei. Posterioris* generis consequentiæ sunt argumentationes, quibus falsa aliqua assertio aut antithesis refutatur. Et tales argumentationes sunt vel *primariæ*, vel *secundariæ*. *Illæ* sunt, quibus immediatè & directè ipsa antithesis (ex. gr. Deus est mutabilis si non essentiâ, saltem voluntate; Opera nostra sunt causa justificationis, &c.) oppugnatur ac subruitur. *Istæ* sunt, quibus argumenta pro antithesi adducta, aut hypotheses illi substratæ, aut consectaria inde immediatè & evidenter fluentia, aut objectiones contra veritatis thesin ab adversario allatæ, refutantur. Utræque argumentationes sive astruentes sive elencticæ, sunt vel directæ seu ostensivæ: vel indirectæ, deducentes ad absurdum aliquod, aut ad contradictionem. De istis, non de illis nobis in præsenti agendum.

Argumenta ab absurdo consequenti, seu ducentia ad absurdum, *sunt illa*, §. 2.
quibus adversarius adigitur vel ad contradictionem, quâ sibi ipsi & à se positis contradicat; vel ad tale consequens admittendum, quod generalibus fidei Christianæ, aut luminis naturalis axiomatis ac principiis, aut saltem illius specialis religionis & theologiæ placitis, quam sub nomine Christiano profitetur, manifestè repugnat. Sunt autem talia argumenta duplicia, vel per se & secundum rei veritatem, vel κατ' ἄνθρωπον ad hominem inferentia, tacitam contradi-

 ctionem,

ctionem, aut quodvis absurdum, absonum, horridum, abominandum. Prioris exempla dedit Apostolus *Galat.* 5. *v.* 2. 2. & 4. in elencho justificationis legalis, & 1 *Cor.* 15. *v.* 13.-20. & *v.* 32. Posterioris exemplum dedisse putatur 1 Cor. 15. v. 29. *Quid facient illi, qui baptizantur*, &c. Siquidem expositio nonnullorum (quam meam non facio) admittatur: quod Apostolus argumentum sumat ex falsâ opinione & superstitioso facto nonnullorum, qui pro amicis jam defunctis baptismum suscipiebant. Apud Theologos frequenter ejusmodi argumenta occurrunt; pręsertim in errorum Papalium elenchis.

Ad rectam formationem & euporiam ejusmodi argumentorum requiritur.

1. Ut Theologus elencticus ad materiam, & formam argumenti, & ad leges contradictionis diligenter attendat: ne ἀνακόλουθον, aut paralogismum, aut sophisma, aut pseudographema loco justi & solidi elenchi ostentet, & tyronibus logicis se ridendum propinet.

2. Ut τὸ antecedens, quod ab adversario positum aut concessum dicitur, candidè & fideliter absque falsitate, calumniâ, sophismate, fraudulentâ detorsione excerpat & referat.

3. Inque eum finem in eorum scriptis versatus sit, & inde placita, argumenta, effugia, exceptiones, responsiones, hypotheses, consectaria eorum perspecta habeat: ut expositis & concessis eorundem, ex abundanti malam causam in luce ponat, ac proferat; eosdemque aut saltem asseclas eorum cogat assertionis seu principalis thesis controversæ, quę primo aspectu & specie aliquâ non tam ingrata nec tam improbabilis visa est, in consequentibus tamen tam absurda, & noxia deprehenditur atque evincitur, ulteriorem defensionem deserere; & sic tandem ad oppositam ac præjudiciis gravatam veritatem oculos attollere.

§. 3. Repugnant ergo justo elencho κατ' ἄνθρωπον.

I. Cum sive per lapsum memoriæ, sive alterius infelicis historici & rellatoris fide; aut malignè per mendacia & crimina falsi, adversario affingitur quod nunquam dixit aut scripsit; quò eum ad absurdum, aut hęreticum, aut contradictorium, aut horridum quid & malè sonans adigas. Exemplum prioris dabat Cardinalis Lotharingus in *colloquio Possiaceno*, cum Bezæ imponeret dictum aliquod nunquam illi dictum: *Christum tam longè abesse à cœnâ, ac cœlum à terrâ.* Vide acta istius colloquii, & *Historiam Thuani.* Posterioris innumera exempla passim in elencticis Pontificiorum scriptis occurrunt. Excellunt inter illa, fictiones dictorum aut factorum personalium, unde tanquam ex præsuppositis & concessis per absurdam & crudelem consequentiam communis & publicę doctrinæ nostrę τὰ absurda, ἀσύστατα, hæreticæ,

tica, blasphema, noxia, intoleranda non minus improbè quam indoctè colligunt. De talibus fabulis & mendaciis, quæ ipsis piæ fraudes, *Willetus in tetrastylo Papismi* anglicè, *Marnixius Sanct. Aldegondius in alveario Ecclesiæ Romanæ tom.* 1. & 2. *Gall. & Belg.* Huc etiam faciunt *Jacobi Capelli tract. cui tit. Sedis Romanæ potestas, sanctitas, fides*; & *Joh. Prideaux orationes de Pseudo-epigraphis & de Impostorum mendaciis.* Ex Pontificiis, præter scriptores elencticos (inter quos excellit *Franciscus Costerus* Jesuita) strenuè partes suas hic agunt *Laur. Surius in Historiâ, Laingæus* natione Scotus, qui se Parisiensem theologum vocat, in vitis Calvini aliorumque quorundam theologorum nostrorum Jacobo VI. Scotorum Regi dedicatis.

II. Cum sive per fallacias homonymiæ, compositionis & divisionis, imprimis à dicto secundum quid ad dictum simpliciter indoctè & stupidè, aut per insignem calumniam & verborum mutationem (additis aut detractis, aut substitutis quibusdam) malignè tanquam ab adversario dictum sumitur ac præsupponitur; quo per consequentiam ad absurdum aliquod aut ad sui ipsius contradictionem adigatur. Illustre exemplum dederunt aliqui Jesuitę, inter quos tanquam architectus excellit Verronus; qui aut stupidè aut malitiosè sumto ac præsuppositio axiomate tanquam totius reformationis nostrę fundamento ex *confessionis Gallicæ artic.* 5. & *Belgicæ artic.* 7. de nihil in negotio religionis recipiendo, nisi quod in scripturâ traditur aut continetur: omnes consequentias ab elenchis nostrorum, quibus missam, potestatem Papalem, &c. subruunt, removendas contenderunt, & assertiones ex. gr. Missa est idololatria, Papa est Antichristus, &c. totidem disertis verbis, aut argumentationis totius præmissas cum conclusione, & rationibus ac regulis consequentiarum in verbo Dei scriptas ostendi postulârunt. Quasi scil. ulla reformatorum confessio, ullus theologus dixisset, Non tantum omnia dogmata religionis, sed & omnes errorum rejectiones, omnes eorum elenchos totidem disertis verbis in scripturâ legi debere. Sed ludos hos Verronicos detegunt, & ratiocinationis ac consequentiarum usum ostendunt autores à nobis citati in 1. *part. select. disp. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei.* Nos breviter negandam dicimus hypothesin illam, quam non ex rei veritate, nec ex suo sensu, sed tantum ex nostro stupidè & imperitè aut malignè sibi sumunt; unde ad absurdum nos duci, & per illud tandem à scripturâ ad sedis Romanæ oraculum nos compellendos putant. Idem de Neuhusii, Walenburgiorum, Jesuitæ Keddi, & similium novis & inter se dissentientibus, sed ἡμιτροβίοις & evanescentibus methodis statuendum est. Neganda solummodo falsa hypothesis, quàm κατ' ἄνθρωπον & ex nostro scil. sensu (sed falso & perperam) tanquam basin ludicris & imaginariis suis colossis substruunt. Conferatur *disp.* nostra, cui tit. *Proteus*

Romanus, seu, *Mutata mutanda Romanæ causæ defensio.* Simili vitio laborant quamplurima, quæ *Feuardentius* spisso libro (cui cit. *Atheomachia Calvinistica*) infarxit. Et pleraque congesta in *Ministro-machia Britannica* per *Fitz Simonem*; in *bello quinti Euangelii* per *Andream Jurgewicium*; In *Scorpiaco* per *Gasp. Scioppium*, ubi ex centuriis Magdeburgensibus reformatos convincere conatur; in tract. cujusdam *Bedæi* ex Anglico in Latinum traducto in 40. in tract. Gallico Franc. Feu-ardentii tit. *Entremangeries & guerres ministeriales* anno 1604. tertium edito, & fere alterâ parte aucto in 8.: quibus nostrorum in præcipuis fidei dogmatis dissensiones & contradictiones demonstrari prætendunt. Nec ab iis hâc in parte & arte discedunt, qui autoris alicujus malum aliquod ex professo candide & cum zelo oppugnantis, patrocinium pro eodem illo malo ostentant. Vide quomodo nonnemo à fœneratoribus excitatus & seductus *Cl. Theologum Joh. Cloppenburgium*, olim in ministerio ecclesiastico collegam meum, obtorto collo ad patrocinium mordentis usuræ, quam tam validè oppugnârat, trahere ausus fuerit. Sed hanc ipsius in argumentando ἀκρισίαν, ἀπειρίαν, ἀπεχνίαν (ut mollissimè loquar) satis superque detexit *disp.* nostra de pseudographemate usurario. Aliis etiam, qui D. Cloppenburgium indignè ad hujus causæ patrocinium advocabant, abundè à Theologis Ultrajectinis *part. 2. Rei judicatæ* & ab eorundem eruditiss. hyperaspiste *Leonardo* à *Ryssen* responsum putamus. Nec prætereunda pseudo-graphemata quibus aut ad malarum causarum defensionem e.gr. ludi scil. aleæ, & chartarum, aut saltem ad pueriles ac turpes contradictiones *Calvinum*, *Daneum*, *Perkinsum*, *Lavaterum* similesque heroas volentes nolentes compellere satagunt. De argumento illo aleatorio, ad hominem, nuper vidimus in disceptatione de lusu aleæ à censuris vindicatâ.

§. 4. Sed age in practicis, seu quæstionibus moralibus & casibus conscientiæ disceptandis ac determinandis argumenta καθ' ἄνθρωπον ad absurdum aut ad contradictionem ducentia, sed paralogisticè aut sophisticè, in sex classes dispescamus, & ad sex pseudo loca inventionis revocemus, 1. à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. 2. ab hominum, immo & communitatis ecclesiasticæ aut politicæ facto & consuetudine malâ, bene positâ, ad jus divinum. 3. à tolerabili, tolerantia, seu defectu tolerato; ad approbationem tanquam pii aut honesti. 4. à non damnatione, ad approbationem. 5. à foro soli, ad forum poli. 6. ab uno ad omne, aut ad dimidium plus toto.

1. *Classis est* ex pseudo-loco, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Insigne ejus exemplum sit Achilles ille pro abusu bonorum ecclesiasticorum, qui in tenebris aliquamdiu serpsit; quemque ego in lucem protractum ex-

exarmavi *lib. 4. politic. eccleſ. tract. 2.* Tantum enim abeſt, ut talia ſophiſmata & pſeudo-graphemata communis reformationis & Chriſtianiſmi hâc in parte defenſores ad abſurdum h. e. ad malæ cauſæ amplexum, aut ſaltem ad turpem contradictionem compellant; ut ea ſolummodo detegere ſit refutare. Non pigebit tamen hic de novo dictum Achillem in pompâ quaſi circumducere, ut de novo ab omnibus ſpectari poſſit. Antecedens ex defenſoribus communis cauſæ eccleſiarum reformatarum, immo & totius Chriſtianiſmi, ne dicam Ethniciſmi, tale ſumitur: Semper præcisè ſeu neceſſario omnia & quævis bona eccleſiaſtica miniſteriis, templis, ſcholis, pauperibus data, deſtinata, ad directos & immediatos uſus pauperum, exulum, miniſteriorum, templorum, ſcholarum, miſſionum ad converſionem infidelium, hæreticorum, &c. ſic applicari non debent; ut nunquam ullo in caſu neceſſitatis ſive extraordinariæ, ſive præſentis, ſive ordinariæ, portio, aut ſuperfluum aliquod eorum bonorum in uſus indirectos aut analogicos, (publicos ſcil. qui reductivè pertinerent ad uſus & bonum eccleſiæ) impendi poſſet. Hoc aſſertum fateor à bonæ cauſæ defenſoribus concedi, & ſemper à reformatis theologis, Jureconſultis, Politicis conceſſum fuiſſe. Quid ſi quis ex hoc antecedente tale conſequens inferat: Ergo licet in foro conſcientiæ, cuivis privato, accedente voluntate Magiſtratus ſive permittente ſive ordinante, ſive etiam approbante, non in uſus publicos eccleſiaſticos directè, aut indirectè, ſeu reductivè ſic dictos, ſed in uſus ſuos privatos ac œconomicos, immo & in luxum, omnia & quævis bona eccleſiaſtica pauperum, templorum, miniſterii, ſcholarum, tanquam bona commendata ſucceſſivè ſub aſſumtis paupertinis, eccleſiaſticis, ſcholaſticis titulis ſibi vindicare & impendere. Quis horribilem & ſtupendam hanc ἀναισχυντίαν, quâ omnes orthodoxi nobiſcum tanquam malę & deſperatæ cauſę defenſores, aut tanquam ſibi turpiter contradicentes, proſtitui putantur, eminus modo inſpiciens, non miſereatur ἀκρασίας. Ut autem vel cœci videant, quam ſolide & feliciter argumentum hoc καθ' ἄνθρωπον ad abſurdum aut ad contradictionem ducturum, contra communem reformationis & Chriſtianiſmi ſententiam inſtruxerint, paradoxi aliqui ἰυρέται, en tibi ſimilia. Theologi orthodoxi concedunt hominis alicujus occiſionem aliquo in caſu poſſe honeſtari: ergo ſequitur quævis bella & latrocinia, immo quęvis quorumvis privatorum duella, quaſvis cædes ad privatam vindictam, in foro conſcientię eſſe licita; modo ſcil. ipſi Reges, Principes, Magiſtratus, hoc faciant, aut privatorum facta permittant, ordinent, quin & implicitè aut explicitè approbent. Aliud exemplum inconſequentis ſit. Reformati theologi & Jureconſulti omnes, qui principia illa *ſuum cuique tribuere*, & *neminem lædere*, & *quod tibi fieri nolis*, &c. concluſioneſque ritè inde deductas mordicus tuen-

tur, concedunt Magistratui licitum esse aliquo in casu per modum scil. justę pœnæ; aut in extremâ necessitate, ubi bonum particulare universali debet cedere, privato cuilibet subdito volenti aut nolenti agrum, domum, frumentum, utensilia argentea, aurea, ærea, ferrea; &c. immo & filios auferre. Ex hoc antecedente concesso, inferatur nunc consequens: Ergo licet Principi aut Magistratui omnia & quævis bona quibusvis subditis suis pro arbitrio auferre & in privatos suos usus convertere; aut liberis, nepotibus, amicis, necessariis, famulis suis, possidenda, utenda, fruenda dare; aut ea in privatos suos suorumque usus vendere. Vel sic magis applicatè ad nostrum casum. Si prius licet (uti conceditur) ergo licet etiam posterius; hominibus scil. privatis aliorum domos, agros, &c. possidere, fructus inde percipere, eosdemque aliis donare, vendere; quin & ordinem ac modum illum agendi tueri, immo & in ejus defensionem jurare: modo id ita permittat, aut ordinet, aut legitimet Princeps, prætor, Magistratus. Si in viris tali sophismate ludentibus privatę aliquot harpyiæ artis suæ tyrocinia ponerent; aut Reges, Principes, Magistratus arbitrarii sui regiminis specimen ederent: non puto ullos majori cum zelo & ἀκριβείᾳ sophisma hoc destructuros aut destruendum curaturos, ac ænei hujus tauri (hoc est absolutæ & arbitrarię potestatis in corpora & bona subditorum) architectos. Sed pudet pigetque toties protrita ultra proterere.

Instet quis. Atqui si fas est aliquid sacrum aliquo in casu in sęculares usus impendere: ergo nefas non est omne, ubique, semper impendere. Sed verum prius, ex nostrâ concessione. Ergo. *Resp.* 1. Majoris consequentiam negandam discimus ex *Matth.* 12. *v.* 3. 4. Et ex simili consequentia: peculii orphanotrophei, nosocomii, gerontodochii, mensæ spiritus s. (quam ita vocant) templi, leproso-dochei, domus pestiferę, Xenodochii partem aliquam aliquo in casu necessariis & publicis usibus applicare licet. Hoc sit antecedens à nobis concessum. Inde quis infert ut ad contradictionem, aut ad hanc concessionem nos compellat, omnia bona eorum ubique & semper, ex mero Principum aut Magistratuum arbitrio & indulto posse relinqui hominibus nec ecclesiasticis, nec pauperibus, nec leprosis, nec peste laborantibus, nec pauperibus, nec peregrinis exulantibus; sub assumtis tamen & mentitis titulis mendicorum, exulantium, leprosorum, peste laborantium, pauperum orphanorum, non minus ac abbatum, monachorum, sacerdotum, canonicorum, archidiaconorum, &c. *Resp.* 2. Minor nititur falsâ hypothesi, figmento scil. illi, de ecclesiæ, pauperum, scholarum bonis, similiter aut pariter sacris, ac templum cum utensilibus in V. T. ex nostrâ scil. sententiâ: quod nos strenuè negamus, & calumniæ dicam scribimus illis, qui moniti non desistunt. Ne actum agam, vide hoc à me explicatum

catum *part. 3. selectar. disp. tit. de Benedictionibus & sacramentalibus p. 1094. & lib. 4. polit. eccles. tract. 2.*

11. *Classis* ex pseudo locis inventionis est, quando in quæstionibus practicis & casibus conscientiæ determinandis à concesso per orthodoxum scriptorem facto & consuetudine, ad jus divinum consequentiam ducendo, eundem scriptorem in contradictionis nassam compingere, aut ad heterodoxum illicitumque quid defendendum trahere studemus; quamvis contrarium tenuerit. Ita Remonstrantes, Grallatores, Erastus cum hodiernis suis sectatoribus in Angliâ & buccinatoribus imperii in imperio, theologos orthodoxos, præsertim Germanos & Anglos, contra omnem potestatem & disciplinam ecclesiasticam, ad partes vocant: sed malè. Illi enim locuti sunt ad factum & consuetudinem hic & nunc; quibus utcunque se habentibus utebantur contra Papæ & Papisticorum episcoporum iniquitatem & violentiam. Ut quimus ajunt, quando ut volumus non licet. Sed aliter locuti fuissent, & aliter loquuntur, cum simpliciter de jure divino, & de primigenio ordine, in ecclesiis-apostolicis usitato, extra intuitum recepti moris, consuetudinis, & ordinis lege apud suos stabiliti, determinant. Uti hoc alibi à nobis ostensum est *lib. 1. politic. eccles. tract. 2.* Si uni atque alteri dictum aliquod in fervore agitationis exciderit, quod per præsentem distinctionem, aut per distinctionem potestatis ecclesiasticæ in objectivam seu ἔξω, & formalem seu ἔσω; ad concordiam, reduci nequeat, illud inter nævos reformati illius doctoris reponemus; & uni atque alteri hic cespitanti aptabimus diverbium illud: Una hirundo non facit ver: Et εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. Similiter judicandum esse de jure patronatus, docuimus peculiari diatribâ antehac aliquoties editâ & Politicæ nostræ ecclesiasticæ *part. 2. lib. 3. inserta.*

111. *Classis* ex pseudo-locis inventionis est, quando à tolerato, tolerabili, tolerantiâ, alicujus facti, moris, consuetudinis à theologo aut theologis concessâ, consequentia ducitur contra mentem & intentionem concedentium, ad jus divinum & approbationem tanquam liciti in foro conscientiæ; aut ad perpetuò, etiam pleniori reformatione introductâ, sic ἐνδέκτως agi posse. Quasi scil. proficiendum sit in pejus, & olivæ pinguedo deserenda: nec illud audiendum,

Inventis glandem qui non fastidit aristis.

Evenire autem potuit ἀπημάκτων quorundam tolerantia tribus in casibus: vel in necessitate mali bene positi & loco non movendi: vel in initiis rudis reformationis à corruptissimo & validissimo Papatu, cum omnia nondum ita perfici, aut simul tractari poterant: vel in casu tentati syncretismi, aut consilii henotici seu pacificatorii, quò communis aliqua reformatio principalium

palium saltem dogmatum sive in ecclesiâ sive in politiâ haberi & obtineri posset. Quam multa ejusmodi tanquam tolerata, aut tolerabilia, sive concessa, sive studio præterita & dissimulata, sive intacta aut non tangenda invenias in primis scriptis *Lutheri*, *Oecolampadii*, *Buceri*, *Melanthonis*; imprimis in hujus consiliis & epistolis, & in variis responsis, deliberationibus, decretis, Principum Protestantium, quæ in *Historiis Sleidani* & *Concilii Tridentini* leguntur. Quid *Rivetus* Grotio non tantum infeliciter syncretizanti, sed & Papizanti (uti ad oculum demonstravit celebris Papismi antagonista & theologus *Jac. Laurentius tract. cui tit. Grotius Papizans*) quid itidem nostri in Belgio Remonstrantibus, nonnulla dicta, consilia, facta innovationi & turbationi suæ obtendentibus responderint, noscent, qui scripta illa legere, aut loca citata in ipsis primæ reformationis Doctoribus & historiis inspicere atque expendere dignabuntur. Qui absque multâ & operosâ lectione ac collatione Doctorum ac historiarum in talibus ex tripode propriæ phantasiæ garriunt, & phantasmati in se nato molem stramineæ consequentiæ inædificant, nullo hic numero esse debent. Sed in uno atque altero exemplo absurdissimam hanc absurdi aut contradictionis inferendæ artem ostendamus. Si quis polygamiam, & divortium καλὸς λόγῳ πορνείας, tanquam jure divino & in conscientiæ foro licitum probaturus, provocet ad tolerantiam etiam ecclesiasticam tempore Apostolorum 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. 12. (ut ibi exponunt interpretes, & *Beza in lib. de divortiis*:) quis non videbit paralogismi hujus ineptiam? Si quis cum Grotio Papam tanquam præsidem Reipublicæ Christanæ defensurus, eundemque ab horrendâ Antichristianismi infamiâ liberaturus: fictis de illo, quę non sunt, sed forte ex imaginatione ipsius partim melius esse possent (siquidem hoc Euangelicum, sic loquar, consilium Papæ placeret amplecti), partim mutari deberent, quamvis hactenus mutata non sint: allegaret magnum illum non tantum Germaniæ sed & totius orbis reformati communem præceptorem *Melanthonem*, in subscriptione articulor. Smalcaldicorum solum se à totius synodi suffragiis excipientem his verbis: *De Pontifice autem sic statuo, si Euangelium admitteret, posse ei, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam à nobis permitti.* Cui scintilla judicii & bonæ fidei supereſt, facile videt Melanthonem tantum jus humanum, ejusque tolerantiam, cum obligatione non resistendi, tali in necessitatis casu admittere: minimè rem tanquam in foro conscientiæ Papis supra fratres se efferentibus licitam probare. Et nullam aliam illi fuisse mentem, docent tum communia Protestantium, tum propria Melanthonis scripta à genuino ipsius discipulo *Pezelio in tomis object. & respons.* alle-

allegata. Tertium exemplum sit manifestus & singularis bonorum ecclesiasticorum abusus, ad cujus defensionem nonnullis aliquid conferre videtur *Melanthon commentar. in Daniel. 5.* Quamvis ab aliis ad hoc satis responsum sit, non pigebit tamen repetere, distinguendum esse inter illud, quod abutentes in foro conscientiæ possint aut debeant agere: & inter illud, quod ecclesiæ bonâ conscientiâ debeant aut possint in illis abutentibus pati, tolerare, tanquam malum necessarium; aut admittere tanquam minus malum, permittendum potius, quam majus malum sibi accersendum; aut tanquam hoc rerum statu tolerabile, non tamen tanquam per se optabile, aut sponte accersendum, aut in facientibus tanquam jure divino licitum & laudabile probandum. De tolerando & tolerabili alibi (verba enim in *Daniel 5.* præsentem quæstionem non attingunt) *Melanthonem* loqui; aut si mavis de eo, cui ab ecclesiâ resisti non debet, (quomodo *Grotius de jure pacis & belli lib. 1. c. 4.* explicat jus regum Israel 1 *Sam. 8. v. 11.* quo tamen illi bonâ conscientiâ uti non poterant) liquet ex *part. 1. consil. pag. 431.* De his, inquit *Melanthon*, „ monasteriorum direptionibus aliquando dico: eos qui tenent illas possessiones si saltem pauca deciderent ad ecclesias & scholas juvandas, veniam „ sperare posse: cæteris profecto nullo modo ignoscendum est, qui devoratis his opibus sinunt pastores cum familiis fame perire, scholas deseri, &c. Hic nihil nisi de conniventiâ & de magis tolerabili. Sed de eo, quod debeat in conscientiâ fieri, sic loquitur *part. 1. consil. p. 427.* „ Jam hi reditus „ sunt impiorum canonicorum, sed sunt veræ ecclesiæ. Quare & Magistra„ tus *reddere eos ecclesiis veris debet, & pœnam sumere ab impiis tanquam præ„ donibus.* Et *part. 2. consil. p. 144.* de collegiis canonicorum sic loquitur: „ Imo hæc ipsa bona sunt initio à Regibus ad hunc principalem usum ordina„ ta, ut *sint docentium & discentium stipendia seu alimenta. Hoc certissimum „ est.* Adde ex *catechesi tom. 3. operum pag. 243.* edit. Basil. dominium „ & proprietas bonorum ecclesiasticorum non pertinet ad Pontifices, nec „ ad Principes, nec ad populum, sed ad ecclesiam, &c. Hinc facile judica„ ri potest diversa hac in parte furta esse commissa: omnes enim, qui his „ fruuntur, negligentes ministerium ecclesiasticum aut studia, peccant. Adde quæ habet *part. 2. pag. 186.* De facto Laurentii. *Abrah. Scultetus in narratione apologeticâ de curriculo vitæ suæ an. 1625.* Embdæ edita *pag. 21.* refert ex ore Peuceri generi Melanthonis. „ Melanthoni aliquando à Joh. „ Friderico electore decretum fuisse carcerem, quod illi dissuasisset episcopa„ tuum Naumburgensis, Halberstatensis &c. occupationem, addita ratio„ ne, quod *bona ecclesiastica nullo iure princeps sibi vendicare posset.* Ex omnibus illis constat, quid ex sensu Melanthonis de reditibus ecclesiasticis, nominatim & canonicorum, fieri debeat, & quid in casu conscientiæ sit

licitum: quamvis vir mitissimus & pacis studiosissimus, multa mala bene posita in tanta rerum perturbatione dissimularit, tolerarit, permiserit: nonnunquam nimium, ut in casu supra memorato de Pontifice, contra statuente universo conventu Smalcaldico artic. 3. De *Calvini* tolerabili & tolerantia sive hac in parte sive in aliis quamplurimis in Germaniâ à *Luthero*, *Melanthone*, *Bucero*, &c. toleratis, sed tantum toleratis, nemo ipsi sive amicus sive inimicus, sive neuter, hactenus multum tribuit. Videantur passim epistolæ ejus imprimis 10. & tract. c. Pseudo-Nicodemitas, & de scandalis. Sed intolerandâ injuriâ viri orthodoxiam, candorem, zelum afficerent, si qui ipsius consensum in ☞ licito in foro conscientiæ hic fingere, aut specietenus ostentare auderent. Inspiciantur verba ipsius ex epistolis aliisque tract. excerpta in *consilii theolog. part.* 2. *p.* 22. *usque* 29. & quæ ex ejusdem *epistolis* 13. 65. 66. addidit Rever. Collega noster *Essenius in præfat. ad defensionem consilii theolog.* Omnia ista collata cum verbis Calvini, quæ ad deploratæ causæ patrocinium trahi videntur, *Id si obtinetur, erit ut in rebus adeò dissipatis tolerabilis conditio* non magis abusus nostratis approbationem in foro conscientiæ inferunt, quam factum patronorum quorundam alicubi in Belgio fœderato majorem partem redituum pastoralium devorantium, relictâ pastoribus solummodo portiunculâ unde famelicum ventrem cum suis vix impleant: teste libello supplice nomine Synodi Groning Omlandicę à *Joh. Acronio* conscripto, & postea typis edito. Erat istorum pastorum quamvis misera, tolerabilis tamen conditio, si comparetur cum illis, quibus in parte occupati Palatinatus per militiam Leopoldicam, à præfectis omnes reditus auferebantur. Et horum rursum magis tolerabilis conditio, quibus ministerii exercitium in ecclesiis suis per annos aliquot permittebatur, si comparetur cum conditione pastorum & ecclesiarum in reliquo Palatinatu; quibus omnia exercitia & ministeria prohibita.

IV. *Classis* ex pseudo locis inventionis est, cum consequentia ducitur ab abstinentiâ à damnatione, aut dijudicatione, sive privatâ sive pastorali, sive publicâ; ad verum, pium, justum, in foro conscientiæ licitum, amplectendum, probandum. Exemplis quamplurimis ostendi posset, hoc tempore, aut loco, aut hoc rerum statu, aut hoc in scripto à Doctoribus aliud agentibus, aliquid non condemnari, quod tamen ideo non probetur; adhæc censuræ ecclesiasticæ aliquid non subjici, aut subjiciendum judicari, quod tamen tanquam licitum in foro conscientiæ ab eodem Doctore non probetur. Nuper in tract. nostro de Lusu Aleæ tale quid ostendimus in *Calvino* & *Martyre* pro aleâ allegatis.

V. *Classis* ex pseudo locis est, quando consequentia ducitur à legitimo, & licito in foro soli & jure humano, quod ab orthodoxis ac piis ita se habere

bere conceditur; id licitum ac justum in foro conscientiæ. Infinita pæne exempla huc adduci possent, in quibus τὸ νόμιμον secundum leges forenses sive divinas sive humanas distingui debet à νομῷ in foro conscientiæ. Infra hoc pluribus ostenditur in *disp. de Foro poli & soli.* Diverso hoc respectu & sub hâc distinctione legitima & licita sunt divortia Israelitarum; polygamię in Turcico aliisque Asiæ & Africæ imperiis; ars & pragmatica meretricia Romæ; pyratiæ Tunetana, Tripolitana, Aligerienſis; Spolia ex naufragantibus, in toparchiis littoralibus ex jure & consuetudine antiquorum Normannorum; Episcoporum Papalium electiones, investitutæ, juramenta; ludi & lucra aleæ in totâ Hollandiâ prohibita, sed ex concessione comitis in civitatibus Leidensi, Delfensi, Monachodamensi licita, uti refertur in *Grotii Jurisprud. Holland. lib. 3. part. 3.*; denique episcoporum, parochorum, sacerdotum, canonicorum Papalium beneficia, & emolumenta, quæ propter officia & opera episcopalia, missarum, horarum canonicarum, sacramentorum & sacramentalium justè ac legitimè percipiunt in foro soli, etiam in politiis reformatis (uti e. gr. Trajecti ad Mosam); & quæ in casu motæ litis ipsis à judicibus, quamvis, reformatis, adjudicarentur. Nullus reformatus justum & νόμιμον in foro externo hic negabit; nullus tamen considerans idem factum in foro poli, expunget notam marginalem interpretum Belgicorum ad *Apocal. 9. vers. ult.* ubi clerici Papales furti arguuntur: aut cum *Melanthone 1. part. consil. pag. 427.* verebitur eos appellare *prædones.*

VI. *Classis* ex pseudolocis est, quando consequentia ducitur ab uno ad omnia & ad omnes; aut saltem ad dimidium aut quasi dimidium plus toto. Primi generis exemplum est, cum sententia alicujus scriptoris colligitur ex uno ejus dicto; quod per inadvertentiam aliud agenti, aut per imprudentiam in fervore disputationis illi excidit, & sæpe non tam liquidam ac distinctam determinationem; quam dubitationem, aut συγκατάβασιν, aut perplexitatem & difficultatem in solvendâ objectione præ se ferre videtur; cujusque oppositum idem autor alibi variis in locis, aut hoc agens in sede propriâ istius materię apertè asseverat. Cum potius unum illud impeditè aut obscurè, aut incommodè, aut ambiguè dictum inter τὰ ἀναπόφαντα numerandum, & unum ex pluribus, obscurum aut dubium ex perspicuis & certis ejusdem autoris locis explicandum, ac cum hisce conciliandum esset: juxta methodum & regulas conciliatorum scripturæ, juris, philosophiæ. Exemplum consequentiæ ab uno ad omnes, aut saltem ad dimidium plus toto est, cum pro aliquâ absurdâ aut ἄτοπῳ, si non fertili malorum, opinione, conquiritur, & si inveniri nequeat, de novo ad hoc inducitur ac subornatur unus atque alter autor, ut in scenam adversus nubem testium, adver-

ſus communem pietatis & piorum ſententiam productus pares partes faciat; atque ita ſit errorum & vanitatum proxenetis τὸ dimidium plus toto. Hæc profunda, hæc ſtratagemata Satanæ mediâ in luce terras noſtras nunc perambulant: ubi pro variis opinionibus & peccatis, quibus homines adhæreſcunt, audies jactari vulgatum illud: Sunt variæ opiniones theologorum, Sub judice lis eſt: ergo controverſa non ſunt tangenda: ſaltem pro concione, aut ſcriptis non ſunt determinanda: denique ſunt problematica; aut ſunt adiaphora, liberè recipienda aut rejicienda, omittenda aut facienda. Sic unus ſcil. atque alter ignorantiâ, aut errore, aut ſtudio diſſentiens, aut neutralitatem fingens, ut animo ſuo aut hominibus de hoc ſeculo obſecundet, ſtateris doloſis appenſus tanti ponderis eſt, quanti communitas eccleſiarum & Doctorum; & facit dimidium, quod alteri dimidio, hoc eſt communibus eccleſiis & Doctoribus primum opponitur, & paulo poſt illis omnibus præfertur, tanquam altera pars, & alterum dimidium plus toto. Operoſum eſſet variis exemplis hoc nunc docere. Alibi etiam ulcus hoc tangimus *lib. 4. politicæ eccleſiaſticæ tract. 2. & 4.*

§. 5. Atque hactenus de conſequentiis deducentibus ad abſurdum καὶ ἄνθρωπον: ſequitur nunc agamus de deducentibus ad abſurdum per ſe. Antitheſes ψευδωνύμῳ σοφίας opponuntur veritatibus ſeu theſibus ſive dogmaticis, ſive moralibus & practicis, ſtrictè & appropriatè ita dictis. Alioquin tota theologia eſt practica: uti alibi docuimus in *diſpp. de theologiâ*, & in 3. *part. ſel. diſpp. tit.* de *theologiâ practicâ*. Utræque refutantur argumentis ad abſurdum ducentibus vel primò *directè*, *immediatè*; vel *mediatè* & *per conſequentiam.*

Prioris exemplum in dogmaticis ſit, argumentum contra Vorſtii aſſertionem de Eſſentiâ Dei ſoli Cœlo beatorum incluſâ: Quæ ſoli Cœlo incluſa eſt, illa non fuit in terris perſonaliter, & ἀχωρίστως unita humanæ naturæ Chriſti incarnati. Sed poſterius eſt abſurdiſſimum. Ergo.

Exemplum in practicis ſit tale: Afferat quis, quartum decalogi præceptum eſſe purè putè ceremoniale, quod in N.T. non alium habeat uſum niſi dogmatizationis hiſtoricæ, & collativæ typi cum antitypo, ut & applicationis pareneticæ per analogiam ſeu quod ad genus; non magis aut minus ac in omnibus aliis præceptis ceremonialibus. Hanc aſſertionem οἱ ἐξ ὀμωμοσίας hoc abſurdo urgere poſſent: Si quartum præceptum ſit purum putum ceremoniale, quo ſequitur legem ceremonialem mixtam & confuſam eſſe cum morali. Sed poſterius abſurdum. Ergo. Vel *ſic*, ergo ſequitur legem moralem Chriſtianorum tantum novem conſtare præceptis. Sed hoc abſurdum, & apertè, repugnans *Deuter.* 10. & communi totius Chriſtianiſmi ſententiæ, omnibuſque catechezibus reformatis, & noſtræ Belgicæ. Ergo.

Et

Et rursum: Ergo sequitur aliam esse legem moralem novam, ac veterem; & consequenter legem moralem esse mutatam à Christo novo legislatore per additionem, aut substractionem: uti contendunt Sociniani, & Remonstrantes: de quo videndus collega noster *Essenius in tract. de Sabbatho.* Sed hoc absurdum. Ergo.

Posterioris generis argumenta ad absurdum aut contradictionem ducentia sunt, quibus primò & immediatè argumentum adversarii, thesi veritatis objectum, sive ostensivum, sive ducens (ipsius opinione) ad absurdum infringitur; & sic mediatè seu per consequentiam antithesis ipsius sublatis stylobatis subruitur aut saltem labefactatur.

Exemplum in controversiis dogmaticis sit, Vorstii argumentum ab absurdo consequenti, quo veritatem de Dei essentiali omnipræsentiâ oppugnatum ibat: Si Deus essentiâ suâ esset in terris præsens; ergo sequeretur eum esse in locis sordidis, &c. Sed posterius est absurdum. Ergo. Hoc argumentum tali argumento vicissim & verè ducente ad absurdum sic confundimus: Quo posito, sequitur Dei essentiam non fuisse in Christi humana natura in terris (ubi multa loca sordida) versante, nec personaliter & ἀχωρίστως ei unitam fuisse, non fuisse etiam divinam naturam personaliter unitam humanæ existenti in utero virginis, &c. eo posito sequuntur plurima absurda totum salutis nostræ per mediatorem θεάνθρωπον, mysterium subvertentia. Sed verum prius. Ergo & posterius. De quo pluribus alibi nobis actum in *disp. de Deo.* Ad hoc genus argumentorum argumenta seu objectiones adversariorum ad absurdum ducentium referri possunt specialia illa argumenta, quę *retorquentia* seu per *retorsionem* vocari possunt; quibus illud quod ab adversario pro suâ antithesi, aut contra nostram thesin ejusque probationem intorquetur, tanquam contra ipsius antithesin aut pro nostra thesi militans, retorquetur. In hoc genere, inter alios suam argumentandi ἀγχίνοιαν & artificium ostendit *Anton. Zadeel in discept. de scripturâ, de missâ, de Manducatione corporis Christi.*

Exemplum in moralibus seu practicis confundendi argumentum adversarii, quod ad absurdum ducere præsumitur, per veram deductionem ad absurdum, sit tale. Si dies dominica religiosè sanctificanda est, uti Perkinsus aliique theologi & Belgæ passim præscribunt: sequeretur Deum nobis imponere impossibilia, & vitam hanc debere nobis esse tædiosam, vix vitalem, &c. Sed absurdum posterius. Ergo & prius. Retunditur hoc pseudo-graphema tali argumento verè ducente ad absurdum: Si quia impossibilis talis diei dominicæ sanctificatio, statuendum est eam à Deo non præscribi, nec Christianos ad eam teneri: sequeretur nullum præceptum decalogi, speciatim & 10. (prout à *catechesi* nostra explicantur) à Deo præscribi,

aut nos ullo eorùm obligari. Sed abſurdum conſequens. Ergo & antecedens. Probatur conſequentia ex eo, quod omnia illa præcepta omnibus Chriſtianis ſint impoſſibilia: quæ tamen Deus præſcribit, & ad quorum perfectam obſervationem Chriſtiani omnes obligantur, ut & Doctores ad perfectæ obſervationis prædicationem. Vide *quæſt. catechet.* 114. 115. *Vel ſic*; Si quia impoſſibilis, &c. ſtatuendum eſt eam lege Dei non præſcribi, nec etiam poſſe præſcribi; ſequeretur à Deo religioſam & ſtrictam obſervationem ſub V. T. (quæ ſaltem non minor tunc requirebatur) Iſraelitis præſcriptam non fuiſſe, nec potuiſſe præſcribi. Sed poſterius abſurdiſſimum eſt. Ergo. *Vel ſic*, Si quia Chriſtianis in N. T. præceptum de Sabbathi obſervatione eſt impoſſibile, ſtatuendum eſt illud ſub N. T. non tenere, nec nos obligare: ſequeretur omnia legis præcepta pariter abroganda, aut ſaltem admodum laxanda aut laxata eſſe per novam Chriſti ſive legiſlationem ſive legis interpretationem, ut ſcil. perfecta obſervatio eorum ſit poſſibilis. Sed poſterius abſurdum. Ergo. *Rurſum hoc modo:* Si Deo per legem ſuam ad ſtrictam quarti præcepti obſervationem nos obligante, vita noſtra per ſe redderetur non-vitalis, aut vix vitalis: ſequeretur, per decimum præceptum prohibens minimam cogitationem aut cupiditatem, &c. (*quæſt. catech.* 113.) vitam noſtram per ſe, non minus, immo multò magis ἄβιον reddi. Sed poſterius abſurdum. Ergo & prius. Arbitror autem τὸ tædioſum & non vitale hujus vitæ intelligi perſe: alioquin argumentum ad fallaciam accidentis relegandum, non minus ac illa, quæ inferunt contra legem Dei, Chriſtum, Euangelium, atque adeo omne bonum, ex iis quę conſequi poſſunt aut ſolent incommodis. Plura exempla non addo; prætereo etiam regulas ſpeciales de legitimis conſequentiis ad abſurdum ducentibus: contentus in præſenti ſcopulos indicare, in quos ipſi abſurdorum hamaxarii, homines ἀπορροι in formâ & figurâ. (à qualibus Apoſtolus liberari petebat. 2 *Theſſ.* 3. *v.* 2. naviculam abſurdorum, quæ aliis advehunt) impingere ſolent.

§. 6. *Scopuli*, qui nunc potiſſimum in mentem veniunt ſunt iſti.

1. Cum nexus conſequentiæ eſt infirmus, conſequentia falſa, abſurda, nonnunquam blaſphema. Et talia ſunt argumenta ab abſurdo conſequenti contra trinitatem, contra gratiam Dei prædeſtinantem, vocantem, regenerantem, conſervantem, juſtificantem, ab adverſariis allata, & à noſtris abundè refutata. Nos in refutatione blaſphemi *libelli Danielis Tileni*, quem praxi & utilitati doctrinæ orthodoxæ de omnimodâ gratiâ Dei oppoſuerat, abſurdiſſimas ejus ab abſurdo conſequenti conſequentias profligavimus. Idem præſtitimus *part.* 1. *polit. eccleſ. lib.* 1. *tr.* 2. in refutatâ Grotii contra regimen eccleſiarum noſtrarum conſequentiâ de Republiçâ in Republicâ: cur ge-

gemina consequentia de ædificatoribus Imperii in Imperio, nuperrimè in Angliâ ab aliquo buccinata.

II. Est cum in practicis, moralibus, casuisticis determinationibus, & consiliis, rationes & motivæ suadentes aut dissuadentes, seu stimuli virtutum, aut præservativa & antidota vitiorum, desumta ab absurdis, incommodis, noxiis, difficilibus, injucundis, quæ ut plurimum, aut proclivi occasione vitia illa comitari & consequi contingit; absurdo, immò apertè falso consequenti gravantur, ac prostituuntur, per talem instantiam: quod illa necessario, apud omnes, ubique & semper non comitentur aut sequantur. Quasi scil. gnomæ & motivæ morales, in practicis & casuisticis apud scriptores sacros, patres, reformatos practicos & concionatores adhibeantur tanquam effata κατὰ πάντος, (uti in demonstrationibus mathematicis, physicis, metaphysicis) & non tanquam effata de iis, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, & ex naturâ illius vitii abstractè, objectivè, & per se spectati apta nata, in hâc humanâ infirmitate, contingere: quamvis in omnibus subjectis & quâcunque occasione, per accidens scil. & per interventum peculiaris alicujus impedimenti, non semper ita eveniant. Sic e. gr. Deus rationem dissuadentem à conjugio cum idololatris ducit, à periculo seductionis, *Deuter.* 7. Omnes tamen & singuli non seducuntur: quin contra aliquando idololatræ per illud conjugium cum fidelibus convertuntur. Similiter Christus inquit Luc. 4. *Non est propheta, &c. nisi in patriâ.* Contrarium tamen aliqui experti sunt: inter eos ego, si quisquam. Ut chartæ hic parcam, remitto discipulos nostros ad *disceptationem de Lusu Aleæ* nuperrimè editam pag. 125. & ad *Exercit. de prognosticis Cometarum.*

III. *Est*, cum ab indirectis vitiis, aut affinibus e. gr. idololatriæ, magiæ, furti, impuritatis, ad directa, aperta, professa vitia consequentiæ ducuntur e. gr. cum saltationum, actionum scenicarum, ebrietatis, usuræ alicujus mordentis (quæ νόμον καὶ χώραν sibi obtendit) item lucrosi aut damnosi lusus aleæ, avaritiæ, prodigalitatis, &c. opera ac studia, ad 7. & 8. pręceptum, hoc est, ad impuritatem aut furtum reducuntur; juxta catechesios nostræ & omnium decalogi interpretum explicationem. Quid si hoc nomine ebriosus, fœnerator, saltator, &c. cum theologis de injuriâ, calumniâ, infamatione expostulent: quasi scil. adulterii, scortationis, furti omnibus, & quidem in foro soli, dicam scriberent, qui vitiis illis affines sunt. Confer *disp.* nostram de idololatriâ indirectâ, cum appendice.

IV. Est cum ab abstracto ad concretum, à τῷ objectivè considerato ad hæc aut illa subjecta, à realibus ad personalia, à rebus ad singulares personas, à fine operis ad finem operantis, ab informatione in casu conscientiæ, quid pio faciendum aut amittendum sit, ad realem & autoritativam & violentam

lentam facti mutationem odiosæ & improbæ consequentiæ ducuntur. Quid in disceptatione de Scepticismo, aut Epicureismo directo, indirecto nonnunquam fieri soleat, indicamus in *disp. de atheismo.* Quid si Pontificii in Germaniâ, Galliâ, Poloniâ nostros adigere saragant ad absurdum illud consequens, de perturbatâ pace publicâ, de studio mutandi præsentem & stabilitam politiam, de affectatâ episcoporum, qui plerique etiam Principes, & tres ex iis electores, ὑπεροχῇ, potentiâ, opibus: quia scil. determinant, secundum suam religionem & conscientiam, jure divino suffultam, non posse ullum in foro conscientiæ talem episcopatum suscipere, & propter illud officium beneficio episcopali frui, multò minus episcopale juramentum præstare. Vide odiosas consequentias, quibus *Grotius in appendice ad notas in Euangelia*, Regi Galliarum aliisque Principibus Papisticis illidere conatur eos, qui Papam dicunt esse Antichristum. Legat, cui vacat. Notum quid odiose structum sit in Galliâ an. (ni fallor) 1606. *Jeremiæ Ferrier Pastori & Professori Nemausensi*, postea anno 1612. præter propter facto apostatæ; ob theses de Antichristo in Academiâ propositas; quid itidem ante annos aliquot Aubertino Ministro Parisiensi, ob librum emissum in missam, contra hostes ecclesiæ: & quanto cum murmure exceptum fuerit consectarium *D. Gomari disp. de Missa* Salmurii habitæ subjectum, de Missâ abolendâ aut abrogandâ; quę scil. publica Regis & regni autoritate stabilita est. Et hæc quidem ab exulceratis hostibus profecta sunt. Possem hic addere pariter odiosam & iniquam esse consequentiam, qua nonnemo perduellionis, perturbatæ pacis publicæ, studii rerum novarum, usurpatæ potestatis tum Papalis tum etiam supremæ politicæ, & nescio cujus non, accusare videtur eos, si qui in simplicitate cordis & conscientiæ suæ hominibus & mundo nec autoratæ nec velificantis, nec invidiæ aut ambitionis aut misadelphię, aut avaritię aut turpis adulationis & mendicitatis œstro stimulatæ, cum verbo Dei conformiter communi reformatorum doctrinæ sentiunt ac pronuntiant, neminem sine scrupulo & læsione conscientię, posse sub mentitis titulis Papalibus in collegia canonicorum antehac Papistica se ingerere, beneficiis & emolumentis frui, redituſque illos usibus publicis fundatos in privatos suos usus convertere; absque ullo munere & opere sive ecclesiastico sive politico; multò minus posse in conservationem & defensionem ejusmodi collegii, & statu cum juribus, privilegiis, &c. solenniter jurare. Sed de hoc antehac alibi.

DE

DE LEGE ET EUANGELIO.

Resp. ARNOLDO BERTRANT Amstelo-Bat. 23. Febr. 1656.

Præsuppono justam descriptionem Legis & Euangelii ex locorum communium scriptoribus alibi indicatis; unde studiosi nostri petant; nominatim de Euangelio ex Gomari locis communibus, & disputationibus: de Lege ex Apollonii peculiari tract. nuper edito. Repetitâ ergo solummodo vocum variâ acceptione, quod unicè instituto nostro inservit, aliquot quæstiones sublegam, & ad evidentiorem ac faciliorem hujus tam necessariæ materiæ intelligentiam, in gratiam incipientium, τῷ Θεῷ determinabo.

VOx *legis* (Hebr. תורה) notat §. 1.

1. Omnem doctrinam salutarem divinitus revelatam sive in V. sive in N. T.; & sic etiam Euangelium; omnemque præsuppositam doctrinam de Deo, ejusque creatione & providentiâ complectitur. Hinc *Rom.* 3. *v.* 27. Euangelium vocatur *Lex fidei*, oppositè ad *Legem operum.*

11. Totam doctrinam salutarem revelatam & traditam ante adventum Christi, secundum veterem dispensationis modum; quæ præter præsuppositа dogmata de Deo, complectitur legem triplicem, & Euangelium sub formâ ὑπαγγελίας. Et in hâc significatione accipi putamus *Psalm.* 1. *v.* 2. & 19. *v.* 8. 9. & passim *Psal.* 119. & *Jesa.* 2. *v.* 3. Huc referri potest metonymica acceptio *Joh.* 10. 34. & 16. *v.* 25. 1 *Cor.* 14. *v.* 13. ubi scripturam seu canonem V. T. notat.

111. Per metonymiam synecdochicam Pentateuchum Mosis, distinctum à Prophetis tum prioribus tum posterioribus, & ab hagiographis. *Luc.* 24. *v.* 44. *Rom.* 3. *v.* 21. *Act.* 13. 15.

1v. Compendium seu summam legis moralis in decalogo propositam *Actor.* 7. *v.* 53. *Galat.* 3. *v.* 19. *Luc.* 10. *v.* 26.

v. Legem moralem præceptorum cum addita sanctione præmiorum & pœnarum, quocunque in statu, & quocunque revelationis modo hominibus propositam; prout ab Euangelio & à gratia Dei intus illuminante ac regenerante distinguitur, seu distinctè ac separatim consideratur *Rom.* 7. *v.* 12. & 8. *v.* 3. 1 *Timoth.* 1. *v.* 8. qualis acceptio in hac materia theologis frequens est.

VI. Legem moralem supernaturaliter revelatam, & scriptam, prout ea naturali legi ut non scriptæ opponitur *Rom.2. v.12.14.*

VII. Legem scriptam cum & in rigore suo, separatim ab omni Euangelii temperamento, & ab omni gratia ac spiritu Dei cum terribili illo sanctionum, comminationum, aliorumque motivorum, adjunctorum, & circumstantiarum satellitio sub V.T. populo Israelitico propositam, repetitam, atque inculcatam, quâ tanquam intolerabili jugo conscientiæ ligabantur atque onerabantur: ut tantò fortius ex seipsis & omni operum fiducia expulsi ad Christum per virgam duri alicujus Pædagogi compellantur. Non erat autem hæc lex alia quod ad essentiam à lege sub N. T. proposita; sed tantum quod ad modum & circumstantias dispensationis ac propositionis. Et hæc acceptio non infrequens est Apostolo, *Rom.6. v.14. Galat.5 v.18. Galat.3.v.24. & 4.v.24. Rom.4.v.15. & 7.v.5. 2 Cor.3.v.7.*

Vox *Euangelii* significat.

I. Omnem doctrinam salutarem à Deo revelatam, prout ea tempore novi Testamenti prædicata fuit ab Apostolis, quæ doctrinam de Deo unà cum Lege & Euangelio continet; breviter omnem doctrinam canone V. & N.T. comprehensam.

II. Lætum nuntium & doctrinam continentem fœdus novum, seu promissiones novi fœderis, sive ante Christi adventum, sive post eundem prædicata fuerit; prout & quousque à doctrinâ legis distinguitur. *1 Cor. 9. v. 14. Rom. 1.v. 1.*

III. Historiam Christi: qui vocis usus est ecclesiasticus, desumtus ut videtur ex *Marci 1.v. 1.* Hinc tituli adscripti *Euangelium secundum Matthæum*, aut *Marcum*, &c. Qui an Canonici & authentici sint; atque adeo tanquam pars textus sacri θεοπνευστα ecclesiæ prælegendi & pro concione explicandi, alibi disquisivimus in *disp. de scripturâ.*

IV. Libros Novi Testamenti: qui usus etiam ecclesiasticus est, præsertim in Ecclesia Romana receptus.

V. Pericopas illas seu plegmata ex quatuor Euangelistis desumta, quæ peculiari epitheto dominicalia vocant, quod per dominicas quasque distributa, redeunte in orbem acto labore seu mavis otio, ecclesiis proponi solent. Quę ab *Epistolis*, hoc est plegmatis textuum partim ex N. partim ex V.T. selectis distinguuntur. De concionibus ad euangelia dominicalia agimus *lib. 2. politicæ eccles. tract. 2.*

VI. Doctrinam novi fœderis, prout ea peculiariter sub N. Test. dispensatur; & ab ἐυαγγελίᾳ sub umbris & figuris in V.T. dispensari solitâ distinguitur *Luc.1.v.69. 70. & 2. v.10. 11.* Et hoc theologis nonnullis vocatur *Euangelium missionis*, distinctè ab *Euangelio promissionis*; & in scriptura

ptura κατ' ἐξοχὴν *Euangelium Christi* Rom. 1. v. 9. *Euangelium regni Dei*, & *regni* Marc. 1. v. 14. *Math.* 4. *v.* 23. & metonymicè à subjecta materia *novum fœdus* 2 Cor. 3. v. 6.

Voces *fœderis*, *testamenti*, συνθήκης, διαθήκης, hic non explicabo; quod de fœderibus & testamentis propriè sic dictis, in præsenti non instituerim disquirere; sed tantum de tabulis seu de instrumentis fœderis, lege scil. & Euangelio. Interim præcogniti loco hic repeti velim divisionem fœderis ad statum hominis spiritualem, æternamque salutem pertinentis, in *vetus*, & *novum*: quorum illud *naturæ & creationis*, istud *gratiæ & redemtionis* seu res conciliationis dici potest? *Illud* sine sponsore & mediatore, ex parte hominis obedientiæ ipsius proprię innixum, constabat promissionibus tantum conditionatis? *Istud* unicæ sponsoris obedientię innixum habet etiam promissiones absolutas, *Jerem.* 31. *v.* 34. & 32. *v.* 39. 40. Porro novum fœdus seu gratiæ ratione dispensationis veteris & novæ, distingui solet in vetus, & novum. Quæ duo fœdera non differunt quod ad substantiam, sed tantum quod ad circumstantiam, seu quod ad modum dispensationis, promulgationis, & propositionis. Illic enim sub umbris & figuris, futura missio sponsoris, ejusque exolutio, non sine durâ tamen & rigidâ repetitione Legis ad convictionem, non promiscuè quibusvis nationibus, sed patriarchalibus primum familiis, deinde populo Israëlitico fœdus hoc propositum fuit: sed hic longè alio & meliori modo: de quo 2 *Corinth.* 3. *Hebr.* 7. & 8. *Luc.* 10.

Dicitur autem *fœdus vetus*, 1. *Quia* prius fuit. 2. *Quia* jam inde à lapsu Adami, Oeconomica talis promulgatio, & secundum illud Dei cum populo suo communio obtinuit. 3. *Quia* antiquatum fuit per mortem Christi, novâ dispensatione illi succedente. Et triplici hoc respectu *novum* ex opposito dicitur novum κατ' ἐξοχὴν. Quamvis autem hæc dichotomia fœderis novi sit trita & satis perspicua, nihil vetat tamen ad totum pleniſſimè exhauriendum, dividere fœdus gratiæ, quod ad modum dispensandi in *vetus*, *novum*, medium, participationis scil. extremorum. *Illud* fuit jam inde à lapsu, usque ad Christi nativitatem, Johannis Baptistæ & Christi ministerium: *Istud*, jam inde à morte Christi, resurrectione, ascensione, & missione Spir. s. Ubi tamen progressus, incrementum, consummatio, plenitudo dispensationis extensivè observanda. *Hoc* fuit à nativitate Christi & deinceps usque ad mortem ejus. In quo etiam successiva variatio & incrementum observandum. Magis enim œconomica & antiqua dispensatio in inchoatione ministerii Johannis & Christi antiquata, & nova dispensatio magis promota, aut saltem omnia ad eam magis præparata ac dispositа fuerunt, quam in nativitate aut in adolescentia Christi.

Conſectar. 1. Hinc conſtat quâ cum limitatione accipiendum ſit, quod vulgò dicitur, de abrogatâ Lege Ceremoniali ac diſpenſatione veteri, & de inchoata novo Teſtamento in adventu Chriſti.

Conſectar. 2. Hinc facile reſponderi poteſt ad quæſtionem. An Johann. Baptiſtæ miniſterium fuerit Propheticum an verò Apoſtolicum ſeu Euangelicum, & referendum ſit ad vetus, an ad novum Teſtamentum; an partim ad illud, partim ad iſtud. Vide *Matth.* 11. *v.* 11. Confer *part.* 2. *polit. eccleſiaſt. lib.* 2.

§. 2. Præmittemus quæſtiones aliquot principales, ex quibus determinatio reliquarum dependet. Sit ergo.

I. *Quæſt. An Euangelium tempore V. T. revelatum & cognitum fuerit fidelibus? Reſp.* Nos *Aff.* ducti his argumentis 1. *Argum.* Quia *Luc.* 24. *v.* 25. 27. 44. *Actor.* 10. *v.* 43. & 13. *v.* 27. 29. 32. *Rom.* 1. *v.* 1. dicitur Euangelium de Chriſto traditum, ſcriptum & cognitum fuiſſe Prophetis V. T. & Paulus *Actor.* 26. *v.* 22. ait ſe Euangelium prædicando, nihil prædicaſſe extra Moſen & Prophetas. 11. *Argum.* Quia Euangelii doctrina per omnes partes paſſim in libris N. T. probatur ex ſcriptis V. T. In uno *Math.* 28. loca (ni fallor) allegantur. In epiſtolâ ad Hebræos ex profeſſo umbræ præfigurantes V. T. à Moſe deſcriptæ applicantur Chriſto. In aliis libris hiſtoricis & didacticis N. T. non pauca loca adducuntur. Quæ ſi extra ſcopum & ſenſum Spiritus ſancti detorqueri & Chriſto applicari quis dicat; jam blaſphemis Judæis cauſam tradit & ſcripturę N. T. autoritatem proſtituit. Contra oſtendunt commentatores N. T., & *Fr. Junius in parallelis*, *Spanhemius in dubiis Euangelicis*, loca illa rectè allegari atque applicari. 111. *Argum.* Quia poſt lapſum nulla religio, nulla fides ſalutaris ſine Chriſto, & ſine Euangelio, in quo Chriſtus revelatur. *Joh.* 14. *v.* 6. *Actor.* 4. *v.* 12. *Eph.* 2. *v.* 12. 13. Si ergo ſacris ipſis obtigit etiam Euangelium & fides Chriſti ex Euangelio, quod eſt medium neceſſarium ad ſalutem *Actor.* 15. *v.* 11. 1v. *Argum.* Quia ſub V. T. pii communione fœderis gratiæ, Chriſti, fidei, ſalutis nobis pares fuerunt *Galat.* 3. *v.* 6. 7. 8. *Hebr.* 11. *v.* 2. 2 *Cor.* 4. *v.* 13. *Actor.* 15. *v.* 11. Hæc autem in ſolo Euangelio revelata & promiſſa ſunt; ergo habuerunt & fuit tunc temporis Euangelium. Sed objicitur.

1. *Object.* Atqui complures, ſi non plerique textus V. T. ſi legantur, per ſe de Chriſti perſona, officio, utroque ſtatu vix videntur accipi poſſe, ſi literalem ſenſum, qui ſolus eſt demonſtrativus, reſpiciamus: niſi N. T. autoritas & explicatio accederet. *Reſp.* 1. Manet ſaltem, certam & evidentem eſſe locorum V. T. explicationem, apud omnes qui Chriſtiano nomine comprehendi volunt & autoritatem librorum N. T. admittunt: quales ſunt Sociniani & Remonſtrantes. Quod ad Judæos, alioſque à fide

ex-

extraneos, cum illis agendum methodo hactenus tritâ & receptâ (de quâ in 1. *part. select. dispp. tit. de Adventu Messiæ, & de Judaismo*); ad quam etiam Sociniani & Remonstrantes ob affectatum & assumtum titulum Christianismi tenentur. *Resp.* 2. Si concisè & involutè, nec tam evidenter atque ubertim, ac in libris N. T. ibi scripta sunt; hunc tamen genuinum esse sensum ex ordinariis non tantum doctoribus (*Malach.* 2. *v.* 7.) sed imprimis etiam in casu dubitationis ex vivâ voce & extraordinario prophetarum ministerio fideles habere potuerant: cujus assistentia post excessum Apostolorum deest Ecclesiæ N. T. compensata scil. per extensionem, & evidentiorem canonis, per accessum librorum N. T. consummationem: sicuti contractius & minus evidens canonis V. T. lumen, per facem prophetarum & vivæ vocis oracula, æqualis cum scripturâ auctoritatis, compensatum fuit.

11. *Object.* Non constat formulam fidei Christianę notam aut receptam fuisse Patriarchis & Ecclesiis Patriarchalibus: unde enim hoc ex primis capitibus Geneseos historiam ecclesię jam inde à lapsu usque ad Abrahamum continentibus, probari posset. *Resp.* de formula & fide patriarcharum indefinitè ibi, collatis textibus N. T., *Hebr.* 11. *Johann.* 8. &c.) satis historia nos edocet: sed ipsa fides eorum, seu catechesios aut confessionis formula in specie & definitè ac per partes non explicatur: hoc enim propriè non est historici. Unde colligimus, non satis cautè & accuratè à nonnullis videri præsupponi aut statui, fidem ac cognitionem salutarem Patriarcharum Adami, Sethi, Enosch, &c. paulatim ex parvis & obscuris initiis progressam successive crevisse & extensam esse, prout res credendæ, de quibus tacent priora capita Geneseos, paulatim sequentibus capitibus, ut etiam sequentibus libris, modo illæ modo istæ per occasionem fuerunt detectæ & revelatæ. Quod si quis articulos fidei & euangelii ut & cognitionem Patriarcharum cum historiâ eorum compendio primis capp. Geneseos perstricta pari passu ire & reciprocè converti velit, quasi scil. nihil sciverint aut crediderint, aut nulla γνῶσις & πίστις ipsis proposita fuerint, quam quæ historia illic enumerat & indigitat: jam idem de cognitione Legis moralis esset affirmandum. Quod absurdissimum est. Quis enim ex historia antediluvianâ à *Genes.* 4. usque 9. theses principales cum hypothesibus & consectariis suis ad decalogum pertinentes demonstrare queat? Et tamen nefas esset dicere, tales assertiones Setho, Enocho, Noacho, eorumque discipulis & ecclesiis ignotas aut non receptas fuisse.

111. *Object.* Saltem non potest probrari fidem Euangelii seu in Christum mandatam fuisse in V. T. Si quis dicat mandatam esse, proferatur locus. Sic ferè Remonstrantes in scripto Belgico contra Excerpta DD. Pro-

fessorum Leidensium. *Resp.* Videntur duo postulare, ut in libris V. T. talia præcepta; & quidem directè, exsertè, & in formâ propositâ designentur: fere ut Anabaptistæ, qui postulant à nobis ostendi illam enuntiationem imperativam: *Baptiza* aut *baptizate infantes.* Sed hoc nihil opus. Perinde enim est, sive ex V. sive ex N. T. quid probetur. Et si aliqua alterutrius præ altera esset ὑπερέχη, illa secundum Socinianos eorumque asseclas competeret libris N. T. Deinde non est necesse ut exsertè, directè, & totidem verbis assertio theoligica in V. aut N. T. contineatur. Sufficit solidis argumentis scripturariis eam probari. Nos hoc argumento probamus: Quodcunque à Deo revelatum est, & quidem tanquam necessarium ad salutem, hoc est necessariò credendum; quia Deus est prima veritas. Sed Euangelii promissiones sunt sub V. T. populo Dei revelatæ tanquam ad salutem creditu necessariæ. Ergò. Minor quatuor classibus argumentorum probata fuit.

II. *Quæst. An ἐπιείκεια seu æquitas, aut potius iustitia Euangelii, quæ illic patefit & offertur* Rom. 1. v. 16. 17. *tollat præcepta Legis sive in totum, sive in tantum: ita ut iis non obligentur, qui gratiam Euangelii fide amplectuntur, eâque fruuntur. Resp. Neg.* Quia tantum tollit & quidem universaliter atque in totum respectum illum & quasi formale illud Legis tunc propositæ, juxta sanctionem veteris fœderis. *Hoc fac & vives*, Levitic. 18. v. 4. cum *Galat.* 3. hoc est jus vitæ ejusque possessionem acquires, & consequenter hac solâ conditione plenam ac consummatam fruitionem consequeris: & si non feceris, eris maledictus, *Deut.* 27. *v. ult.* cum *Galat.* 3. Probatur nostra determinatio, ex *Rom.* 3. *v.* 31.

Confectar. Non satis propriè & accuratè explicatur hęc relaxatio & indulgentia divina circa exactionem legis propter Christum mediatorem, tabulis Euangelii promulgata & credentibus omnibus oblata & collata; quando dicitur cum moderatione aliquâ & mitigatione Euangelica Legis obedientiam nunc proponi ac postulari: cum potius dicendum sit, eam in totum & totaliter, quod ad illum respectum, illud connexum conditionale, illum finem & usum, & sub illo quasi formali, secundum formulam veteris fœderis, per & propter Christum sublatam esse; ut nemo fidelium, eâ amplius obligetur: non vero temperatam, aut imminutam: uti colligimus ex *Rom.* 6. *v.* 14. cum *Rom.* 8. *v.* 3. 4. Contra, non est dicendum ullum temperamentum, ullam moderationem, ullam vel minimam legis mutationem, aut irritationem, aut revocationem, aut imminutionem, aut dispensationem, aut abolitionem, ullamve quod ad materiale alicujus præcepti, quatenus ad convictionem de peccato & ad directionem gratitudinis nostrę erga Deum ordinatur, libertatem aut exemtionem per Euangelium allatam esse.

Bre-

Breviter fideles non sunt sub lege, nec tenentur ad ejus observationem, sub formâ medii & conditionis acquirendi per eam jus vitæ æternæ: sed tenentur ad ejus observationem sub formâ gratitudinis, medii, vię, conditionis adeundi & actu capiendi vitam ęternam, eâque fruendi, quam Christus perfectâ obedientiâ & sanctitate nobis promeruit. *Opera enim nostra non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum*; uti habet pervulgatum illud dictum Augustini. Hic conferri possunt *disp.* nostrorum de Justificatione & de meritis operum.

Consectar. 2. Propter Antinomos Legis usum tollentes; & Pontificios, Socinianos, eorumque asseclas Legem cum Euangelio confundentes, & illam isti sive in totum sive ex parte substituentes, accuratè hęc distinctio observanda, & in terminis loquendum; nec amplificationibus & picturis rhetoricis nimium hic indulgendum; quibus veritas non rarò obscuratur, præsertim apud rudiores.

Consectar. 3. Hâc orthodoxâ doctrinâ non tollitur necessitas bonorum operum; necessitas, inquam, tum præcepti tum medii. Vide candidam professionem nostrę *catechet. quæst.* 87. Satis enim pręcautum est, si ex *Hebr.* 12. *v.* 14. necessitas imponatur, *sine* sanctitate *nemo videbit Deum.* Et ex 1 *Cor.* 6. μὴ πλανᾶσθε nec scortatores, &c. *regnum Dei possidebunt.* Sub pœnâ privationis visionis Dei, & damnationis æternæ bona opera prę-scripta maximam nobis necessitatem imponunt. Qui enim perdit animam, omnia perdit. *Math.* 10.

III. *Quæst. An Euangelium strictissimè acceptum, hoc est secundum illum modum, quo nunc dispensatur sub N. T., Legis moralis præcepta minuat, aut augeat, aut quâcunque ratione immutet: ita ut quod ad substantiam, aut quod ad aliqua præcepta, tam perfectè, integrè, strictè, rigidè non esset proponenda, urgenda, & à nobis obligatio ejus accpienda. Resp. Neg.* Ex *Rom.* 3. *v.* 29. 30. Et sequeretur, aliam fuisse Legem moralem ante Christum, quam tempore Christi, aut sub N. T. Hoc enim corrumperet libertatem Christianam, & erroribus Antinomorum, similiumque hæreticorum quodammodo velificaretur. Vide *Catechesin quæst.* 115. & Confer 3. *part. select. disp. de tit. de præcisitate.*

IV. *Quæst. An Euangelium strictè & propriè dictum, imprimis missionis seu implctionis, ut in N. T. à Christo & Apostolis dispensatum est, differat formâ & essentiâ à Lege; an verò tantum gradu perfectionis, ut nihil aliud sit, quam Lex magis perfecta ac consummata, tum quod ad præcepta, tum quod ad promissiones. Resp.* Ita quidem statuunt Sociniani, & ὁμόψηφοι eorum hac in parte, plus minusve, quales Remonstrantes, Pontificii, &c. Nos cum nostris absolutè *Neg.* & dicimus hâc ratione totam essentiam & rationem

Euan-

Euangelii & salutis per Christum, & novum fœdus gratiæ planè everti ac tolli. Ut hoc quidem solidè à nostris mox sequenti problemate citandis probatum est: quorum probationes hic nolumus repetere, sed præsupponimus; quin immo asserimus Euangelium formaliter & directè nihil præcipere, aut ulla habere præcepta sive antiquâ Lege præcepta, sive novæ (ut ipsi vocant) Legi addita, sed tantum promissiones (de quo in sequenti quæstione); nedum ut tantum aut saltem principaliter præcepta contineret.

V. *Quæst. An Euangelium strictè, aut etiam strictissimè dictum (hoc est, prout in N. T. revelatum est & dispensatur) habeat præcepta nova, aut quædam præcepta adjecta, quæ Lex sive in V. sive in N. T. strictè & propriè dicta non habet.* *Resp.* Pontificii magna ex parte & Sociniani in totum confundunt Euangelium, cum Lege, & in eam transformant. Hinc illi præcepta & consilia Euangelica distinguunt, & utrorumque catalogos texunt: ut compendio videre est in prolegom. *Cornel. à Lapide ad commentar. suos in Euangelistas.* *Isti* variis præceptis detracta, aliis addita à Christo auctarii loco, & toti decalogo addita præcepta de abnegatione sui ipsius, & sublatione crucis; vulgò sonant *præcepta Christi*, *præcepta euangelica*, *novam legem Christi*, *Christum novum legislatorem.* Huic Theologiæ suę cum Pontificiis, aliisque sectariis imprimis præsidium quærunt in quinto capite Matthæi; ubi legem moralem à Christo correctam, aut interpolatam, aut saltem ampliatam & novis præceptis auctam statuunt. Horum errorem satis superque à nostris refutatum hic præsupponimus. Videantur inter alios *Polyander in concertatione*; *Carolus de Maets*, cum viveret, collega noster conjunctiss. *in disp. de Personâ & officio Christi*; *Altingius in Theol. Elenctica Heidelberg. & Groning.*; *Isaacus Junius in Antapologia Remonstrantibus* opposita cap. 12. & 13.

Nonnulli ex antiquis, & recentioribus orthodoxis scriptoribus tum dogmaticis tum practicis subinde innuere videntur Euangelium non quidem habere præcepta, sive antiqua lege præscripta, sive novæ legi addita, excepto uno, quod est præceptum de fide in Christum, aut exceptis duobus (ut nonnulli loqui videntur) fidei & resipiscentiæ. Sed illi intelligendi sunt aut laxè tunc, aut impropriè & metonymicè loqui; ita ut sensus sit, Euangelium strictè acceptum seu promissionem Euangelii de Christo sponsore ac servatore nostro, seu de salute per Christum esse objectum fidei; quam fidem Lex primo decalogi præcepto præscribit; atque adeo Euangelium tantum occasionem esse ac materiam fidei salutaris, non autem formaliter præceptum divinę fidei, & quidem in Christum seu Euangelium, (nulla enim alia fides divina ex hypothesi lapsus & substituti novi fœderis salutaris est) credendo: quamvis conditionem fidei promissionibus suis condi-

conditionatis includat, non excludat: Quod evidentius patebit ex solutione objectionum.

Forte quis quærat *unde constet, dicta illa nostrorum, imprimis eorum qui post detectum Socinismum scripserunt, & cautius atque accuratius oppositè ad adversariorum strophas & occulta dedecoris præsumuntur locuti esse, sub illa distinctione, & non aliter accipienda esse.* Ei respondeo, constare id ex his quatuor. 1. *Ex.* ex eorundem autorum dictis, quæ absolutè negant additis probationibus, Euangelium habere præcepta. Atqui hæ universales negationes cum aliis eorundem phrasibus & dictis, de quibus hic quæritur, collatæ à contradictione liberari non possunt sine nostra distinctione, & explicatione modo indicatâ. 2. *Ex* eo quod alioquin adversarios Pontificios, Socinianos, Remonstrantes, in terminis, solidè, & perspicue non refutarent: quod tamen unicè intendunt. 3. *Ex* definitionibus Euangelii & Legis, quas ex universalibus sine exceptione conflatas ibidem alibi in locis communibus, aliisve scriptis suis proponunt. Quas revocari aut contradictione ab illis tolli, non est præsumendum. 4. *Ex* eo, quod catechesis nostra *quæst.* 22. specificum fidei justificantis objectum facit promissiones Euangelii: & consequenter directum proprium, & unum Euangelii objectum facit promissiones; non præcepta aut prohibitiones. Jam vero cogitandum non est aliquem nostrorum studio à doctrinâ catechesios hâc in parte voluisse recedere. 5. *Ex* eo quod iidem illi autores in explicatione decalogi cum *catechesi nostrâ qu.* 94. fidem primo decalogi præcepto mandatam esse, exsertè in scriptis suis docent; aut si qui ex illis decalogum ex professo scriptis suis explicatum non dederint, saltem in communem orthodoxorum sensum hâc in parte nunquam incurrunt.

Sed quia ἀκρίβειαν non tantum quod ad summam rei, sed etiam quod ad phrases & modos loquendi in hâc quæstione strictè observari, inter tot strophas sectariorum, necesse est: age ad majorem evidentiam, objectiones, si quæ adferri possent, diluamus.

I. *Object.* Actus seu virtus fidei præcipitur Euangelio, & non lege: ergo Euangelium habet præcepta. *Resp. Neg.* antecedens: ob has rationes. 1. *Ratio.* Quia primo decalogi præcepto præcipitur; non minus quam spes caritas, patientia, &c. uti explicat nostra catechesis, & communiter interpretes decalogici. 2. *Ratio.* Quia omnis virtus & omne bonum opus lege præcipitur; atqui fides est virtus, &c. Ergo. Prob. Minor: quia apud omnes in confesso est, fidem esse virtutem theologicam; & quidem ex tribus capitalibus primam. 1 *Corinth.* 13. *v. ult.* Confer 2 *Petr.* 1. 3. *Rat.* Quia omnes actus cultus divini, omniaque officia hominis erga Deum, lege præscribuntur. Atqui fides est actus cultus divini, & quidem talis

qui sit radix, principium, fons, vita omnium aliorum actuum; sine quibus illi non sunt, nec esse possunt. *Hebr.* 11. per totum, & signatè v. 6. coll. cum *Rom.* 14. *v.* 23. 4. *Rat.* Quia essentiale concomitans seu consecutivum fidei, fiducia scil., lege præcipitur. Ergo & ipsa fides.

Instantia 1. Atqui exserte non dicit lex, credendum in Christum Mediatorem. *Resp.* Si per legem intelligis summam legis, quam decalogum vocamus concedimus illic exserte non præcipi, ut nec sexcenta alia, quæ tamen eò per analogiam reducuntur, aut tanquam causæ ad effecta & vice versa, aut tanquam particularia sub generalibus subsumuntur, eoque continentur. Nota est methodus explicandi decalogum.

Instant. 2. Si fides lege præciperetur, tum etiam omnes fidei articuli eadem lege præciperentur. Sed posterius est falsum: quia quod præcipitur illud proponitur & explicatur. Atqui articuli fidei de salute per Christum non proponuntur lege, sed Euangelio. Ergo. *Resp.* consequentia *Neg.* Quia aliud est fides, aliud objectum fidei, promissiones scil. Euangelii, quæ sunt veritates divinitus revelatæ, & consequenter fide divina credendæ. Fides præcipitur lege; objectum fidei h.e. promissiones novi fœderis revelantur & proponuntur in Euangelio; non in lege: uti *qu.* 19. *&* 22. *catechef.* nostræ hoc explicatur.

II. *Object.* Euangelium promittit sub conditione: conditio autem illa est fides, quam postulat: ergo eandem præcipit. *Resp.* Propriè, directe, & formaliter præceptum legis dicit non nudam propositionem, aut explicationem, aut additionem conditionis; sed officii præscriptionem. Jam vero Euangelium stricte dictum, ut à lege distinguitur, directe & per se non præscribit nobis officium nostrum, aut quid nos facere debeamus, dicendo, *hoc fac*, aut *crede*, aut *confide*; non magis quam, *spera in dominum*, *exspecta Dominum*, *gaude in Domino*, *dilige Dominum*, *cognosce dominum*, *apprehende vitam æternam*, *invoca dominum*, *consolare*, *persevera usque ad finem*, *certa præclarum certamen*, &c. Sed refert, nuntiat, significat nobis, quid Christus pro nobis fecerit, quidque Deus in Christo promittat, quid facere velit, & facturus sit.

Instantia 1. Atqui cum fidei conditio in Euangelicis promissionibus includitur ac præsupponitur, sequitur eam postulari & præcipi Euangelio. Quod enim nobis Euangelio revelatur, tanquam necessaria conditio, sine quâ promissiones Euangelicæ nobis non erunt tales, ad illud præstandum, hoc est ad actu credendum vi Euangelii obligamur: & si Euangelium nos obligat, ergo & præcipit. *Resp.* consequentia *Neg.* Hæc enim ejus ratio est quâ nititur: Quodcunque Deus revelat & significat, illud eo ipso & iisdem verbis mandat. Hoc universaliter verum esse negamus. Neque enim idem sunt voluntas signi, & mandati: quia omnis mandati est etiam signi; sed non

non vice versa. Sic multa Deus significat & revelat futura, quæ tamen eo ipso non mandat ut faciamus. Sic e. gr. Petri lapsum, Judę proditionem revelavit; nec tamen mandavit. Rursum multa peccata aut mendacia hominum refert in verbo suo, quę tamen nobis non præscribit facienda aut credenda; sed tantum tenemur credere Deo per Prophetas aut Apostolos peccata aut mendacia illa historicè referenti ac revelanti. De quo confer *1. part. select. disp. tit. de autoritate scripturæ.*

Instantia 2. Conditio fidei, à quâ omnes promissiones suspenduntur, significata & revelata in Euangelio per necessariam consequentiam præstanda intelligitur, & consequenter ibidem unà postulatur ac præscribitur, seu mandatur. *Resp.* 1. Concedimus ab eodem novi fœderis autore postulari, mandari, præscribi omnibus illis quibus Euangelium revelatur, tanquam actum & officium hominibus à parte sua præstitu necessarium: sed negamus formaliter illud præcipi Euangelio, quà tali; verum lege, quam unà cum Euangelio, immo & ante Euangelium ordine naturę & temporis iisdem revelat ac proponit. Unde talis syllogismus practicus formatur: *Quidquid Deus, qui est prima veritas revelans, promittit, hoc fide divinâ recipere teneris.* Hęc est vox legis. *Sed remissionem peccatorum & salutem per Christum omnibus credentibus Deus revelat ac promittit.* Hęc est vox Euangelii. *Ergo remissionem*, &c. *breviter promissiones illas Euangelio revelatas fide divinâ recipere teneris.* Hæc est vox & conclusio legis. Sicuti Christi obedientia pro nobis præstita Euangelio revelatur: à lege tamen præstatio ejusdem illi fuit præscripta, & ex vi legis (*Levitic.* 18.) *Hoc fac & vives*, posito quod jam vadimonium pro nobis obiisset, eam præstare debebat, & præstitit. Hinc dicitur justificatio legis in nobis impleta *Rom.* 8. *v.* 3. 4. Quæ tamen alio respectu, quod ad nos scil., est & vocatur Euangelica. *Resp.* 2. Videtur præsupponi, omnes promissiones Euangelii esse conditionatas & à fidei conditione suspensas: quod nos negamus. Sunt enim primæ & principales ejus promissiones absolutæ, unde conditionatæ resultant & dependent. ex. gr. Dabo ex misericordia sponsorem in carnem & in mortem pro mundi vita. Et, dabo singulis redemptis fidem, per quam Christo & omnium ejus beneficiorum participes fiant. Et, dabo omnibus credentibus perseverantiam fidei. In his promissionibus fundantur, atque ex iis resultant istæ conditionales: si credideris habebis communionem cum Christo, remissionem peccatorum, &c. Et, si perseveraveris, recipies coronam vitæ.

Instantia 3. Quod Lege morali ante lapsum, vi ejusdem Legis (quę quod ad substantiam eadem erat cum Lege morali post lapsum) non fuit præscriptum; illud non præscribitur Lege. Sed fides in Christum mediatorem

ante lapsum non fuit præscripta. Ergo, &c. *Resp.* Concedo actu tunc non fuisse hoc objectum speciale fidei; seu extensionem fidei ad tale credendum, ad talem veritatem, ad talem articulum, ad particulare hoc objectum, non fuisse tunc requisitam aut præscriptam; ita ut fides divina in eam tunc tendere non debuerit. Sed fidei divinę virtus & actus tunc generaliter præscriptus fuit: & si Deus hanc partem objecti fidei seu hanc particularem veritatem tunc revelasset Adamo, ex hypothesi revelationis, debuisset ac potuisset fide suâ in eam tendere, & ad eam se extendere: immo actu ad eam, sub hypothesi scil. se extendisset. Confer quęstionem inter nostros & Pelagianos agitari solitam, an Adamus habuerit potentiam credendi in Christum. Nihil enim in mente, & voluntate per imaginem Dei elevatis aderat, quod impediret. Uti inter alios hoc perspicuè explicat pręceptor noster *Gomarus tom. 1. operum ad Math. 23. v. 27.* Et potest illustrari ex fide Prophetarum, Apostolorum, aliorumque προφητῶν ex. gr. Simeonis *Luc. 2.* qui ante hoc vel illud objectum revelatum de miraculo hic & nunc edendo, aut de quibusdam rebus futuris, deque particulari aliquâ re faciendâ aut omittendâ (e. gr. 2 *Sam. 7. v. 13. Actor. 8. v. 26. 29. & 16. v. 6.*) non tenebantur fide sua in illud objectum actu ferri, illud recipere, eique assensum suum applicare; sed posita revelatione jam absolutè tenebantur; sicuti antea tantum hypotheticè & generaliter tenebantur, si scil. Deus tale quid peculiariter ipsis revelaret, aut, quodcunque Deus mihi revelare voluerit, illud fide divinâ paratus sum recipere, & recipiam sine ullâ exceptione. Cum particulare illud credendum, revelatum esset Zachariæ *Luc. 1.* tenebatur credere, antea non tenebatur. Idem dicendum est de particulari illa veritate, de ædificatione templi per Salomonem, non per Davidem 2 *Sam. 7.* Conferri etiam potest distinctio fidei in implicitam & explicitam sano sensu accepta: uti rectè eam explicat *Amesius in Medullâ lib. 1. cap. 3.*

III. *Object.* Resipiscentia Euangelio præcipitur: Ergo Euangelium habet præcepta. *Resp. 1.* Si laxè accipias vocem Euangelii pro totâ doctrina salutari, aut strictius pro doctrina salutis, uti peculiari modo ea dispensata fuit per Apostolos sub N. T., conceditur: sed de tali Euangelio hic non quæritur. Sin strictè accipias pro illa parte doctrinæ salutaris, quæ specie & definitione apud theologos nostros à lege distingui solet; absolutè *Neg.* & dicimus ad primum decalogi pręceptum eam referendam; non minus quam abnegationem nostri ipsius, sublationem crucis, & patientiam, contra Socinianos, Remonstrantes, aliosque sectarios eò referendas ab orthodoxis contenditur. Et si qui alicubi de resipiscentia paulò aliter loqui videantur, facile conciliari possunt, ac debent, per vocis scil. *Euangelii* distinctionem.

Resp. 2.

Resp. 2. Resipiscentia, uti à catechesi nostra *qu.* 89. 90. & communiter ab orthodoxis explicatur, in se continet actus illos & affectus novæ creaturæ (2 *Cor.* 7. *v.* 10. 11. *Jesa.* 1. *v.* 16. 17.) vitæ emendatione se exserentes. Atqui si omnes illi mandantur Euangelio, & non lege; quid tum relinquetur legi? Addo, hac ratione etiam caritatem erga Deum & proximum à lege ad Euangelium transferendam: quandoquidem illi qui admittere videntur, fidem & resipiscentiam Euangelio præscribi, & non lege, iidem, inquam, illi etiam caritatem, per quam fides viva & justificans efficax est, conditioni fidei, quam lex postulat & præscribit (uti concedere videntur) includi, immo & resipiscentiæ, admittere coguntur. Nos non videmus, quomodo accuratè & tutò causa, contra sectarios usque ad finem defendi queat; siquidem tantum illis concedatur.

IV. *Object.* Contra quod committuntur peccata, illud prohibet peccata, & oppositas virtutes præcipit. Sed contra Euangelium committuntur peccata. Ergo. Minor videtur affirmari à variis Theologis practicis. Quin & liturgia nostra in formula, de benedictione matrimonii videtur pæcepta de mutuis officiis conjugatorum Euangelio tribuere? *Resp.* aut Euangelii vocem laxe accipiunt: aut si stricte, jam Euangelium non faciunt normam quorumvis bonorum operum in particulari, seu legem præceptorum (alioquin nulla Lex remaneret ab Euangelio distincta, sed tota esset supervacanea,) sed faciunt aut objectum virtutis præceptæ, aut excitatorium, & *motivum* seu rationem moventem; & sic practici communiter in materia de praxi resipiscentię & emendationis, distincte adhibent *motiva Euangelica*, & *motiva legalia*. Vocem autem *contra* non tantum normam & legem præscribentem respicere, sed & objectum seu materiam in quâ aut circa quam bonum opus lege præceptum exercetur, aut peccatum lege vetitum committitur, constat ex quamplurimis scripturæ & theologorum phrasibus, quibus enuntiant, peccatum committi contra Deum, Christum, proximum, parentes, Magistratus, inferiores, superiores, patriam, ecclesiam, conscientiam, beneficia Dei, judicia & castigationes ejusdem, &c. quę omnia tamen nemo dicet esse legem moralem in scriptura traditam, nedum ut dicat esse Euangelium.

V. *Object.* Sacramenta N.T. à Christo instituta non Lege sed Euangelio præscribuntur. Ergo Euangelium habet præcepta. *Resp. Neg* antecedens. Observatio omnium actuum & signorum ad cultum Dei institutum pertinentium, quæcunque Deo visum fuerit revelare, prę scribitur secundo decalogi præcepto. Quod autem sub N. Test. talia signa fœderis sint, & non alia; discimus ex scriptis N. Test. seu ex Euangelio post Christi adventum prædicato. Si enim sacramenta V.T. omnesque umbræ dici possunt cum

theologis nonnullis, & convenienter catecheſi noſtræ quæſt. 19. Euangelium ſeu verbum euangelii (viſibile ſcil. verbum): quidni baptiſmus & cœna dicantur Euangelium ſeu verbum Euangelii, viſibile ſcil.; quod juxta cum Euangelii verbo audibili proponit & exponit nobis eximias & divinas illas promiſſiones, de ſalute per Chriſtum. Videatur *catecheſ. quæſt.* 67. Tali ergo ſyllogiſmo concluditur: *Omnia ſigna & ſigilla gratiæ & fœderis Dei à Deo data & præſcripta ſunt obſervanda.* Hęc eſt vox Legis, ſecundo præcepto contenta. *Sed Baptiſmus & Cœna ſunt ſigna*, &c. *in N. T.* Hæc ſublumtio eſt vox Euangelii in N. T. prædicati. *Ergo, ſunt obſervanda.* Hęc eſt concluſio Legis.

VI. *Object.* Euangelium oſtendit, arguit, damnat peccatum: Ergo prohibet peccata, & oppoſitas virtutes præſcribit. *Reſp. Neg.* antecedens. 1. *Quia* hoc facit Lex *Rom.* 3. *v.* 20. & 7. *v.* 7. Atqui Lex non eſt Euangelium, nec vice verſa. 2. *Quia*, Euangelium peccata mea in particulari nec directè nec indirectè conſcientiæ meę detegit. 3. *Quia*, ne quidem in generali ſtatum peccati directè detegit; ſed tantum per conſequentiam ex revelatione & promiſſione neceſſariæ reconciliationis per Chriſtum colligitur.

VII. *Object.* Saltem infidelitatem Euangelio oppoſitam redarguit; ergo fides mandatur Euangelio. *Reſp.* antecedens *Neg.* ſub diſtinctionibus modo allatis.

VIII. *Object.* Sequitur ergo, noſtros à doctrina Euangelii excludere bona opera. *Reſp.* Si intelligas Euangelio non præcipi, & ſic à promiſſionibus excludi præcepta, hoc eſt, rationem & eſſentiam promiſſionum non conſiſtere formaliter in præceptis, nec vice verſa; hoc eſt, rationem formalem & definitionem Legis non eſſe rationem formalem & definitionem Euangelii, concedo. Sicuti fides quod ad eſſentiam ſuam excludit ſpem, aut caritatem, aut aliud quodcunque bonum opus; & anima hominis viventis excludit corpus; non tamen unum excludit alterum quod ad exiſtentiam ſeu coexiſtentiam, quaſi ſcil. vera fides ſeparata eſſet ab operibus *Jacob.* 2. aut in homine vivente corpus ab animâ.

PARS SECUNDA.

Reſp. MICHAELE EVERSDYCK, M.F. Delph-Bat. 15. *Mart.* 1656.

§. 1. VI. QUæſt. *An ſolum Euangelium habeat promiſſiones? Reſp. Neg.* Nam etiam lex non tantum præcepta, & comminationes habet, ſed & promiſſiones tum temporales tum æternas. De poſterioribus infra quæretur. Eſſe promiſſiones legales conſtat ex *Levit.* 26. *Deuter.* 28. coll.

cum

cum *Levit.* 18. *v.* 4. Probatur etiam ex definitione promissionis. Generaliter promissio quælibet sive Dei sive hominis est revelatio veritatis alicujus de beneficio sive sponte sive ex pacto illis oblato aut conferendo, quibus fit promissio. Specialiter promissio divina est externa declaratio & denuntiatio bonorum nobis hominibus dandorum.

VII. *Quæst. An promissiones temporales quibusdam non salvandis præstitæ (Ismaeli* Genes. 17. v. 20.*) sint legis, an Euangelii? Resp.* Legis. Et referri possunt ad temperamentum illud quod Deus ad bonum universi, & propter ecclesiam quæ est in hoc mundo, circa irritationem veteris fœderis adhibere voluit. De quo doctè *Amesius lib. 1. Medullæ cap. 7.*

VIII. *Quæst. An promissiones temporales electis & fidelibus præstitæ sint Euangelii. Resp. Aff.* Quia absolutè necessariæ tanquam præsuppositæ spiritualibus Euangelii promissionibus includuntur: in specie vero & absolutè non necessariè ad vitam gratiæ, sed tantum ad bene esse hic aut nunc, sunt tanquam appendices & auctaria promissionum spiritualium.

IX. *Quæst. An eæ sint absolutæ, an vero conditionales. Resp.*

1. *Concl.* Indefinitè & disjunctim si considerentur sunt absolutæ. Aut hoc beneficium temporale, aut aliud aliquod sive temporale sive spirituale promittit & dat Deus cuique credenti: ita ut omnibus ad bene esse, in ordine ad cursum gratiæ, & coronam vitæ æternæ nemo credentium careat 2 *Petr.* 1. *v.* 3. 1 *Tim.* 4. *v.* 8. *Hebr.* 13. *v.* 5. 6. Nunquam enim in hâc vitâ benedictiones spirituales sine aliquibus benedictionibus temporalibus esse possunt; & consequenter nec promissiones illarum, sine compromissionibus istarum.

2. *Concl.* Quædam speciales benedictiones & donationes absolutè & tanquam medium seu mavis præsuppositum sine quo non, sunt necessariæ ex. gr. in adultis per fidem actualem adjunctâ caritate ornatam salvandis, donum productionis vitæ, & præservationis à totali παραφροσύνῃ, donec actualiter conversi fuerint. Ejus ergo doni promissio in manu sponsoris, cui salvandus ille datus fuit, facta est absoluta. Confer 2. *part. select. disp. tit. de statu electorum ante conversionem.*

3. *Concl.* Reliquæ promissiones temporales definitè considerate, quæ ad vitam gratiæ præcisè & absolutè necessariæ non præsupponuntur, sunt conditionatæ.

X. *Quæst. An omnes promissiones spirituales Euangelio contentæ sint absolutæ? Resp.* Absolutum aut conditionatum dicitur vel respectu rei promissæ, vel respectu ipsius promissionis, seu respectu Dei promittentis.

1. *Concl.* Si consideretur promissio ratione rei promissæ, dicimus quandam rem promissam esse absolutam, à nulla conditione aut re antecedente suspensam, quandam esse conditionatam. Sic nova creatura fides, resipiscentia,

piſcentia, ſeu ſpiritus fidei & reſipiſcentiæ, quæ Deus in novo fœdere promittit, à nulla re antecedente aut conditione in nobis implenda tanquam à cauſa aut præparatoria diſpoſitione, aut nudo antecedente habente infallibilem cum ſalute connexionem dependent; quia prima ſunt quæ Deus per gratiam primam ſeu prævenientem in nobis operatur & imprimit; ubi habemus nos purè paſſivè. Confer *diſp.* noſtram de regeneratione. Sed ſecundi ſeu eliciti actus fidei & reſipiſcentiæ, qui primùm ab homine vivificato eliciuntur, quos Deus etiam promittit in novo fœdere (præmovente ſcil. excitante, & prædeterminante gratia ſecunda) in nobis per nos, & à nobis producendos, ſunt conditiones & diſpoſitiva actuum ſequentium, tum quod ad eſſentiam eorum, tum quod ad quantitatem diſcretam, tum quod ad quantitatem virtutis, ſeu quod ad gradus & incrementum. Huc facit illud *Matt.* 13. Habenti dabitur, & *Phil.* 2. *v.* 12. 13. Confer *catecheſin qu.* 116.

11. *Concl.* Si conſideretur promiſſio divina, quædam eſt abſoluta, quędam limitata ſeu reſtricta. *Abſoluta* eſt vel abſoluta ab antecedente ſeu priori promiſſione divinâ ſive de nobis ſive in nobis implendâ: vel abſoluta ab omni addita reſtrictione & modificatione, quod ad rem promiſſam. *Prioris generis* abſoluta promiſſio eſt, vel de nobis implenda, ut, de miſſione mediatoris, de impetratione ſalutis per ipſum: vel in nobis implenda, idque aut ſine nobis aut cum nobis. *Illius* exemplum eſt promiſſio de applicatione ſalutis, hoc eſt de dando ſpiritu novo, corde carneo, ſeu de effuſione ſpiritus regenerantis, & infuſione fidei: *Iſtius* exemplum eſt promiſſio de continuatione & perſeverantia fidei. *Poſterioris generis* abſoluta promiſſio eſt, quæ non reſtringitur per additam formulam, ſi Deus velit, aut ſi ſit ſalutare, aut ſi ſit ad gloriam Dei. Et ſic Deus promittit omnia ad ſalutem præcisè ſeu abſolutè neceſſaria. *Limitata* ſeu reſtricta per ipſum promiſſio eſt, quum Deus aliquid promittit cum clauſula ſalutari. Sic iſtas aut iſtas ſpecies rerum temporalium, eaſque tanta menſura aut tamdiu promittit, ſub clauſula ſalutari. Pariter promittit gratiam ſalutarem quod ad gradum, & modum hunc aut illum, ſub eâdem reſtrictione & conditione. Huc refer promiſſiones de præſervatione à tentatione, à lapſu, & peccato tali aut tanto. Nam quamdiu ſumus in via, & ad terminum nondum pervenimus, aliqua quidem temporalia indefinitè & aliqua ſpiritualia (eſſentia ſcil. & permanentia gratiæ ad ſalutem neceſſariæ) nobis abſolutè neceſſaria ſunt, eaque Deus promittit, & etiam confert 2 *Petr.* 1. *v.* 2. 3. Et nos ut promiſſiones illas fide recipimus, ſic ex fide à Deo petimus, certi de exauditione. Sed definitè hæc aut illa temporalia; aut tanta menſura, ut nobis non ſunt præcisè neceſſaria; ſic nec hæc aut illa ſpiritualia chariſmata, aut hic gradus gratię ſalutaris. Sic libertas à tentatione 2 *Corinth.* 12. Apoſtolo con-

concessa & collata non fuit; quamvis eam peteret. Non enim erat ex eorum donorum numero, quæ absolutè & præcisè ad salutem sunt necessaria.

Consectar. 1. Hinc constat quid statuendum de Remonstrantium responsione ad argumentum pro perseverantiâ sanctorum. Nostri inter alia in *collatione Hagiensi* argumentum hoc adferebant pro perseverantia: Quod ex fide à Deo petimus, illud certò nobis dabit: Donum perseverantiæ, &c. Ergo. Illi indirectè opponebant, aut potius componebant, argumentum simile. Quod Perfectistarum hæresis pro perfectione in hâc vita adferre possent, hoc modo: Quod ex fide à Deo petimus, illud nobis certò dabit. Sed ex fide perfectionem à Deo petimus. *Resp.* Est longè dispar ratio perseverantiæ, & perfectionis in hâc vitâ. Illa est præcisè & absolutè ad salutem necessaria: ista non est; alioquin nemo salvaretur. Illam ex fide petimus absolutè, sicuti absolutè eam credimus: istam pariter non petimus absolutè, uti nec absolutè & certò credimus eam nobis conferendam in hâc vitâ; sed demum in morte, seu in liberatione à corpæ mortis *Rom.* 7.

Consectar. 2. Absurdè etiam objiciunt nobis tanquam absurdum, quod media externa (verbum, preces) in aliorum salutem impendamus, nec tamen certi simus, an sint salvandi & electi; atque adeo media illa frustra adhibeamus. Sed præsupponunt falsum, quasi Deus de hujus aut istius salute absolutam promissionem mihi dederit, eamque ego absolutè tenear credere, & ex tali fide salutem ejus à Deo petere, eique nomine Dei eandem denuntiare. Videatur 2 *Tim.* 2. *v.* 25. Et interpretes catechesios nostræ *quæst.* 84. 85.

III. *Concl.* Respectu Dei promittentis, nulla est conditio, quæ novi fœderis cum omnibus promissionibus dationem & promulgationem præcedat; ita ut ille ab aliqua causa, aut conditione, aut antecedente sine quo non, quod sit extra Deum, dependeat; aut quod ordine naturæ, aut in signo rationis prius & superius sit. Sed sola misericordia ejus est misericordiæ causa, ut cum Augustino loquar. Et, *quis prior dedit ei*, &c. Rom. 11. v. 25. *Sic Deus dilexit*, &c. Joh. 3. 16. Hoc ergo respectu, ut Dei voluntas omnis absoluta est, hoc est, Deus est absolutè, liberè; independenter, illimitatè volens; sic & promissio omnis & libera novi fœderis gratia, secundum liberum voluntatis æternæ beneplacitum. 2 *Timoth.* 1. *v.* 9. *Tit.* 3. *v.* 4. 5. *Ephes.* 1. *v.* 5. 6.

II. Sed contra hanc determinationem nostram objici posset.

1. *Object.* Omnes promissiones cum æterna salute necessariam connexionem habentes sunt conditionales: ut, si credis, remissa sunt peccata; si fueris fidelis ad mortem, habebis coronam vitæ. Idque probatur ex

omnibus illis textibus, ubi fidei & perseverantiæ conditionem implentibus promittitur vita; non implentibus certissimum exitium denuntiatur. *Resp.* 1. Conditio nulla est factæ ejusmodi gratuitæ promissionis ex parte Dei promittentis, seu actus promittendi 1 *Joh.* 4. *v.* 10. 2 *Tim.* 1. *v.* 9. *Tit.* 3. *v.* 3. 4. 5. sed tantum ex parte rei promissæ, quæ à conditione illa necessario ex ordinatione divina dependet, & ad eam sequitur. 2. Quin ipsa conditio, quæ respectu nostri & ex hypothesi consequendæ rei promissæ requiritur, cadit sub absolutam promissionem divinam: Deus enim in novo fœdere promittit absolutè se facturum, ut hoc postulatum à parte nostra, certo faciamus, hanc requisitam conditionem impleamus. Vide *Jer.* 31. & 32. cum *Hebr.* 10. *v.* 16. *Joh.* 6. *v.* 37. 44. 45.

11. *Object.* Absurdum est fœderis conditionem à nostra parte implendam promissionibus alterius partis, hoc est, Dei includi, immo à Deo utriusque partis conditiones impleri; & consequenter nos non teneri ad fidem, &c. Sed ad salutem adduci sicuti stipites aut caudices, &c. Sic fere Remonstrantes in *apologia*, aliisque libellorum quisquiliis, & *Tilenus in notis ad canones Synodi Dordrac.*, & in libello Gallicè ac Belgicè edito, quem nos vernaculo sermone ex professo refutavimus. *Resp.* 1. Quod Deus exsertè nobis revelat, nulli absurdum videri debet. 2. Deus promittendo & operando in nobis τὸ velle & perficere, & impletionem operis fidei, *Philipp.* 2. *v.* 13. & *Hebr.* 13. *v.* 21. & inclinationem cordis nostri *Psalm.* 119. *v.* 36., non tollit nostram operationem, inclinationem, motionem, & determinationem sub præmotione, tractione, & prædeterminatione Dei; sed stabiliterque includit tanquam conditionem à nobis ipsis, quamvis non ex nobis, voluntariò seu liberè præstandam. Ita ut nos simus actionum istarum causa propria, particularis, principalis (non tamen prima), & principium formale; Deus autem sit principium effectivum, & causa prima atque universalis, in regno scil. gratiæ *Canticor.* 1. *v.* 4. *Phil.* 2. *v.* 12. 13. *Jer.* 32. *v.* 39. 40. De quo pluribus agimus contra *Tilenum* in *scripto Belgico*, & in *dissertatione epistolicâ* de *Termino vitæ.*

§. 2. XI. *Quæst. An Euangelii promissiones sint universales? Resp.*

1. *Concl.* Si universales dicas extensivè ratione objecti cui, *Neg.* Omnibus enim & singulis hominibus non sunt factæ promissiones, nec omnibus externè revelatæ aut propositæ.

2. *Concl.* Sin per universales intelligas abstractas à subjectis individuis, *Neg.* omnes esse universales.

XII. *Quæst. An Euangelium habeat comminationes? Resp.* Si propriè & strictè dictum, ut disparatè Legi opponitur, intelligis, *Neg.* Quia nil continet nisi promissiones fœderis gratiæ; & hinc proprio nomine ante Christum

ſtum φανερωθέντα vocabatur ἐπαγγελία; poſt revelatum dicebatur lætum nuntium (*Euangelium*): atqui nec promiſſio, nec lætum nuntium dicit aut habet comminationem.

Sed objiciat quis 1. *Object.* Atqui conſequens ſeu effectum Euangelii eſt incredulorum condemnatio, 1 *Joh.* 3. *v.* 18. 19. 36. 2 *Cor.* 2. *v.* 16. & 4. *v.* 3. 4. Si ergo habet, aut poſt ſe trahit condemnationem, habet etiam comminationes. *Reſp.* condemnatio non eſt effectum Euangelii, nec finis operis, niſi plane per accidens, & objectivè; quatenus ſcil. increduli Euangelium non recipiunt: ſed eſt finis operantis, & intendentis Dei, qui juſte punire ſtatuit & punit contemtores Euangelii; idque ſecundum comminationem legis, quæ maledictum pronuntiat tranſgreſſorem vel unius præcepti legalis. Atqui tranſgreditur, qui ex præſcripto primi præcepti fide in Deum non tendit, ejuſque ullam revelationem & veritatem (qualis inter alias eſt Euangelica) non recipit.

2. *Object. Rom.* 2. *v.* 16. Dicitur Deus judicaturus ſecundum Euangelium. *Reſp.* Non quod Euangelium ſit Lex, ſecundum quam omnia peccata, etiam Gentilium, quibus Euangelium nunquam revelatum, judicanda ſint: ſed quod revelet & quidem ſub formâ lætæ promiſſionis, Chriſti glorioſæ exaltationis poſtremum actum, ſcil. judicium univerſale. Vide notas Belgicas, alioſque commentatores ad locum cit., & Confer *Catecheſin quæſt.* 52. quæ ſub formâ conſolatoriæ promiſſionis hunc articulum accipiendum docet.

XIII. *Quæſt. An Euangelium habeat etiam promiſſiones temporales? Reſp. Aff.* ex *Geneſ.* 15. *v.* 1. & 17. *v.* 2. *Jerem.* 32. *v.* 29. 40. Quas promiſſiones etiam extendi ad temporalia ad eſſe non tantum, ſed etiam ad bene eſſe hujus vitæ, quatenus rebus ſpiritualibus inſerviunt, colligimus ex effectu ſeu impletione iſtarum promiſſionum in fidelibus, 2 *Petr.* 1. *v.* 3. *Deinde* probatur ex *Math.* 5. *v.* 4. atqui beatitudo poſt lapſum nulla, niſi Euangelica, quæ propriè ſalus eſt & per redemptionem Chriſti, quæque non Lege ſed Euangelio revelatur, & credentibus promittitur *Rom.* 1. *v.* 16. & 8. *v.* 3. 3. *Denique* probatur, quia per Chriſtum mediatorem dominium & jus temporalium (in foro poli ſcil. ſeu interiori conſcientiæ) reſtituitur, & in poſſeſſionem eorum, unde excideramus per peccatum, denuò mittimur 1 *Cor.* 3. *v. ult.* 1 *Timoth.* 4. *v.* 3. 4. *Tit.* 1. *v.* 15. Atqui omnia beneficia per Chriſtum mediatorem quâ talem obtenta & obtinenda, non Lege ſed Euangelio promittuntur.

XIV. *Quæſt. An Euangelium naturaliter notum ſit, aut eſſe poſſit. Reſp. Neg.* Quia non continet materiam juris divini naturalis, cujus cognitio homini cum creatione indita, cujuſque principia aliqua reſidua poſt lapſum,

in tenebris adhuc lucent ac scintillant: sed continet materiam novi facti post lapsum denuo revelati, hoc est, lætam historiam, relationem, & nuntium novi fœderis, quod Deus per liberam suam misericordiam constituit, & liberè revelat, quibus vult. *Matth.* 11. *vers.* 27.

Consectar. 1. Hinc elucidatur quæstio, de necessitate ad salutem Euangelii prædicati 1 *Cor.* 1. *v.* 21. & fidei Euangelii *Joh.* 3. *v.* 16. *Hebr.* 11. *v.* 6. contra antiquorum, & recentiorum Pelagianismum. De *Zwinglio*, quod Pontificii & alii nobis exprobrant ad hanc rem non facit. Ipse quidem veram fidem & Euangelii revelationem ac cognitionem quibusdam eximiis viris inter Gentiles attribuit; quod etiam haut obscurè facit *Melanthon in commentar. ad Daniel.* 6.: sicuti inter Gentiles sparsas fuisse familias, aut personas quasdam non Gentiles, sed vera Dei cognitione & fide præditas ex exemplo Melchizedeki *Genes.* 14. Eunuchi *Actor.* 8. &c. indubium est. An autem designati à *Zwinglio & Melanthone* tales fuerint, non liquet, immo de quibusdam contrarium liquet: Ita ut quæstio hic sit, de errore in historia non autem in theologia & fide. Conferatur Rivetus in Psalm. 19. & si cui ita visum, *disp.* nostra de *theologia.*

Consectar. 2. Quod patres ex Gentilibus contra Gentiles pro defensione fidei Christianæ plurima allegarunt, sic accipiendum non est, quasi illis Gentilibus scriptoribus natura notum fuerit Euangelium, aut patres hoc de illis crediderint; sed tantum ad hominem (ita loquar) illa Gentilibus objecerint, aut contra eorum objectiones exceperint. Confer *dispp. nostras de theologia*, *de Trinitate*, *de Atheismo.*

XV. *An prophetæ & Doctores sub V. T. debeant præcones Euangelii, an vero Legis? Resp.* Si Euangelium accipias pro nuntio & promissione salutis per Christum Aff.: & sic coincidit hæc quæstio cum illa, An in V. T. prædicatus & cognitus fuerit Christus, & an salvandi tunc fuerint Christiani. Et si legem accipias pro dispensatione Euangelii, cum præmissa & adjuncta dispensatione Legis eo modo, uti tum in infantili ætate ecclesiæ, fieri debebat; itidem *Aff.*

XVI. *Quæst. An Apostoli, Euangelistæ, & Doctores sub N. T. debeant dici præcones seu interpretes Legis, an vero Euangelii: Resp.* Si per præconium Legis aut Euangelii intelligas peculiarem illum modum seu dispensationem & contemperationem utriusque sub V. T. *Neg.* Neque enim ἐπαγγελίαν & quidem sub umbris, cum tali temperamento legis & veteris fœderis, seu modo legem seu vetus fœdus repetendi prædicare debent, sed Euangelium de Christo jam manifestato in carne, & quidem retecta facie sine velo & umbris 2 *Corinth.* 3. *v.* 18. Sin intelligas per legis prædicationem, nudam literam legis separatim ab Euangelio & oppositè ad illud, *Neg.* 2 *Cor.* 3.

Sed

Sed si intelligas per legem, ipsa præcepta legis moralis, dicimus eos non minus præceptorum legis interpretes & præcones esse ac promissionum Euangelii; quia Lex non minus est verbum Dei, ac Euangelium. Atqui verbi ministri sub N. T. omnia Dei eloquia, omne ejus consilium docere tenentur 1 *Petr.* 4. *v.* 11. *Actor.* 20. *v.* 27. Jam vero sub doctrinâ salutari continentur præcepta fidei, spei, catitatis, patientiæ, resipiscentiæ, novæ obedientiæ, gratitudinis, &c. Rursum si per Euangelium synechdochicè intelligas omnem doctrinam salutarem, non tantum Euangelium, sed & Legem, utriusque præsuppositа ac prolegomena, rectè & phrasi scripturę dicuntur præcones Euangelii. *Denique* si oppositè ad legis prædicationem, & exclusivè, præconium Euangelii intelligis, perperam & juxta hęresin antinomorum dicuntur præcones solius euangelii; & maledicti essent tales præcones, & maledicta fides pręconio illi adhibita. Uti colligimus ex *Hebr.* 12. *v.* 14. & Epistola *Jacobi*, reliquis Catholicis, uti vulgò vocantur, & omnibus textibus librorum N. T., qui materiam non Euangelii, sed Legis continent.

XVII. *Quæst. An Legis moralis cognitio & prædicatio ad salutem sit necessaria tum in V. tum in* N. T. *Resp. Affi.* contra antinomos & semi-antinomos tum antiquos tum recentes; qui omnes, si castior ipsis non sit mens, quam lingua, cum Epicuri de grege porcis in theoria & praxi conspirare videntur. Qui & quales sint antinomi, tum antiqui tum recentiores, discent studiosi ex summa controversiar. nostri antehac collegæ *D. Joh. Hoornbeeck lib.* 10. *pag.* 690. &c. *Melanthon in consiliis suis p.* 2. *p.* 36. Antinomos sui temporis vocat atheos, Cyclopes & Cynicos. Videant ergo Doctores, qui legem integram prædicare & pro re nata applicare negligunt; & videant auditores, qui audire non sustinent, quin contra fideles pręcones dicterio *legalium concionatorum* diffamare satagunt (quasi sc. unà Euangelium non prædicarent) cum quibus faciant sive prudentes sive imprudentes, & quanto discrimini conscientias suas exponant. Deus autor & vindex legis suæ non minus ac Euangelii, non irridetur. Sed quæro ex illis antinomis, an quinque libri Mosis, scripta Prophetarum, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Euangelistæ, Epistolæ Apostolicæ, decalogus juxta ordinem doctrinę catecheticæ non sint coram populo explicanda. Si annuis: jam quæro, an minister tunc semper agat interpretem Euangelii, & non Legis; præsertim cum Exodum, Deuteron. Proverbia, Ecclesiasten, pleraque capita Jeremiæ, & Ezechielis, *Matth.* 5. & 7. & 23. &c. interpretatur. Quid dices de tot scriptoribus in decalogum? An scripta eorum dicentur commentaria in Euangelium, non vero in legem, & ipsi dum hoc agunt, dicentur doctores Euangelici & promissionum, non legis & hortationum, correptionum, comminationum?

XVIII. *Quæst. An Lex & Euangelium totam doctrinam salutarem scripturis contentam exhauriant. Resp. Neg.* Cum dist. si scil. propriè & strictè accipias, *Legem* pro doctrina præceptorum cum promissionibus & minis; & *Euangelium* pro doctrina promissionum novi fœderis. Sunt enim præsupposita utriusque dogmata & quidem fundamentalia, de Deo ejusque attributis, personis, operibus, internis, & externis creationis ac providentiæ. Præterea dogmata Euangelio præsuppositа, de lapsu Adami, peccato originali, statu peccati & miseriæ.

Consectar. 1. Hinc patet quomodo intelligendi sint autores nostri, cum contra Pontificios scripturæ perfectionem probant ex eo, quia docet legem & Euangelium: ergo omnia ad salutem necessaria. Latè enim accipiunt voces illas, ita ut necessariò præsuppositа ad Legem & Euangelium non excludant sed includant.

XIX. *Quæst. An dici possit, præcepta Legis & promissiones Euangelii coincidere? Resp. Neg.* Si formaliter accipias: nam promissio & præceptum specie distinguuntur. Sed *Aff.* Si considerentur materialiter seu quod ad materiam, Præstationem enim seu praxim fidei, spei, & caritatis quam lex præscribit, & nos à Deo petimus, Euangelium promittit *Psalm.* 119. *v.* 4. 5. coll. cum *Philipp.* 2. *v.* 13. *Jerem.* 31. & 32. *Hebr.* 10. Hâc tamen cum differentia, quod lex præscribit perfectam partibus & gradibus in hac vita; sed Euangelium eandem non promittit. Ita ut applicari huc possit illud 2 *Cor.* 12. Sufficit tibi gratia mea.

XX. *Quæst. An Euangelium promittendo impletionem præceptorum (non tamen perfectam), dici possit implere Legem, aut ad eius impletionem conferre & concurrere? Resp.* Tanquam instrumentum morale, pro parte sua, *Aff.* idque dupliciter: *Primo* per modum motivi: De quo supra. *Deinde* per modum objecti partialis, quatenus Euangelium partem suppeditat τῆς πιστέως, in quæ ut & in alia omnia πιστὰ verbo Dei revelata fides ex præscripto legis ferri debet. Haut aliter ac visibile coloratum, & lux concurrunt ad actualem visionem.

Consectar. ἀκυρολόγως dicitur Euangelium instrumentaliter concurrere ad respicientiam & novam obedientiam sub forma præcepti seu legis præceptorum: cum propriè concurrat sub forma præceptibilis, seu rei cadentis sub præceptum: continet enim credibilia πιστὰ, seu veritates de rebus in novo fœdere promissis.

XXI. *Quæst. An lex eadem fuerit ante lapsum, quæ post lapsum tam sub V. quam sub N.T. Resp. Aff.* Si legem in se consideres. Sed si usum ejus respicias, *Neg.* Is enim est diversus: quia ante lapsum non habebat usum convictionis de peccato; quem post lapsum habet.

XXII.

XXII. *Quæst. An lex ante lapsum & post, habeat promissiones vitæ æternæ? Resp. Aff.* Et hoc satis superque probarunt Antagonistæ Socinianorum, & scriptores de fœderibus; inter alios ac supra alios D. *Cloppenburgius* in suis *disp.*

XXIII. *Quæst. An promissiones Legis & Euangelii conveniant, seu sint eædem? Resp.* Si promissam vitam æternam respicias. *Aff.* Sin medium & conditionem sub quâ promittitur, & jus ejus acquiritur. *Neg.* Nam in lege, & veteri fœdere promittitur sub conditione propriæ obedientiæ: In Euangelio & novo fœdere, sub conditione obedientiæ Christi. *Denique* si Euangelii promissiones absolutas (de quibus supra) quæ sunt principales & fundamentales consideres, ex quibus promissiones conditionales educuntur, & formantur, in immensum differunt: quia in lege & veteri fœdere tales nullæ sunt.

XXIV. *Quæst. An ergo vitam æternam, quam Lex & Euangelium pariter promittunt, fideles accipiunt vi utriusque promissionis, seu secundum utramque promissionem legalem scil. & Euangelicam. Resp.* Secundum Euangelicam: Nova enim fœderatio, est unica ratio quâ, per quam, sub quâ confertur & acquiritur salus, unio nostra cum Deo, beatitudo; seu est unicum atque adæquatum fundamentum, quo posito ponitur, quo ablato aufertur salus.

Sed objicitur. 1. *Object.* Atqui opera à fidelibus secundum legem præstita habent relationem ad vitam æternam, lege promissam. *Resp.* Habere relationem ad vitam, quæ lege promittitur, concedo: ad vitam quatenus, aut sub illo formali, quâ lege promittitur? *Nego.* Vel sic, si vitam lege promissam materialiter, abstractè, in se, & objectivè consideres, concedo; sin formaliter & subjectivè, ut est in lege, atque ibi promittitur, *Nego.*

2. *Object.* Lex dicitur usum suum habere ac præparare, ante actualem receptionem reconciliationis & justificationis per fidem in Christum seu in promissiones Euangelii: ergo videtur promissio legis, quæ cum præceptis ejus connexa est, formaliter ita considerata instrumentum & medium esse salutis, & manuductio ad vitam æternam. *Resp.* Si de instrumento & medio proximo seu formali principio externo intelligis, *Nego:* sic enim tribueretur legi, quod est solius Euangelii *Rom. 1. v. 16.* Sin de instrumento remoto, seu mavis propinquo aliquo antecedente, aut de principio seu causa sine quâ non, quatenus scil. pro parte suâ non confert justitiam & vitam (hoc enim solum facit Euangelium, in genere instrumenti moralis seu per modum instrumenti, principii, & medii externi), sed antecedenter tantum removet impedimentum, fiduciam scil. in obedientia propria, & convincendo de peccatis compellit ad salutarem in seipso, hoc est, in propriis viribus & meritis desperationem; *Concedo.*

3. *Ob-*

3. *Object.* Atqui operibus fidelium, quæ sequuntur justificatum, beatitudo adscribitur *Psal.* 1. & 119. &c. *Matth.* 8. *Jacobi* 1. &c. Illa autem præstantur secundum legem. *Resp.* Hoc signativè intelligendum. Sunt enim signa & argumenta indubitata præsentis status gratiæ, & futuræ gloriæ.

4. *Object.* Atqui bona opera secundum legem præstita, non tantum signum & argumentum sunt futurę beatitudinis in cœlo, sed etiam via, medium, & quodammodo (uti varii præstantiss. theologi cum adversariis disputantes concedunt) causa: ergo sequitur legem operum, etiam esse instrumentum proximum & principium formale beatitudinis. *Resp. Neg.* consequentia. Quia quemcunque locum & ordinem opera hic obtinere dicantur, totum tamen illud est ex gratiâ & per gratiam Christi solo Euangelio contentam & revelatam, non lege.

XXV. *Quæst. An lex moralis eadem sit sub V. & N. T., an vero aut hic aut illic extensior & strictior fuerit. Resp.* Sunt qui statuunt non tam extensam & strictam tunc fuisse in multis legem moralem, ac in N. T.: ita ut aliqua tunc licita, nunc sint illicita. Sic Sociniani & Anabaptistæ. Sunt qui illis accedunt, sed in unâ tantum controversia de polygamia. In quæstionibus de bello, simile quid velle videtur *Grotius in tract. de jure pacis & belli*; sed fluctuans aut dubiam suam theologiam occultans. Sunt ab altera parte, qui volunt, non tam strictè ad legis divinæ observationem sub N. T. nos obligari, ac Israelitas sub V. T.; atque adeo aliqua nunc nobis licita esse, quæ tunc non erant, idque per libertatem N. T. Qui sane error Sociniano & Anabaptistico longè deterior & pietatis studio nocentior est. Nos contra dicimus, extensivè & secundum quantitatem discretam non plura aut pauciora esse præcepta legis in N. T. quam in V. & vice versa. Intensivè verò & quod ad gradum, vehementiam, ac perfectionem gradualem, non minus nos nunc obligari ad gratitudinem & amorem Dei ex toto corde, ex omnibus viribus; quam fideles Vet. Test.: immo si comparatio instituenda, nos nunc multo magis teneri, & novo vinculo arctius obstringi, propter novum, quod accessit, motivum, hoc est, libertatem N. T. & talem intuitum gratiæ Dei 2 *Cor.* 3. *v. ult.* coll. cum *Luc.* 10. *v.* 23. 24. & *Matth.* 11. *v.* 11.

Consectar. 1. Unde constat, non rectè excipere Pontificios, & tepidos quosdam, in quæstione de imaginibus, de idololatria indirecta, de sabbathi ordinarii aut extraordinarii, quale est jejunium, sanctificatione illi populo tunc temporis rigidè illa omnia fuisse mandata; sed nos sub tempore N. T. ab illo rigore liberatos esse.

Consectar. 2. Nec rectè excipere illos, qui in quæstione de fœnore, de

suo

suo cuique tribuendo, etiam Deo aut ecclesiæ, quod Deo aut ecclesiæ ad promotionem cultus divini, & ad alendos pauperes in ecclesia peculiariter datum est; excipere solent, hoc tenuisse quidem sub V. T. sed non itidem sub N. T. Ergone divini & naturalis juris præceptum de suo cuique tribuendo, ceremoniale & consequenter abrogatum est, & quidem signatè in præstantissimo hoc subjecto? Credant hoc theologi sine bibliis, Jurisconsulti sine codice, philosophi sine ratione.

Objiciat quis 1. *Object.* Atqui non licebat tunc in usum parilem convertere Deo consecrata; in Nov. Test. licet. *Resp. Neg.* antecedens. In casu necessitatis licebat æque ac nunc; immo & in usum plane alienum; David panes propositionis comedit; quod Christus defendit *Matth.* 12. Judæi thesauros templi pro salute Reipubl. expenderunt 1 *Reg.* 14. 2 *Paral.* 12. Vide ibi *comment. Martyris & Lavateri.* Hæc ὐ παρὸδῳ. Alibi de usu redituum ecclesiæ ex professo egimus, *part.* 1. *polit. eccles. lib.* 4. *tract.* 2.

2. *Object.* Sub N. T. tam rigidè sabbathum, observandum non est, ut non liceret ignem accendere; quod *Exod.* 16. prohibitum; nec morte nunc puniendi, qui in sabbatho ligna colligunt? *Resp.* Quod ad prius. *Neg.* absolutè cujusvis ignis accensionem fuisse prohibitam. Vide *Bezam in legis triplicis explicatione.* Quod ad posterius erat illa sanctio pœnæ peculiaris, & forensis Mosaica: nos autem hic agimus de ipsis præceptis legis moralis. Vide de observatione sabbathi in 3 *part. select. disp. tit. de sabbatho.*

XXVI. *Quæst. An lex ceremonialis, & moralis naturâ notæ sint, an tantum ex supernaturali Dei revelatione?* *Resp.* 1. *Neg. pr. & aff. poster.* de lege ceremoniali. *Quia* est cultus post lapsum denuò institutus: atqui cognitio talis cultus cum creatione imaginis Dei non fuit impressa aut revelata; consequenter scintillæ ad talem cultum cognoscendi nullæ post lapsum relictæ sunt. *Adde*, quod ceremoniæ sint Euangelium typicum & adumbratum. Atqui Euangelium non est naturâ notum. Ergo. 2. *Aff. pr. cum dist.* de lege morali; quæ cum creatione imaginis divinæ fuit indita, & cujus rudera, vestigia, principia post lapsum in homine remansere: quæ propterea lex naturæ, communes notiones, & synteresis dicitur. Vide comment. ad *Rom.* 2. *v.* 14. 15. Sed hæc notitia naturalis est imperfecta, quod hominis corrupta ratio ex primis principiis & axiomatis conclusiones rectè non deducat; & consequenter in superficiali, generali, mutilâ, carnali spiritualis legis cognitione hæreat, nec ad fundum ejus penetret; uti imprimis elucet ex decimo præcepto; cujus contentum nulli Gentiles, nulli Pharisaicè Judaizantes, nulli extranei à fide unquam assecuti sunt; ne quidem Christiano nomine gaudentes, & Scripturæ revelationem admit-

tentes, assequuntur; si majorem eorum partem consideres. Vide Commentatores nostros ad *Rom.* 7. *v.* 7. & ad 10. Decalogi præcept.

Consect. 1. Hinc constat discrimen adęquatum, aut etiam principale Legis & Euangelii non esse, quod ex naturâ nota sit, Euangelium non sit.

Consectar. 2. Minus rectè, accuratè, cautè, in hoc statuitur discrimen Legis & Euangelii, quod illius cognitio & prædicatio, immo & applicatio ad conscientiam propriam aut alienam in detectione, convictione, & sensu peccatorum perquam facilis & cuivis obvia sit; hujus contra difficilis. Sed de hoc sequenti quæstione.

XXVII. *Quæst. An facilis sit cognitio & prædicatio legis; consequenter vulgares sint & nullius, saltem non tanti momenti sint conciones, lectiones, dißertationes, quamvis elaboratæ, & penetrantes usque ad divisionem animæ & spiritus*, &c. (*Hebr.* 4. *v.* 12. 12.) *Resp.* Facile dicitur, quod sit minori cum resistentiâ, & consequenter minori cum labore. Hinc synonymum ꝯ *facilis* apud latinos est *nullo negotio.* Ego variis rationibus & experientiâ jam inde ab initio ministerii edoctus, statuo esse admodum difficile legem funditus intelligere, & aliis prædicare.

1. *Quia*, tota doctrina salutaris prædicatu difficilis est: ergo & singulæ ejus partes Euangelium, Lex, & dogmata utrique pręsupposita. Ita ut & collectivè & distributivè ei applicari debeat illud Apostoli. *Quis ad hæc idoneus?*

11. *Quia* solida legis cognitio, prædicatio, & traditio tum publica tum privata non vulgarem requirit apparatum, assiduam scil. & profundam meditationem, vastam lectionem, judicii perspicaciam, memoriæ felicitatem, linguam eruditorum, multam experientiam, cornucopiam librorum, qui leges, mores, casus, consilia continent, crebram cum piè eruditis & expertis collationem; &, quod omnium basis est, trium librorum perpetuam lectionem & relectionem, bibliorum scil., proprię conscientiæ, & ecclesiæ suæ. Hæc omnia tam facilia esse, & ubivis obvia, nemo dicet, qui modo terminos illos intelligit.

111. *Quia* ea sunt latifundia studii ac theologiæ legalis (ita loquar), ut ad desperationem adigerentur, qui thesaurum hunc gesturi sunt in vasis testaceis, nisi speciali auxilio fulcirentur ab illo, qui dixit 2 Cor. 12. *Gratia mea tibi sufficit, virtus mea in infirmitate*, &c. Quæ sint latifundia ejus, colliges ex Bibliothecâ nostrâ; & 3. *part. select. dispp. tit.* de Theologiâ practicâ. Nos ἁς ἐν τύπῳ delineamus ejus longitudinem & latitudinem in Theologiâ textuali, in theologiâ exemplari seu historica, in didactica, in elenctica, in practica.

Textualis habet explicationem capitum, tmematum, commatum Scripturæ,

pturæ, quæ legem continent. Atqui tales textus in V. T. quamplurimos, in N. T. libris non paucos esse nemo ignorare potest, qui biblia evolvit.

Historica seu exemplaris sacra, complures paginas occupat. Vide mihi Prophetas (quos vocant) priores, cum Esther, Ezra, Nehemia, Ruth, Paralipomenis: ut nihil dicam de parte pentateuchi bonâ parte, & maximâ Euangelistarum.

Didactica tot habet titulos & subtitulos de bonis operibus cum oppositis vitiis in generali & in particulari, ut ferè infinitum sit, quod pertransiri nequit.

Elenctica, versatur circa errores: qui in legis explicatione & vindicatione magno numero occurrunt: uti ex Scriptoribus hæreseon, Moralistis, Casuistis, Interpretibus Decalogicis perspici potest. Considera modo e.gr. vastissimas controversias de superstitione, magiâ, idololatriâ, de amore proximi, de majoritate & obedientiâ ad 5. præc., deque bello ad 6. de conjugio, ad 7. de justitia & jure ad 8. & sic per singula præcepta.

Practica Theologia legis per hortationes & correptiones, per motiva, auxilia, media, remedia & præservativa, gnorismata & notas, in infinitum pœne procurrit: adeo ut Theologus elephanto rectè comparetur, qui in hoc mari perpetuò natare debet, in quo tamen agnus (h. e. idiota verè pius) ambulare potest. Circumspice mihi tot titulos librorum practicorum, *praxes respiscentiæ*, *praxes conscientiæ*, *Emendationes vitæ*, *Duces peccatorum*, *Duces pietatis*, *stimulos virtutum*, *Destructoria vitiorum*, *militias & milites Christianos aut spirituales*, *scholas tentationum*, *medicinas & medicos spirituales*, *anatomias conscientiæ*, *tranquillitates animi*, *ubi de passionibus animæ*, *aurea opera contritionis*, *institutiones spirituales*, *artes serviendi Deo*, *Mysteria propriæ deceptionis*, *Ambulationes cum Deo*, *Præservativa peccatorum*, *Exercitia pietatis*, *Praxes pietatis*, *Vigilias Christianas*: &c. Atqui hi tractatus generales. Quid dicam de particularibus, qui de singulis virtutibus aut vitiis editi. e. gr. *de amore Dei*, *de timore Dei*, *de zelo*, *de securitate*, *de regimine linguæ*, *de abusu nominis divini*, *de praxi Sabbathi*, *de humilitate & superbiâ*, *de mansuetudine & irâ*, *de ebrietate*, *de avaritiâ*, *de contentatione*, *de mendacio*, &c. qui tractatus hic enumerari nequeunt, alibi forte bonam partem indicandi. Conciones quæ latino, imprimis vernaculo sermone, superiori & hoc currente sæculo editæ sunt, ac etiamnum quotidie eduntur à reformatis Theologis, de hoc aut illo particulari affectu, virtute, vitio, eorumque causis, effectibus, oppositis, numerum excedunt: Ego omnes legere nec potui nec volui: de illis tamen, quas ex multis subinde percurri, fateri cogor, quod vix ulla ex iis fuerit, quæ pe-

culiarem aliquam inventionem aut conceptum non ſuppeditârit: Nec prætereundi tractatus peculiaribus ſtatibus hominum accommodati, quales *Politica Chriſt.*, *Oeconomica Chriſt.*, *Adoleſcens Academicus*, *Vidua Chriſtiana*, *Agricola Chriſtianus*, *Mercator Chriſtianus*, *Nautica Chriſtiana*, *Miles Chriſtianus*, *Princeps Chriſtianus*, *Daniel ſeu Aulicus*, *Nobilitas Chriſtiana*, &c. *De officio miniſtrorum*, deque tribus partibus politiæ eccleſiaſticæ, quæ titulos & ſubtitulos non paucos complectuntur, tantum in publicis prælectionibus & privatis collegiis indicium fecimus; ut non putem aliquem ex auditoribus noſtris facile dicturum, legis ſtudium & cognitionem, etiam quod ad hanc partem, tam facilè tranſiliri poſſe.

IV. *Quia*, admodum difficile eſt, & prętendenti longè difficilius legis uſus practicos, in individuo & immediatè conſcientiis tum noſtris tum alienis applicare. Quam difficultatem experimur in omnibus, uſque ad minimos conſcientiæ caſus, uſque ad primo primos cogitationum ac cupiditatum motus, uſque ad ſpeciem mali, & attentionem ad omne ſcandalum (*Actor.* 24. coll. cum 1 *Cor.* 8. & 10.) propriæ noſtræ conſcientiæ applicandis, norunt illi; qui conſcientiæ proprię inquiſitionem & ejuſdem cum minimis jota ac apicibus legis divinæ comparationem, *Matth.* 5. uſque ad terminum ☧ neceſſarii *& cætera*, *delicta quis intelligit.* *Pſal.* 19. ſibi incumbere, & lugubrem ſuum hac in parte defectum fatentur. Studioſi noſtri legant *Dan. Dijck myſterium propriæ deceptionis*, *& Robert Boltoni diſcurſum de Beatitudine*; aut dum nondum hoc vacat, *diſp.* noſtram de ſimplicitate & hypocriſi. Partem illam legalis Theologi, quæ ſpectat officium miniſtri, legant in *Wilh. Teellingii* Neceſſariâ demonſtratione: unde facile colligent nec cognitu, nec prædicatu, nedum factu, illam tam facilem dici poſſe. Atque hæc difficultas in applicandâ lege ad conſcientiam propriam; quam etjam eruditiſſimi & laborioſiſſimi Theologi, ſiquidem verè converſi ſint, in ſe ſatis experiuntur. Quod ad conſcientias aliorum, magna cum reſiſtentiâ, id eſt, difficulter legem ſanctam & immaculatam iis applicari, conſtat ex his quinque potiſſimum: quorum,

Primum eſt, infinita farrago ſophiſmatum, exceptionum, detorſionum, retorſionum, reconventionum, replicationum, triplicationum, quæ legalibus in foro conſcientiæ determinationibus, adhortationibus, correptionibus opponi ſolent. Hæc profunda Satanę, hæ cordis humani deceptiones, hæc occulta dedecoris, ſine magna cerebri & cordis afflictione (2 *Cor.* 11. *v.* 29.) detegi & ſuperari nequeunt.

Secundum, ſunt odia, inſectationes, cavillationes, calumniæ, vexationes, inſidię, etiam perſecutiones (ubi potentia adeſt), quibus fideles miniſtri ob legis applicationem ad conſcientias auditorum obnoxii ſunt. Qui ex con-

cio-

cionatoribus hoc nunquam experti sunt, meritò seipsos neglecti officii (*Ezech.* 2. & 3. 2 *Tim.* 3. & 4.) suspectos habeant.

Tertium, sunt odiosæ & laboriosæ contentiones, non rarò acres increpationes & contestationes, furiosæ bilis ebullitiones, minæ verberum aut processuum injuriæ, (si non ipsa verba aut intentatæ actiones injuriarum) in quas miseri ministri incidunt; cum gregi suo invigilant, & κατ' οἶκον (*Actor.* 20.) privatis visitationibus atque alloquiis oves suas lapsas erigere, lapsuras præmonere, exorbitantes corripere, vacillantes confirmare, securas & nictantes excitare satagunt.

Quartum sunt correptiones, & post eas oblocutiones, susurri, siniſtra judicia, in quę ob casuum determinationem, dubiorum solutionem, legis ad facta applicationem, ad propositas quæstiones responsionem, ministri incidunt; quotiescunque hominibus velificari nolunt, sed ἀκρίβειαν juris divini sectantur. Nonnunquam hæc in scripta φιλιππικὰ & declamationes Catilinarias, aut in libellos famosos erumpunt.

Quintum sunt censuræ Ecclesiasticæ; in quarum inchoatione & executione magnam resistentiam & à seipsis ac suis, & à subjectis censuræ ministri patiuntur. Hinc etiam est quod propter applicationes legis ad conscientias auditorum, perpetuò disciplina sacra, quam magister ecclesiæ præscripsit, tantam contradictionem passa sit in magna parte Germaniæ; ubi invitis Theologis tantum non exulare videtur: adhæc in Belgio nostro, nominatim Leidæ & Ultrajecti (vide Histor. Belgicam *Petri Borr*): & nuper in Angliâ per Sectatores Erasti, in quorum partes apertè concessit *Joh. Seldenus*: uti videre est in tractat. de Synedriis. Omnes autem illæ difficultates occasione legis inundant. Ita ut dictum illud, quod fertur, magni Lutheri, non possit non hac in parte deprehendi verissimum: *Omnis fidelis minister est vir contentionum*: quod idem docent exempla Jeremię, Amos, Elię, Michæ, ipsius Christi. Adde ex historia Ecclesiastica, *Athanasii*, *Basilii*, *Chrysostomi*, *Calvini*, &c. qui propter legis prædicationem passi sunt plurimas contradictiones. Causas hujus mali facile est invenire, si consideremus auditores nostros alios esse neutrales in religione; alios crassos aut formales hypocritas, qui religionem profitentur, sed propter aliud quid; alios verè conversos, sed adhuc infantes & carnales, 1 *Cor.* 3.; alios viros & perfectos, sed qui adhuc carnis reliquias circumferunt, & subinde à peccato cum pio Asa (2 *Paral.* 16.) ita captivari & abripi possunt, ut legis prædicatori succenseant, immo & in illum quasi hostiliter insurgant. Considera modo *Rom.* 8. *v.* 7. cum *Rom.* 7. *v.* 8. usque ad finem, & *Galat.* 5. *v.* 17. Qui hic magnam resistentiam carnis adversus legem, & consequenter laborem, studium, eruditionem, artem, & difficultatem in concione legis ejusque viva & sensibili ap-

plicatione ad facta & ad conſcientiam inevenire nequit, nœ is πφλός ἐπ μυσπάζων. 2 *Petr.* 1., aut ex animi morbo loquitur, ſi quis ſine limitatione effutiat, facilem eſſe prædicationem legis.

XXVIII. *Quæſt. An facilior ſit prædicatio Euangelii, an vero legis? Reſp.* Ad comparationem ritè inſtituendam præcognoſcendæ duæ diſtinctiones. Quarum *prior*, legis prædicatio eſt vel accurata, theologica, ſpiritualis, juxta ἀκρίβειαν verbi divini, quæ penetrat uſque ad omnes actiones humanas, internas & externas, uſque ad minimos caſus conſcientiæ, & nullum verbum legis ſolvit: vel ſuperficiaria, rudis, generalis, externa potiſſimum, & ultra civilem honeſtatem vix aſſurgens. *Altera* diſtinctio eſt: Auditores, quibus prædicatur, ſunt vel extranei à fide, iique aut Barbari, aut civilitate legum & politiæ exculti: vel ſunt Chriſtiani, libros V. & N. Teſt. & fidem Chriſtianam amplexi. His præmiſſis ſic determinamus.

1. *Concluſ.* Prædicatio legis ſuperficiaria, generalis, & manca apud extraneos à fide, non planè Barbaros, ſed aliquo ordine Politico excultos facilior eſt; quam prædicatio Euangelii. Ratio eſt, quia habent circa ſe aliquas leges civilis, & intra ſe principium internum ſecundarium legis prædicatæ, ſyntereſin ſcil. & rectam rationem (vide *Rom.* 2.): Euangelium autem non habet ullum principium præter verbum Dei. Non tamen hoc ſemper obtinet, ut docet nos exemplum Felicis *Actor.* 24. 25.

11. *Concl.* Prædicatio legis integra ſecundum Scripturas, imprimis primi, ſecundi & decimi præcepti, apud infideles, quamvis ordine civili & legibus excultos, non videtur facilior eſſe quam Euangelii. Ne quidem Hermodorum, Socratem, Senecam, & ſimiles legis præcones ferre potuerunt. Sed de eo amplius diſquiratur.

111. *Concl.* Prædicatio legis ſuperficiaria apud Barbaros Cyclopum inſtar viventes, quam facilis ſit docet experientia: ſaltem prædicatio ejuſdem integra facilior non eſt quam Euangelii. Huic enim, quia eam nec curant, nec capiunt, nec intelligunt, forte tranſmitterent, nec ei admodum reſiſterent: illi vero ſtrenuè reſiſterent, quia ſentirent corruptionem ſuam tangi.

1v. *Concl.* Prædicatio & applicatio legis ſecundum Scripturas, abſolutè difficilior eſt apud Chriſtianos auditores, quam prædicatio Euangelii. Hoc ſolidis argumentis & experientiâ univerſali evinci poteſt. Quod ſequenti parte pluribus, quia nunc abrumpendum, deducemus.

PARS

PARS TERTIA.

Resp. JACOBO BEUGHOLT, Amstelodam. 22. *Junii* 1658.

Part. 2. *hujus Disp. quæst.* 25. *ad propositam quæstionem comparativam*, An facilior sit prædicatio Euangelii, quam Legis, *per quatuor conclusiones distinctè respondimus: sed quia tunc temporis & chartæ angustia non sinebat quartam & postremam conclusionem debitis rationibus munire; in præsenti,* I. *Quod tunc promisimus, præstare conabimur.* II. *Problemata aliquot præterita subjiciemus.*

Sic ergo formetur quæstio, *An reformatis Concionatoribus in Ecclesiis suis reformatis facilior sit accurata ex Scripturis prædicatio Legis, quam Euangelii: an vero contrà?* Nos *pr. Neg. poster. Aff.* Antequam ad probationem accedimus, præcognita hęc præmittimus. §. 1.

I. Prædicatio Legis & Euangelii fit tripliciter. 1. *Vel* ad textus Scripturæ, extra quos doctrinæ seu theses Theologicæ, cum usibus & applicationibus suis proponendæ, non evagantur, 2. *Vel* ad textus Scripturę semel aut sæpe prælectos; ex quibus non tantum educuntur doctrinę illic contentę, sed etiam ad eosdem alię doctrinæ cohęrentes adducuntur, donec systema alicujus loci communis, aut materię, aut justi tractatus absolvatur. Hæc methodus prædicandi usitata est in concionibus seu lectionibus nostris Catecheticis; imprimis pluribus Theologis Anglis jam ab annis aliquot frequentata: uti apparet ex tot tractatibus nunc publicè editis, qui antea pro concione propositi erant. 3. *Vel* sine certo textu prælecto: qualis methodus elucet in variis homiliis antiquorum Patrum, ut de livore, eleemosynâ, ebrietate, mortalitate, lapsis, pace, &c.

II. Prædicatio Legis & Euangelii constat textus propositi explicatione, thesium seu doctrinarum illic contentarum pertractatione, usuum indicatione & applicatione.

III. Prædicatio Legis & Euangelii, est vel mutila, cursoria, magis generalis atque abstracta: vel integra, accurata, magis specialis atque intimè applicata. His ita præmissis, probamus accuratam prædicationem Legis in nostris Ecclesiis esse longè difficiliorem accuratâ prędicatione Euangelii: idque ex parte præparationis Prædicatorum, & ex parte receptionis Auditorum: docente id communi experientiâ.

Sit

Sit ergo 1. *Rat.* Illud est difficilius, ad cujus dogmatizationem diffusior eruditio, major apparatus, laboriosior præparatio, floridior & gratior eloquentia ac δεινότης in Prædicatore requiritur. Sed ad dogmatizationem legis diffusior, &c. requiritur, quam ad dogmatizationem Euangelii. Antecedens probatur. 1. *Quia* si integrum Scripturæ corpus consideres, plures in eo sunt textus, plura capita, plura tmemata, plura commata ad Legem, quam ad Euangelium pertinentia. 2. *Quia* explicatio Legis per plures titulos & subtitulos diffunditur, quam explicatio Euangelii: quod ex inspectione & collatione tabellarum seu titulorum, seu catalogorum virtutum & vitiorum per totum Decalogum, ut & totius Politicæ Ecclesiasticæ, quæ ad Legem reducitur; cum tabella seu titulis, seu capitibus Euangelii ad oculum patebit. 3. *Quia* plures vocum ac terminorum explicationes & distinctiones illic, quam hic occurrunt. 4. *Quia* thetica seu thematica explicatio singulorum titulorum seu locorum legalium operosior est, quam locorum Euangelii. *Illi* enim magnam partem ad Theologiam non tantum supernaturalem, sed etiam ad naturalem pertinent, seu ad Ethicam, Oeconomicam, Politicam; ideoque non tantum ex principio Scripturæ, sed etiam ex rectâ ratione & lumine naturali deducuntur ac confirmantur: *Isti* vero omnes ex solâ Scripturâ deduci & confirmari debent. *Illi* magnum & multiplicem apparatum spiritualis pathologicæ, therapeuticæ, diæteticæ, hoc est, stimulorum seu motivorum, prophylacticorum, mediorum & remediorum, cum intercurrentibus amplificationibus per similia, dissimilia, oppositа, ex Scripturis, ut etiam consilia, dicta, facta ex Historiâ antiquâ & nova requirunt: *isti* non ita. 5. *Quia* controversæ quæstiones & dubia, Auditoribus nostris circa prædicationem Legalium plura oboriuntur, aut ab iis frequentius moventur, quin & plures errores populares, plures particulares opiniones à communi Ministrorum suorum & Theologorum consensu recedentes foventur ac tenentur: quam circa prædicationem dogmatum Euangelii. Usus enim elenctici & reprehensivi errorum contra Euangelium, Papistarum scil., Socinianorum, Remonstrantium, Anabaptistarum, qui in multis Ecclesiis Belgicis (non in omnibus) tempestivè refutari debent in ipso cursu Academico, & in Ministerii tyrocinio accuratè formari, imprimis & in numerato haberi possunt: sed elenchi errorum circa prædicationem dogmatum legalium, & decisiones casuum quasi infinitorum, non tam facilè numerantur, concipiuntur, imprimuntur, depromuntur. Confer quę suprà *part. 2. qu. 26.* & *27.* de difficultate prędicationis legalis absolutè & comparatè differuimus. 6. *Quia* infinitę exceptiones, replicæ, duplicæ, triplicæ in mentibus Auditorum circulantur; sæpe in liberas voces, in elenchos, immo & in indigna dicteria, si non satyras, cantilenas, libellos famosos erumpunt

contra

contra accuratam legis prædicationem. Quod de Euangelicâ prædicatione non ita dici potest. Jam verò non est cujusvis, nec tam facilè ejusmodi tela prævidere & prevenire, ea avertere, sive prudenter declinando, sive tempestivè extinguendo; ut minus noceant. Hic improbus labor nunquam exhaustus est, semper redit actus in orbem. Adeò ut subinde ingenium fortissimorum Dei athletarum fatiget, animumque eorum deprimat, si non frangat. 7. *Quia* Theologi orthodoxi jam inde à primâ reformatione, plura & uberiora nobis suppeditârunt adminicula ad explicationem & vindicationem Euangelii, contra omnes objectiones & exceptiones errantium; quam ad explicationem & vindicationem legis contra errores tum sectarios, tum populares, & contra quævis dubia, quæ à carne nostrâ suggeri solent aut possunt. 8. *Quia* exercitatior eloquentia, & orationis δεινότης, atque honesta exornatio in elocutione legalium requiritur, quam in elocutione dogmatum Euangelii. Hæc enim ut plurimum ornari negant, contenta stylo Scripturę & simplicibus terminis doceri. Adeò ut dictionis ac phrasis variatio & πολυποικιλία, hic locum non ita inveniat: quod de illis mysteriis supernaturaliter revelatis vera dicere, quasi periculosum sit. Sed longè aliter se res habet, in plerisque aut saltem in quamplurimis locis legalibus. 9. *Quia*, docet hoc communis experientia eorum, qui conantur verè θεολογεῖν. Postillophagi enim, & qui fortè 20. aut 25. locos communes, & totidem aut paulò plures conciones, sępè ab aliis formatas aut pręformatas memoriâ tenent, de his rebus judicare nequeunt.

II. *Rat.* Illud est prædicatu difficilius, cujus specialis applicatio ad conscientias auditorum, est difficilior. Sed legis specialis applicatio, &c. est difficilior applicatione speciali Euangelii, &c. Ergo. Minor probatur. 1. *Quia* major prudentia & cautela in prędicatione legalium requiritur, quam in prędicatione Euangelii. Hic enim plerumque simpliciter & in terminis loqui expedit: illic in detectione & propositione factorum Ecclesiæ tuæ, & comparatione eorundem cum legis ἀκριβείᾳ, personarum & circumstantiarum ratio habenda; ut quamvis insistentes immutabili illi normæ, omnia tamen omnibus fiamus, 1 *Cor.* 9. *v.* 22. Atqui hic opus, hic labor. 2. *Quia*, si majorem partem auditorum nostrorum respiciamus, speciales illæ applicationes legalium ad conscientias quorumvis auditorum secundum status, studia, facta cujusque singularia (quæ verè est anima prophetiæ seu concionis), ut ingratior est speciali applicatione Euangelii; sic etiam Prædicatori difficilior. Admodum enim illi ad justam pręparationem studendum est in triplici libro Scripturæ scil., Ecclesię suę, & propriæ conscientiæ. Arduum imprimis est prius seipsum nosse, seipsum docere, seipsum abnegare, proprium cor vincere, odium, livorem, metum, ἀνθρωποαρεσκείαν procul ha-

bere, & nomine Dei ad cor cujusque loqui. Hoc non capiunt illi, si qui, uti olim sophistæ in gymnasmatis Græcorum, & ut hodie adolescentuli in Scholis, chreias suas postillisticas in ordinem recurrentes, declamant: interim nec seipsos, nec oves sibi commissas satis nôrunt; ideoque ex duplici hoc libro parum prædicare valent. Et tamen speculativè ac peremtoriè rerum istarum ἄπειροι judicare audent, prędicationem legis esse facilem, & τοῦ τύχοντος; consequenter piissimos quosque & in spiritualibus exercitatissimos ex populo nimis patienter & stolidè eruditas ac solidas non minus, quam patheticas applicationes textuum legalium mirari & sectari. Quod scil. hoc tam facilè sit præstare, ac manum vertere: contra verò difficillimum & erudito prædicatore dignum, textum Euangelicum explicare & applicare. Sed si novitio Catecheticâ aut locorum communium cognitione probè imbuto, & in controversiis hodiernis mediocriter versato optio daretur, an pro concione Deuteronomium, aut libros *Josuæ* & *Judicum*, aut *libros Samuelis* & *Regum*, aut *Proverbia*, aut *capp.* 12. 13. 14. 15. ad *Roman.* aut *capp.* 5. 6. ad *Ephesios*, aut Epistol. *Jacobi*, *Petri*, *Johannis*, *Judæ* (quibus legalia potissimum continentur) absque commentationibus aut postillis aliorum, explicare mallet: an verò capp. priora epistolæ ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios (quibus Euangelica majorem partem continentur): non dubito, quin si facilitatem & compendium temporis in accuratis concionibus formandis spectaret, posteriora eligeret. Idem exspectarem à Candidatis ministerii illic loci, ubi pridiè textus illis præfigi solet, ad quem postridie, aut horis aliquot post coram Synodo aut Classe concionem habituri sunt.

III. *Rat.* Illud est prædicatu difficilius, cujus dogmatizatio, imprimis & specialis applicatio difficilius & majori cum resistentiâ recipitur. Atqui legis traditio & applicatio difficilius, &c. recipitur, quam Euangelii. Ergo. Antecedens probatur. 1. *Quia* lex ex hypothesi lapsus per se arguit de peccato, & condemnat: unde ministerium mortis dicitur, Euangelium non. 2. *Quia*, lex tanquam externa norma & quasi limes ac linea circumvallationis circumscribit, coarctat, cohibet, & coërcet hominem, omnesque facultates, affectus, & actus humanos; usque ad motus primò primos. Hæc ἀκρίβεια homini in totum aut magnâ ex parte adhuc carnali (1 *Cor.* 3. *v.* 1. 2.) tam molesta est, ut quasi per ἀντιπερίστασιν in se corruptionem suam acuat, in vetitum nitatur, & tantò magis peccata progignat, juxta *Rom.* 7. *v.* 8. 3. *Quia* communis experientia docet, multorum tacitis murmurationibus, aliorum apertis oblocutionibus, cavillationibus, detractionibus, acerbis contumeliis, hostilibus contentionibus, immo & potentum persecutionibus excipi serias & patheticas applicationes legales, à Concio-

tionatoribus publicè privatimve factas ; magis quam Euangelicas. Vide exempla singularia Jeremiæ , Amos , Eliæ , Michæ , (2 *Reg.* 22.) Johann. Baptistæ ; adhæc Chrysostomi, Calvini, &c. quin & benedicti Servatoris nostri , omniumque fidelium Ministrorum, qui ipsius vestigiis insistunt. Quotidiè experiuntur Ministri & Seniores, cum vel suo vel publico Ecclesiæ nomine aliquos ex auditoribus officii monere aut corripere occipiunt, alloquia sua non tam promptè & faciliter recipi, quam cum ægrotantibus, aliâve ratione afflictis suavissimas consolationes ex Euangelio submini-strant. Hinc etiam fit ut plerique ad correptiones & convictiones legales, imprimis potentiorum, aut insolentium non tam facile currant, antequam mittantur : aut si πνεύματι ζέοντες, seipsos hic superent, id sine reactione aut luctâ aliquâ non fiat. Quo ipso omnes hujus rei difficultatem haut obscurè fatentur, saltem fateri coguntur. 4. *Quia* in Ecclesiis Protestanticis & nostris nunc in Angliâ, Scotiâ, Belgio, Hungariâ, Transylvaniâ, Suecia, Daniâ, Germaniâ, &c. tam frequentibus, & tantâ libertate gaudentibus, aliter fieri vix potest : quandoquidem de illis in genere negari nequit illud Servatoris Matth. 22. *Multi vocati , pauci electi.* Breviter inter auditores earum *aliqui* sunt crassè ignorantes & caudices, qui nullâ rerum sacrarum cognitione aut praxi afficiuntur : *aliqui* crassi hypocritę, qui cum sint hostes Religionis, aut alioquin profani irrisores , externâ auditione, communione, hominibus malunt placere, aut maligno animo suo obsecundare , quam Deo : *aliqui* in negotio Religionis adhuc dubitantii, aut neutrales, aut desultorii Ecebolii : *aliqui* formales seu subtiles hypocritæ, qui μόρφωσιν habent εὐσεβείας, vi ejusdem abnegatâ : *aliqui* ἀποπάμβροι bonam conscientiam apostatant, & circa fidem naufragantur : *aliqui* soli-ipsi, sibi sapientes, sciśmatici, se seperant, aut seperationem affectant : *aliqui* infantes in Christo, magnam partem adhuc carnales : *aliqui* intervalla lapsus aut relapsus patiuntur : *aliqui* tepescunt in cursu pietatis. *Aliqui* peculiari & priori muneri, ordini, statui, vitæ generi in hoc mundo ita adhærent ; ut quod ad hanc partem, in τύπον illum διδαχῆς nondum toti tradi velint aut possint : *Aliqui* , quamvis non imparati essent , in τύπον illum se tradendos dare, tamen suasione & sophisticâ quorundam laxorum Casuistarum suggestione, adhuc ampliant : *Alii* quamvis comparatè ad alios fideles, perfecti ac viri dici possint (uti Asa 2 *Paral.* 15.) habent tamen adhuc luctam carnis ; ita ut quamvis delectentur lege Dei secundum interiorem hominem , nihilominus sentiant aliam legem in membris suis. In tot generum auditoribus cum rigida & exacta prędicatio legis pertingit usque ad interiores conscientiæ fibras, quid mirum si traditio & receptio ejus sit difficilis, supra Euangelii : quippe quod nihil mali nuntiet, atque adeò à variis hypocritis & carnalibus

non illibenter audiatur; saltem prædicatio ejus sine murmuratione, contentione, oppugnatione transmittatur. Raro privatis publicisve exceptionibus, expostulationibus, comminationibus obnoxiæ sunt applicationes Euangelicæ: legales contrà frequenter. Quis enim illarum interpretationem & examen sibi non sumit? Quis non præsumit, sibi & rebus suis, aut autoritati sue & honori suo per illas in aliquo præjudicatum esse? Etiam ignorantissimus aliquando hic contendit esse Magister, & mitissimus fit prœliator: qui aliàs de Euangelicis fortè non bene perceptis, facilè pronuntiaret: *Superant meum captum: non sunt mei fori: aliis hæc curanda relinquo.*

§. 2. Subjicimus nunc aliquot problemata.

I. *Probl. An Euangelio excellentia tribui possit supra legem? Resp.* Si per Euangelium ratio dispensationis novi fœderis post Christum, & per legem ratio dispensationis ejusdem fœderis ante Christum intelligatur, Aff. ex *Matth.* 13. *v.* 16. Sin verò strictè hæ voces accipiantur (uti nos in totâ hâc Disp. sumimus), itidem Aff. ex *Hebr.* 7. 2 *Cor.* 3. *v.* 6. 7. 8. ubi à Commentatoribus ἐξοχὴν illa explicatur. Quæ hac cum distinctione accipienda, ut comparatio imparium in objecto Legis & Euangelii quæratur, hoc est, in fœdere operum, & in fœdere gratiæ; non verò in ipsâ doctrinâ Legis & Euangelii, formaliter consideratâ; quæ utraque divina est, & divina sui cujusque divini fœderis tabula, seu instrumentum. De omni enim doctrinâ divinâ, sive Legis, sive Euangelii, tenenda sunt elogia illa *Psal.* 19. & 119., quod *pura, perfecta, illuminans oculos, lætificans cor, pariter justificata*, &c. & 2 Tim. 3. 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος, &c.

II. *Probl. Quo respectu objectum Euangelii, (fœdus scil. gratiæ) sit excellentius, quippe magis manifestans gratiam divinam, quam objectum legis (fœdus scil. operum). Resp.* Respectu multiplicationis & extensionis gratiæ, quę illic versatur circa peccatores ex se & in se damnationi obnoxios: hic verò circa homines innoxios & sanctos ad imaginem Dei creatos. Vel sic, gratia novi fœderis est restitutionis à termino privativo: gratia veteris fœderis est beatificationis, seu promotionis & deductionis ad beatitudinem à termino purè negativo.

III *Probl. An perfectio legis sit tantum umbra perfectionis ejus, quæ est in Lege novâ, seu Euangelio? Resp.* Falsò præsupponi videtur Romano-Sociniana opinio, de duplici lege; & sic Euangelium transformari in Legem, & fœdus gratiæ in fœdus operum. Dicimus & Legem & Euangelium in suo genere esse perfecta: nec comparationem de disparatorum aut heterogeneorum perfectione esse instituendam. Quasi quis scil. quæreret, Papinianus an Galenus fuerit eruditior. Posset fortè pars affirmans excusari: si-

siquidem per legem veterem intelligeret dispensationem fœderis gratiæ & totius doctrinæ salutaris sub V. T. & per Euangelium dispensationem ejusdem fœderis & doctrinæ salutaris sub N. T., atque ita Euangelium ad imitationem. *Rom.* 3. *v.* 29. vocaret legem; & legem sub N. T. propositam diceret *novam* 1 *Joh.* 2. *v.* 8. Quomodo cautè accipiendum & benignè exponendum illud in libro quæst. & respons. ad Orthodoxos (qui exstat sub nomine *Justini Martyris*), quæst. 101. Καὶ ὡς μὲν πρὸς τὸν μάθησιν, &c. *Et quantum quidem ad disciplinam pertinet, Euangelium nihil à lege differt: quantum verò ad promissionem & præstationem spectat, multum hoc illi interest. Quid enim est Lex? Euangelium prænunciatum? Quid Euangelium? Lex completa.* Sed præstat, imprimis post exortas & detectas tot hæreses antiquas & recentes contra Euangelium, omnem ambiguitatem & ἀκυρολογίαν in hâc materiâ studiosè evitare.

IV. *Probl. An lex moralis, & obedientia Deo secundum illam tanquam directorium & normam præstanda sub N. T. sit mitior seu laxior, quam sub V. T. atque adeò major nunc libertas & immunitas? Resp. Neg.* Neque enim sub V. T. magis extensa fuit, quod ad aliqua præcepta, ad quæ sub N. T. nos non teneremur; nec etiam magis intensè tunc observanda, quam nunc: quasi scil. nos non teneremur nunc æque ex toto corde, ex omnibus viribus Deum amare: & ἀκριβῶς πεπιστεῦσθαι (*Ephes.* 5. *v.* 15.), ac fideles sub V. T. Immo quasi vinculum per gratiam peculiarem dispensationis fœderis gratiæ, nunc arctius non stringeret, & majora Dei beneficia majorem gratitudinem non exposcerent. Quantò autem majus sit beneficium quod in dispensatione novi fœderis, post Christum exhibitum in carne nobis obtingit, colliges ex *Hebr.* 2. *v.* 3. ubi *tanta salus*, & *Matth.* 3. *v.* 2. ubi *regnum Cœlorum* dicitur; eique *meliores promissiones* tribuuntur, *Hebr.* 7. *v.* 22. Et beati dicuntur oculi nostri *qui vident*, &c. *quod multi Prophetæ & justi desiderârunt videre*, &c. *& non viderunt*, *Matth.* 13. *v.* 16. 17. Facessat ergo diluta illa & periculosa nimis adversus virtutes lege morali præscriptas exceptio, de strictâ obedientiâ fidelibus sub V. T. præstandâ, & de libertate atque immunitate ab omni ἀκριβείᾳ & præcisitate nobis sub N. T. concessâ. Confer longè eruditiss. & intimè practicam responsionem nostræ Catechesios ad qu. 115.

V. *Probl. An Decalogus legem moralem perfectè contineat? Resp. Aff.* quod ad summam, seu quasi paratitla ejus; sub quibus omnia alia tanquam specialia sub generalibus continentur, aut ex quibus per analogiam educuntur. Sunt ergo hic vitandæ duæ opiniones extremæ: quarum *una* est Remonstrantium, qui cum Socinianis præcepta de abnegatione sui ipsius, de non diligendo mundo, de precatione, de gratiarum actione extra Decalogum re-

legant, in *Catechesi quæst.* 68. & 71. In quo cum Photinianorum *catechesi Racovienſi* proximè videntur convenire. Vide ibi. *Altera* eſt, qua legem moralem cum ceremoniali ac forenſi Moſaicâ, pariter in Decalogo collocare videntur. Quæ καινοφωνία receptæ apud omnes legis diviſioni, in moralem, ceremonialem, forenſem, tanquam in ſpecies diſparatas, directè repugnat. Horum enim ſententia ſi obtineat, neceſſariò membra diviſionis coinciderent, & tota diviſio deſineret in ineptam tautologiam. Sed de hoc aliàs, & alibi.

VI. *Probl. An accuratè & propriè dicatur à Pontificiis, legem novam à Chriſto datam continere triplicia præcepta, moralia, ſacramentalia, & fidei? Reſp. Neg.* Rationes ex hactenus dictis nullo negotio peti poſſunt.

VII. *Probl. An ſatis diſtinctè & accuratè dicatur, legis moralis in epitomâ in decalogi propoſitâ, fœdus gratiæ & Euangelium contineri? Reſp. Petrus Baro Stempanus* theologiæ in Academiâ Oxonienſi Profeſſor in tractatu de divinæ legis dignitate & præſtantiâ anno 1586. ipſo libri titulo hanc aſſertionem præſcribit: *Varii*, inquit, *de lege errores refelluntur, & quomodo lex gratuitum cum hominibus fœdus, ac Chriſtum etiam ipſum comprehendat, fidemque juſtificantem à nobis requirat, explicatur.* Idem antea in tract. de fide a. 1580. edito hos conceptus propoſuerat. Nos putamus abuſu terminorum tenebras veritati offundi; & Euangelium cum lege videri confundi: quæ ſatis *accuratè* à noſtris theologis, ſpeciatim etiam à commentatoribus *catecheticis ad quæſt.* 4. 9. 19. 91. 92. 93. diſtincta, & contra quoſdam communes adverſarios defenſa fuerunt. Pontificii, magna ex parte, & Sociniani in totum transformant Euangelium in legem: hæc ſententia ex adverſo legem in Euangelium transformare videtur. Quod ſi vox legis diſtinguatur, in latè & ſtrictè acceptam: & illâ fœdus gratię ac Chriſtus contineri dicatur; jam nihil novi & antea non dicti profertur; Sed ſi per legem intelligatur ea lex moralis, cujus epitomen exhibet decalogus; jam videndum eſt, quo jure fœdus gratuitum, & Chriſtus ea contineri & gratuitæ promiſſiones, juſtitiaque fidei eâdem deſcribi dicantur. Baro in primâ acie collocat, proloquium illud: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c. quibus verbis fœdus gratiæ annui, ipſi indubium eſt. Rectè. Sed verba illa continent motivum, non formale præceptum ſive affirmativum ſive negativum: uti etjam verba quinto precepto adjecta. Quæſtio hic eſt de decalogo, de decem verbis ſeu præceptis. Atqui illud: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c. non eſt unum ex decem verbis ſeu præceptis; conſequenter non eſt pars legis officium homini præſcribentis. Videantur diſtinctiones *Legis*, à politicis, Jureconſultis, ſcholaſticis, noſtris theologis hactenus allatæ; Scriptura paſſim (*1 Corinth. 6. 2 Cor. 5. & 7. 1 Joh. 1. & 3. Ezech. 20. Luc. 1. Rom. 12. 1 Petr. 2.*)

1 Petr. 1.) legis præcepta adhibitis motivis Euangelicis proponit, eorumque obſervationem urget ac ſuadet. Unde tamen imperite inferretur, legem moralem propriè dictam eſſe Euangelium; aut Euangelium eſſe partem illius legis; aut eâ contineri.

Secundum quod pro ſuâ aſſertione adducit, eſt, Quod primo decalogi præcepto fides præcipiatur: Ergo, &c. Reſpondeo conceſſo antecedente ſupra nobis probato; negatur conſequentia. Quamvis enim virtus ſeu actus fidei præcipiatur & contineatur primo decalogi præcepto; inde non ſequitur Euangelium, ſeu annuntiationem novi fœderis, ſeu promiſſiones Euangelicas eodem præcepto proponi, exponi, promulgari: aut per ſubſumtionem, particularis ſub univerſali, aut per analogiam, aut quacunque aliâ ratione inde colligi & intelligi poſſe; ut ſecundum rem ibidem fœdus gratiæ, Chriſtus, Euangelium ſive virtualiter & eminenter, ſive formaliter contineri dicendum ſit. Fides enim & Euangelium forma, definitione, ſpecie non tantum, ſed & genere differunt: haut aliter ac viſus, & corpus viſibile, corpus naturale & ſcientia phyſica, corpus humanum & ars medica, idem corpus quà effigiabile & ars εἰκαστικὴ, pictoria ſcil., Reliqua, quæ à *Barone* pro opinione iſtâ adducuntur, & plurima theologorum noſtrorum citata teſtimonia, non eſt operæ pretium ſpeciatim examinare: quòd elencho homonymiæ, & abuſu vocum laborent; uti hoc in pleriſque à curioſis atque ambitioſis κακοδόξων & παραδόξων affectatoribus perpetuâ fere experientia compertum eſt. Qualis autem fuerit *Baro*, & quali innovandi pruritu laboraverit ex ſcriptis ipſius modo indicatis, & ex articulis Lambethanis ab *Antonio Thyſio* cum aliis quibuſdam in 8. editis, ut & ex ſecundâ orthodoxorum in Hollandiâ Contra-Remonſtrantiâ anno 1617. colligi poterit.

VIII. *Probl. An accuratè & diſtinctè dici poſſit, fideles & juſtificatos eſſe ſub lege, & ſub fœdere operum ſeu legali: ratione ſcil. peccati inhabitantis, & peccatorum actualium, quæ contra legem committunt? Reſp. Neg.* 1. *Quia* Scriptura exſertè hoc negat. Rom. 6. v. 14. *Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratiâ*, Galat. 5. v. 18. *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Quamvis enim ſint ſub lege ratione convictionis de peccato, & ratione directionis in gratitudine per novam obedientiam, & ſanctitatem Deo præſtandâ: non tamen ſunt ſub lege, ratione imperandi juris ad vitam æternam ſub conditione perfectę legis obedientiæ, juxta formulam: *hoc fac & vives*: nec ſunt ſub lege, quod ad peccati poteſtatem, vi legis per ſe, damnantem, & quod ad poteſtatem vi legis (ſed per accidens) dominantem. 2. *Quia* vetus illud fœdus operum irritum eſt & abolitum quod ad fideles: non ſunt ergo ſub fœdere operum, & conſequenter non ſunt ſub

lege,

lege, quę fœderis illius instrumentum est, & quasi tabulæ. 3. *Quia* fideles sunt in statu gratię, sunt sub Euangelio, & sub novo fœdere gratiæ: ergo non sunt in statu naturæ & reatus; non sunt sub lege, & sub fœdere operum. 4. *Quia* fideles sunt liberati à lege; sunt justificati propter Christum, qui pro culpis ipsorum satisfecit, & omne jus legis pro illis implevit: consequenter lex ipsis est mortua, & ipsi legi sunt mortui. Non magis ergo sunt sub lege, quam mulier est sub lege mariti defuncti. *Rom.* 7. *v.* 1. 2. 3. 5. *Quia*, si fideles essent sub lege & sub fœdere legali seu operum: multa sequerentur absurda, quorum *primum* est, eos adhuc sub maledictione & damnatione, juxta formulam, *Maledictus, qui non manserit in omnibus*, &c. Deuter. 27. *v.* 27. Atqui hoc absurdum, *Rom.* 8. *v.* 1. & 33. *Galat.* 3. *v.* 13. & 4. *v.* 4. 5. *Secundum* est, fidelium statum esse medium, sive negationis sive participationis extremorum; salutis scil. & damnationis, reconciliationis cum Deo & non reconciliationis, regenerationis seu vitæ spiritualis, & irregenerationis, seu mortis in peccatis. *Tertium* est, Fideles esse amicos Dei, fratres & membra Christi, filios Dei, cohæredes Christi: & simul esse filios iræ, hostes Dei, filios & membra Diaboli, filios & hæredes gehennæ. *Quartum* est, fideles esse liberos, & stare in libertate (uti appellant) Christianâ, cujus pars est libertas à lege: & simul esse servos, sub spiritu servitutis constitutos ad timorem, & per omnem vitam prę metu mortis servituti subjectos. Quę omnia absurdissima sunt: Absurda ergo antithesis, ex quâ hæc absurdissima sequerentur.

Sed objicitur: 1. *Objectio*; Fideles ratione inhabitantis carnis, & peccatorum, in quæ incidunt in se & per se sunt sub lege ejusque maledictione, sub irâ Dei, sub fœdere legali; quamvis ratione Christi & propter Christum sint sub gratiâ Dei, sub fœdere gratiæ. Antecedens probatur, Quia peccata ipsorum sequitur aut concomitatur reatus; reatus vero est obligatio ad pœnam: ergo sunt sub irâ Dei, sub maledictione legis, &c. *Resp.* Distingue reatum in actu primo seu potentialem, à reatu in actu secundo, seu actuali. De illo concedimus: de isto negamus, ex Rom. 8. v. 1. *Non est condemnatio*, &c. v. 33. *Quis accusabit electos Dei*, &c. *Quis est qui condemnat.* &c. Omne peccatum fidelium aptum natum est (πέφυκε) fideles facere filios gehennæ, subjicere iræ Dei, sub legis maledictione constituere: sed ideo actu eos non facit filios gehennæ, non constituit sub maledictione legis. Sicut trabs muris imposita πέφυκε deorsum ferri: sed non fertur per interventum muri quo fulcitur & sustentatur.

2. *Objectio.* Deus irascitur fidelium peccatis, eaque justè judicat & peccantes justè punit. Ergo ex parte & alio respectu sunt sub lege & fœdere legali, sub irâ Dei, sub maledictione. *Resp.* Essent tales & in tali statu; nisi Christi satisfactio interveniisset, propter quam fidelibus actu non imputatur pecca-

peccatum; absque eâ alioquin imputandum. *Erat Deus mundum in Christo sibi reconcilians, non imputans ipsis peccata*, 2 Cor. 5.

3. *Objectio:* Sicuti Christus ab *Ambrosio* in *Luc.* 21. benedictus dicitur in suâ justitiâ & maledictus propter nos: sic etiam fideles dici possent maledicti in sese, hoc est, in statu damnationis esse propter peccata sua; & benedicti in Christo mediatore & sponsore suo; seu in statu gratiæ esse propter Christum. *Resp.* Longè dissimilis est ratio: Christus propter debita nostra nondum tunc exoluta erat actu καπέχ, & debitor; atque adeo sub judicio Dei: ideo etiam dicitur נגש *niggasch* exactus est *Jes.* 53. *v.* 7. fideles autem, quorum debita à Christo actu exsoluta, & ipsis in justificatione per fidem actu remissa sunt, non possunt esse aut dici in sese actu maledicti: & actu sub maledictione, propter peccata sua. Quia peccata, quæ non imputantur, & simul ac semel remissa sunt, habentur tanquam non commissa. Judicium enim Dei est secundum veritatem. Et implicat contradictionem, actu absolutum esse aliquem propter Christi satisfactionem ab obligatione ad maledictionem & pœnam; & nihilominus eundem actu obligatum esse ac manere ad pœnam, aut actu esse sub reatu ac maledictione. Quasi quis diceret eundem Titium captivum vinculis constrictum ac ligatum teneri in carcere sub potestate judicis & commentariensis constitutum: & simul, sed alio respectu, liberatum esse à vinculis, ex carcere dimissum esse & liberè ubique pro arbitrio ambulare. Per diversos respectus, qui finguntur, contradictoria haut minimè conciliari possunt: non magis, quam per ridiculam distinctionem Cardinalis Perroni conciliari poterant, istæ propositiones, Animæ sanctorum quorundam actu quiescunt in pace, & actu purgatorii cruciatibus torquentur. Quiescunt scil. & dormiunt in somno pacis ratione vel respectu ecclesiæ: eædem nihilominus purgatorii cruciatibus torquentur, ratione seu respectu sui. Vide ridiculam hanc distinctionem explosam à celeberrimo Papatus antagonista *P. Molinæo in Novitate Papismi.*

4. *Objectio:* Deus irascitur peccatis fidelium, eaque detestatur: ergo sunt sub irâ Dei & maledictione, quando & quotiescunque peccant; sunt sub lege, sub fœdere operum, *hoc fac & vives*, Levitic. 18. *Maledictus qui non manserit*, &c. Deuter. 27. *Resp. Neg.* Consequentia majoris, per distinctionem iræ & iræ, justitiæ & justitiæ. Ira ejus & justitia puniens fideles, est abyssus misericordiæ, est maximè salutaris: est intima & paterna dilectio, est φιλάνθρωπία parcens ac præservans, ne cum mundo pereamus 1 *Cor.* 11. *v.* 32. *Heb.* 12. De quo in Elencticis nostrorum de satisfactionibus humanis; & in practicis, tit. de cruce & afflictionibus piorum, de scholâ tentationum, de militiâ spirituali, de consolationibus.

IX. *Probl. Quomodo legi dicitur ἀδύνατον quid, cum extra aut citra ſtatum peccati non ſit illi δυνατόν? Reſp.* Legi impoſſibilis eſt impletio juris, & ſatisfactio juſtitiæ divinæ; per ſe ſcil. conſideratæ: quandoquidem ſoli gratiæ divinæ poſſibile eſt facere & operari in homine, ut faciat & legem impleat. Sed legi tanquam inſtrumento, συναιτίῳ, & medio externo fœderis operum, tribui poteſt aptitudo & poſſibilitas, pro ſuâ parte impetrandi & merendi ſalutem æternam: ſicuti pennæ bene aptatæ, pro ſuâ parte & in ſuo genere, aptitudo & poſſibilitas ſeu potentia cauſæ tribuitur, in ordine ad ſcriptionem. Impoſſibilitas vero legi tribuitur non per ſe; ſed per accidens corruptionis noſtræ; per quam lex in ſe bona, ſancta, potens, apta (pro ſuâ parte), quam ſi quis impleret, per eam viveret, impœnitenti & infideli convertitur in abſinthium, venenum, mortem, damnationis augmentum. Manet ergo lex divina ſemper cauſa ſeu concauſa, & aptum atque idoneum inſtrumentum ad juſtitiam & ſalutem; nec hoc ab illâ tolli poteſt: eſt enim *Lex ſancta*, &c. *Rom. 7. v. 12.* haut aliter ac calamus, aut malleus bene aptatus: ſed actu non eſt cauſa aut potius concauſa ſeu inſtrumentum Titio aut τῇ Δείνᾳ, ad juſtitiam & ſalutem. Quæris, unde? Reſpondet Apoſtolus, *quia infirmatur per carnem* Rom. 8. v. 3. *Et inventum eſt illud præceptum quod ad vitam, mihi ad mortem. Nam peccatum occaſione per illud præceptum ſumtâ, effecit in me totam cupiditatem*, v. 10. 11. *Ergo quod bonum, mihi factum eſt mors? Abſit: immo peccatum*, &c. v. 13. *ſcimus enim legem eſſe ſpiritualem: at ego carnalis ſum.* v. 14.

X. *Probl. An ſub N. T. aliquis; & qualis uſus ſit legis ceremonialis, & forenſis Moſaicæ? Reſp. Aff. pr.* Explicatur poſterius 1. *part. Polit. Eccleſ. lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 2. *pag.* 344. Confer *Danei lib.* 5. *Politica Chriſtianæ cap.* 2. *pag.* 412.

XI. *Probl. Quomodo legi tribuitur productio & augmentum peccati Rom. 7. Reſp.* Non per ſe, ſed per accidens inhabitantis peccati & corruptionis: ita ut ratione legis ſit effectum per accidens, & lex ſit cauſa per accidens; quippe antecedens & paſſiva occaſio. Abuſus vero legis & peccatum inhabitans ſit cauſa per ſe iſtorum peccatorum actualium. Quod ſequentibus concluſionibus diſtinctè declaramus. Sit ergo.

1. *Concl.* Lex non eſt peccatum, nec per ſe cauſa peccati, nec per ſe mala, noxia, mortifera *v.* 13. *quia* eſt ſancta juſta, bona *v.* 12. 16. *quia* per illam cognoſcimus peccatum *v.* 7. *quia* eſt ad vitam *v.* 10.

2. *Concl.* Corruptio noſtra ſeu peccatum inhabitans eſt cauſa peccatorum actualium & mortis. *v.* 5. 8. 11. 13. 17. 18. 20.

3. *Concl.* Peccatum inhabitans *per Legem* dicitur augere & producere peccatum *v.* 5. 13. & peccatum per eam reviviſcere *v.* 9. & lex eſſe ſeu cedere ad mortem *v.* 10. Non quod lex per ſe ſit cauſa, medium, con-

concausa, instrumentum, causa procatarctica impellunt, irritant aut occasio activa: sed quod lex in se & per se apta sit tanquam objectum, & medium, & impulsivum, concurrere ad productionem bonorum operum. Per accidens vero corruptionis nostræ & peccati, abusus legis, quæ in se & per se bona est, incitat ad peccatum; ita ut lex cognita aut proposita tantum sit occasio passiva & antecedens, ad quam (non ex quâ) interventu carnis & peccati inhabitantis sequitur peccatum. v. 11. *Nam peccatum occasione per illud præceptum sumtâ seduxit me, & per illud occidit*, & v. 8. *Sed peccatum occasione per illud præceptum sumtâ effecit in me totam cupiditatem.* Non vero sit causa per se sive principalis sive minus principalis v. 7. *Quid ergo dicimus? lex peccatum est? absit.* v. 13. *Ergo quod bonum est mihi factum est mors? Absit: immo peccatum, ut manifestum fiat, quod peccatum mihi per id, quod bonum est, efficiat mortem.*

4. *Concl.* Per legem tanquam impulsivam per accidens seu occasionem passivam inhabitans nostra corruptio auget peccatum tum extensivè, tum intensivè. *Extensivè*, quia adveniente lege plura peccata actualia producit. v. 8. *Intensivè*, tripliciter dici potest augeri peccatum per ad venientem legem; 1. *Primo*; quod ad revivisentem; & abundantiorem ac vehementiorem ejusdem sensum, quem lex in nobis excitat, per detectionem peccati in conscientiis nostris. Rom. 5. v. 20. *Lex vero præterea introiit, ut amplificaretur illa.* Et huc referri potest, Rom. 7. v. 9. *Nam absque lege peccatum mortuum: ego vero vivus eram absque lege quondam: præcepti autem illius adventu peccatum revixit, ego vero mortuus sum.* 2. *Secundo*, quod ad reatum & pœnalitatem, quatenus adveniente lege & tantâ convictione, gravius redditur debitum. *Luc.* 12. *v.* 47. 48. quæ novit voluntatem domini sui, &c. cædetur multis, &c. Huc applica analogicè Joh. 15. v. 24. 3. *Tertio*, quod ad ipsam vitiositatem; ita ut peccatum sit consummatius, & *fiat admodum peccans per illud præceptum.* v. 13. *effecit in me totam cupiditatem* v. 8.

5. *Concl.* Lex proposita & percepta ab homine corrupto duplici respectu excitat, producit & auget peccatum, quod ad vitiositatem; quatenus scil. notificat, & quatenus obligat ad sui observationem; atque adeo pro parte suâ coërcet ac reprimit peccatum, eique obsistit: hæc enim duo sunt officia legis. *Priori respectu* lex cognita cognitum nobis facit peccatum, aliquod, quod lege prohibetur; antea nobis ignotum; & sic per accidens nostræ corruptionis facit nos cupere illud peccatum, atque in illud ferri. Ignoti enim nulla cupido. Sicuti lux solis, aut candelæ accensæ detegens homini formosam mulierem, illi est ἀφορμὴ occasio eam inordinatè aspiciendi & concupiscendi: juxta illud vulgatum, *Ex aspectu nascitur amor*;

&, *Mars videt hanc visamque cupit, potiturque cupitâ.* Et sicuti detegens atque ostendens quis homini corrupto thesauros & cimelia sua, occasio est invidiæ, aut pravæ concupiscentiæ. Et sicuti exempla eximiæ virtutis in aliquâ muliere ab aliquo conspecta, & inde enatus in illo amor illius mulieris, (hoc est appetitus desiderii, complacentiæ, & benevolentiæ) per accidens corruptionis ducit ad amorem carnalem ejusdem mulieris, aut saltem inordinatos motus primò primos excitat; & facit purum honestum ac spiritualem amorem degenerare in carnalem & impurum. Huc facit vulgatum nostratium Proverbium: Hoe Geleerder hoe Verkeerder / id est, *quo quis doctior eo magis perversus.* Docet experientia, & sacra scriptura quædam peccata non intimè cognoscendo, aut funditus scrutando, aut turpitudinem ad vivum resecando, vivis coloribus depingendo: nec multum cogitando, & directè intuendo eique directè occurrendo ac resistendo, tutissimè evitari, aut superari posse: sed fugiendo, & mentem ac cogitationes ab iis avertendo, ac per diversionem (uti in bello dici solet) hostem illum oppugnando ac vincendo. Talia sunt e.gr. horrendæ cogitationes & tentationes atheisticæ, aut blasphemæ; & impuræ cogitationes ac tentationes contra septimum decalogi præceptum. De prioribus monemus in *exercitiis pietatis cap.* 19. ubi *pag.* 484. Idem ante me præstiterat ex nostris eruditiss. practicus *Joh. Downamus in Militiâ Christianâ part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 22. *& lib.* 3. *cap.* 11.

De posterioribus etiam monui in *Exercit. pietatis cap.* 5. ubi de praxi resipiscentiæ *pag.* 192. & *seqq.* Quæ hic non repeto, quamvis peculiaris & necessariæ sint observationis, ad prudentiam justorum: ne ex operosâ, plenâ atque accuratâ peccatorum istorum, cum omnibus circumstantiis, occasionibus, consequentibus consideratione, intuitu, descriptione, & quasi ante oculos picturâ, aut ipsi, aut alii audientes ac legentes in pravas imaginationes, puncturas, vellicationes incidant. Ratio est, quia peccata illa magis sunt ἐνυπόστατα, quam alia, ut homicidium, furtum, &c. Hæc enim extra corpus, sed illa in proprio corpore peraguntur. 1 *Cor.* 6. *v.* 18. Unde etiam nominanda non sunt, nisi cautè & ex necessitate. *Ephes.* 5. *v.* 3. 4. & 12.: sæpe enim peccata, & artes peccatorum, cum dicuntur, docentur. Uti ab omni sensuali imaginatione nos aliosque abducere aut retrahere debemus, & in abstractis ac generalibus mentis conceptibus tanquam rerum istarum (cum necessario de iis cogitandum est) signis materialibus, subsistere: sic etiam ab omnibus phrasibus (cum necessario de iis dicendum est) obscœnis, aut significantibus & actus turpes exprimentibus, tanquam repræsentamina & signa (sita loqui liceat) formalia. Vide quo stylo usus sit Apostolus Romanis & Corinthiis necessariò de non nominandâ alioquin turpitudine,

ne, locutus *Rom.* 1. & 1 *Cor.* 6. Non ſine ratione ergo, prudentes concionatores, aliter ac Pontificii Caſuiſtæ anatomiam iſtarum turpitudinum quaſi in theatro inſtituentes, generalibus vocabulis *turpitudinis*, aut *ſordium*, aut *abominationis*, peccata aliqua non ita hic nota perſtringunt; aut, ſi textus ſcripturæ ſpeciale aliquod indigitet & neceſſitas cogat illud ſilentio non præterire, non niſi paucis & conceptis vocibus, ſed quantum fieri poteſt, maximè generalibus, & ab omni turpitudinis, obſcœnitatis, levitatis ſpecie abſtractis.

Poſterioris reſpectu lex excitat & auget peccatum: quia & quatenus opponitur & repugnat peccato, illud prohibendo & ad ejuſdem omiſſionem homines obligando, inhærentem corruptionem ejuſque eruptiones forinſecus coërcendo, conſtringendo, inhibendo. Tunc enim peccatum à lege, capitali hoſte ſuo, obſeſſum, cohibitum, preſſum, in ſe exaſperatur, irritatur, & acrius erumpit, nequidquam obtenditur umbra: haut aliter ac in moralibus dici ſolet, *virtutem adverſario creſcere*: & in naturalibus apud phyſicos in meteorologiâ, calorem aut frigus cum à contrario ſuo undique obſidentur, per ἀντιπερίστασιν in ſe intendi, augeri, & corroborari: & elephantiaſin aut cancrum applicatione medicamentorum, promoveri atque augeri: & optimum cibum ac ſalutaria medicamenta, per accidens mali ſtomachi aut morbi pertinacis ac maligni, cedere in morbi alimentum atque incrementum; quomodo διαῤῥοῦσι *Marc.* 5. *v.* 26. multum medicando pejus habuiſſe dicitur. Quò facit illud Poëtæ,

Curando fieri quædam pejora videmus
Vulnera

Denique ut in animalibus equus ferox & refractarius, quo magis fræno retrahitur, eo magis contra nititur, & violenter ſe movet. *Auguſtinus de ſpiritu & literâ cap.* 4. „ Sicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet „ influere, vehementior fit obice oppoſito, cujus molem cum evicerit, ma„ jore cumulo præcipitatus, violentius per prona provolvitur. *Chryſologus ſerm.* 112 & 115. duo habet ſimilia: ſicuti lux excellens hebetat viſum, & cœcitatem quaſi inducit, & ſicuti ſpinæ ſecuri decurtatæ magis excreſcunt. Adhiberi etiam poteſt comparatio Chriſti & Euangelii prædicati: Ille dicitur ruina multorum *Luc.* 2. iſtud, odor mortis ad mortem 2 *Cor.* 4.

Eſſe autem legem hoc poſteriori reſpectu jam explicato occaſionem excitationis & augmenti peccatorum, præter ſcripturam *Rom.* 7. docet experientia & ratio: cujus dictatum exhibet illud Poëtæ:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata;

Et vulgatum Belgarum proverbium, *Quidquid infantibus aut pueris prohibes, hoc iis mandas.* Sic legibus & interdictis magiſtratuum aut dehortatio-

nibus & consiliis parentum, tutorum, præceptorum, concionatorum, dormiens aut repressa & coërcita concupiscentia hujus aut illius peccati sæpe excitata reviviscet, & acrior erumpit: haut aliter ac ignis coërcitus; & ut

Strangulat inclusus dolor, ac magis æstuat intus.

Homines nonnunquam impudenter profitentur, se jam hoc vel illud dilectum peccatum facturos; quia monitores, præsertim concionatores illud perstringunt, & quo magis ac vehementius prohibent, eo magis elatâ manu, se illud perpetraturos. Nec desunt qui odio & amolitione servitutis & jugi ecclesiastici (uti prætexunt,) & ad ostendendam ac defendendam libertatem suam Christianam, aliqua apertè nunc faciunt, quæ antea vix aut saltem apertè facere non solent. *Dirumpamus vincula eorum*, &c. Psal. 2. v. 3. *In verbo quod locutus os ad nos in voce domini, non paremus tibi. Sed faciendo faciemus omne verbum, quod egressum est de ore nostro*, &c. Jerem. 44. v. 16. 17. *Impio autem dixit Deus, quid tibi ut enarres instituta mea & assumas pactum meum in ore tuo. Tu vero odisti disciplinam, projecisti verba mea post te.* Psalm. 50. v. 16. 17. Hæc mysteria perversi cordis, & propriæ deceptionis *Jerem. 17. v.* .

DE FORO POLI ET SOLI.

Resp. JOHANNE CLAPMUTS Amstelod. *16. Septemb. 1665.*

§. 1. IN responsis ad quæstiones ac casus, de licito & illicito, honesto & turpi, justo & injusto, legitimo & illegitimo accuratè semper distinguendum est inter *immutabilem legem divinam* ac *naturalem*, & inter leges ac consuetudines humanas; inter *jus divinum*, & *humanum*; inter *forum poli*, & *soli*. Hæc enim ubi confunduntur, pessimè conscientiis consulitur: dum peccatum ipsis fit non-peccatum; & vicissim pro vitio virtus crimina sæpe tulit. Quod experientia docuit in Casuistis Pontificiis, qui proposito aliquo casu conscientię quærunt an aliquid sit licitum, in foro scil. conscientiæ: & pro affirmante rationem mutuant militantem pro licito in foro soli.

Illustre exemplum datur quando à theologis, Casuistis, Canonistis quæritur, *An meretricibus licitum sit pro turpi actu mercedem accipere, retinere, & in usus suos convertere, absque ullâ restitutione.* Ubi transeundo in aliud genus, hoc est, à foro conscientiæ & poli, ad forum soli, affirmantem statuunt, hâc ratione: Quod meretricium ipsis jure sit permissum: Jus autem intelligunt humanum; ex. gr. Romano-Papale, fundatum in permis-

sione

sione & lege permittente Pontificis ; qui Romæ intra muros lupanarium apertionem, & meretricum pragmatiam concedit. Vide inter Casuistas Navarrum in Manuali cap. 17. §. 3. 34. & seqq. operosè de hoc disquirentem, & plurimos autores citantem. Ubi inter alia afferit: *Acceptum à meretrice non esse necessario restituendum, etiam in foro conscientiæ.* In quâ conclusione, ait ibid. omnes tam theologos, & Canonistas ac Legistas convenire. Inter Canonistas Zypæus Officialis Episcopi Antverpiani lib. 4. Juris Pontificii novi pag. 304. dicit, *doctrinam esse communiorem ob operam meretriciam licere accipere, nec restituendam esse mercedem*; citatque ibidem *Ulpianum in Lib. 4. D. de condict. turp. causa.* Cajetanus in 22. qu. 32. art. 7. altius & subtilius distinguendo hanc rem accersit: *Quando*, inquit, *res data vel emta est materia non repugnans acceptioni vel venditioni, actus secundum se est licitus. Et hæc est differentia inter emere & vendere in simoniâ & meretricio.* „ Nam in meretricio res vendita est usus venereus, &c. qui etsi secundum „ se sit malus, non tamen constituit venditionem malam, & hoc quia est „ materia vendibilis. In Simoniâ autem res vendita est res sacra, quæ est in„ vendibilis, & propterea constituit venditionem injustam. *Et paulò post:* „ signum autem hujus differentiæ est, quod dare mulieri pro usu, &c. ante„ quam fiat malum, est pro quanto imperatum, sed actus à luxuria. Post fa„ ctum autem non est malum, sed actus justitiæ nullo vitio imperatus. Quid si quæram, an liceat assassinis, proditoribus, incendiariis in foro conscientiæ, pro venditâ suâ operâ mercedem accipere, eamque justè retinere, absque ullâ restitutione: quod opera illa non sit res sacra, sed vendibilis. Itidem quæro, an marito liceat pro venditâ uxore suâ pretium accipere, illudque retinere: ex eo, quod uxor non sit res sacra (quæ invendibilis); sed res vendibilis. Quomodo lenonia & minime emenda hæc Cajetani Theologia de vendibili usu corporis ad abominandas turpitudines, conveniat cum Apostolo 1 *Cor.* 3. *v.* 16. 17. & 6. *v.* 18. 19. & 7. *v.* 4. 1 *Thessal.* 4. *v.* 3. 4. 5. piis omnibus considerandum relinquo.

Exemplum in opposito est, *matrimonium conscientiæ* (ita dictum) quod vulgari linguâ appellari solet *mariage de conscience*: in foro poli & coram Deo licitum, quippe conjugium: sed in foro soli illicitum, quippe jure illius nullum conjugium. Videntur fornicantes populari huic errori & excogitato commento implicati, talia occulta dedecoris didicisse à Didone Virgilianâ:

Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Sic omnis fornicatio extra matrimonium & extra sponsalia posset excusari quod scil. fieret illa conjunctio quasi cum uxore, quamvis non sit. Quamplurima exempla suppeditabunt infiniti fere libri Casuistici, qui mixtione

du-

duplicis fori & juris, aut substitutione unius pro alio, non raro ex peccatis faciunt non peccata. Quibus non dissimiles sunt novi quidam veritatis fidei, & genuinæ pietatis corruptores: qui Papæ-Cæsariatum Cæsareo-Papatu mutantes (χαλκεῖα χαλκείοις, aut potius σιδηρίοις), confusione utriusque fori, aut fori poli sive ἀφανισμῷ sive ἐξαφανισμῷ, monstrosis quibusdam axiomatis conscientias instruunt.

En tibi unum atque alterum specimen. Thomas Hobbes Cæsareo-Papatus ædificator τερατολόγος inter varia absurda & scandalosa in libro de cive, & in Anglico scripto (cui tit. *Leviathan*), libertinicum hoc eructat: *Nos non teneri Christi leges civilibus repugnantes recipere. Quod si jussi Christi negassent, non ipsi negassent, sed jubentes.* Hanc ipsius sententiam ex *pag.* 286. & 271. excerptam Henricus Wilkinsonus Theologus Oxoniensis in concione de scientiâ Christi ad *Philipp.* 3. *v.* 8. apud Academicos Oxonienses habita anno 1657. & cum aliis opusculis anno 1658. editâ pag. 188. hoc atro carbone notat, quod *integumento specie tenus obsequii quinto præcepto exhibendi, unico ictu reliqua novem amputare satagat.* Ibid. *librum turgescere* dicit *erroribus numerum pœne infinitum excedentibus.* Ibid. indicat virum illum inauditâ intumescentem φιλαυτίᾳ, & seipsum in immensum efferentem, esse à duobus professoribus Oxonienſibus Wallisio & Wardo satis egregiè refutatum. Nos eundem contra ministerium ejusque autoritatem *c.* 18. *de cive* & in *Leviathan* infeliciter theologizantem notavimus in 2. *part. Polit. Eccles. lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. de ministerii ecclesiastici necessitate, &c. Et hic ille est, quem tanquam novum naturæ miraculum, & pansophiæ helluonem aliqui evehere conati sunt. Similia portenta occurrunt in *Anonymi politic.* discursuum libris sex nostrate linguâ anno 1662. Leidæ apud Petrum Hackium excusis. Verba nunc non excerpam: contentus indicasse *pag.* 296. 297. Neminem debere proximum suum in negotio religionis errantem melius instituere, ubi illud sub sanctione pœnæ à Magistratu prohibitum est. *Ibid.* conservationem sui ipsius hic esse normam agendi aut non agendi. *pag.* 338. cum *pag.* 296. 301. Concionatoribus non competere judicium de morali bono aut malo, deque eo quod in conscientiâ licitum aut illicitum sit, nisi particularem revelationem divinam de eo habuerint. Sed soli Principi aut Magistratui competere publicum judicium, de eo quod bonum aut malum est; & argumentationem de obedientiâ ipsis debitâ, quotiescunque aliquid mandant, debere præferri. *pag.* 316. Ecclesiasticos subito (belgicè **schielijck**) à Magistratu suo debere opprimi (belgicè **overvallen worden**): an inauditos opprimi & perdi velit, more Imperatorum Turcicorum, Japonicorum, Mogulicorum, Persicorum, &c. aliquando explicare poterit: atque unà, an & quomodo hoc conveniat

niat cum libertate Reipublicæ noſtræ anno 1581. conſtitutâ, & uſque ad pacem cum Rege Hiſpaniarum initam anno 1648. armis & ſcriptis publicis defensâ. *pag.* 330. defendit mendacia, deceptiones, fraudes. *pag.* 338. 339. 342. diſſertationi de naturali cujuſque jure, deque libertate, adiaphoro, ſcandalo, de ſtatu cujuſque naturali & civili, varia paradoxa aut periculosè dicta inſpargit. *pag.* 72.-75. poſſe quem per aliorum pernitiem propriam conſervationem quærere: magiſtratus præſertim debere communiter imitari factum Dei, qui per mortem filii ſui nos liberavit. 332. 338. 339. Tales tranſcendentales Caſuiſtæ, ſoli ſcil. conſcientiæ caſus ex jure civili, aut municipali, aut arbitrariis Magiſtratus decretis, aut ex Republicâ Platonis, aut ex proprii cerebri malè concretis phantaſmatis (juxta nova principia, *Quod* ſpiritus meus mihi ſuggerit, hoc verum eſt; quod *clarè & diſtinctè percipio, hoc verum eſt*) poſthac determinabunt; theologis quippe & ſynodis faceſſere juſſis: Quippe qui (anonymo illo diſcurſuum autore dictante p. 338.) non poſſunt aut debent docere, *quid moraliter bonum aut malum* ſit, *quidque per conſcientiam factu licitum aut illicitum ſit: niſi peculiarem de eo habuerint revelationem divinam.* In *Aſceticâ* noſtrâ *cap.* 24. *pag.* 670. tertium quem ejuſmodi Libertinicum Caſuiſtam notavimus. Si hęc hominum iſtorum licentia favorem ultra invenerit, improbitatem & inſaniam ſuam magis magiſque detegent. Sed nos his miſſis explicationem & diſtinctionem utriuſque fori aggrediamur. Erunt forte, qui novis illis nodis novos cuneos, & novis inſaniis novas hellebori infuſiones, aut ſpagyricè extractos hellebori ſpiritus aptaturi ſunt. Et audio virum doctum in Belgio contra *Hobbes* tale opus jam paratum habere.

Forum metonymicè notat *judicium.* Quod eſt vel *internum* propriæ con- §. 2.
ſcientiæ de propriis factis: vel *externum* de actionibus aliorum. De *interno* agunt ſcriptores de conſcientiâ: quales ex noſtris *Perkinſus lib.* 1. *de conſcientiâ*, *Ameſius lib.* 1. *Balduinus lib.* 2. Ex Pontificiis, inter recentiores inſtar omnium ſit *Martinus Breſſerus Jeſuita*, qui ſex libris materiam de naturâ & affectionibus conſcientiæ complexus eſt. *Externum* judicium de actionibus aliorum poteſt eſſe ſuper tribus quæſtionibus. 1. ſuper quæſtione ſtatus inficialis, an fecerit. 2. *Super* quæſtione finitudinis ſeu qualitatis, quale ſcil. illud ſit, quod quis fecit aut faceret: idque tum in genere, an ſit moraliter bonum vel malum, honeſtum vel turpe, licitum vel illicitum; *tum* in ſpecie, an ſit formaliter & ſpecifice bonum opus ſeu virtus eleemoſynæ, aut juſtitiæ diſtributivæ, aut commutativæ, aut temperantiæ, &c. an formaliter ſit ſimonia, ſacrilegium, mendacium, rebellio, perjurium, ſuperſtitio, idololatria, &c. 3. *Super* quæſtione quantitatis; quantum ſcil. ſit commiſſum peccatum. *Qualitatem* & *quantitatem* videtur ille determinaſſe,

minasse, qui sub finem anni 1665. Academicę disputationi inserebat hanc assertionem, quod *Prognostica Cometarum* statuere (prout ego in Exercitatione meâ eodem anno editâ statueram), *sit superstitio & peccatum inexcusabile.*

Externum hoc judicium de actionibus aliorum, & quidem primariò quod ad quæstionem & statum finitudinis seu qualitatis in genere & in specie; secundario quod ad statum & quæstionem *quantitatis*; Vulgò distinguitur in *judicium* seu *forum poli* & *soli*. Quod alii vocant *forum cœli*, seu *interius* seu *conscientiæ*, seu *animæ*, seu *divinum*; & *forum exterius* seu *humanum.*

Forum seu *judicium poli* est illud, *quod de actionum & dispositionum humanarum morali bonitate aut malitiâ fertur ac ferri debet ex solius divini Juris applicatione ad hominum facta aut dispositiones.* In quo *foro* spectanda sunt *causæ, lex, judicium. Causæ* in hoc foro spectandæ & definiendæ, sunt omnes actus humani; nullo excepto. *Lex* est conscientia divinâ lege informata. *Judex*, qui jus dicit, est Deus: cujus hoc forum est.

Forum seu *judicium* soli est illud, *quod de actionum & dispositionum humanarum licito aut illicito, iusto & injusto, legitimo aut illegitimo, fertur per humani juris & legis sive jubentis*, & *approbantis*, sive *permittentis*, aut *per dispensationis specialis, aut saltem conniventiæ superiorum, aut per receptæ & præjudicatæ doctrinæ falsæ applicationem ad hominum facta.*

Forum hoc phrasi Apostolicâ 1 *Cor.* 4. *v.* 3. vocari posset *dies humanus:* ubi omnia judicia humana, privata & publica intelligi debent.

Forum soli seu judicium humanum publicum, est vel *ecclesiasticum*, vel *politicum.*

Ecclesiasticum forum vulgò sic dictum (sed impropriè aut analogicè: quia ecclesia non habet jurisdictionem cum Imperio), respectu Dei & juris divini verbo Dei descripti non tam judicium, quam indicium est. Quomodo autem potestas & regimen Ecclesiæ à potestate & regimine sæculari differat *lib.* 1. *Politic. Ecclesiasticæ tract.* 2. explicuimus.

Politicum forum quid & quale sit à Iurisconsultis discendum est, & hic à nobis præsupponitur. Discrimen solummodo inter *forum poli*, & inter *forum soli* in genere sive ecclesiasticum sive politicum; & rursum discrimen in specie, inter forum soli ecclesiasticum, & inter forum soli politicum, hic, observandum.

1. *In foro poli* seu conscientiæ nihil attenditur, nisi jus divinum tabulis veteris & novi Testamenti consignatum. Cui addimus jus naturale, ex lumine naturalis syntereseos, & rectæ rationis rite deductum, scripturę nullibi repugnans. *In foro soli* etiam attenduntur leges humanæ, & speciales secundum

cundum circumstantias ac status rerum, personarum, locorum, temporum determinationes.

2. *In foro poli* etiam inhærentes dispositiones, motus primo primi, & minimæ cogitationes, etiam bona opera quatenus imperfecta (siquidem ab aliquo nobis indicentur); breviter omnes actus humani, secundum legem & jus Dei judicantur moraliter boni aut mali; aut imperfecti: In foro soli, illa aut omnino non, aut non ita attenduntur; saltem non ita, ut quis propterea constituatur reus; in foro ecclesiastico censurâ notandus, aut in foro politico pœnâ afficiendus.

3. *Forum poli seu conscientiæ*, non debet conformari *foro soli seu externo*: sed contra externum debet se conformare *interno seu poli*. Ne judicium Dei subjicatur judicio hominum.

Discrimen inter forum soli ecclesiasticum, & inter *forum soli* politicum est 1. *Quod* illic secundum Dei verbum, & communem ac receptam doctrinæ formulam, nec non canones ecclesiasticos judicetur: hic vero secundum corpus juris civilis Romani judicetur in omnibus; exceptis iis, quæ per regnorum & politiarum peculiaria statuta, aut per jura municipalia determinata sunt.

2. *Quod* omnia consilia, dicta, facta, (quatenus aut scandala sunt, aut occasio mali, aut species mali) illic judicentur; si modo ad notitiam Ecclesiæ perveniant, aut pervenire possint: istic vero non judicentur, nisi facta bono societatis politicæ repugnantia, & pacem publicam turbantia.

3. *Quod* illic omnia judicentur secundum potestatem inferiorem & ministrantem: istic vero secundum potestatem imperantem & coactivam.

Conferamus nunc doctrinam Pontificiorum. Distinguunt illi forum seu judicium externum de factis aliorum, in forum interius, *seu conscientiæ*, & in forum externum, seu *contentiosum*. Interius etiam appellant *forum pœnitentiale*; cui præfectos dicunt omnes sacerdotes sive minores sive majores, jurisdictione spirituali divinitus per collationem ordinis sacerdotalis, seu per ordinationem episcopalem instructos: juxta textus Math. 16. *Tibi dabo claves*, &c. & Joh. 20. v. 20. *quorum remiseritis peccata*, &c. Quibus addere solent, dictum Christi Math. 8. v. 4. *Vade & ostende te sacerdoti. Corn. à* „ *Lapide in comment. ad locum cit.* Mundatio lepræ symbolum est sacramenti „ pœnitentiæ & confessionis sacramentalis, quâ peccata expiantur; cujus „ proinde vim & efficaciam ex lepræ typo contra hæreticos probant *S. Hie-* „ *ronymus in cap. 16. Mathei*, &c. & *S. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio*, ubi „ docet officium sacerdotum Christianorum longè efficacius & præstantius §. 3

„ esse Aaronicorum, eo quod hisce lepram non curare, sed curatam duntaxat „ ostendere : illis vero peccata non curata ostendere, sed verè curare & con- „ donare concessum sit.

Addit ibid. Christum ideo in passione leprosi formam assumsisse, *Jesa.* 53. *v.*4. ut lepram animæ nostræ in se susciperet & curaret. Et hac de causâ in formâ leprosi apparuisse Martyrio monacho, & S. Ludovico Tolosatum episcopo, qui fuit nepos S. Ludovici Regis Franciæ. Hinc etiam libri quidam Casuistici inde titulum gerunt. *Hier. Savanorolæ Eruditorium confessariorum*; *Joh. Nider*, *de leprâ spirituali*; *Godeschalci Roosemond*, *de ratione confitendi*; Anonymi, *methodus confessionis*, Antwerpiæ apud Steelsium anno 1550. in 16.; *Josephi Augustini Jesuitæ*, *brevis notitia eorum*, *quæ scitu vel necessaria*, *vel valde utilia sunt confessariis*; *Martini Funes*, *speculum morale & practicum pro confessariis & pœnitentibus exstructum* : Emanuelis Sa *aphorismi confessariorum* : *Fr. Toleti*, *instructio sacerdotum*; *Martini Navarri Manuale confessariorum & pœnitentium*; *Valerii Reginaldi Jesuitæ vastum volumen tit. Praxis fori Pœnitentialis*, *ad directionem confessarii*. *Andreæ Hispani* Romanæ Ecclesiæ pœnitentiarii & Episcopi Civitatensis, *Speculum confitentium*. Prætereo nunc libellos confessionales vulgaribus linguis (Italicâ, Lusitanicâ Germanicâ) editos. Præiverat ejusmodi inquisitoribus & confessionalibus *Burchardus Episcopus Wormacienſis* 20. libris decretorum ubi à lib. 17. usque 20. inclusè, pœnitentiale forum instruit.

Forum hoc *interius* seu *pœnitentiale*, secundum doctrinam & praxin Papatus, distingui potest in *simplex* seu *absolutum*; & in *qualificatum*, seu cum gradu eminentię. *Simplex* forum est, quorumvis sacerdotum, qui instructi sunt potestate ordinis, & jurisdictionis, quam habent in pœnitentes, tanquam reos sibi subditos, sui fori & non alieni. Et sic distinguuntur confessores in ordinarios, seu proprios, & extraordinarios. *Ordinarii* & ex officio *proprii* sunt, Papa, episcopi, parochi, prælati. *Extraordinarii* sunt, qui ex delegatione, commissione seu concessione superiorum ad id admittuntur. Extraordinarii rursum distinguuntur in *sæculares* sacerdotes per delegationem superiorum, ad confessiones admissos. 2. In sacerdotes *religiosos* mendicantes, aliosque regulares, ex privilegio admissos. 3. In *electos*, qui ex sacerdotibus, virtute alicujus jubilęi seu indulgentiæ, à confitentibus ad confessionem suam audiendam liberè eliguntur. *Qualificatum* forum interius, est Papale, episcopale, abbatiale. Hinc apud Canonistas eximuntur simplicis fori sacerdotalis judicio, casus *reservati* (quos ita vocant); iique triplices, Papales, Episcopales, Abbatiales. Quos peculiari libro enumeravit & explicuit Joh. Chapeaville Vicarius Leodiensis anno 1614. qui in frontispicio scribit, *tractatum* illum *de casibus reservatis*

tis apprimè utilem & necessarium esse omnibus pœnitentiariis & confessariis, non solum diœcesis Leodiensis; sed & Colonienſis &c. Ultraiectenſis, &c.

Post illum de iisdem casibus tractatum edidit *Franciscus Coriolanus Capuchinus* anno 1623. Compendio autem gustum theologiæ & praxios Papisticæ, de casibus reservatis, deque jure fori interioris tum simplicis tum qualificati seu graduati (ita loquar), habebis in *Claudii Soleri tract. de Juridica potestate confessariorum*, Moguntinæ 1618.

Forum hoc interius, & potestatem juridicam confessariorum judicialiter, seu per modum justitiæ spiritualis sic exerceri dicit *Fr. Soleri*, ut clave regni cœlorum primo & principaliter aperiatur, secundo claudatur. *Aperit* sacerdos, cum pœnitentem bene dispositum absolvit à culpa auferendo peccata, quibus regnum cœlorum occludebatur; & gratiam Dei communicando; denique ut hæredi regnum cœlorum aperiendo. *Ligat* vero & claudit, cum pœnam æternam remittendo, eam commutat in pœnitentiam seu pœnam temporalem. Romana hæc mysteria exposita & disputata habentur in *Thoma part.* 3. *qu.* 84.-90. & *in supplemento qu.* 1.-17. etiam in *Petri de Ledesma tract. de septem sacramentis*, & in *Alphonsi Vivaldi candelabri aurei part.* 1. Ex nostris ea examinavit *Chemnitius in Exam. Concil. Tridentini.*

Forum externum seu *contentiosum*, juxta doctrinam & praxin Romanam, distingui debet in sæculare (de quo Jureconsulti), & in sacrum seu ecclesiasticum. *Posterius* est vel generale vel particulare. *Generale* est circa quamcumque materiam seu quæstionem contentiosam. Quod rursum est vel sęculare, vel regulare. *Illud* est vel Papale, vel Episcopale, vel Capitulare seu canonicale. Ad *Papale* seu Pontificale pertinent, tractatus de camera apostolica, & *Vestrii Barbiani tractat. de modo procedendi in curia Romona. Episcopale*, explicant tractatus *Zerolæ* & *Piasecii de praxi episcopali. Capitulare*, quatenus id in quibusdam ab episcopali separatur, per jurisdictionem peculiarem competentem archidiaconis explicant scriptores de Canonicis, alibi indicati. *Regulare Forum* habes, in *Roderici quæst. regularibus & canonicis tom.* 4. & in *Barthol. Mirandæ Manuali prælatorum regularium. Particulare* forum ecclesiasticam, est Inquisitorium, quod circa solas quæstiones de infidelitate, hæresi, apostasia, relapsu occupatur. De quo foro alibi & suo loco aliquid dicendum erit: specialiter etiam de inquisitione per Philippum II. tunc Belgarum principem in Belgium nostrum cœptâ introduci: teste *Nicol. Burgundo* religionis reformatæ & libertatis Belgicæ adversario infensissimo in suâ *historiâ.*

Accedimus nunc ad quæstionem principalem; cujus determinatio in casuum & dubiorum recta in *foro divino* (seu animæ, aut *poli*) explicatione, necessario præmittenda ac præsupponenda est. §. 4.

Quæritur ergo, *an idem sit forum seu judicium poli & soli: & an duo illa fora seu judicia reciprocentur, ac sint ἀντιστροφα, atque adæquata: ita ut, quod in uno licitum, justum, legitimum sit, etiam in altero sit; & vice versa.* Nos neg. moti argumentis tum generalibus, tum specialibus per singula decalogi præcepta.

Argumenta generalia sunt 1. *quia*, justitia personæ seu universalis quæ requiritur & judicatur talis esse *in foro soli*; alia est à justitiâ personæ, quæ requiritur & judicatur *in foro poli.* Ergo forum soli aliud est à *foro poli*: & jus ac justum in illo foro, aliud à jure & justo in isto. Philipp. 3. *Secundum justitiam, quæ est in lege, irreprehensibilis.* 1 Cor. 4. *v.* 4. *Nullius enim rei mihi conscius sum: sed non per hoc justificatus sum: Dominus autem is est, qui me dijudicat.* Rom. 4. v. 2. *Nam si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Vide *Calvinum lib.* 3. *Institut. cap.* 12. egregie differentiam tribunalis Dei à tribunali humano, & justitiæ in illo à justitiâ in isto, explicantem.

11. *Quia* singularum actionum humanarum licitum, legitimum, justum, aliud est in *foro poli* & aliud in *foro soli*: Ergo illud forum ab isto differt. Quod in *foro poli* justum & legitimum est, in foro soli sententiâ simplici, aut sententiâ jurisdictionis, aut utrâque ἀνομίας & injustitiæ aliquando condemnatur: & vice versâ. Malum enim quandoque vocatur bonum, & bonum vocatur malum *Jes. 5. v. 20.* condemnatur justus, & justificatur impius *Prov. 17. v. 15.* Quo respiciens Apostolus dicit, minimum sibi esse, ab humano die judicari. 1 *Cor. 4. v. 3.*

111. *Quia* objecta *fori soli* differunt ab objectis *fori poli.* Objecta de quorum morali bonitate aut malitiâ in *foro poli* judicatur, sunt omnes actiones humanæ non tantum exteriores sive solitariè & occultè sive apertè factæ: sed & interiores sive elicitæ à voluntate, sive ab eâdem imperatę intellectui aut reliquis facultatibus: usque ad minimos motus primò primos; hoc est, usque ad minimas cogitationes aut cupiditates, contra ullum Dei præceptum. Etiam omnes interiores animi dispositiones & habitus, seu inhærentes potentiæ & impotentiæ: cœcitas mentis, perversitas voluntatis, inordinatio affectuum. Jerem. 17. v. 9. *Fraudulentum est cor præ omnibus, & perversum est, quis cognoscet illud?* Rom. 8. v. 7. *Quoniam quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.* Galat. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum*, &c. 2 Petr. 1. v. 9. τυφλὸς ἐστι μυωπάζων.

Contra in exteriori foro soli publico ac politico, nihil nisi actiones hominum exteriores, verba scil. & facta judicantur, tanquam licita aut illicita, & consequenter laude aut vituperio, pœnis aut præmiis digna censentur:

tur: non tamen omnia sed quæ communi bono politico, seu symbiotico obesse & pacem publicam turbare putantur. Notandum hoc axioma Juris *l. 17. ff. de pœn.* Cogitationis pœnam, neminem pati. Quod quas habeat exceptiones, docet *Conradus Rittershusius libr. 7. sacr. lection. cap.* 12. Etiam in exteriori foro ecclesiastico, non tantum dispositiones inhærentes, & actiones interiores non judicantur (nisi quis in petitione explicandi casus conscientiæ, ecclesiæ aut ministris suas interiores cogitationes, dubitationes, tentationes sponte detegat): sed ne quidem omnia dicta & facta externa, e. gr. *otiosa*, nec omnes species mali, nec omnes omissiones boni, nec plura alia quotidianę incursationis peccata, breviter omnia quæ scandalum non præbent; quæque consequenter non sunt materia correptionis ecclesiasticæ, multo minus censuræ minoris aut majoris.

Constat ergo hoc respectu forum poli à foro soli distinguendum.

IV. *Quia in foro poli* unica norma & perfecta atque adęquata regula judicii, est lex divina primariò & plene in verbo Dei; secundariò & aliquâ etiam ex parte in lumine naturæ ac recta ratione, revelata. *Rom. 2. vers.* 14. 15. Hinc Apostolus *Rom. 7. vers.* 14. & 12. legem dicit *spiritualem & sanctam. In foro soli*, norma judicii, sunt leges, statuta, scita humana, *scita Divalia* (uti appellat *Arnobius* leges Imperatorum, qui Divi appellabantur) mores, consuetudines, & jura gentium; religionis alicubi receptæ ac stabilitæ dogmata quamvis in totum aut potiorem partem, aut in quibusdam, falsa & fallentia; Canones antiquæ ecclesiæ; Jus canonicum Pontificale, tum vetus tum novum; Canones nationalis cujuscunque ecclesiæ; Exemptiones, indulta, dispensationes, permissiones, tolerantiæ, conniventiæ principum; & privilegia sive realia sive personalia; sententiæ judicum, & res judicatę ac præjudicatæ.

Ergo hoc respectu differt forum poli à foro soli; sive politico sive ecclesiastico, sive superiori sive inferiori: ita ut quod in isto inculpatum, justum, legitimum censetur; in illo pariter tale censendum non sit. Hic inprimis considerari debent humanæ leges malæ, & injustę tum antiquę, (de quibus *Theodoretus de curationibus Græcor. affect. libr. 9.*) *tum* hodiernæ apud Gentes Achristianas. An apud gentes Christianas omnes leges sint justæ & juri divino ac naturali convenientes, Jureconsultis & politicis inquirendum relinquo.

V. *Quia forum poli* in moralibus (contradistinctè, ad ceremonialia & forensia Israelitarum) quę communiter omnes homines concernunt, tum legibus tum judiciis est immutabile; nec vel minimum jota de legibus illis mutatum est, aut mutari debet *Matth. 5. vers.* 18. 19. uti orthodoxi contra Socinianos solidè tuentur. Sed omne forum soli quod ad leges, jura, judicia

dicia ſua, mutatur, & mutari non tantum poteſt, ſed etiam ſæpe neceſſe eſt. Vide mihi jus civile Romanum, & omnia jura quarumcunque nationum, quantum poſteriora à prioribus mutata ſint. Vide placita & dogmata religionis Chriſtianę, jam inde ab Apoſtolis, per ſexdecim ſæcula ſucceſſivè. Jus Canonicum hodie exſertè diſtinguitur, & in titulis præſcribitur, *Jus canonicum novum.* De quo vide 1. *part. Politic. Eccleſ. libr.* 1. *tract.* 2.

VI. *Quia* non tantum ab eccleſiis & theologis in explicatione caſuum conſcientiæ; ſed etiam à verâ religione imbutis principibus, politiis, Magiſtratibus, diſtinctio facta eſt inter *forum poli & ſoli*, & utriuſque jus ac juſtum. Sic in Republicâ Iſraelis in *foro ſoli*, & juxta leges forenſes Moſaicas licitum νόμιμον erat repudiare uxorem, extra cauſam adulterii & alteram ducere: quod tamen illicitum & illegitimum erat in *foro poli*: Uti hoc evidenter docetur à ſervatore noſtro *Matth.* 19. Et hoc præfecti, Reges, Magiſtratus Iſraelitici (quales Moſes, Joſua, David, &c.) non ignorârunt, nec prophetę, nec pii ſacerdotes & νομικοὶ, quorum labia cuſtodiebant ſcientiam *Malach.* 2. *verſ.* 7. Quamvis enim ipſi politicè permitterent aut tolerarent malum illud in duro illo populo, nec pœnis coërcerent, immo & permiſſionem atque impunitatem legibus ſancirent, & judiciis ſuis exequerentur: non tamen in foro conſcientiæ tanquam coram Deo, & ſecundum legem divinam, licitum, honeſtum, juſtum illud judicârunt, & probârunt. In eadem politiâ Iſraeliticâ per peculiarem conniventiam raptus virginum Siloniticarum ad conjugium permiſſus & impunitus fuit, tanquam malum (ut vocant) neceſſarium. *Judic.* 21. *verſ.* 19.-23. Quem tamen fideles & pii omnes, imprimis judices, ſacerdotes, Levitæ, omneſque juris divini periti nôrant, & nos judicamus in foro poli & conſcientiæ illicitum eſſe. Nunquam licet facere malum turpe, ut eveniat bonum, aut ut evitetur malum triſte. Sed raptus violentus ad conjugium eſt malum turpe. Videndi de raptu *Martyr* & *Lavaterus in comment. ad Judic.* 21. & commentatores in *Geneſ.* 34. ubi de raptu Dinę. In hodiernis Chriſtianorum politiis multa in foro ſoli ſunt licita, propter permiſſionem aut tolerantiam politicam lege aut conſuetudine firmatam: quæ tamen in foro poli ſeu in conſcientiâ factu illicita eſſe nôrunt, & judicant, non tantum theologi, ſed & ipſi Principes at Magiſtratus, qui permittunt, & leges de permittendo ferunt. Ita in Germaniâ Principes ac Magiſtratus Judæorum menſas fœnebres & immanes uſuras permittunt; quas tamen omnes judicant in foro conſcientię ſecundum jus divinum & naturale eſſe peccata. Quid? quod Principes & Magiſtratus Pontificiæ religioni addicti quaſcunque ex mutuatâ pecuniâ uſuras cenſent intrinſecè & ſimpliciter

eſſe

esse malas. Cujus sententia etiam fuerunt ibid. & in Helvetiâ plurimi aut plerique primi & proximè succedentes theologi protestantes ac reformati : uti in *disp.* nostra de *Usuris* ostensum est. In Belgio fœderato, post religionem reformatam inibi stabilitam, distinguere nôrant *forum poli* à *foro soli* Magistratus & judices illi, qui cautè & in terminis sic loquebantur: *Fœnus trapeziticum & trapezitas per conniventiam in Republicâ tolerari.* Tacitè etiam forum distinguebat *anonymus* in discursu de mensis trapeziticis à Joh. Jacobo Gerbino trapezitâ Franekerano anno 1629. typis edito ; per totum discursum nihil præter *necessitatem* & Magistratus *tolerantiam* aut *conniventiam* obtendendo, & pag. 19. dicendo posse & debere vocari *malum necessarium.* Ubi trapezita Gerbinus in margine apposuit, aut apponi curavit : **Wat** necessarium **is / is nootwendigh / ende alle nootwendige zijn goet in de Republijcke.** Sed de hoc pluribus, in Facultatis Theologicæ Ultrajectinæ *Re Judicata* vernaculo sermone 2.*partibus* editâ. Et nos infra in *disp. de Usuris.* Eandem fori distinctionem agnovit politia Anglicana, cum in actis Parlamentariis a 21. Regis Jacobi, limitationi usuræ usque 8. præsenti legi subjiceretur : *Ne verba hâc lege contenta construerentur aut exponerentur, ad praxin usurariam in puncto religionis aut conscientiæ approbandam.* Similiter in multis bene constitutis politiis, etiam in Belgio fœderato *plurima* politicè licita & impunita habentur ; quippe nullis legibus, nullis sanctionibus prohibita : quæ tamen in *foro poli* minimè licita esse omnes judices & Magistratus reformati ex juris divini tabulis probè nôrunt: qualia sunt ex. gr. ebrietas, simplex fornicatio personarum liberarum, immaturus concubitus ante matrimonii confirmationem ; intemperantia in cibo, in somno, in superfluâ supellectile, in vestium preciositate & multitudine ; vita otiosa absque ullâ occupatione, vocatione, labore; liberorum educatio, absque discentiâ lectionis & scriptionis; abstinentia ab usu cœnæ, ab omni verbi auditu, à sanctificatione diei dominicę per publica & privata pietatis exercitia. Inter Jureconsultos & polyistoras celeberrimus *Grotius lib. 1. de Jure pacis & belli cap. 4.* distinctionem inter jus ac licitum *in foro poli* seu divino, & inter jus ac licitum *in foro soli*, haut obscurè innuit: „Quod vero apud Samuelem est de jure Regis, omnino rectè inspicienti „apparet, nec de jure vero intelligendum, id est, de facultate honestè & „justè aliquod agendi (longè enim alia vivendi ratio præscribitur regi in eâ „parte legis, quæ est de officio regis) neque nudum factum indicari, &c. De quo nos infra *in disp. de jure regio Hebræorum. Camdenus part. 4. histor.* Elizabethæ Anglię Reginæ ad annum 1601. pag. 800. refert Comitem Essexium à *Paribus* reum pronuntiatum his verbis eosdem allocutum ; *rogo ut in conscientiæ vestræ foro me, qui nihil mali in principem cogitavi, absol-*

vatis, & si in foro judicii condemnaveritis. En distinctionem judicii & fori duplicis in iisdem judicibus. Quomodo eam intellexerit, & an rectè applicuerit, hic non inquiro. Aulici omnes, saltem plerique & viri ac ministri politici, qui modo elementis Christianæ pietatis imbuti sunt, nôrunt satis omne mendacium, etiam *officiosum* (ita dictum) in foro poli, & secundum jus divinum esse illicitum: nihilominus multi ex iis in pragmatiis & negotiationibus politicis, eodem utuntur tanquam necessario, ad bonum publicum; & consequenter in *foro soli* non tantum licito, sed & prudentiæ ac fidelitatis nomine ab aliquibus Principibus & Magistratibus, quorum interest, laudato. Omnes Principes & Magistratus reformatam religionem amplexi, & idololatricæ Pontificiæ alteriusve erroneæ religionis exercitia domestica, aut privato publica, aut publica permittentes, satis distinctè judicant illa licita esse in suâ Republicâ: minimè tamen aut errantibus illis, aut ulli homini licita & ab omni culpa libera esse in foro poli. De theologis nostris, non est dubitandum, quin communiter hæc fora distinguant. Unus forte si reperiretur, qui ex ignorantia, aut prævaricatione, aut contentione, aut rerum suarum studio, (quod hypothesi ipsius hoc ita subserviat), aut contradicendi libidine ea confunderet; nullo numero hic haberi deberet, &c. Nos viam veram, tritam, tutam, hac in parte institisse antehac ostensum est, *part. 1. Politicæ Ecclesiast. lib. 2. tract. 2. sect. 4. cap. 3. quæst. 9. & lib. 4. tract. 2. cap. 7. pag. 728. & seqq.* & *in consil. theologici de bonis ecclesiasticis*, &c. *part. 1. pag. 31. & seqq.* Solummodo hic discipulis nostris indico inter Pontificios *Navarrum*, quidquid in causarum quorundam patrocinio heterogenea subinde misceat ac confundat, *cap. 17. sui Manualis*, eadem in dissertatione supra cit. accuratè distinguere. Et post illum *Johannem Sanches in selectis & practicis disp.* anno 1644. novissimæ reditionis *disp.* 48. in propositis quibusdam casibus distinctionem hanc applicare Et Jesuitam *Martinum Bresserum lib. 1. de conscientiâ cap. 2.*: ubi exsertè distinguit & discrimen utriusque explicat. „ Qui inter alia *ibid.* scribit: Unde sequitur non esse idem forum „ conscientiæ & pœnitentiæ, cum quo aliqui illud confundunt: quia omni„ no diversum est judicium sacramentale, quod exercetur à confessario de „ peccatis alienis & conscientiæ, quod exercetur de propriis, &c. Non ne„ go tamen forum & judicium pœnitentiæ rectè dici & esse etiam con„ scientiæ, adeoque ab homine etiam judicium hoc exerceri in foro inter„ no conscientiæ alienæ. Tantum dixi id non esse necessarium, scilicet ad „ forum & judicium conscientiæ propriæ undique internum. Ex nostris *Calvinus lib. 4. Institut. cap. 10. §. 3. & 5.* Quæstione propositâ de humanarum legum obligatione in conscientiâ: *Hæc*, inquit, *quæstio pleroſque ideo impedit; quod inter externum* (uti vocant), *& conscientiæ forum, non satis subti-*

subtiliter discernunt. Et §. 5. *Quo pertinet illud vulgare discrimen, inter terrenum & conscientiæ forum. Quum totus orbis densissimâ ignorantiæ caligine obvolutus esset, hæc tamen exigua lucis scintilla residua manlit, ut humanis omnibus judiciis superiorem esse homini conscientiam intelligerent.* Johannes Paulus Felwinger politicæ Logicæ, & Metaphysicæ in Acad. Altorsinâ Prof. in Chrematisticâ seu explicatione politicâ rationis diteſcendi *disp. 4. de usuris licitis & illicitis disputans*, hanc distinctionem præsupponit & quæstionis determinationi applicat §. 13. *pag.* 86. „Quoniam autem aliquid ex multis causis sive principiis potest esse & fieri illicitum: nempe potest esse aliquid illicitum ex *jure Naturali*, *ex jure Gentium*, *ex jure civili*, &c. Eadem mens theolog. & Jureconsult. ibidem citatorum, qui juri divino repugnantes statuunt usuras pauperibus extortas quamvis νόμῳ aut consuetudine permissas. Eodem tendit explicatio legum de licitâ deceptione in contractibus, quam habet *Tholosanus in præludiis* optimi Jureconsulti probique Magistratus *lib. 2. cap.* 13. distinguendo inter *honestum & licitum.* Quamvis ibidem alium conciliandi modum præferre videatur. Conferri etiam potest 3. *part. select. disp. tit. de theologiâ practicâ.* Et *part.* 1. *Polit. Eccles. lib.* 2. *tract.* 2. *sect.* 4. *cap.* 3. *pag.* 771. *& seqq.* -- 779. Et *pag.* 888. *& seqq.* Et *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. *&* 5. ubi de conjugiis in Foro Soli licitis, in Foro Poli illicitis; & vice versâ in Foro Poli licitis, in Foro Soli illicitis: qualia e. gr. patruelium & consobrinorum.

PARS SECUNDA.

Resp. MICHAELE SARFEY Hungaro. 24. *Febr.* 1666.

HActenus distinctionem Fori Poli & Soli, & liciti in illo atque isto argumentis generalibus probavimus: restat nunc argumentis specialibus per singula decalogi præcepta discrimen illud ostendamus. §. 11.

Primo Decalogi Præcepto præcipitur cognitio, fides, cultus unius veri Dei, qui est unus essentiâ trinus personis. Atqui ignorantia illa Dei non tantum, sed & ἀπιστία, immo fides ac cultus multorum Deorum non tantum apud Gentiles antiquos & hodiernos permissa & concessa, sed & mandata fuit. Notus est primus versiculus aureorum carminum *Pythagoræ:*

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεὺς, νόμῳ ὡς διάκειται, &c.

Et *Socrates Athenis* impietatis condemnatus ac morte multatus fuit, quod

Deos Gentilium legeillic receptos non agnoviſſet & veneratus eſſet. Aliud ergo fert νομος & χώρα, ejuſque forum; & aliud Forum Poli. De cognitione, fide, & cultu Dei triuni & unici ſervatoris Jeſu Chriſti in foro ſive politico ſive eccleſiaſtico Muhammediſtarum, & hodiernorum Judæorum, notum eſt ex hodiernâ eorum theologiâ; quę rejicit verum Deum patrem, filium & ſpiritum ſ.; conſequenter verum Deum non agnoſcit, credit: uti hoc ſolidè demonſtratum eſt à *Nicol. Vedelio in tract. de Deo ſynagoge.*

In tam multis politiis licita non tantum ſed & ſub ſanctione graviſſimæ pœnæ mandata eſt religioſa adoratio ſanctorum, panis miſſatici, aliarumque rerum, quæ non ſunt unus ille verus Deus: Mandata inſuper eſt laicis in utroque foro ſoli eccleſiaſtico & politico, fides implicita, hoc eſt, rerum divinarum ignorantia; prohibita lectio ſcripturę: uti conſtat ex regulâ quartâ indicis librorum prohibitorum juxta decretum *Concil. Tridentini cum annotatione Pii V.*

Eadem idololatria licita eſt in variis politiis reformatis; ut & aliæ damnatę hæreſes; ſive publicè, ſive privato publicè in conventibus, ſive privatim in familiis exercitæ: idque vi permiſſionis aut tolerantiæ in foro politico ſupremarum poteſtatum decretæ ac ſtabilitę. Quod idem dicendum eſt, de Judaicâ, Arianâ, Photinianâ, Libertinicâ, aliiſque apoſtaſiis & Achriſtianiſmis. De quarum permiſſione & libertate alibi pluribus actum *part. 1. Politic. Eccleſiaſt. lib. 4.*

§. 2. *Secundo Decalogi præcepto* repugnant peccata omiſſionis, religionis & dierum cultus inſtituti tum publicè tum privatim exercendi non-obſervatio, ſeu neglectus: quæ ἀπραξία in multis politiis tum Achriſtianis (ex. gr. Muhammedicis), tum variis Chriſtianis & quidem reformatis licita eſt; in foro tamen poli illicita. Ad irreligioſitatem referri poteſt non-obſervatio viſitationis divinæ (*Luc. 21. Matth. 23. & 24. Ezek. 16.*) ſive per gratiam & benedictionem, ſive per judicia: Non-attentio trepida ad verbum Dei (*Jeſa. 66. v. 2.*): contemtus & deriſio ἀσθρόμων & ἀσυγκριτῶν ſignorum, de quibus ſervator Luc. 21. v. 10. 11. *Inſurget gens in gentem, & regnum in regnum. Et magni terræmotus erunt ſingulis locis, & fames & peſtilentiæ, & terriculamenta, & ſigna è cœlo magna erunt.* Et Matth. 16. v. 2. *Quando ſerum eſt diei, dicitis, ſerenitas: rubet enim cœlum. Et mane, hodie erit tempeſtas: rubet enim cœlum triſte. Hypocritæ faciem quidem cœli noſtis diſcernere, ſigna vero tempeſtatum illarum non poteſtis.* De Prognoſticis Cometarum quid piè ſentiri poſſit Deo & experientiâ præeunte, nuper expoſui tract. de Prognoſticis Cometarum. Peccata commiſſionis ſunt, cultus alienus, ſuperſtitioſus, idololatricus, iconolatricus: qui in variis Achriſtianis Politiis probatur & mandatur; ut & in Papiſticis ſub nomine Chriſtiano: in variis Chri-

Christiano reformatis permittitur, & hoc respectu sive publicè, sive privato-publicè, sive privatim in familiis licitus est. Specialiter usus aut potius abusus crucis aliorumque commentorum humanorum in multis politiis, sub nomine Christiano, mandatur: in quibusdam perfectè reformatis sive publicè sive privatim permittitur: qui tamen in foro poli illicitus est, quippe sapiens idololatriam aut superstitionem sive indirectam, sive participatam. De quo in 3. *part. selectar. disp. tit. de staurolatriâ*; collatis ibidem *titulis de idololatriâ & de superstitione.*

Idem censendum de processionibus, peregrinationibus, jubileis, deque litaniis, rosariis, horis Canonicis, vigiliis, aliisque mortificationibus, ritibus ac sacramentalibus; de quibus in 3. *part. select. dispp.*

Tertio decalogi præcepto repugnant, temeraria juramenta, aliique divini §. 3.
nominis abusus; juramenta per idola; juramenta ex officio seu inquisitoria; perjuria, & dispensationes in voto aut juramento; fides non servata; æquivocationes & mentales restrictiones; lustrationes, exsecrationes; vota temeraria & superstitiosa; confraternitates sub nomine Mariæ, Sebastiani, Rochi, &c.: dæmonum adjurationes, expulsiones, ligationes; sive per modum mandati, sive per modum deprecationis: purgationes tum vulgares tum canonicæ ita dictę; sortes tum ludicrę, tum superstitiosę; sponsiones de quibusvis futuris contingentibus; Omnia hæc in foro poli sunt illicita: aliqua tamen ex illis licita in Foro Soli Achristiano; aliqua in Foro Soli Christiano, immo & mandata; aliqua ex illis in Foro Soli Christiano reformato licita, saltem per tolerantiam, aut conniventiam.

Quarto præcepto repugnant, sabbathi Christiani seu diei dominicæ non §. 4.
observatio, alicubi in Foro Soli Achristiano strictè mandata. Ejusdem varię profanationes, in politiis Christianis & reformatis publicè permissæ, quædam etiam alicubi mandatæ; quædam privilegiatæ. Adde festorum Gentilium aut Papisticorum à majoribus acceptorum celebrationes. De quibus vide 3. *part. sel. dispp. tit. de sabbatho* & *festis*, de *Bacchanalibus*, & in 1. *part. Polit. Eccles. lib.* 4. *tract.* 4. *cap. ult.*

Denique neglectus ἐπισυναγωγῆς ecclesiasticæ; contemtus sacri ministerii: oppugnatio necessitatis, aut potestatis ministrorum & synodorum per Libertinos, hodiernos Enthusiastas dictos *Tremulos* seu *Quakeros*, per Semi-Libertinos, per Erastianos, per Hobbesianos, per Remonstrantes, aliosque libertatis, ita dictæ, contra falsò nominatam hierarchiam ecclesiasticam, tyrannidem, atque inquisitionem, Papalis (uti per artem calumnię prætenditur) æmulam, zelotas. Quę omnia quamvis in Foro Poli illicita (uti suo loco ex scripturis probatum), in aliquibus tamen politiis aliqua eorum licita; si non laudanda & pręmiis decoranda videntur. Et hæc merito inter peccata clamantia numeramus.

§. 5. *Quinto decalogi præcepto* repugnant, cœca obedientia inferiorum erga superiores, ejusque promissio (de qua nos infra peculiari disputatione); potestas mariti in uxorem extendens se ad verbera, etiam ad venditionem uxoris; uti in Angola aliisque partibus Africanis, etiam apud antiquos Gallos, teste *Cæsare lib. 6. de bello Gallico:* potestas patria, extendens se ad liberorum occisionem; apud Gallos teste *Cæsare lib. cit.*; & Romanos, aliasque Gentes, *Bodini lib. 1. politic. c. 4.* quale jus etiam obtinuisse apud Israëlitas, probare conatur *Tholosanus lib. 5. de præludiis*, &c. *cap. 7.* sed frustra, & absurdè nimis huc tracto exemplo Abrahami. Vide contra legem forensem Mosaicam *Deuter. 21. v. 22. 23.* Conjugia liberorum absque consensu parentum; dominorum jus vitæ & necis in servos: mercatura servorum utriusque sexus, & eorundem in manus quorumvis emtorum, tyrannorum scil. latronum, prædonum, lenonum, meretricum, Sodomitarum, infidelium, hæreticorum traditio; absoluta & arbitraria potestas cujuscunque Magistratus, aut saltem Monarchici sive electitii sive successivi in regno pactionato, in vitam, liberos, & bona subditorum; de quo nos in *disp. de jure regio Hebræorum*: nulla obedientia membrorum ecclesiæ erga suos pastores, contra *Hebr. 13. v. 17.* Regimen ecclesiasticum in electione ministrorum, usu clavium regni cœlorum, ecclesiis ademtum, & alio translatum.

§. 6. *Sexto præcepto* repugnant, Fratri suo temere irasci: vindictam erga eundem exercere per retorsionem, aut reconventionem; quamvis non sine convitio, aut obtrectatione, aut calumniâ, aut mendacio: Vim vi repellere, juxta legem non scriptam, sed nobiscum natam, dictante *Cicerone in orat. pro Milone:* Homicidium sui ipsius, in multis antiquis, & nonnullis hodiernis politiis (ex. gr. imperio Mogulico, aliisque Indiæ Orientalis) permissum; etiam imperatum, ut in Imperio Japonico; quomodo antehac in Belgio pulveris pyrii incendium sociis navalibus imperari solet. De quo nos disquirimus in disp. *de homicidio sui ipsius*: Castratio & Eunuchismus puerorum: Fuga pestis, non sine substractione officiorum erga uxores, parentes, liberos, proximos consanguineos, amicos, necessarios: Monomachiæ seu duella ad probationem & causæ determinationem olim apud Longobardos, aliosque populos permissa, aliquando etiam imperata: Artes & spectacula funambulorum: ludi seu pugnę taurorum cum hominibus armatis, contra quæ exstat in *Bullario & in 11. decretal. tit. 18. constitutio Pii V.*, ubi vide annotationes. Torneamenta; contra quæ Extravag. Johannis 22. tit. 9. Bella sine necessitate aut injustè suscepta; qualia e. g. expeditiones cruciptæ: Bella justè suscepta, sed satis injustè gesta: Temperamentum non adhibitum in occidendis hostibus devictis; temperamentum non adhibitum in hostibus, eorumque subditis exspoliandis:

militię

militiæ professio in quovis, etiam injustissimo, etiam ad veræ religionis à se susceptæ exstirpationem. Asyla homicidis, furacibus fallitoribus, aliisque facinorosis aperta; sivè à clericis & regularibus, sive à dominis sęcularibus: Αὐτοφωνία, per immoderatum vini, aut cerevisiæ; aut vini adusti, aut necotiani usum: Assasinatus, seu Homicidia Regum, Principum, Magistratuum; ut & lanienę hominnm innocentium (quales Parisiensis anno 1572. Hybernica anno 1646. Pedemontanæ 1546. & 1655. & vallis Telinæ 1620.) volente jubente Papâ, & regibus ac principibus ad nutum Papæ: Usus moderaminis inculpatæ tutelæ (uti patres Lojolitici prætendunt) cum veneno tollitur, qui in puncto honoris quem læsisse putatur: Omnis denique hominum persecutio fidei aut pietatis causâ; præsertim fidelium ministrorum vexatio, oppressio, ejectio, occisio; quæ in foro soli non tantum licita est, sed maximè probata & laudata *Johann.* 16. *vers.* 3.

Septimo Præcepto repugnant, jura primi concubitus: quibus alicubi juxta §. 7. νόμον καὶ Χώραν utebantur domini, quotiescunque proprii ipsorum homines uxorem ducerent; & primi concubitus pecuniaria redemtio, post receptum illic Christianismum; quæ etiamnum hodie obtinet. Hoc jus alibi tetigi, ad dissuasionem juris patronatus, iniqui fœnoris, abusus bonorum ecclesiasticorum sub assumtis & ementitis titulis clericorum Romano-Papalium, aliorumque in foro poli illicitorum: infelicia juris humani alexipharmaca, *Jus quæsitum nemini auferendum*, & *volente prætore qui possidet, justè possidet*, ad licitum ac justum in foro poli & conscientiæ minimè applicanda. Hic præter autores alibi notatos, libet adscribere ex notis M. Zuerii Boxhornii ad Suetonii Caligulam cap. 40. ad illa Suetonii verba: *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium,* „ *& qui lenocinium fecissent: nec non matrimonia obnoxia essent.* Virginalis, *in-* „ *quit* pag. 338. prima violatio, &c. vetustissimis temporibus (*apud anti-* „ *quissimos septentrionales populos*) principibus omnibus viris & dynastis, „ qui *Domini Capitales* in legibus dicuntur, in suis ditionibus impie permis- „ sa, in omnibus novis nuptis, prima nuptiarum noctè. At invalescente „ religione Christiana mos ille paulatim sublatus, isque concubitus certo „ vaccarum numero & quasi pretio redemptus est. Inde in vetustis legibus „ Scotorum: *Quæcunque mulier fuerit, sive nobilis, sive serva; sive merce-* „ *naria, marcheta sua erit una juvenca, vel tres solidi; & rectum servientis* „ *tres denarii. Et si filia liberi sit, non Domini villæ, marcheta sua erit una* „ *vacca, vel sex solidi.* Leguntur hæc in collectione legum antiquarum Sco- „ tiæ, quas nuper edidit nobilissimus *Skenæus.* Ejusmodi vectigalia in „ quibusdam Belgii nostri ditionibus pagorum dominis adhuc hodie pendun-

„duntur. Non igitur ſoli Caligulæ ea placuere. Hactenus *Boxhornius.* Ex hiſtoriis plurima, apud varias gentes, licita immo legibus aut moribus promota atque exercita fornicationum βδελύγματα, ex hiſtoricis obſervari poſſunt; quorum indicium facit *Tholoſanus lib.2. de præludiis optimi Jureconſulti, & probi Magiſtratus cap. 15.* Pergamus in notandis ſeptimo præcepto repugnantibus; quæ ſunt, polygamia in omnibus ferè politiis Achriſtianis: divortia & repudia, extra λόγον πορνείας: concubinatus: nuptiæ incæſtæ, non tantum inter Achriſtianos, ſed etiam in Chriſtianiſmo Romano-Papali. De quibus omnibus *part. 1. Politicæ Eccleſiaſt. libr. 3.* Concubitus deſponſatorum ante matrimonii confirmationem; ſtupra pellectis honeſtis virginibus illata, abſque debitâ reſtitutione; hiſtrionia & actiones ſcenicæ, aliaque ſpectacula amphitheatri apud Romanos, etiam aliquamdiu poſt receptum Chriſtianiſmum uſitata; & his ſimilia, ſi quę in hodierno Chriſtianiſmo ſuperſint: choreę hodiernę gynęcandricę; choreæ & nocturnæ diſcurſitationes larvatæ: balettæ, ſeu dramata ſaltatoria: luxus & vanitates in veſtibus; alioque corporis & capillorum ornatu, in fucandâ faciè, in corporis partium denudatione. De omnibus illis antehac egimus in *diſpp. de Excelſis mundi,* infra inſerendis. Adde lupanarium, ſcortationum & abominandarum libidinum apud varias Gentes Achriſtianas inſtitutio; ſpecialiter apud Romanos in palatio Imperatoris *(Suëtonius in Caligula cap.41.)*; quibus adde lupanaria, & meretrices publicas in Chriſtianiſmo, ut e. gr. Romæ (vide *Rivetum adverſus Petra Sancta cap. 16.)* & antehac in Hiſpania, nunc ibi abrogata. Huc refer tabernarum & popinarum quotidianas frequentationes, ſui ipſius & aliorum inebriationes; per coactos, aut variis artibus ac conditionibus impoſitos multorum aut magnorum poculorum hauſtus. De quibus infra in *diſp. de Ebrietate.*

§. 8. *Octavo præcepto* repugnant, avaritia, & bonorum profuſio; pyratica, qualis ex. gr. antiquorum Normannorum tunc Gentilium, & hodiernorum Tunetanorum, Aligerienſium, Tripolitanorum: pignoris detentio, *Exod.* 22. mordentes uſuræ, quas infra tangimus in pſeudo-graphemate uſurario: Furta politicè licita; ut apud Spartanos, teſte *Xenophonte in Repub. Lacædemoniorum*; prædationes & exactiones multorum, ſi non plerorumque præfectorum militarium, contra *Luc. 3. v. 14.* Ut jam non dicam de antiquis & hodiernis Gentium quarundam, juxta νόμον τῆ χώρας, prædationibus, Saracenorum ſcil. Nomadum, Schytarum, &c. Fraudulentæ circumventiones in emendis & vendendis mercibus, aliæque artes minimè convenientes legi naturali ac divinę *Math. 7. v. 12.*, vulgò mercatoribus non paucis uſitatæ: Non reſtitutio omnium eorum, quę in Foro Poli & conſcientię reſtituenda erant, juxta præcepta juris naturalis, quę ſunt, *neminem lædere*;

dere; *suum cuique tribuere, quod tibi fieri non vis, alteri non feceris* (de quo infra, ubi de restitutione); Specialiter meretricum justitia in exigendâ & recipienda mercede, & non-restitutione malè partorum, ex jure seu privilegio meretricio, Romæ aut alibi per publicam autoritatem ipsis concesso. De quo nos alibi ex *Navarro, Zypæo*, aliisque Casuistis & Canonistis. Huc referendæ sunt illicitæ artes & occupationes histrionum, thymelicorum, saltatorum, lenonum, cauponum, &c. Nec prætereunda ex antiquis moribus & legibus παραλαίων populorum derivata acquisitio bonorum per naufragium in mari fluitantium. Quod quidem illic justum & licitum in foro soli; sed an tale sit in foro poli, strictim declarat *Amesius l 5. Casuum cap.41. §.23.* & seqq. plenius autem Jurisconsultus Anglus J. C. peculiari Diatriba a. 1657. Londini impressâ in 4. tit. *Naufragia publicanorum esse, nec jus permittit, nec ratio.* Quamvis ostendi possent à publicanis illis νόμῳ τῆς χώρας; mores & possessio; jus quæsitum per emtionem toparchiæ littoralis cum omnibus juribus, privilegiis & emolumentis; interesse Reipublicæ & supremarum potestatum; jus & consuetudo à majoribus per multa sæcula, sine interruptione ad præsentes naufragiorum dominos devoluta. Adde emtiones & venditiones promiscuas servorum: de quibus supra. Adhęc varia sacrilegia, simonias, δωροφαγίας, venditiones aut permutationes beneficiorum, cum pensionibus, &c. Vindicias & subjectiones maris, ex donatione Papæ, aut aliquo alio prætenso jure sive divino sive humano. De quo disceptant *Grotius in Mari libero, Pacius* de dominio maris Reipubl. Venetæ, *Seldenus* in Mari *clauso*, & *Isacius Pontanus in quæstionibus historicis.*

Nono præcepto repugnant Mendacia, quę vocant, officiosa: deceptiones & fraudes, quas *Lipsius in Politica* suâ partim suadet partim permittit; (Vide egregium scil. magistrum moris & probitatis insigniter exceptum à *Georgio Thomsono in Examine miraculorum Aspricollensis*); & tamen in foro soli non tantum licitæ sunt, sed & ministris politicis sæpe imperantur; uti constat ex arcanis & simulacris Rerumpublicarum, quæ scriptores politici describunt, & ex editis negotiationibus, legationibus, epistolis *Janini, Perroni, D'Ossat, Bentivoglio*, & ex Cancellariâ Hispanicâ, in Germaniâ anno 1623. editâ: violationes fidei servandę, uti constat ex libellis contra Pontificios editis, alibi indicatis, in dispp. ad nonum decalogi præceptum; Mendoza admirans Arragoniæ 1598. candidè Decano Embricensi cum ipso expostulanti respondebat, se non teneri diutius fidem & à se promissa servare, quam regi suo id esset utile. Notum est legato Anglo Wottono in Germaniâ publicè exprobratum fuisse à Jesuitis, quod albo alicujus sibi oblato inscripsisset: *Legatus est vir bonus, missus ad mentiendum pro principe suo.* Qui tamen edito postea libello factum hoc suum excusare studuit. Usus æ- §. 9.

quivocationum & mentalium reservationum: Dispensationes in juramentis; speciatim in juramento fidelitatis (vide 2. *part. select. disp. tit. de Sede Romanâ incompatibili cum politiis reformatis)*: proditiones in foro soli proditoribus suasæ, aut imperatæ; Hoc ergo respectu licitæ & præmio honoratæ ab iis, quibus utiles sunt. Imprimis hic notanda judicia cœca & surda (ita loqui liceat) in criminalibus; ubi reus aut saltem in imaginatione & conceptu principum, Magistratuum sive supremorum sive subalternorum suspectus aut exosus, aut invidiâ dignus, sine exauditione, examinatione, sine sententiæ pronuntiatione & scriptione, solum vertere, aut collum gladio laqueove subjicere, aut ipsi sibi ventrem scindere jubetur; uti hæc politica justitia obtinet in imperiis Turcico, Mogulico, Japonico, &c. Cum his surdis & cœcis judiciis comparari debent judicia Imperatorum Romanorum, Neronis, Caligulæ, Domitiani, Commodi, &c.) qui absque auditione absque ullo indicio mali, quod commisissent occidendi; percussorem immittebant, aut venas secari jubebant, aut ipsi sive ferro, sive veneno eos tollebant: ne quidem matribus, novercis, fratribus, filiis, parcentes. Quod æmuli ac malevoli alicujus susurronis delatione (qualis Haman hostis Mardochei & Judæorum) suspectos eos habebant; aut ipsi animo suo odium invidiamve erga eos concipiebant, aut ferre non poterant gratiam, quâ apud alios pollebant. Cœco & surdo judicio aliquo modo similis erat *ostracismus* Athenienſium: quod quale fuerit, compendio discès ex *Sigonio* aut *Keckermanno*, de Republicâ Athenienſium, aut ex *Scaligeri* animadversionibus in Chronicon Eusebii pag. 47. edit. poster. Ex quo nonnulla excerpsit Matth. Martinus in Onomastico: qui addit: *Non fuisse hoc cum ignominiâ exigi, sed potius cum honore, nec pœnam fuisse, sed gratiæ imminutionem.* Quæ verba Scaligero loco cit. nec in primâ editione Eusebii anno 1606. (quâ usus est *Martinius*), nec secundâ Amstelodamensi apud Jansonium anno 1658. invenio. An alibi in notis Scaligerianis ad Eusebium habeantur, hactenus ignoro; nec vacat ulterius inquirere. *Diodorus Siculus lib.* 11. §. 53. hanc legem institutam fuisse ait, non ut *improbitatem punirent, sed ut sublimes hominum ad fastigia evectorum animos submissiores hâc ratione facerent.* Pollux lib. 8. onomast. c. 5. *Cui sex millia testarum obveniebant, huic fugiendum erat, non ut damnato, sed veluti Reipublicæ molestiori, magis ob virtutis æmulationem, quam vitiorum vituperium.* Fundamentum ergo hujus judicii erant rationes status, seu interesse status, ne regimen democraticum per subreptionem aristocratici; aut oligarchici, aut monarchici, aut μοναρχοειδὲς alicujus aliquâ ratione labefactaretur. Hinc potentiores inter cives aut senatores, quamvis virtute eximii & optimè de Republ. meriti (quales *Aristides & Themistocles*) si modo opibus,

aut

aut potentiâ & autoritate aut gratiâ apud populum florerent, nec accusati nec defensi, ex urbe excedere, & ab eâdem decennio abesse cogebantur: sed non nisi per sex millia suffragiorum popularium; cui numero si quid deesset, inanis erat ostracismus: testibus *Plutarcho in Aristide*, *Polluce lib.* 8. *Onomastici cap.* 5. Simile fere judicium obtinebat apud Syracusanos dictus *petalismus*. Sed multo illis iniquiora sunt judicia illa, quibus ob rationes status (uti prætendi solet aut potest) homines civitate aut libertate, aut dignitate & munere, aut bonis suis, aut etiam vitâ suâ privantur; & quidem non accusati, non auditi, non defensi: idque ex particulari principis, aut principis principumve Senatus, (qui alia suffragia trahunt) sive odio, sive invidiâ, sive siniſtra suspicione, aut vano metu. Ob tales rationes status apud Turcas Visirii, Bassę, filii proprii indictâ causâ tolluntur. Similiter ob rationes status vicinis regnis & politiis non raro molestia creatur, aliorum arma etiam injustissima prece aut pretio in ea concitantur: ne scil. potentia eorum crescat, & aliquando potentiores facti per fas per nefas Rempublicam illam vexent aut etiam opprimant: sicuti pisces minutos magni comedunt, & aves enecat accipiter. Hæc inter arcana politica numerari solent. Memorabile fuit judicium dictum *secretum*, Germanicè *Frygedingh*, contractè *Frydingh* in Westphaliâ, aliisque Germaniæ partibus jam inde à tempore Caroli Magni usitatum, postea abolitum. *Gobelinus Persona in historiâ suâ* (quam *Cosmidromium* appellat) ætat. 11. cap. 4. dicit judicia hæc ita dicta fuisse, quod *omnino extra ordinem*, *& veluti planè legibus soluta viderentur*. Originem & modum eorum describit *Æneas Sylvius in suâ Europâ cap.* 36. ubi de Hollandiâ & Trajectensibus pag. 369. edit. in 8. *Sæpe*, inquit, *in nemoribus proceres & mediocres viri suspensi invenirentur*, *nullâ accusatione prius auditâ*. Et paulo post: *Reus ignarus suæ damnationis ubicunque repertus fuerit*, *supplicio afficitur*. Plenius originem, processum, & abolitionem hujus judicii descripsit *Marquardus Freherus peculiari libello in* 4. *an.* 1610. an autem *justitia* illa *politica* (Ecclesiastica enim non erat, nec curiæ episcopalis, nec episcopi; quamvis principis & domini territorialis) semper absque ullâ coram scabinis, quos *Feymors* dicebant, reorum auditione, aut absque antecedente citatione peracta fuerit; hactenus mihi non liquet. Certum est, Justitiam in Imperiis modo memoratis & olim in imperio Romano de plano & per saltum administratam fuisse per formulas, *ventrem tibi scinde*, *venas tibi seca*, *magnus dominus caput tuum postulat*; aliquando sine ullâ formulâ, sine ullo rei alloquio: uti in aulâ Turcica, ubi patruos, filios, fratres, etiam lactentes, plectunt; quin & mutos aliquot, hujus politicæ justitiæ executores, hunc in finem alquando aluisse compertum est. Ad judicia cœca referri debent

Ostraciſmus apud Athenienſes : adhæc probæ vulgares, ante hac uſitate; quales ſunt per duellum, per ferrum candens, per aquam fervidam aut frigidam, per cruentationem cadaveris. De quibus in 3. *part. ſelect. diſp. tit. de ſortis* aliiſque divini nominis abuſibus. Ad nonum præceptum, & ſimul ad octavum referri poſſunt plagia & ſuppoſitiones librorum; eorundem caſtrationes, & corruptiones: de quibus nos infra *in diſp. de Falſo.*

§. 10. *Decimo præcepto* repugnant minimæ cogitationes & cupiditates contra ullum Dei præceptum. Quæ in Foro Soli Romano-Papiſtico, & hodierno Judaico, antiquo & hodierno Gentili, Muhammedico, Pelagiano, omnique hodierno hæretico, peccata non ſunt, quia ſcilicet involuntaria; quippe motus primo primi abſque deliberato voluntatis conſenſu. Quæ laxa caſuiſtica à ſolis hodiernis Proteſtantibus ac reformatis improbatur & refutatur. Nos hic τῷ παράδῳ indicamus iſtas rationes 1. *Quia* inhærens concupiſcentia exſertè dicitur peccatum *Rom.7. v.7.* & 20. 2. *Quia* eadem, & primo prima actualis concupiſcentia inde enata, eſt ἀνομία 1 *Joh.3. v.4.* Ergo. 3. *Quia* inhærens eſt cauſa peccati per ſe. *Rom.7.v.20.* 4. *Quia* motus primo-primus e. g. adverſus fidem, ſpem, Dei amorem, timorem, honorem; adverſus patientiam, religionem, Dei invocationem, rectum nominis divini uſum, Sabbathi ſanctificationem, aliaſque virtutes primâ legis tabulâ præceptas eſt actio humana propriè dicta, (qualis in bruta non cadit): conſequenter ſubjacet rectæ rationi & legi divinę; atque adeo voluntaria eſt ſive in ſe, ſive in cauſa, ſive in utroque. 5. *Quia* neutra in Adamo ante lapſum fuit; quippe in rectitudine & imagine Dei condito: nec fuit in Chriſto homine, cui conformes eſſe debemus; nec eſt, eritve in beatis, ſeu ſpiritibus perfectis. 6. *Quia* repugnat amori Deo à nobis debito *ex toto corde, & totâ anima, ex tota cogitatione ex totis viribus, Marc.12.* 7. *Quia* repugnat adhæſioni Dei & boni, quæ debet eſſe perfecta. Vide *Rom. 12. v.9. Pſal.63.v.9.* & *73.v.24.* de adhæſione Dei. 8. *Quia* repugnat perfectæ abnegationi & reſignationi noſtræ. 9. *Quia* verè fideles neutram volunt, aut appetunt, aut ea delectantur, aut eam ſuſque deque habent, atque in ea acquieſcunt: immo contra moleſtè ferunt ac dolent illorum motuum excitationem: de eadem conqueruntur, facio malum quod nolo; & ejus intuitu exclamare coguntur cum Apoſtolo Rom.7. *Miſer ego homo, quis me liberabit*, &c.

§. 11. Hactenus explicatio diſcriminis *fori poli & ſoli*, & liciti ac juſti in illo & iſto à nobis publicâ *diſp. 16. Septembr.* anno *1665.* & *Febr. 1666.* propoſita fuit.

Nunc addimus ſequentia, quæ ob temporis anguſtiam tunc excudi non poterant.

Con-

Conſectar. I. In quæſtionibus tum theticis tum hypotheticis, de juſto, & licito, jus divinum cum humano, naturale cum civili aut municipali, confundi non debet; nec de uno in alterum tranſiri.

II. Aliæ ſunt leges Cæſaris, & aliæ Dei.

III. Conſcientiæ noſtræ perfecta & adæquata regula eſt ſolum Dei verbum: non corpus juris civilis, aut canonici, aut quæcunque leges humanæ; nec etiam Ethica Platonica, Stoica, aut Peripatetica.

IV. Legis moralis præcepta ſive expreſsè, ſive per neceſſariam conſequentiam in verbo Dei traditam, per Chriſtum novum legiſlatorem (ex falsâ Socinianorum, aliorumque ipſis hâc in parte aſſentientium hypotheſi) nec aucta nec imminuta, nec immutata: quaſi ſcil. ſub N.T. aliqua in *foro poli* & conſcientiæ illicita eſſent, quæ ſub V. T. licita fuiſſent.

V. Multò minus talis mutatio legis moralis per peculiarem gratiam, relaxationem, & libertatem (quæ fingitur) obtigit: ut ſub N.T. ſive extenſivè ſive intenſivè, conſcientias minus obligaret; & nos ad accuratam ac præciſam ejuſdem obſervationem minus teneremur, quam fideles ſub V.T. Quin contra dicimus arctius nunc ſtringere hoc vinculum, quia major nobis exhibita eſt gratia. De quâ, Joh. 1. v. 17. *Gratia & veritas per Chriſtum*, &c. Math. 13. v. 16. *Beati oculi veſtri qui vident*, &c. 2 Cor. 3. v. 18. *Retectâ facie gloriam Domini intuentes*, &c.

VI. Infirmitas, impotentia; & imperfectio noſtra, de quâ cum Apoſtolo conquerimur, nullam ἀνομίαν facit licitam in foro poli: alioquin nullum præceptum decalogi nos obligaret, nec ſumma omnium præceptorum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. *& proximum ut te ipſum.* Matth. 22. Marci 12. Et quid fieret de præcepto decimo? vide explicationem catecheticam quæſt. 13. 14. 15.

VII. Nec *ex peccatis* in foro poli ſeu conſcientiæ *non peccata* faciunt; leges aut mores aut conſuetudines populorum, nec communis conſenſus ſive populi ſive prudentum, nec placita ſupremorum aut ſubalternatorum principum, nec decreta ſenatus, nec ſupremi judicii res judicatæ, nec jus quæſitum, nec privilegium conceſſum; nec voluntas prætoris; nec Papæ aut Papalis concilii ſive particularis ſive univerſalis infallibile (uti prætenditur) judicium & ſuprema poteſtas; nec Pontificum conſtitutiones, exemtiones, gratiæ, indulta, diſpenſationes de jure contra jus divinum aut naturale; nec abſolutiones à juramento quocunque promiſſorio, etiam à juramento fidelitatis. Confer 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Papæ poteſtate temporali.*

VIII. Qui talibus in caſibus omittunt aut faciunt quod humanæ quæcunque poteſtates omittere aut facere ſive jubent, ſive ſuadent, ſive conce-

dunt, sive permittunt, sive per conniventiam tolerant : non magis peccati inobedientiæ aut rebellionis erga Deum & superiores in *foro poli* & *conscientiæ* argui & convinci possunt, quam obstetrices Ægypti *Exod.* 1. Zacharias filius Jojadæ 2 *Paral.* 24. *v.* 19. 20. Propheta Daniel & socii ejus *Dan.* 3. & 6. Apostoli *Actor.* 4. & 5., omnesque Christi martyres jam inde ab Apostolis, usque in hunc diem. Confer infra *disp. de cœcâ obedientiâ.*

IX. Conservatio sui-ipsius juris & justi sive erga Deum sive erga proximum nec fundamentum est, nec regula adæquata: consequenter distinctionem inter forum poli & soli, & juris ac liciti in illo & isto, non tollit.

X. Honestas & conversatio civilis, etiam à multis sapientibus Gentilium legibus & moribus excultorum exercita, & illustria eorundem in moralibus exempla non faciunt conscientiæ regulam sive particularem sive generalem. Unde in foro poli & casibus conscientiæ circa licitum & illicitum, adhibenda non est distinctio, inter bonum civem, & bonum virum seu bonum Christianum. Nec distinctio inter bonum politicum & bene facta politicè & bene facta piè seu Christianè.

XI. Nec facta sanctorum, etiam προδιδάκτων Prophetarum & Apostolorum in scripturis relata, sunt regula. Quod infra uberius explicatum vide in *disp. de Exemplo bono ejusque imitatione*, &c.

§. 12. Ad objectiones, exceptiones, effugia, palliationes, excusationes, apologias pro peccatis in *foro poli* & *conscientiæ* talibus, & similia deceptionum mysteria (*Jerem.* 17. *v.* 9. *Jacob.* 1. *v.* 26) hic digredi possem: sed quia alibi in particularium virtutum, vitiorum, casuum explicationibus hoc fieri solet; subjiciam hic solummodo selecta quædam, per modum quæstionum,

I. *Quæst. An ex peccato fiat non-peccatum per allegatam diaboli instigationem & suasionem. Resp. Neg. Genes.* 3. *v.* 13. & Petri abnegantis exemplum *Luc.* 22. *v.* 31. Et spectandum est homini non quid diabolus, sed quid Deus unus legislator *Jacob.* 4. *v.* 12. ab ipso fieri velit.

II. *Quæst. An peccatum in Deum, ejusque opera & providentiam reiici possit, atque ita homini fieri non-peccatum? Resp. Neg. Genes.* 3. *v.* 12. & *Rom.* 9. *v.* 19. 20. Quia Deus nullo modo est causa peccati sive physica sive moralis. De quo in locis de Naturâ Dei, de providentiâ, de peccato.

III. *Quæst. An hominum quorumcunque operationes & cooperationes ad peccatum, eorumque actiones, sive physicæ sive morales, peccata alicujus faciant non-peccata. Resp. Neg.* Quia ipse peccator est peccati causa particularis, propria, directa. Vide *Genes.* 3. *v.* 17.

IV. *Quæst. An corruptio, infirmitas, imperfectio omnibus hominibus adhærens, peccatum commissum in foro poli purgare & non-peccatum facere possit? Resp. Neg.* Vide *Rom.* 7. *v.* 14.

V.

V. *Quæst. An quia quis primus, aut solus tale qui culpandum non commisit, peccatum sit non-peccatum? Resp. Neg.* Nihil enim dicitur, quam etiam alios tale peccatum commisisse. Quod ipsis quidem præstandum: nihilominus tuum tibi præstandum.

VI. *Quæst. An, si judex secundum allegata & probata pro nosse & posse in foro soli judicans, aliquem absolvat; ideo ille à peccato in foro poli simul absolvatur? Resp. Neg.* Huc applica illud Apostoli, Parum est ab humano die me judicari. Et 1 Cor. 4. v. 4. *Nullius mihi conscius sum: at in hoc non sum justificatus.*

VII. *Quæst. An si quis à propriâ conscientiâ non judicetur & condemnetur, factum ejus non tantum peccatum non sit; sed insuper opus bonum; & quidem meritorium. Resp. Neg.* Quia conscientia errans, ex peccato non peccatum facere non potest Judic. 17. v. 13. *Nunc agnovi, quod benefaciet dominus mihi,* &c. 1 *Timoth.* 1. v. 13. ubi Apostolus maximum peccatorum se confitetur, quamvis ignorans Christianos persecutus esset. Joh. 16. v. 3. dicuntur putare se λατρείαν facere Deo, qui Apostolos occidunt.

VIII. *Quæst. An comparatione aliorum & graviorum peccatorum, peccatum aliquod in foro poli non-peccatum judicandum sit? Resp. Neg.* Quia servus sciens voluntatem domini pluribus quidem plagis cædetur: nihilominus servus nesciens voluntatem domini plagis cædetur; quamvis paucioribus *Luc.* 12. *v.* 47. 48.

IX. *Quæst. An si quæstio aliqua moralis, aut determinatio casus conscientiæ, inter theologos non unum hic sentientes, sit aut dicatur problematica; & dum adhuc sub judice lis est, quod ad universalem & ecclesiasticum consensum, nullum in foro poli peccatum comittatur ab eo qui secundum illam aut istam sententiam agat? Resp. Neg.* Quia verbum Dei, quod perpetua adæquata & certa conscientiæ regula est, non est nasus cereus, aut gladius Delphicus.

X. *Quæst. An quæstiones morales, & casus conscientiæ, quamvis totius Christianismi, aut ecclesiæ reformatæ communi consensu determinati; ad problematica aut etiam quodlibetica rejici debeant; & consequenter ab iisdem publicè privatimve tradendis abstinendum sit:* si modo unus aut forte alter, paradoxologus proprio fisus ingenio aut prece pretiove ad id pellectus, Doctorum & Christianismi torrenti, aut saltem ecclesiæ suæ sive nationalis sive provincialis consensui se opponat. Confer *part.* 1. *Polit. eccles. lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 10. *pag.* 565. *& tract.* 2. *cap.* 10. *pag.* 783. 784.

XI. *Quæst. An in foro conscientiæ subditi amplecti & exercere debeant religionem principis seu Magistratus sui? Resp. Neg.* si falsa sit: etiamsi ad eam cogatur.

XII. *Quæst. An theologi & concionatores legitimè vocati ad veram religionem*

nem docendam, mutare teneantur in aliquo aut aliquibus capitibus quotiescunque Principi aut Magistratui visum fuerit veritatem, quam antea tenuit & professus est, cum oppositâ falsitate mutare? Resp. Neg. quia veritas emenda, non vendenda *Proverb.* 13. *v.* 23. *Quia* fides nostra non est temporum, sed euangeliorum; & pro illâ fide decertandum, quæ data est sanctis *Jud. v.* 4. Tenendum est, quod habemus *Apocal.* 2. *v.* 25.

Object. 1. Sunt rationes status, ob quas Princeps aut Magistratus priorem caritatem nunc deserit, & aliter nunc profitetur; & concionatores aut theologos in sententiâ perstantes nunc deserit; immo persequitur: quos paulo ante eo nomine laudare, ad illam sententiam instigare & animare, immo quibus in eadem quasi præire solebat. *Resp.* 1. Sed si theologis essent rationes cœli, cur constanter veritati inhæreant; nec cum Ecebolîis Ecebolii, cum cothurnis cothurni, cum Proteis Protei fiant. Vide eas rationes, *Apoc.* 2. *v.* 10. *Math.* 10. *v.* 32. 33. *Ephes.* 4. *v.* 14. 15. *Resp.* 2. Videndum, ne *rationes status*, quæ dicuntur, revera sint rationes proprii commodi, rationes ambitionis, tenendæ aut acquirendæ propriæ dignitatis: ob quas homines aliqui à veritate deficere, & suffragium suum iis adjicere solent qui malam sententiam aut causam promovent: per modum contractus innominati, *do ut des, facio ut facias.* Da nobis tuum suffragium hâc in re; gavisurus vicissim nostris: sin minus non gavisurus nostris suffragiis ad munera aut emolumenta tibi, aut filiis, fratribus, nepotibus, &c. conferenda.

Object. 2. Atqui theologi & concionatores aluntur à principe aut Magistratu. *Resp.* 1. Aluntur non ut homines otiosi, nec ex peculio Magistratus, nec ex ærario publico: uti *part.* 1. *Polit. eccles. lib.* 4. *tract.* 3. *ostensum est. Resp.* 2. assignatum ipsis est stipendium ut veram religionem doceant; & conscientias recte informent: ad quod absque intuitu stipendii jure divino obligantur; de quo jure & contra quod jus nec Princeps, nec Magistratus magis dispensare potest aut debet; quam Papa, quamvis sibi id arroget. *Resp.* 3. Si theologi essent mera caro, & anima illis data solummodo pro sale, ne caro putrescat (quod de porco nonnemo dixisse fertur), aut si essent heliotropium, utique tam insolens & abominanda non videretur hæc teratologia. *Resp.* 4. Quid si idiotæ theologiæ rudes, ab arundine quassatâ, aut Ecebolio quo, in divinis δεκησισόφῳ quidem revera tamen parum solido & exercitato, colore aliquo Rhetorico, imprimis argumento ab utili persuasi instar polypi colorem mutent: an theologi, qui ἡγεμόνες esse debent, & doctores insipientum (*Rom.* 2. *v.* 20 *Heb.* 13. *v.* 17.), ilico transibunt?

XIII. *Quæst. An necessitas sive privata sive publica, in foro poli ex peccato faciat*

faciat non peccatum ? Resp. Plurima sæpe excusari solent, prætextu *mali necessarii*, & *Necessitatis non ferentis legem*, *& intenti boni publici*, sive in politiâ sive in Ecclesiâ. Sed simpliciter, & promiscuè sine limitationibus & exceptionibus; hæc adhiberi atque accipi non debent. 1. *Si* per malum intelligitur malum turpe seu culpæ, nulla unquam necessitas te adigere debet ad illud faciendum: quia nullo modo est eligibile; nec facienda sunt mala, ut eveniant bona *Rom.* 3. 2. *Si legem* humanâm intelligis, potest esse talis necessitas, ut illam servare non debeas. Et ipsæ leges humanæ tales exceptiones continent; aut judex κατ' ἐπιείκειαν factum cum lege comparatum sic interpretari debet. Sic apud Jureconsultos excusativis major θεοβία, fatales miseriæ. Necessaria vitæ defensio, navis per jactum necessaria exoneratio, metus qui potest cadere in virum fortem, & similia. *Sin legem* divinam aut legem naturalem intelligas, illa necessitatem hominibus imponit præceptis negativis absolutè & ad semper obligandi; affirmativis vero semper, non ad semper. *Necesse est subjici Magistratibus Rom.* 13. *v.* 1. Sed ubi ipsa lex divina limitat aut excipit, obediendum: ne absoluta ac cœca obedientia, & præsumta parendi gloria, cum præjudicio supremi domini & legislatoris, libertatisque fidelium præstetur. Luc. 14. *Qui non oderit patrem matrem*, &c. *non est me dignus*, cum Deuter 33. *v.* 9. *qui dicebat patri*, &c. Et *Actor.* 5. *v.* 29. Et 1 *Cor.* 7. *v.* 23. nolite fieri servi hominum. Taceat ergo in transgressione legis divinæ aut naturalis, prætensa necessitas, quam quis sibi accersivit: de quali Cyprianus de Lapsi. *Nec excusat oppressum necessitas criminis*, *ubi crimen est voluntatis.* 3. *Intentum* bonum publicum, sive in ecclesiâ sive in politiâ, ex malo non facit bonum: duæ enim aliæ conditiones præter bonam intentionem ad opus bonum requiruntur, ut fiant ex fide & secundum legem Dei. Et *Rom.* 3. *v.* 8. de non faciendo malo culpæ, ut eveniant bona, nullam limitationem, nullam exceptionem admittit.

XIV. *Quæst. An si in foro politico aliquid non tantum politicè*, *sed & in conscientiâ licitum*, *immo & debitum (si Magistratus illud mandet) judicetur*; *& contra theologi & ecclesiastici judicent idem in conscientiâ esse illicitum: Resp.* credendum aut saltem præsumendum sit, in hâc judiciorum discrepantiâ aliisque omnibus inter Magistratus & ecclesiæ judicia differentiis, veritatis & justitiæ causam stare à parte Magistratus; non vero à parte ecclesiæ? *Resp.* Quare quæso? quia ita forte statuit colax quis: quod propriæ scenæ hoc in præsenti subserviat: aliter pronuntiaturus, si in propriâ aliquâ causâ haberet suffragantem ecclesiam, adversantem Magistratum. Remonstrantes omnia in ecclesiasticis tribuebant Magistratui, ubi & quamdiu innovationes & αἱρέσεις ipsorum ejusdem patrocinio contra ecclesiæ ordi-

nem (uti in famosâ suâ *Remonstrantiâ* anno 1610. petebant) fruebantur. Iidem tamen alias, post Synodum Dordracenam, & alibi (nominatim in ducatu Geldriæ) longè aliter pronuntiabant. De quo *part. 1. Polit. Eccles. lib. 1. tract. 2. cap. 2.* Omnes ἀζηκτοι in doctrinâ aut moribus, qui causæ suæ desperatione ordini & disciplinæ ecclesiarum se unquam subducere tentârunt, trans mare ad sedem Romanam, aut ad Imperatores, Magistratus provocârunt, & huc potestatem ecclesiasticam, quantum in se est, transtulerunt.

XV. *Quæst. An ergo peccent in foro poli, qui provisionaliter ipso facto potius parent & se subjiciunt judicio aut decreto Magistratus, qui habet arma realia; quam judicio & decreto ecclesiæ, quæ habet arma solummodo verbalia & spiritualia. Resp. Aff.* Neque enim, si juri divino & naturali repugnet, quod mandat aut concedit forum soli, præstita tua obedientia, aut subscriptio, aut promissio, à peccato coram Deo immunem te præstabit; nedum ut opus tuum meritorium sit futurum. Cœcis cœcorum ducibus in Papatu relinquendum est horridum illud dictatum: apud *Toletum lib. 4. de Instruct. sacerdotum cap. 3. Si rusticus circa articulos fidei credat suo Episcopo proponenti aliquod dogma hæreticum, meretur in credendo, licet sit error, qui tenetur credere, donec ei constet esse contra ecclesiam.* Et apud Bellarminum lib. 4. de Pontifice cap. 5. *Si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur ecclesia credere, vitia esse bona, & virtutes malas; nisi vellet contra conscientiam peccare,* &c. Plura istius generis cimelia, vide infra in disp. de cœcâ obedientiâ. Exstat inter epistolas illustrium Belgarum & ad Belgas anno 1617. Lugd. Batav. editas *centur. 1. epistolæ* 20. 22 24. 25. *Gul. Ketleri electi* Episcopi Monasterienſis & Cassandri, quibus agitur de juramento Episcopali; hâc in quæstione lectu dignę.

XVI. *Quæst. An theologus bona conscientiâ promittere aut etiam jurare possit se superioris sui hierarchici, aut politici religione Ethnici, aut Muhammedici, aut Pontificii, aut Antitrinitarii, aut Libertinici, aut neutralis, aut reformati præsentia & futura decreta aut mandata, sive circa politiam sive circa religionem & ecclesiam, probaturum, & eorundem pietatem, justitiam, æquitatem omnibus suasurum; saltem aliter aut contra non dicturum. Resp. Neg.* 1. *Quia*, resistentia negativa, cum superior sive imperat quid facere aut omittere, quod juri divino repugnat, omnibus competit, juxta *Actor. 4. & 5. Dan. 3. & 6.* 2. *Quia*, resistentia verbalis per oblocutionem, sive coram superiori, sive coram populo, sive coram utroque, necessitate ita ferente, ad utriusque necessariam monitionem & informationem Deique & veritatis honorem, theologis & ministris, ex necessitate incumbit. Quo autem modo, an vivâ voce an scripto, & quando opportunè hoc agendum sit, prudentia justorum eos docebit. *Luc. 1. v. 7. Ephes. 5. v. 15.* Sed de his

aliis-

aliisque huc facientibus, in disp. de correptione fraternâ, & de Officiis cartiatis erga proximum peccantem; & in *disp. de confessionibus & apologiis 3. part. Polit. Eccles.* (si Deus volet) inferendâ. Unde facile constabit, quam cruda sint illimitata hæc duo axiomata: quorum prius est, Nullus incola, nullus concionator Magistratibus ut Magistratibus super eorum concessis & decretis sive æquis, sive iniquis contradicere potest, *non magis quam creatura se opponere potest creatori suo.* Quod vide à nobis in transitu excussum in *Exercitiis pietatis p. 759.-770. Alterum* est, nihil unquam concionatori pro concione dicendum; quod tangat politiam sive hierarchicam sive secularem. Quod si omnes modi tactus seu attingentiæ considerentur, non video quid concionatori dicendum relinquatur. Facile enim quidvis per stramineas aut sycophanticas consequentias, politiam alterutram aut utramque tangere contendent, qui veritati, pietati, ministerio sacro, & fidis ministris insidiantur. Explicandum ergo erit, à quibus & quomodo (directè aut indirectè, mediatè aut immediatè, proximè aut propè, aut procul), theologo aut concionatori tum scribenti tum loquenti, sive semper & absolute sive hic & nunc, abstinendum sit. Exceptio illa, quæ contra omnia dicta & exempla Prophetarum & Apostolorum χθὲς καὶ πρώην emergere cœpit, quod hodierni ministri non sint infallibiles, nec peculiarem & extraordinariam ad tales monitiones faciendas, habeant revelationem, qualem ἐπιπνοίαν Prophetæ & Apostoli; alibi à nobis refutatur, in *Exercitiis pietatis cap. 24.*; imprimis in *2. part. Polit. Ecclesiast. lib. 2. tract. de Ministerii Ecclesiastici necessitate*, potestate, &c. Hic præstructim indico, ipsum ministerium ejusque exercitium, in fidei morumque doctrinâ dispensanda, atque adeo universum ordinem ac regimen ecclesiasticum, per necessariam consequentiam tolli; siquidem hæc exceptio ad finem usque defendatur. Interim pro ministerio, perpetuo regimine, & disciplinâ ecclesiæ, consulatur, harmonia confessionum, speciatim nostra Belgica, cum catechesi, liturgiâ, & constitutionibus ecclesiasticis.

DE JUDICIIS DEI

PARS PRIOR

Resp. JOHANNE POLLIONIO Woudenb. Traject. *19. April. 1665.*

Visum est occasione tùm præsentium multiplicium malorum, quæ passim populos in orbe Christiano premunt, tum eorum quæ impendere videntur; de Judiciis Dei commentatiunculam aliquam instituere: ut & discipulis

nostris sciographiam eorum præformemus ; & ad seriam ac justam illorum meditationem exstimulemus. Referri potest hic tractatus , quamvis diverso respectu , ad varios locos communes , utpote de Justitia Dei ; de justâ & efficaci Dei providentiâ ; de pœnis peccatorum : de cruce & afflictionibus piorum ; de resipiscentiâ ; de publicis jejuniis & supplicationibus ; de publica reformatione doctrinæ , morum , disciplinæ.

§. 1. VOx *judicii Divini* in scripturis notat 1. *propriè* actum judicialem. II. *synecdochicè actum Dei Judicis condemnantis* , seu judicium condemnationis *Johann. 5. v. 24.* III. *synecdochicè* & κατ' ἐξοχὴν judicium extremum & universale *Math. 25. Eccles. 12. v. 14. 2 Cor. 5. v. 10.* IV. *metonymicè* legem Dei legislatoris ; secundum quam homines & actiones eorum judicantur *Psal. 119. v. 13. 20. 30.* &c. v. *metonymicè*, executionem judicii , quæ est consequens judicii divini *Jesa. 26. v. 9. Quando judicia tuâ fuerunt in terrâ*, &c. Confer *Exod. 6. v. 5. 2 Paral. 20. v. 9.* & *22. v. 8. Ezech. 5. v. 8.* & *11. v. 10 11.* Et hæc significatio est hujus loci. Cujus synonymę phrases sunt , plagæ, *Psal. 32.* manus Dei *Jesa. 9. v. 11 20. ira Dei Rom. 1. v. 18.* egressus seu partus decreti *Zephan. 2. v. 1.* calix iræ divinæ , & absolutè calix. *Jesa. 51. v. 17. Jerem. 25. v. 15.*

Describitur ergo judicium Dei , *quod sit gravis , & insolens plaga hominibus ob peccata* in his terris, & in hâc vitâ *divinitus immissa.* In hâc descriptione ponitur 1. *plaga* , ut distinguatur à beneficio & benedictione divina. II. *gravis* & *insolens* , ut distinguatur ab ordinariis & perpetuis , aut quotidianis molestiis, laboribus, defectibus , tum spiritualibus tum corporalibus ; cum quibus homines in hâc mortali & ærumnosâ vitâ conflictantur. De quibus *Genes. 3. Math. 5. v. 34. Psal. 90. v. 10. Job. 7. v. 1.* III. In *his terris & in hâc vitâ :* ut distinguatur à judicio illo judiciorum ; plagis scil. post hanc vitam in inferno æternum infligendis (de quibus *Math. 25. v. 31. Marci 9. v. 44. 49.*), quæ etiam dicuntur ira ventura 1 *Thess. 1. v. 10.* & condemnatio *Rom. 8. v. 1.* Et sic contra distinctè ad judicium infernale post hanc vitam Jesa. 26. v. 9. dicitur : *Nam quando judicia tua fiunt in terrâ, justitiam didicerunt habitatores terræ.*

§. 2. Judicium hoc variè dividi potest 1. *ratione subjectorum* seu extensionis, aliud est primario dictum judicium, *publicum* seu *commune* ; civitatum scil., populorum , nationum & aliarum quarumcunque communitatum : aliud *privatum* , certarum personarum , aut ordinum , aut familiarum *Zachar. 11. v. 17. Publicum* , rursum dividi potest in *universale* totius orbis habitabilis ;

quale

quale erat diluvium Noachicum: & in *particulare*, idque magis vel minus extensum. *Magis extensum*, est vastatio, confusio, eversio multarum nationum & politiarum, quæ per monarchas Assyrios, Babylonios, Persicos, Græcos, Romanos obtigit: Quam prædixerunt Jesaias, Jeremias, Daniel, & descripserunt historię monarchiarum. Tale etiam judicium fuit clades Romano Imperio illata per Gepidas, Vandalos, Longobardos, Gothos, Hunnos, Saracenos. De quibus judiciis querelæ *Augustini lib. 1. de Civit. Dei.* Et *Salviani in libris de gubernatione Dei. Minus extensum* est, quod uni populo, aut regno, aut Reipublicæ obtingit; ut Sodomæ cum adjacentibus civitatibus; *Genes.* 19. populo Israelitico & Judaico, in libris *Judicum* & *Regum*, in *threnis Jeremiæ*; Britanniæ, de quo Gildas de excidio Britanniæ; Hispaniæ per Vandalos, Gothos, Mauros; Germaniæ per bella Bohemica & Germanica ab a. 1621. usq; ad ann. 1648. Britannię & Hybernię a. 1640. & seqq. de quibus judiciis Dei, quæ ecclesias exercuerunt per hæreses, scismata, persecutiones, legenda historia ecclesiastica *Georgii Hornii*, ejusdemque historia de bello Anglicano; & anonymi peculiaris historia de laniena Hybernicâ.

11. *Ratione finis* & *formæ* sub quâ à Deo immittitur, judicium Dei aliud est *vindictæ* aliud *castigationis* & παιδείας. *Illud est*, quo impios & hostes suos persequitur; quod etiam *maledictio* dici potest. De quo *Prov. 1. v. 26. 33. Nahum. 1. v. 1. 2. Istud* est, quod electis & filiis suis immittit, ut sanctitatis ipsius fiant participes, & ne cum mundo pereant. Vide de hoc judicio 1 *Petr.* 4. *v.* 17. cum *Heb. 12. v. 5. - 12. 1 Cor. 11. v. 30. 31.*

Quo respectu vocari potest judicium misericordiæ, & judicium salutare. Egregiè hanc distinctionem explicat *Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap.* 8. „Hæc quum ita sint, quicunque boni malique pariter afflicti sunt, non „ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod utrique per„pessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum, etiam in similitudine pas„sionum; & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. „Nam sicut sub uno igni aurum rutilat, palea fumat; & sub eâdem tribulâ „stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca „confunditur, quia eodem prœli pondere exprimitur: ita una eademque „vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, ex„terminat. Unde, &c. Tantum interest, non qualia sed qualis quisque pa„tiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & „suaviter fragrat unguentum.

111. *Ex efficiente* & efficiendi modo, dividitur in magis immediatum, & magis mediatum. Ad *priorem classem* reduci possunt, diluvium Noachicum; decem plagæ Ægypti; terræ hiatus *Num.* 16.; sterilitates & fames (qualis tempore Eliæ 1 *Reg.* 17. cum *Jacob.* 5. *v.* 17.); terræmotus: terrę

hiatus *Numer.* 16. incendia per ignem de cœlo (qualia Sodomę *Geneſ.* 19. gregum Jobi, *Job.* 1. *v.* 16. militum bis 50. 2 *Reg.* 1.); terrarum inundationes *Pſ.* 107. *v.* 33. 34. (de quibus in 1. *part. ſel. diſp. tit. de Creatione part.* 6.); dæmonum vexationes per terriculamenta, ſpectra, energemata, fanatiſmos, damna hominum corporibus & bonis illata *Job.* 1. maleficia magica, tentationes per injectiones blaſphemię, & ad infidelitatem, aliaque peccata contra utramque decalogi tabulam, ſpecialiter ad ἀνθροπίαν (de quibus in 1. *part. ſel. diſp. tit. de Operationibus Dæmonum, de Spectris, de Energumenis*, & in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Magiâ*, & in *Exercitiis Pietatis tit. de Tentationibus*); denique Peſtis 2 *Sam.* 24. de quâ antehac peculiari tractatu egimus. *Ad poſteriorem claſſem* refer partim quæ mediantibus cauſis naturalibus eveniunt, ut incendia Ætnę, & Veſuvii; partim quæ mediantibus hominibus eveniunt, ut latrocinia, bella, ſeditiones, cum annexis & conſequentibus hominum mactationibus, exiliis, captivitatibus, ſervitutibus, inſuper incendiis, deprædationibus, depauperationibus, mulierum & virginum conſtuprationibus; denique omnis generis furta, tum aperta tum palliata. Inter palliata excellunt fœneratorum: quæ eo pejora & nocentiora ſunt, quod ſimulatâ æquitate abominanda eorum iniquitas tegatur. Vide de hoc judicio *Prov.* 28. *v.* 8. coll. cum *Pſal.* 109. *v.* 10. *Deut.* 28. *v.* 44. 11. 12. Ad eandem hanc claſſem refer ſciſſiones, turbationes, corruptiones, diſparſiones, everſiones eccleſiarum per infideles, hæreticos, ſciſmaticos, perſecutores.

IV. *Ratione* ſpecierum ſubalternatarum & infimarum, judicium dividitur in magis commune ac frequens; & in minus frequens. *Illius* generis eſt triplex: bellum, fames, peſtis 2 *Sam.* 24. *Amos* 4. *v.* 6.-12. *Ezech.* 14. *v.* 13.-22. Ex his duo poſteriora plerumque primum comitantur aut ſequuntur: ut hoc docet experientiâ *Ezech.* 14. *v.* 15. additur quartum, beſtiæ malæ, tranſitus per terram *ibid. v.* 10. hæc quatuor vocantur, *quatuor judicia mala.* De beſtiis malis legendus propheta *Joel. c.* 1. & 2 *Reg.* 17. *v.* 25. De crabronibus *Exod.* 23. *v.* 28. de pediculis, vermibus, mixtilibus *Exod.* 8. De muribus vindictæ divinæ executoribus in Popelo 2. Principe Polonorum anno 830. in Wilderolfo, (qui & Wilderamus) Argentoratenſi antiſtite; in milite quodam; in Hattone Epiſcopo Moguntino, refert *Camerarius in operis ſucceſſivis centur.* 3. *cap.* 1. & ibidem autores ſuos laudat. De formicis, ranis, cuniculis oppida ſubvertentibus, aut incolas ex ſede ſuâ pellentibus, *Idem ibid. cap.* 2. *Iſtius generis* ſunt, innumerę plagæ, ex iræ divinæ theſauris productæ & producendæ. *Quis cognoſcit fortitudinem iræ tuæ? & ſicut timor tuus ira tua.* Pſal. 90. v. 11. Hic notandi ſunt morbi inſoliti & excellenter miſerabiles; quorum partes aliquæ indicantur *Deuter.* 28.

28. *v.* 22. 27. 28. & plures leguntur in Scenckii obſervationibus, & Leonardi Donati Hiſtoriâ Medicâ memorabili. Inter eos *lepra* ulcus Ægypti, infirmitates ani, ſcabies, prurigo, qui Deut. 28. v. 27. dicuntur *non poſſe curari*. Exempla judiciorum per immiſſam lepram, data ſunt in Rege Uzzia, in Gehaſi; in Mirjam ſorore Moſis. Conferenda hic execratio Davidis 2 Sam 3. v. 29. *Ne deficiat de domo Joab fluens, & leproſus, & tenens ſcipionem & cadens gladio, & carens pane.* Exemplum plagæ per mariſcas lege 1 Sam. 5. v. 6. *aggravata eſt autem manus domini in Aſdodicos*, &c. Minatur Deus, ſe immiſſis populo ſuo tot & tam gravibus plagis, additurum, ut *ſepties* (numerum indefinitum intellige) eum *corripiat ſuper peccatis* aut propter *peccata* ipſorum *Levitic.* 26. *v.* 18. 21. 24. 28. Catalogus multorum judiciorum contexi poterit ex *Deuter.* 28. *Exod.* 7. 13. 1 *Reg.* 8. & 2 *Reg.* 17. *Amos* 4. *Matth.* 24. *Luc.* 19. & 21. Ex vulgatis hiſtoricis plurima particularia judiciorum exempla collegerunt *Honſdorfius in theatro hiſtorico*; *Manlius in locis communibus*; *Simon Goulartius in* 3. *partibus ſeu volum. collectarum hiſtoriarum Gall. & Belg.*; editores ſpeculorum tragicorum: inter quæ longè auctius ante annos non ita multos ex Gallico in noſtrum idioma tranſlatum prodiit. Adde hiſtorias oſtentorum & prodigiorum, quarum aliquas indicavimus in 2. *part. ſelect diſpp. tit. de Signis*, & in *tract. de Prognoſticis Cometarum.* Unus tract. prætereundus non eſt, gallicè ſcriptus, tit. *Hiſtoriæ memorabiles de magnis & admirandis iudiciis & pœnis Dei, quæ in hoc mundo præcipuè magnatibus, ob peccata ipſorum contra legis divinæ præcepta, obtigerunt.* Hic tractatus ſcriptus fuit à *Johanne Chaſſanion* Moniſtrolenſi, & Johanni Caſimiro Palatinatus adminiſtratori dedicatus anno 1586. Idem tract. in noſtrum idioma tranſlatus, denuo recuſus Amſtelodami anno 1614. in frontiſpicio Doctori *Honſdorfio* adſcribitur: ſed manifeſto errore. *Honſdorfii theatrum* anno 1575. ex Germanico in latinum ſermonem converſum, & ita auctum fuit à Philippo Lonicero: ut mole ſuâ Chaſſanionis tractatum anno 1586. primum editum triplo & amplius ſuperet. Hoc cum ita ſit, & tranſlatio Belgica de verbo ad verbum Chaſſanionis tractatum expreſſerit, non Honſdorfii aut Loniceri; ἐν παρόδῳ de hoc monendos duxi juniores: quibus interim dictum tractatum commendo, vel eo nomine, quod ad *noſtri temporis Epicureorum & atheorum* (ut utar verbis Chaſſanionis in præfat.) ora obſtruenda amplam ſuppeditet materiam. Addi poſſunt ſpectrorum & diabolicarum infeſtationum hiſtoriæ; quas indicamus in 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de Operationibus dæmonum, de Spectris, de Energumenis*; & in 3. *part. ſel. diſp. tit. de Magiâ.*

v. *Ratione formæ ſeu modi*, alia ſunt homogenea, alia heterogenea. *Homogenea* ſunt, quæ fiunt per eaſdem aut ſimiles plagas, quibus improbi alios afflixe-

afflixerunt; juxta vulgatum illud, *Quo quis peccat, eo punitur.* Illustre exemplum est in Adonibezek *Judic.* 1. *v.*6. 7. Cujus textus occasione theologus in literis, historiis, & scriptis politicis apprimè versatus *Jac. Focanus* amicus noster, cum viveret, integerrimus tractatum nostrate linguâ in 4. tit. *Adonibezek, seu lex talionis, hoc est, justæ pœnæ, tyrannorum,* anno 1629. evulgavit. Alterum exemplum est in Achabo cujus obtruncati sanguinem lingebant canes: eodem in loco, ubi antea injustè occisi Nabothi sanguinem linxerant 1 *Reg.* 21. *v.* 19. Historiæ, & quotidiana exempla exhibent eorum, qui gladio, vivicomburio, laqueo, fame, nuditate, mendicitate, calumniis, diffamationibus, exilio, deportatione, dignitatum & munerum privatione, familiarum dissipatione aut excisione, falsâ & calumniosâ delatione, improbâ κολάκων instigatione, injustorum judicum iniquis sententiis, tyrannorum crudelitate, hostium sævitiâ, plectuntur; quibus ipsi alios afflixerunt, aut quæ aliis innocentibus intentârunt. Prudentes & Deum timentes, ad hæc attendant, & hoc aliis inclament:

Discite justitiam moniti, &c.

Nonnunquam eodem recurrente tempore, eodem loco, ubi ipsi injusta patrârunt, eodem modo affliguntur, sive justè, sive injustè, sive dictâ sive indictâ causâ. Cardinalis Betounus in Scotiâ in eâdem arce à conjuratis quibusdam nobilibus miserè obtruncatus est, ex quâ antea vivicomburium Sophocardi Martyris cum voluptate spectaverat. Hesselius consiliarius in consilio sanguinum (Belgis sic dicto), à Balivo Gandavensi inauditus, absque judiciali processu & sententiâ, ex arbore extra urbem Gandavensem suspensus est: qui tam multos à se inauditos cum è somno vinoque vix excitatus, ad suffragium ferendum postularetur, ferali suâ formula, *ad patibulum, ad patibulum,* in crucem egerat. De quo historiæ Belgicæ & ex iis compendiosè *horologium excitatorium Belgicum,* aut *Speculum juventutis.* Plura à me speciatim in Belgio nostro observata hic referre possem; sed ob posteros præsertim melioris frugi, hac vice abstineo, & aliis post commemoranda relinquo, si qui specula tragica novis editionibus auctiora reddere voluerint. Unicum in παρόδῳ hic monitum volui; à scriptoribus aut concionatoribus vexationes Alastorum, Ecclesiæ ex Scripturâ Hamanis; Herodis, &c. ex historiâ ecclesiasticâ antiquâ Valeriani, Juliani, &c. ex novellâ historiâ Henrici 2. Caroli 9. Philippi 2. &c. & plurimum ἐπισήμων in Belgio fœderato ab anno 1608. usque 1619. eorundemque dejectiones, depressiones, quorundam etiam tragicos exitus occasione ita ferente, posse referri: ut in speculo justæ & efficacis providentiæ divinæ contemplanda proponantur, & ut alii ipsorum exemplo discant, manum à sacrorum profano contactu, & ecclesiæ atque ordinis ecclesiastici vexatione abstinere. Hâc tamen

cau-

cautione, ne τὸ legitimum & juſtum in omnibus illis (ratione Dei) retaliationibus, & judiciis, tale etiam faciant ac determinent, ratione hominum, qui hic virgas furoris divini præſtiterunt. *Jeſa.* 10. Quamvis enim ipſe concionator juxta cum aliis juris divini & humani peritiſſimis, ita cenſeret: præſtat tamen illic loci & temporis in medio relinquere; immo & aliquando per hanc aut ſimilem parentheſin, (*quamvis nolim dicere, aut jam non dicam*, aut, *juſtè & legitimè an hæc omnia facta ſint, non eſt hujus loci diſquirere*: aut, *dato ab hominibus hæc illegitimè & injuſtè facta eſſe*) præcavere; & ſolummodo manum Dei juſtè punientis, aut caſtigantis obſervare. Is enim etiam peccata peccatis punire conſuevit. Hæc prudentia juſtorum ſi adhibeatur, nullo colore mendaces ſuſurrones, & ſtupidi calumniatores domeſtico teſte, judice, & tortore vellicante; dicere aut ſcribere poterunt, concionatores præſentibus principibus & magiſtratibus minari, immo perfida conſilia & conſpirationes agitare, aut alios ad hæc incitare in Reipublicæ aut Magiſtratuum nunc poſſidentium ſubverſionem.

Cauſa efficiens judiciorum eſt omnipotens Deus, juſtus mundi judex *Geneſ.* 18. *v.* 25. *Rom.* 3. *v.* 6. & unus legiſlator qui poteſt ſervare & perdere *Jacob.* 4. 12. *An malum erit in civitate, quod Deus non facit.* Amos 3. v. 6. §. 3.

Cauſæ procatarcticæ judiciorum Dei ſunt peccata: *ſingularium*, ſingularia, ut Herodis *Actor.* 12. communium & publicorum, plerumque peccata publica publicè & communiter graſſantia, ſive epidemica, ſive endemia. *Illorum* exemplum habes Geneſ. 6. v. 13. *omnis caro corruperat viam ſuam. Iſtorum* exempla dabant Chananei, incolæ Sodomæ & Gomorræ *Geneſ.* 19. Iſraelitæ 2 *Reg.* 17. *Jeſa.* 1. *Amos* 4.

Inter peccata quæ Dei judicia provocant, conſideranda denominatio *peccatorum clamantium*, quæ ex ſcripturæ textibus non malè deſumitur *Geneſ.* 4. *v.* 9. coll. cum *Hebr.* 12. *v.* 24. *Geneſ.* 19. *v.* 13. *Exod.* 22. *v.* 22. *Jacobi* 5. *v.* 4. Hinc eſt, quod Scholaſtici, Caſuiſtæ, catechetici Pontificii ad loca cit. communiter numerant iſtas quatuor ſpecies, 1. *paricidium.* 2. *ſcelus Sodomiticum.* 3. *viduarum, pupillorum, pauperum*, (adde & peregrinorum,) *oppreſſionem* 4. *mercedem operatiorum defraudatam.* Sed cum clamantia peccata ſint tam enormia & præſumtuoſa, ut promtam vindictam à Deo quaſi poſtulent, alia complura nomine *clamantium* contineri videntur

Nos ergo ſic enumeramus *Cauſæ judiciorum* ad nationum, regionum, civitatum, familiarum graviſſimas concuſſiones, immo & ſubverſiones atque excidia, merito habentur, ſequentia.

1. *Idololatria Levit.* 18. & 20. *Exod.* 20. *Deuter.* 32. 2 *Reg.* 17. *Ezech.* 16. *Hoſeæ* 4.

2. *Magia* divinatrix & operatrix *Deuter.* 18. *v.*8. - 12. 2 *Paralip.* 33. *v.*6. Huic clamanti peccato clades à Littorio accepta anno 439. adscribitur à *Prospero* & *Isidoro in Chronicis*, coll. cum *Euagrio lib.* 1. *Histor. Eccles. cap.* 19.

3. *Irreligiositas* seu profanitas, omnisque Epicureismus; nominis divini abusus, per diras, execrationes, blasphemias, perjuria, perfidias seu fidei violationes. Inter quas specialiter observandæ publicorum fœderum violationes. Exemplum illustre in *historiâ sacrâ* dedit Ezechias rex Judę 2 *Paral.* 36. In historiâ humanâ Ludovici Regis Hungariæ memorabilis & luctuosa clades ad Varnam.

4. *Ingratitudo*, & abusus benedictionum divinarum; affluentiæ scil. temporalium, pacis, securitatis *Ezech.* 16. *v.*49. *Hos.* 2. *v.*7. 8.

5. *Superbia*, insolentia, carnalis gloriatio *Jes.* 10. *v.*13. & 47. *v.*7. - 11. *Apocal.* 17. *v.*7. Proverb. 16. v. 18. *Ante contritionem est superbia, & ante ruinam elatio spiritus.*

6. *Tyrannis*, de quâ scriptores politici. Judicia in tyrannos collecta sunt à speculis Tragicis, Chassanione, *Jac. Focano*; & *Rich. Cracanthorp in tract. de providentiâ.*

7. *Injuriæ* per oppressiones aut vexationes ecclesiarum, viduarum, pupillorum, pauperum, peregrinorum, piorum, virorum Dei seu fidelium ecclesiæ ministrorum. *Exod.* 22. *Deuter.* 10. *Psal.* 68. & 64. Huc specialiter referri debent sacrilegia *Jos.* 7. *Prov.* 20. *Malach.* 3. & iniquum fœnus, *Proverb.* 28. *Psal.* 109. Exempla eorum, qui ecclesiam aut fidos Dei ministros, aut utrosque infestârunt, & in hâc vitâ vindicem Dei manum experti sunt in scripturis exhibentur, Pharaonis, Saulis, Jeroboami, Achabi, & Izebelis, Athaliæ, Zedekię cum proceribus & populo, Hamanis, Herodis *Math.* 2. & alterius Herodis *Actor.* 12. In antiquâ historiâ ecclesiasticâ, Neronis, Caligulæ, Maxentii, Valeriani, Juliani apostatę, Constantii, Valentis. In historiâ recentiori, Cardinalis Lotharingi, Cardinalis Betouni in Scotiâ, Episcopi Gardineri, Cardinalis Wolsei, Mariæ Reginæ Scotię, Quatuor Senatorum Genevensium (de quibus *Beza in vitâ Calvini*) Regum Galliæ Henrici 2. Caroli 9. Henrici 3. Philippi 2. Hispan. Regis, Hesselii consiliarii in consilio sanguinum, Ruardi Tapperi ex primis inquisitoribus Belgicis, aliorumque complurium; quorum mentio in historiis & in martyrologiis; in theatris exemplorum, in speculus tragicis. Utinam qui hodie idem saxum volvunt, memores sint Zachar. 12. v. 3. *Ecce pono Jerusalem lapidem onerarium, omnes qui ferent incidendo incidentur.* Huc etiam pertinent impedimenta & oppugnatio, aut neglectus regiminis, ordinis, ἐυταξίας, disciplinæ ecclesiasticæ. 1 *Cor.* 11. *v.*30. 31. *Cyprianus* suo tempore conquerebatur, quas plagas non meremur quod lapsis tam facile veniam damus.

8. *Abo-*

8. *Abominandæ impuritates Levit.* 18. *v.* 25. 28. cum *Levit.* 20. *v.* 4. Et hanc causam vastatæ per Vandalos Africę assignat *Salvianus lib. 7. de gubernatione Dei pag.* 272. & seqq. ubi scelera eorum describit. Vide de immani Vandalicæ persecutionis crudelitate *Victorem de persecutione Vandalicâ*, & *Augustini epistolam* 183. *ad Honoratum.* Inter peculiaria judicia Dei, quibus vagas libidines persequitur merito numerari debet infamis & orbi Europeo antea ignotus teterrimus ille morbus, quem Hispanicum aut Gallicum vulgo appellant: quod sub finem sæculi decimi quarti in Gallorum exercitu Neapolim tunc obsidente grassari cœperit: & Hispani eum ex novo orbe huc traduxisse putentur. Eum *Erasmus in colloquiis* leprâ quâvis deteriorem pronuntiat.

9. *Verbi divini*, & prophetarum ad eos missorum contemtus; immo & eorundem persecutio, oppressio, *Matth.* 23. *v.* 3. 38. *Jerem.* 25. *v.* 3. 12. *Psal.* 7. *v.* 10. 11. cum voces clamantium conticescunt; & amplius in nomine domini non loquuntur; *Amos* 5. *v.* 11. *Ideo intelligens*, &c. *tacebit*, &c.: *quia* enim carceribus & vinculis constricti; aut per mortem sublati; aut ignominiosè inde ejecti; aut violenter pulsi, loqui non possunt: *aut* quia in vanum cum laborare se vident, tandem tacent; *aut* quia pulvere pedum excusso inde discedunt; *aut* quia atrocibus minis exterriti & nimio metu perculsi, non audent; *aut* quia per assiduos labores, curas, vexationes, gemitus, cordolia exhaustis viribus tandem deficiunt, & sæpe immaturâ morte hinc ad æternam quietem emigrant Jesa. 57. v. 1. 2. *Justus perit*, &c. Vide & confer Heb. 11. v. 38. *Quibus mundus non erat dignus.* Improbi interim deliciantur & in sinu securè rident *Joh.* 16. *v.* 20. *Apocal.* 11. *v.* 10. Sed metuendum est, ne risus ille in luctum desinat *Jac.* 4. *v.* 9. etiam in hoc mundo; si non in infernalem gemitum & stridorem dentium *Math.* 8. *v.* 12. Aut si in hoc mundo gemere & dolere nesciunt, videant, ne pyraustæ gaudium gaudeant, & vel ipso risu suo pereant: uti illud accidisse ferunt Leoni X., qui accumbens mensæ & accepto nuntio de clade Gallorum in Insubria, in tantam proprupit lętitiam, ut catharro & febri continuâ correptus intra triduum animam efflaret: teste *Martino du Bellay in suis memoriis*, & ex eo *Joh. Chassanion in historiis memorabilibus de Judiciis Dei part.* 1. *cap.* 24. *Virtutem incolumen odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi.* Huc ad voco illud servatoris. Luc. 17. v. 22. *venient dies*, &c.

10. *Præcedentium judiciorum*, & quidem variorum tum minorum prę-cedentium, tum majorum succedentium contemtus: qui plura & majora judicia post se trahit *Amos* 4. *v.* 13. *Jes.* 1. *v.* 5. 6. *Deut.* 28. *v.* 59. *Levit.* 26. *v.* 24.

11. *Denique*, ut omnia complectar, causa procatarctica judicii evertentis

tis & consummantis est, mensuræ impletio & peccatorum consummatio: sive in iisdem personis, sive in posteris. Vide Math. 23. v. 22. *Et vos etiam implete mensuram patrum vestrorum.* Et judicium consummationis juxta Christi prædictionem *Math.* 24. *Lucæ* 19. demum immissum 40. annis post, per Romanos qui templum, urbem, gentem everterunt: uti à *Fl. Josepho in libris de bello Judaico* describitur. Gen. 15. v. 16. *Quia non est perfecta iniquitas Emorei usque adhuc.* Et cap. 18. v. 20. 21. *Et dixit Dominus, clamor Sedom & Hamorah, quia multiplicatus est,* &c. *descendam nunc & videbo, an secundum clamorem, qui venit ad me, fecerint consummationem,* &c. Quando autem sit consummatio peccatorum personæ, familiæ, civitatis, regionis, gentis, & quando maturitas judiciorum Dei, & nubes, jam jam resolvenda, ut *depluat super eos laqueos, ignem & sulphur & spiritum procellarum* (Psal. 11. v. 6.) ad παροξυσμόν; & ut persona, familia, gens illa sit dicenda *lo-ruchama* Hos. 1. v. 6. peremtorie & præcisè à nobis cognosci ac pronuntiari non potest. Quis enim novit impervestigabilia Dei judicia, & vias? quis terminos benignitatis, tolerantiæ, longanimitatis divinæ? Licitum tamen est præsumtione, conjecturâ & certitudine quasi morali, tale quid apprehendere, præsagire, metuere, & sub conditionali comminatione illis proponere, quorum interest. Et hoc cum faciunt speculatores super domum Dei constituti, non errant, nec risu Epicureo (2 *Petr.* 3. v. 2. 3.) excipiendi sunt. Ne autem superstitiosæ aut vanæ sint illorum comminationes, ex historiâ sacra, ecclesiasticâ, politicâ colligenda sunt exempla judiciorum ob eadem aut similia peccata (qualia hic aut alibi grassantur) aliis antehac immissorum: & inde prudenter præsagiant, metuant, præsumant, minentur, hæc aut similia judicia, suo tempore secutura. Hæc est methodus, collectio, & præmonitio Apostolica Rom. 11. v. 22. *alioquin & tu excideris.* Hoc tamen cavendum, ne absolutè prædicant istis personis, aut communitatibus, tale speciale judicium, intra tale definitum tempus, tali definito modo super venturum. De judicio jam immisso, an & quomodo dicendum sit, propter ista istius hominis peccata specialiter immissum esse, infra *part.* 2. in subjectis quæstionibus disquiretur.

§. 4. *Fines* judiciorum, Dei intendentis sunt vel revocatio, & conversio electorum, ne cum mundo pereant, & ut sanctitatis divinæ fiant participes: vel confusio impiorum & converti nesciorum, atque adeo per hęc judicia in terris ad judicium peremtorium & æternos cruciatus deductio. De *illo fine* vide 1 *Cor.* 11. *v.* 32. 2 *Petr.* 3. *v.* 5. *Judæ v.* 4. *Illi* applica dictum *Augustini* (ni fallor) *justitia ejus abyssus misericordiæ. Ista* ejusdem: *misericordia Dei* (sic parcens scil.) est *abyssus justitiæ.* Et alterum ejusdem: *misericordiam illam nolo.* Impii & hypocritæ in judicio nil nisi judicium, in malo

malo ἡπλᾶτο nil nisi malum sentiunt: fideles tenerrimi & paterni amoris dulcedinem, quamvis amaro absinthio involutam, degustant. O dulcem iram! dulcia judicia! Sunt ipsis omnia hæc vel graviſſima, sagittę amaræ, sed γλυκερᾶς παλάμης: uti ea appellat *Nazianzenus in carminibus*. Ita ut in iis *gloriari* possint Rom. 5. v. 3. & *pudore non afficiantur in tempore malo* Psal. 37. v. 16. *In vastitate & fame rideant*; (sunt verba Eliphazi *Job.* 5. *v.* 22.) & vel mediis in malis animæ suę suggere non desinant illud *Psal.* 34. *v.* 8. *gustate & videte quoniam bonus est dominus: beatus vir qui sperabit in eo.* Et si vel fractus illabatur orbis atque infera superis misceantur, impavidum ferient ruinæ; *nec pudore afficientur in tempore malo* Psalm. 37. v. 19. Hæc sors verè fidelium, quod Deum agnoscant ut patrem, quamvis se iratum & tanquam hostem ostendat; quod cum *larvatus* aliquando suis appareat, *larvam istam fides illi detrahat*: sunt verba, ni fallor, magni Lutheri. Conferant aliquando discipuli nostri Illustris *Mornæi Plessiaci* pias & suaves *meditationes in Psalmos* aliquot, specialiter in *Psal.* 6. & *Zadeelis meditat. in Ps.* 32. Omnia hactenus allata respectu intentionis divinæ, & respectu formalis sub quo judicia circa fideles exercentur, ut eventus ac victoriæ *Rom.* 8. *v.* 37. nec non sustentationis, mitigationis, consolationis divinę 2 *Cor.* 1. *v.* 4.) & impartitæ majori mensurâ gratiæ (2 *Corinth.* 12. *v.* 4.) auxilia sint. Quo eodem respectu Propheta Habacuc cap. 3. v. 2. *In irâ misericordiæ recordaberis.* Nihilominus alio respectu dolorem, metum, pudorem, humiliationem nostram requiri tempore malo, extra controversiam. Et merito ut Stoicorum ἀπάθεια: sic contemtus, lętitia, risus, & hilariorum celebratio repudianda est. Jes. 22. v. 12. 13. Et *vocabit dominus Deus exercituum in die istâ ad fletum & ad planctum*, &c. *Et ecce gaudium, & latitia, occidere boves, & jugulare pecudes, comedere carnes & bibere vinum, comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Maneat ergo divinum illud temperamentum, oppositorum in eodem subjecto: *quasi dolentes, semper autem gaudentes* 2 Cor. 6. v. 10.

Objectum seu subjectum judiciorum Dei sunt omnes homines jam in- §. 5.
de à lapsu Adami usque ad finem mundi. Si enim homo lapsus non fuisset, nec peccatum in mundum intrasset; mors & mortalitas non fuisset, nec ordinaria & perpetua hujus vitæ molestia atque ærumna, multo minus graves & insolitæ plagæ, quas κατ' ἐξοχὴν *judicia Dei* appellamus. Creaturæ etiam nullæ fuissent sive naturales sive irrationales, ita dispositæ, ut Deo in judiciis exequendis inserviissent. Nulli enim vanitati & servituti corruptionis subjectæ fuissent, cui nunc propter hominis peccatum subjectæ sunt *Rom.* 8. *v.* 20. *Genes.* 3. *v.* 17. 18. *Deuter.* 28. *v.* 23. Quomodo & quâ cum distinctione hoc accipiendum, vide in 1. *part. select. disp. tit. de Creatione.*

Angeli mali quamvis in termino malitiæ ante hominis lapsum constituti essent, non tamen habuissent potestatem mortis (*Hebr.* 2. *v.* 14.) nec fuissent virga furoris in manu Dei ad judicia ipsius exequenda. Sicuti ante lapsum, quamvis esset diabolus, & diabolica malitia, non tamen fuisset hominibus tortor (actu sc.): ut nunc beatis in cœlo, tortor non est ad vexationem. Præterea hic observandum, quamvis nulli homines in hâc vitâ exemti sint ab omnibus Dei judiciis; immo judicia Dei sæpe incipiant à domo Dei 1 *Petr.* 4. magnum tamen discrimen esse inter pios & impios, fideles & infideles, non tantum quod ad formale & quod ad finem à Deo intentum (uti supra *thesi* 2. expositum est) sed etiam quod ad materiale. Tam multa enim, aut tam terribilia atque insolita judicia, aut tamdiu, aut tam frequenter pii non subeunt, ac impii Psal. 32. v. 10. *Multi dolores erunt impio: sed sperantem in domino misericordia circumdabit.* Psal. 37. v. 28. *Quia dominus amat iudicium, & non derelinquet misericordes suos; in sæculum custodientur, & semen impiorum succidetur.* Ibid. v. 25. *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

DE JUDICIIS DEI.

PARS ALTERA.

Resp. WILHELMO van RHYN, Ultrajectino. 13. *Maji.* 1665.

Continuatio §. 5.

§. 5. Sæpe gravissima publica judicia pios non feriunt, sicuti plagę Ægypti, & specialiter percussio primogenitorum, non appropinquabant terræ Golen aut domibus, liberis, agris, jumentis Israelitarum. Ebedmelech in communi clade evadebat *Jerem.* 34. *v.* 18. 19. Error fuit amicorum Jobi, quod contenderent tam insolitas, tam terribiles, tam multiplices plagas confertim nunquam immitti piis; sed apertè impiis, aut hypocritis, aut saltem peculiari, atroci, & clamanti alicui peccato supra alios homines implicitis: & hinc contra Jobi justitiam, sinceritatem, & immunitatem à peculiari & grandi flagitio præsumebant. Contra quorum intentum ille justitiam & innocentiam suam tuebatur. Sed in axiomatis illis *Psal.* 32. *&* 37. ut & in multis aliis, quæ in proverbiis Salomonis occurrunt, τὸ κῇ παντὸς exponendum est per τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Quomodo & dictum servatoris *Luc.* 4. *v.* 24. Nemo propheta acceptus est, &c. Et Jea. 33. v. 1. *Væ prædanti,*

danti, & tu non prædam passus, &c. *cum consummaveris prædari, prædam patieris, cum consummaveris contemnere*, &c. Quod in ipso prædone ut plurimum quidem, non tamen semper obtinet; sed in ipso aut posteris ejus, aut utrisque, serius aut citius.

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Et *Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo.* Et hoc ipsis Gentilibus observatum: uti docet libellus *Plutarchi, de serâ numinis vindictâ.* Huc accedit, quod plurima axiomata medica, politica, œconomica, sic κατὰ πάντα sint accipienda. De quo in libello de *Prognosticis Cometarum*, occasione objectionis alicujus, agimus.

Quæstio est, An Christus in terris & diebus carnis suæ fuerit subjectum judiciorum Dei. Resp. Aff. ex Jesa. 53. *v.* 8. *de clausurâ* (angustiâ) *& judicio sublatus* est. Et si quisquam mortalium, certè ipse fuit peculiari quâdam ἐξουσίᾳ: quippe qui pronobis factus fuit κατάρα *Galat.* 3. v. 13. & in quem Deus occurrere fecit omnium nostrum peccata Jesa. 53. v. 6. in terris & diebus carnis. Ubi observanda distinctio *Ambrosii in Lucam. Benedictus in justitiâ suâ, maledictus propter peccata nostra.* Fuit enim quâ sponsor & mediator maximus debitor. Eum qui non novit peccatum, fecit Deus peccatum, &c. 2 *Corinth. v. ult.* Et qui propterea *vir dolorum*, dictus est Jesa. 53. v. 3. *plagatus & percussus* Ibid. v. 4. idque jure sponsionis *Prov.* 6. *v.* 1. cum *Hebr.* 7. 22. & consequenter *reddidit quæ non rapuit* Psal. 69. v. 4. Si peccatum consideres ratione reatus, debiti, obligationis ad pœnam (uti & debita appellantur *Matth.* 6. *v.* 12. nemo pluribus & majoribus debitis fuit intricatus: sin ipsam ἀνομίαν & maculam peccati consideres, immunis fuit ab omni peccato. Ita ut propriè & distinctè debitor dici possit: non tamen peccator. A quâ phrasi obscurâ, indistincta, ambiguâ, periculosâ, offensivâ, (ut ut exponibilis sit) tutissimum est abstinere.

Circumstantiæ judiciorum sunt tempora & loca: non quod ex se, per se, §. 6. aliqua tempora & loca præ aliis sint mala, infelicia, & fœta multiplicibus judiciis, aut certis judiciorum generibus: sed quod Deus, qui decernit, creat, adducit malum istis hominibus sigillatim aut collectim consideratis; condecernit, concreat, & condeterminat τὸ hic & nunc, loca & tempora. Sicuti enim hominibus præstituit definita tempora, præfixitque terminos habitationis eorum *Actor.* 17. *v.* 26. sic omnium bonorum & malorum, benedictionum & maledictionum tempora & loca præfiniit ac circumscripsit. Et sic intelligenda verba Ecclesiast. cap. 9. v. 10. *sed tempus & casus accidit omnibus.* Hoc ergo respectu periodi quædam temporum præ aliis dicuntur, *tempora difficilia* 2 Tim. 3. v. 1. *dies mali* Ephes. 5. v. 15. dies *tenebrarum & caliginis* Joel. 2. v. 2. *dies iræ & vindictæ.* Jesa. 34. v. 8. &

absolutè

absolutè *dies domini* Joël. 1. v. 15. & 2. v. 1. Et terra aut civitas quædam præ aliis dicitur maledicta *Judic. 5. v. 23.* deserta *Math. 23. v. 38.* quæ olim amata, desiderata, sancta. Terra Canaan cum incolis suis, devota, maledicta, posita in cherem, quod exsecuti sunt Israëlitæ : Terra & gens Ægypti, juxta anathema pronuntiatum à Noacho *Genes. 9. v. 24.* & hinc fortè *Psal. 78.* & 106. signatè vocatur *terra Chami.* Quidquid sit, abominationes idololatricę cum appendicibus illic potissimum ortæ, & inde ad alias gentes propagatæ fuerunt : uti ex scriptoribus de idololatriâ, aliisque antiquariis hoc colligi potest.

§. 7. *Antecedentia* judiciorum Dei, *remota*, sunt peccata, *supra §. 3.* indicata. Vide *Amos* 1. & 2. Ubi præcipua aliqua enumerantur. II. *Propinqua* sunt denuntiationes & comminationes divinitus factę 1. *per verbum* prædicationis sive ordinariæ sive extraordinariæ Prophetarum *Matth. 23. v. 34. 2 Reg. 17. v. 13. Jerem. 25. v. 4.* Amos 2. v. 7. *Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum servis suis Prophetis.* 2. Per signa ostentorum & portentorum ; in cœlo & in terrâ. Quæ qualia sint, docuimus *part. 2. select. disp. tit. de signis, ostentis, prodigiis part. 1. §. 6. & 7. & part. 2.* Inter illustriora portenta communiter numerantur Cometę : de quibus peculiari libello de *Prognosticis Cometarum* disquirimus, & aliquid determinamus. Quod nonnulli inter nos hoc anno 1665. exsertè condemnant superstitionis & peccati inexcusabilis. III. *Proxima* majorum judiciorum excisionis scil. per inundationes, seditiones, bella, lanienas, proditiones, &c. sunt judicia minora tanquam istorum præambula, *Amos 4. Exod. 8 - 13.* Et ex libris regum discimus Deum per gradus Judam & Israel afflixisse, per pestes scil., seditiones, bella intestina, sterilitates, domesticas tyrannides, extraneorum invasiones & tyrannides; antequam extruderentur, & in Assyriam ac Babyloniam deportarentur. Inter antecedentia etiam numerantur, diræ, execrationes, imprecationes. 2 *Reg.* 2.

Ex his ergo & similibus antecedentibus non vanè præsagire licet, præsumere licet, metuere licet gravia aut insolita Dei judicia secutura atque exspectanda.

1. *Si similia peccata*, quæ Deus in aliis (in scripturâ, & in historiâ temporum tum ecclesiasticâ tum politicâ memoratis) talibus pœnis ac judiciis severè vindicavit ; in gente, aut regione, aut civitate, aut ecclesiâ nostrâ grassentur. Ex ἱστορίᾳ ergo & experientiâ, hoc axioma exstruitur : Similia peccata, similibus judiciis serius aut citius vindicantur. Deus ipse hanc methodum nos docuit. Rom. 11. *Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit*, &c. Jerem. 7. v. 12. 13. *Nam ite jam in locum meum qui erat in Schilo*, &c. *videte id quod feci ei propter malitiam populi mei Israëlis. Itaque nunc eo quod facitis omnia opera*, &c.

II.

II. *Si* judicia præcedentia aut præsentia (fortè pauciora aut minora secuturis, ac metuendis) carnali securitate, ἀναισθησίᾳ, stupore, impœnitentiâ, aut insuper, quod pejus est, Epicureo fastidio, contemtu, risu, immo & blasphemia, maledictione, execratione; denique peccatorum multiplicatione atque aggravatione excipiuntur. *Jerem.* 5. *v.* 2. percussisti eos, &c. *Jesa.* 1. *v.* 8. & 22. *v.* 13. de sui temporis Israëlitis. Et de populis in Imperio Romano Salvianus lib. 7. de gubernatione Dei pag. 297. *Cur quæso illic sunt, ubi jam nulla pax, ubi nulla securitas? In omni enim fermè urbe Romana, pax & securitas non sunt. Cur sola vitia tantum perdurant? quis rogo ferre possit in homine egestuoso esse lasciviam? Criminosior quippe est luxuriosa paupertas, & majoris est invidiæ miser nugator. Quis captivitatem expectans de circo cogitat? Quis metuit mortem, & irridet? Nos & in metu captivitatis ludimus, & positi in mortis timore ridemus. Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes esse saturatum: Moritur & ridet, & ideo in omnibus ferè partibus mundi risus nostros lachrymæ consequuntur, ac venit etiam in præsenti super nos illud Domini nostri dictum*: Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.

III. *Si* correptiones, mónitiones, omnesque *denuntiationes*, comminationes, præsignificationes judiciorum, factæ per verbi divini præcones, per antecedentia & præsentia judicia, per ostenta & portenta irati Dei signa & cœlestia classica, carnali securitate, ἀναισθησίᾳ, prætereâ Epicureo contemtu, risu, suaviludio 2 *Paral.* 30. *v.* 10. 11. etiam acerbo & internecino odio, ac persecutione *Hose.* 4. *v.* 4. excipiuntur; Quin & protervâ & in propriam pernitiem ingeniosâ sophisticâ, verè diabolicâ sapientiâ (*Jac.* 3. *v.* 15.) ab ipsis quibusdam prœconibus malum tum turpe tum triste appellatur bonum, & bonum vicissim malum *Jes.* 5. *v.* 20. cum *Ezech* 13. *v.* 9. 10.

IV. Si ex hâc vita, sæpe morte immaturâ evocantur lumina & columnæ ecclesiarum aut politiarum; quorum mortem non exiguæ rerum mutationes consequuntur. Exemplum habemus in Jojada 2 *Paral.* 24. *v.* 2. in Elizeo 2 Reg. 13. v. 14. *qui currus Israëlis & equites ejus.* In Josua & senioribus *Judic.* 1. *v.* 7. 14. De Pharaone Israelitarum patrono & benefactore. *Exod.* 1. v. 7. De Hiskia 2 *Paral.* 32. *v.* 33. cum 33. v. 1. Apostolorum chorus cum hinc emigrasset, ecclesia ante dicta virgo, corrumpi cœpit. De quo vide verba *Hegesippi apud Eusebium lib.* 3. *c.* 26. cum *lib.* 4. *c.* 21. Confer scriptores politicos, qui excessum bonorum Principum & Magistratuum numerant inter prognostica mutationum. Eduardi VI. Anglorum Regis immaturam mortem quanta ecclesiæ calamitas, persecutio, & dissipatio secuta sit testantur historię martyrum. De Friderico Pio Electore Palatino, Christiano Saxoniæ Electore, Johanna Navarræ Reginâ, aliisque laudatis Principibus, idem observatum est.

Rationes, si quas assignare liceat, sunt 1. *Quia* Deus pios Reges, Magistratus, consiliarios, aliosque Reipublicę aut ecclesiæ cives per mortem præripit impendentibus malis: uti disertè hoc docetur *Jesa.* 57. *v.* 1. Huc confer exempla Hiskiæ & Josiæ. 2. *Quia* ipsi tanquam currus Israelis & equites ejus, tanquam sal terrę, tanquam decem justi in Sodomâ, fide pietate & precibus suis conservant populum peccatorem, eique salvum conductum præstant & Dei manum quasi retinent. Huc spectant verba Gen. 18. v. 31. 32. *Si decem justi*, &c. Et *cap.* 19. *v.* 21. *non potero facere quidquam*, &c. Sunt sal terræ, sunt antemuralia civitatum, sunt quasi obsides parcentis clementię divinæ. 3. *Quia*, præsagia mutationum in pejus Reipub. & ecclesiæ, ex morte istorum sumenda esse evincit communis experientia & inde exstructa axiomata, *Heroum filii noxa.* Et, *Ætas parentum pejor avis tulit*, &c. Vide modo historias Regum Juda à Rehabeam usque ultimum eorum Zedekiam.

v. Si vera prophetia, correptio, monitio cessat, & eâ cessante miser populus instar agri pigrorum, aut civitatis absque muris magis ac magis ad tohou & bohou, ad horridum omnium peccatorum & abominationum desertum redigitur. *Proverb.* 29. *v.* 29. Cessatio autem illa & silentium correptionum ac monitionum (quod supra *part.* 1. §. 3. in transitu attigimus) contingit tribus modis 1. *per* tyrannicam violentiam; cum scil. fideles prędones occiduntur, *Matth.* 23. *v.* 23. aut ex civitatibus, & terris exulare jubentur; aut deportantur, aut incarcerantur. Nota sunt exempla Apostoli Johannis in Pathmon relegati, & Chrysostomi, Hilarii, Athanasii, aliorumque complurium, qui exulare jussi. Urbani Pierii, aliorumque ob librum concordię incarceratorum. Peuceri decennalis carcer peculiari ipsius libro descriptus est. 2. *Per* severa edicta seu decreta, cum comminationibus, & intentaris iusidiis: ita ut prædones aliquando injuriæ temporum cedendum putent, atque cum excussione pulveris, eo potius migrandum, eundum, ubi aliqua spe fructus prędicaturi videntur. Vide *Amos* 7. *v.* 12. 13. *Actor.* 13. *v.* 51. *Jerem.* 44. *v.* 16. 17. Jesa. 29. *v.* 20. *Quum defecerit fortis, & defecerit illusor, & succidentur omnes, qui perseverant in iniquitate, peccare facientes hominem in verbo, & increpanti in portâ laqueos tendent, & declinare fecerunt inaniter justum.* 3. *Per* nimiam præconum meticulositatem, aut animi mollitiem: quæ tentatio aliquando subrepserat Prophetæ Jeremiæ c. 20. v. 8.

vi. *Si* videntes & pastores peccatis illis non resistunt. Quorum quatuor sunt genera seu gradus. 1. *est* eorum qui ignorantes sunt, cœci μυωπάζοντες: quia ipsi jus divinum non intelligunt; aut si quid in genere intelligant, ad facta hominum non attendunt, eaque non inspecta aut minus perspecta,

ad

ad jus non adducunt, & jus factis applicando, peccata non detegunt. Quales describuntur *Jes. 56. v. 10. 2. Est* eorum, qui ignavi, molles, securi, ventri, aut avaritiæ, aut vanæ gloriæ in hoc sæculo studentes & servientes; animam aut corpus, aut statum suum afflictionis & depressionis periculosæ aleæ subjicere nolunt. Hæc prudentia carnis, in quâ & gloriantur. Quales in scripturâ dicuntur canes muti *Jesa. 57. v. 10.* Salviani verba lib. 4. de gubernatione Dei talibus applicari possent pag. 168. 169. *Quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat, cum improborum hominum violentiæ etiam sacerdotes Domini non resistant? Nam aut tacent plurimi eorum, aut similes sunt tacentibus etiamsi loquantur, & hoc multi non inconstantiâ, sed consilio, ut putant, atque ratione. Exertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum sustinere non possunt: nec solùm refugiunt, sed etiam oderunt & execrantur; & non modò auditam non reverentur aut metuunt, sed etiam majore superbientes pervicacia per perduellionem contemnunt. Et ideo tacent etiam qui loqui possunt, dum ipsis interdum malis parcunt: nec volunt eis vim apertæ promere veritatis, ne faciant eos ingesta acrius veritate peiores.* 3. *Est* eorum, qui ipsi se conformant huic mundo, & in iisdem peccatis currunt: sive apertè & impudenter, sive cautè. Quibus applica Hosc. 4. v. 9. *& sicut populus sic sacerdos.* 4. *Est* eorum, qui protervâ sophisticâ, & ingeniosis (uti putant) excogitatis commentis, malum faciunt bonum, & bonum faciunt malum (*Jesa. 5. v. 20.*) aut saltem adiaphorum. Quasi scilicet diaboli & regni tenebrarum proxenetæ, patroni, Tertulli essent. Tales describuntur *Ezech. 13. v. 10. 18.* cum *Jesa. 5. v. 26. Rom. 1. v. ult.*

Consequentia aut concomitantia vel nuda, vel insuper effecta. 1. *Illa sunt,* §. 8. multorum qui judicio exterminante exstincti non sunt, miseranda paupertas, mendicitas, exilium & vagatio Cainica, terrores conscientiæ, peccatorum augmentum *Jesa. 1.* induratio, (quæ quid sit, explicuimus in *2. part. sel. disp. tit. de Generali conversione Judæorum*) adversus Deum murmuratio, & ejusdem ac judiciorum accusatio, blasphemiæ, apostasiæ, domesticæ tyrannides, extraneorum invasiones; θεομαχίαι, (ex. gr. Pharaonis, Sanheribi & Rabsake, Juliani apostatæ,) desperatio, furor, infelix mors, sive per alios sive per proprias manus, sive per Deum horrendis morbis, & cruciatibus, aut igni aut aquâ, sive per angelos bonos & malos, sive per animalia, immo animalcula vermes, pediculos, mures, &c. illata. Vide exempla Pharaonis, Sanheribi, Hamanis, Herodis, Simonis Magi, Cerinthi, Manis, Arii, Neronis, Heliogabali, Valeriani, Popelii Principis Poloni, Hattonis episcopi Moguntini, Johannis Fausti, à dæmone obtruncati, aliorumque complurium (nominatim Principum, Pontificum, potentiorum, perversè

eruditorum;) quos *Honſdorfius*, Chaſſanion aliaque ſpecula tragica commemorant. In παρόδῳ hic notandum, triſtia exempla aliquorum ſæpe negari ab illis, qui etiam terribiliſſima exempla procul à ſuis aliorumque oculis removere ſtudent, ne ſomnus Epicureæ ſecuritatis claſſicis illis turbetur. Inter alia Hattonem à muribus enectum ad fabulas relegare contendit Jeſuita *Serrarius in ſuâ hiſtoriâ Moguntinâ l.4. c.1.* & ſeqq. Quem contra lucem hiſtoriæ fruſtra luctantem fortiter repreſſit *Wendelinus peculiari diſceptatione, tractatui de Admirandis Nili* ſubjectâ. Joh. Fauſtum Cundelenſem celebrem præſtigiatorem à diabolo occiſum, *Gabriel Naudeus* negat in rerum naturâ fuiſſe. Sed nos malimus etiam hoc terribili exemplo curioſa & audacia ingenia à ſocietate dæmonum, & nefariis iſtiuſmodi artibus abſtererі; quam hiſtoriam dicti Joh. Fauſti, à pio, ut videtur, viro conſcriptam otioſè & proprio ex ingenio negare. Naudei negationem antehac tetigi in *3.part. ſel. diſpp. tit. de Magiâ, in 1. appendice §.1.* ubi ipſi oppono præter editam hiſtoriam, Germaniæ communem notitiam, & teſtimonium *Philippi Camerarii* minime mythologi in horis ſubceſivis *centur. 1. cap. 70.* Quibus nunc addo præterita tunc teſtimonia *Melanthonis* (apud *Manlium in locis communibus tit. de creatione pag.38.*) qui dicit ſe eum noviſſe, & *Joh. Gaſtii Briſacenſis tom.2. ſermonum convivalium pag.272.* & *Honſdorfii* & *Loniceri theatro ad 2. decalogi præceptum pag. 167.* Inter conſequentia etiam numerari debet, aliqua impiorum humiliatio, & ſervilis ac πρόσκαιρος timor & pœnitentia. Vide exempla Judæ *Math. 27.* Achabi *1 Reg. 21.* Quibus addor Gentilium ſupplicationes, Moſcorum crudeliſſimi tyranni Johannis Baſilidis, qui lætali & θείῳ morbo excruciatus captivos dimittebat, eleemoſynas diſtribuebat, &c.

11. *Effecta* in genere indicantur Jeſa.26.v.9. *Nam quando judicia tua fuerunt in terrâ, juſtitiam didicerunt habitatores orbis.* In ſpecie *reſpectu electorum aut fidelium* jam converſorum, ſunt.

1. *Attentio* ad illa judicia ſive in ſe & ſuis, ſive in aliis *Jeſa.5.v.12.* & *22. v.11.12. Pſal.90.v.11.*

2. *Obſervatio*, & ex obſervationibus experientiæ. *Rom.5. v.4.* De quâ obſervatione operum Dei, præſertim ejuſmodi inſolitorum judiciorum, agimus in *aſceticis* ſive *exercitiis pietatis cap.14.*

3. *Timor Dei Jeſa.2. v.21. dolor* ſecundum Deum ſuper peccatis tum ſuis, tum populi ſui, tum aliorum, *Jerem.9. Ezech.9. Jeſa.2. Pſal.119. v.136.* Breviter tota praxis reſipiſcentiæ, & reconciliationis cum Deo, quam in Aſceticis noſtris delineamus.

4. *Preces*, ſupplicationes, jejunia *Joel.2.* quibus Deo occurrunt, *Amos 4.* & percutientem ejus manum quaſi retinent. *Jeſ.63.*

5. *Pur-*

5. *Purgatio* & reformatio privata & publica in doctrinâ, in moribus, in disciplinâ, in ordine œconomico, politico, ecclesiastico. *Jesa.* 4.

6. *Nova* vita, nova obedientia, novus & excitatus zelus in opere domini *Apocal.* 3. *v.* 21. Hoc bonum consequens judicia Dei prædicatur *Psal.* 119. *v.* 67. *priusquam humiliarer*, &c. & v. 71. *bonum fuit mihi*, &c.

Effecta, respectu infidelium, mundanorum & carnalium hypocritarum tum subtilium tum crassorum (quos describimus in 2. *part. sel. disp. tit. de simplicitate & hypocrisi*) servilis Dei metus, aut panicus terror, per judicia illa excitatus: quem subinde sequitur peccatorum quorundam προσκαιρον abruptio aut inhibitio; aliqua persecutionis cessatio, aut saltem mitigatio; quorundam externa emendatio; aliqua externa ordinis & ductus mali, hactenus malè positi & autemurali & *noli me tangere* hactenus muniti, in œconomiâ, in politiâ, in ecclesiâ mutatio, & reformatio; aut saltem ejusdem reformationis permissio, aut concessio; aliqua opera misericordiæ (*Matth.* 25. *Jesa.* 58.) pauperibus, afflictis, gravatis præstita; externa aliqua coram Deo humiliatio, & precum, supplicationum, jejuniorum institutio, aut postulatio, aut saltem admissio. Ita ut illi judiciis Dei constricti, & *exanimati præ metu & exspectatione eorum supervenientium in orbem terrarum.* (Luc. 21. v. 26.) etiam suo modo volentes nolentes discant justitiam. *Quis non timebit te rex gentium?* Jerem. 10. v. 7. Vide exempla *Pharaonis Exod.* 12. *Nebucadnezar Daniel* 4. *Achabi* 1 *Reg.* 21. *v.* 27. Ex antiquis & novis historiis, etiam aliqua adduci possent (si charta permitteret) & ex nostri temporis memoria, & qualiscunque experientia aliqua mihi suggerit: sed hujus loci non est omnia illa depromere. Filii prophetarum, ut compendium faciant, inspiciant collectanea exemplorum supra indicata.

Proprietates & affectiones judiciorum Dei, sunt istæ. 1. Quod omnia sint justa. *Psal.* 119. *v.* 13. *Daniel.* 9. *v.* 14. Idque agnoscunt subinde & Deo gloriam dant, qui affliguntur. Exemplo sit Adonibezek *Judic.* 1. Et Imperator Mauritius, qui cum quinque liberi masculi ante ipsius oculos occiderentur, recitavit ex Psal. 119. v. 137. *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* §. 9.

11. *Quod* omnia tum quod ad modum operandi divinum, tum quod initium & progressum suum nobis æque aperta non sint: sed quædam hoc respectu, comparatè ad alia, sint & dicantur *occulta*; haut aliter ac in regimine & judicis politicis quędam dicuntur *arcana Rerumpublicarum.* Quibus applicari possunt textus *Rom.* 11. *v.* 33. 34. Et *Hose.* 5. *v.* 12. *Et ero sicut tinea, Ephraim.* Vide ibi *comment. Hieronymi & à Lapide.* Et hoc puto respexisse adagium Gentilium: *Dii laneos pedes habent.* Et

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Ut regnum Dei non semper venit cum æquali observatione *Luc.* 17. v. 20. 21. sic & judicia Dei. III. *Quod* omni consideratione, observatione, admiratione, celebratione dignissima sint. Si enim omnia Dei opera in hujus mundi & generis humani gubernatione considerare & admirari debemus, (de quo nos in *exercitiis pietatis cap.* 14.) *Psal.* 8. & 19. & 104. & 92. utique tremenda Dei judicia prætereunda non sunt. IV. Quod consequenter, non minus ac misericordiæ & benedictiones divinæ, à fidelibus privatim sint rememoranda, & coram populo Dei prædicanda. Quo referri potest Psal. 101. v. 1. *Misericordiam & judicium cantabo*, &c.

§. 10. A judiciis Dei disparatè distinguuntur, ipsius beneficia & benedictiones, uti initio monuimus. Opponuntur insuper iisdem. I. *Cycopliſmus:* quando homines ferini & insensati nihil istorum curant, nec ad Deum respiciunt. II. *Epicureiſmus*; quando studio omnem eorum timorem & conscientiam executiunt; atque ad oppositam eorundem incredulitatem & securitatem plenis velis contendunt; immo eadem judicia, speciatim extremum, negant ac rident. Quales describuntur 2 *Petr.* 3. coll. cum 1 *Cor.* 15. In massechet Sanhedrin cap. 11. Epicuros (hoc est Epicureus seu Atheus) dicitur, qui negat, *in vitam revocandos esse mortuos: legem esse à cœlo.* III. *Saduceiſmus*, quando quis judicia Dei in hâc vitâ directè non negat, aut contemnit, sed judicium extremum; idque per necessariam consequentiam. Saducæi negabant resurrectionem mortuorum, & remunerationem post hanc vitam. Horum sectatores erant aut proximi consanguinei, qui ecclesiæ Corinthiacæ insidiabantur: quibus se opponit Apollolus 1 *Cor.* 15. IV. *Phariſæiſmus*, quando quis contra Dei judicia animum obfirmat & obdurat. V. *Mundanitas* (ita loqui liceat); quando homines huic mundo, & iis quæ sunt in mundo, ita affixi, & toti in ea ita effusi sunt, ut judiciorum Dei securi, nec oculos mentis ad ea attollant, nec in pectus ea dimittant.

§. 11. De judiciis Dei, has quæstiones subjicimus.

I. *Quæſt. An homines per quos Deus judicia sua exequitur, ideoque Dei ministri dicuntur, ut e. gr. Nebucadnezar*, Jerem. 43. v. 19. *ordinarii Magiſtratus* Rom. 13. *iuſtitiam operentur? Reſp.*

1. *Concl.* Ordinarii Magistratus, cum legitimè facinorosos plectunt, justitiam operantur & justa agunt. Iidem si fide donati sunt, justum & bonum illud bene agunt, Deoque placent; ita ut opus eorum etiam bonum sit formaliter, & subjectivè consideratum: siquidem bona arbor fert bonos fructus. Sed si materialiter & objectivè bona ac justa agant, absque fide, jam similiter de illo bono opere judicandum est, ac de omnibus virtutibus Gentilium; quas Augustinus *splendida peccata*, dicebat. Vide de hoc *Voſſii hiſtor. Pelagian. lib. 3. part. 3.*

2.

2. *Concl.* Nebucadnezar executor judiciorum Dei, (quo respectu Deus eum servum suum appellat *Jerem.* 43. *v.* 10.) quia justo bello (si causam spectes) regnum Juda afflixit, justum & bonum quid egit, quod ad ipsum: subjectivè tamen & formaliter bonum illud justitiæ, non bene factum; quippe non ex fide, nec ad gloriam Dei.

3. *Concl.* Assur quamvis executor judiciorum Dei, propterea dictus virga, baculus in manu domini *Jesa.* 10. mala tamen & injusta egit, quod ad ipsum: quia non adfuit justa belli causa, nec debitus modus & finis. *Ibid. v.* 7.

4. *Concl.* Saulus executor judiciorum Dei erga Amalekitas, Ammonitas, Philistæos, quamvis hactenus bonum & justum ageret; quippe legitimo bello & justâ de causâ hostes Dei & Israelitarum persecutus: quia tamen fides justificans aberat (sine quâ nec persona nec opera ejus Deo placere poterant *Hebr.* 11. *v.* 6.), judicandum est de Heroicis illis operibus, uti de omnibus aliis infidelium. Ejusdem bellum contra Gibeonitas etiam materialiter illegitimum & injustum fuit, quippe non sine scelerată fœderis violatione. 1 *Sam.* 23.

5. *Concl.* Josua, Barak, Gideon, David, &c. tanquam servi Dei judicia ejus in Cananitis, aliisque Dei & ecclesiæ hostibus executi sunt: etiam quod ad ipsos, bona ac justa operati sunt; justo scil. bello hostes illos persecuti: Denique justè & bene bona illa & justa operati sunt; quippe ex fide, *Hebr.* 11. *v.* 15.

6. *Concl.* Furta, latrocinia, paricidia, injustę sive inauditorum, sive innocentium, excisiones, aut deportationes, aut ejectiones; injusta sunt & clamantia peccata, ratione affligentum; quamvis ratione Dei his aut illis hominibus sint justa judicia. Sic e. gr. peccata Belgarum, & Brasilienſium, Peruvianorum, &c. à Deo plectebantur, per crudelitates Hispanorum; & hoc respectu erant justa judicia: Horum tamen injustissima & crudelissima tyrannis, per hoc excusari nequit, sive in totum sive in tantum. Confer *Jesa.* 10. *v.* 6. cum 7. 12. Et 2 *Sam.* 12. *v.* 11. 12.

II. *Quæst. An judicia Dei antequam egrediantur absolutè & definitè, cum temporis & loci circumstantiis propter definita & signata peecata, alicui personæ aut familiæ, aut civitati, aut populo denuntiari ac prænuntiari debeant? Resp. Neg.* Nisi quis peculiarem Dei motum & revelationem, instar prophetarum, adhoc acceperit. Semper recordari debemus illud *Luc.* 9. *v.* 55. *Nescitis, cujus spiritus*, &c. Suspicari, conjicere, probabiliter colligere licet, ubi peccata eadem cum Cananitarum, Sodomitarum, Israelitarum, Hierosolymitarum, &c. peccatis, aut iis similia communiter & impune grassantur, imprimis si mensura eorum videatur impleta; easdem aut simi-

les

les plagas ſerius aut citius immittendas. Sed certo & abſolutè determinare non licet, plagas tales in ſpecie, iſtic loci, iſto definito tempore, iſti familiæ, aut civitati aut populo ſuperventuras. Vide ſupra *part.* 1. §. 3.

Rationes ſunt 1. *quia* judicia Dei multa ſunt occulta. 2. *quia* Deus quoſdam graviſſimos peccatores in hâc vitâ, aut vivente hac generatione, exemplariter non punit; ſed ſæpe tarditatem ſupplicii gravitate compenſat; & longanimitas ac tolerantia ejus, etiam contempta (*Rom.* 2. *v.* 2. 3.) non liberat homines à Judiciis Dei. Probant hoc *Plutarchi libellus de ſerâ numinis vindictâ*, & varia ejus exempla. 3. *quia*, Deus aliquando judicia ſua depluit non in hujus ætatis homines, qui peccant; ſed in poſteros 2 *Sam.* 21. *Thren.* 5. *v.* 7. 1 *Reg.* 21. *v.* 29. *Numer.* 31. *v.* 2. & quidem in ſeros nepotes nepotum poſt lapſas annorum centurias 1 *Sam.* 15. aliquando immediatè, primo, & directè in ſubditos; non in ſuperiores & principes peccantes, 2 *Sam.* 24. *Thren.* 4. *v.* 13. aliquando vice versâ *Jeſa.* 57. *v.* 1. 2. aliquando in utroſque *Thren.* 5. *v.* 10-15. *&* 4. *v.* 20. Aliquando è veſtigio punit; ut Pharao, Mirjam, Corah, Datan, &c. *Numer.* 16. Uzzia, Gehaſi, Ananiam & Saphyram, Herodem: aliquando aliquamdiu poſt, aut ſub finem vitæ.

III. *Quæſt. An ſemper certò aſſignari poſſint gravis aut inſoliti cujuſque judicii jam egreſſi, ſpecifica & circa peccata ſive afflictorum, ſive prædeceſſorum ſive utrorumque; quæ ſint iſtius judicii particularis & propria cauſa procatarctica? Reſp. Neg.* 1. *quia Johann.* 9. nec cœcus ille nec parentes ejus peccaverant. De Paulo temerè judicabant Melitenſes *Actor.* 28. Jobus tam multis & inſolitis plagis à Deo afflictus nec hypocrita erat, nec oppreſſionis alicujus peccatum clamans commiſerat: uti fallaci conſequentiâ colligebant ipſius amici. 2. *quia* Deus *aliquando* peccatum aliquod exemplariter punit ἐπαυτοφόρῳ, aut ſtatim poſt commiſſum peccatum: uti docent exempla Pharaonis & Ægyptiorum, Corah, Datan, & Abiram, Mirjam, Uzzię, Gehaſi, Anan, & Saphyræ, Herodis, Davidis, 2 *Sam.* 24.: aliquando longo, immo & longiſſimo tempore poſt, ut Amorrheorum *Geneſ.* 12. cum *Deuter.* 2. Et Amalekitarum 1 *Sam.* 15. Memorabilis eſt plaga famis 2 *Sam.* 21. quam Deus ſpecialiter immiſſam dicit ob injuſtam oppreſſionem & tyrannidem, quam Saulus jam defunctus ante annos complures exercuerat. Semper ergo & in omnibus certitudine fidei, aut demonſtrationis ſcientificæ determinari non poteſt, ob hoc vel illud particulare peccatum χθὲς καὶ πρώην talem plagam aut tales plagas ſive publicas ſive privatas huic perſonæ, aut familiæ, aut populo eſſe immiſſas. Tutius ut plurimum eſt de quibuſdam ἐπέχειν, de aliis opinari, aut probabiliter στοιχάζειν: quod ad contemplationem & admirationem judiciorum Dei, ad excitationem

tionem timoris Dei, resipiscentię, attentionis ad conscientiam, precationis, gratiarum actionis, atque universæ praxios pietatis sufficere posse arbitramur. Cautelam dum hic adhibendam monemus: minimè tamen probamus Epicureum judiciorum Dei neglectum, aut contentum. Imprimis plagæ Dei nobis ipsis immissæ serio ruminandæ, & inquirendum quæ peccata omissionis aut commissionis proxima, propinqua, etiam remota, frenum hoc nobis divinitus injicerent, aut calcaria ista subdiderint. Audi Psalter Psal. 119. v. 71. *Bonum fuit mihi, quod afflictus fui, ut discam statuta tua.* Et v. 67. *priusquam humiliarer ego errabam, & nunc eloquium tuum custodivi.*

IV. *Quæst. Quomodo judicia Dei propter peccata non tantum ipsis peccatoribus, sed & posteris immittuntur? Resp.* Vide hoc explicatum ab interpretibus decalogicis ad 2. *præc. & à Martyre in locis communibus*, aut in *commentar. ad* 1 *Sam.* 15. *&* 2 *Samuelis* 21.

DE DILECTIONE PROXIMI.

Resp. JACOBO STANSIO Harl. Fris. 25. *Novembris* 1654.

In uno illo tota Lex impletur, juxta Apostolum Galat. 5. v. 14. Diliges proximum tuum, ut te ipsum. *Hujus dilectionis actus & officia tanquam tabellâ delineaturi, præmittimus explicationem* 1. *Nominis.* 2. *Objecti.* 3. *Modi.* 4. *Oppositi Odii.*

§. 1. NOmen in V. T. est אהבה & אהב à radice אהב quod Gr. interpretes plerumque per ἀγαπάω aliquando per φιλέω *Genes.* 37. 3. *Ecclesiast.* 3. 8. & per ἐράω *Esth.* 2. *v.* 17. exprimunt. In N. T. plerumque τὸ ἀγαπάω & ἀγάπη usurpatur, nonnunquam τὸ φιλέω *Matth.* 10. 37. *Tit.* 3. 15. Nomina φιλία, πόθος, ἔρως non memini occurrere, nisi in compositione φιλαδελφία, φιλαδέλφος, φιλανθρώπως; aut in derivatis ut ἐπιποθῶ, aut affinibus & synonymis, ut ἐπιθυμῶ, ἐπιθυμία. Apud profanos scriptores usurpantur ἀγάπη, φιλία, ἔρως, ἔρωτις, πόθος, &c. de quarum vocum differentiis nunc non est operæ pretium disquirere. Apud Latinos scriptores, præsertim theologos, in usu sunt *charitas, dilectio, amor:* de quarum vocum differentiis, patres nonnulli, mediæ ætatis scriptores, & scholastici ad 22. *qu.* 23. *art.* 1. φιλολόγῶσι: sed parum feliciter, si puritatem Latini sermonis, ex usu classicorum scriptorum spectemus. Scholasticam hanc philologiam ex recentioribus *Malderus*

ad locum Thomæ cit. *qu.* 23. *p.* 172. proponit: Utilior & solidior est distinctio eorum realis magis quam nominalis, inter amorem *amicitiæ*, amorem *concupiscentiæ*, amorem *benevolentiæ*, amorem *complacentiæ*, amorem *desiderii*.

Primus est, cum voluntas diligit objectum conveniens, & illi bona cupimus ac procuramus propter ipsum & non propter nos. Vel sic, cum quis fertur in rem amatam ut ei bonum communicet.

Secundus est cum aliquid amatur propter aliud. Vel, cum quis fertur in rem amatam, ut bono ejus fruatur.

Tertius, cum alicui volumus benefacere. Hic sub amore amicitiæ continetur.

Quartus, cum acquiescimus in bono amato jam præsenti; sive à nobis ipsis habito, sive ab aliis, quibus benevolumus.

Quintus, cum nobis aut aliis volumus & appetimus bonum absens. Et hæc de nomine. Quod ad realem definitionem amoris humani in genere, eam nunc præterimus & præsupponimus, cum determinationibus quæstionum, circa eam. Consulat, qui volet, scholasticos ad 22. *qu.* 23. 24. & 1. 2. *qu.* 26. - 31. &c. & scriptores Ethicos, Physicos, Rhetoricos de affectibus seu passionibus; & quorundam de iisdem tract. speciales ut Tractatus de *amore*, de irâ, &c. alibi indicatos.

§. 2. *Objectum* amoris humani in universum est duplex, infinitum Deus; finitum, creaturæ; & inter eas propriè rationalis, propriissimè homo: qui ideo dicitur proximus Gr. ὁ πλησίον, quod in scriptura occurrit, cujus synonymum apud profanos scriptores ὁ πέλας: Hebr. רעה *regneh*, in decalogo & passim in V. T. Cujus synonyma sunt חבר *chaber*, quod usurpat Onkelos *Exod.* 20. & קרב *karobh*, quod adhibet Onkelos *Exod.* 32. 27. & Chald. paraphrastes *Psal.* 15. *v.* 3. Et Syrus atque Arabs Interpretes *Matth.* 22. Quamvis Arabes plura alia habeant synonyma; ex quibus τὸ סחיב adhibetur in translatione Arabicâ Judæorum per *Erpenium* editâ *Exod.* 20.

Intelligitur autem per *proximum* omnis homo, qui specie & origine nobiscum convenit: fecit enim Deus *ex uno sanguine omne genus hominum* Act. 17. hinc homo quilibet dicitur *caro nostra* Jesa. 26. Et hæc convenientia est fundamentum proximitatis. Ita ut nullus hominum in terris vivens, quamvis ignotus, multis modis indignus, hostis noster, hostis Dei, peccans in Spiritum Sanctum è proximorum numero eximendus sit. Quod colligitur ex parabolâ Samaritani *Luc.* 10 coll. cum *Matth.* 5. *v.* 44.

Excluditur ergo planè Deus, qui non est homo *Numer.* 23. quique peculiari

liari & toto genere distincta caritate diligendus est *Matth.* 22. Excluduntur etiam creaturæ inanimatæ, ut corpora cælestia, elementa, imperfectè mixta fossilia, vegetabilia. Analogicè & aliquo modo huc reducuntur tum angeli qui vitâ intellectuali cum hominibus communicant: tum etiam bruta, quæ vitâ sensitivâ nobiscum communicant; inter ea imprimis perfecta, & inter perfecta terrestria (quia nobis propiora), inter terrestria, domestica. Sed hæc aliaque problematum quorundam determinatione uberius forte explicabimus. Sint ergo hæc problemata.

I. *Probl. An Christus secundum humanam naturam sit propriè & directè proximus noster? Resp. Aff.* quamvis enim humana ejus natura sustentetur à personâ divinâ τῷ λογῳ, atque hac ratione in thronum Deitatis evecta dici possit; nobis tamen quod ad essentiæ & naturæ identitatem per omnia similis fuit, atque adeo ejusdem speciei nobiscum *Hebr.* 4. *Phil.* 2. Et nobiscum ejusdem fuit originis *Hebr.* 2. *v.* 11. 12. coll. cum *Actor.* 2. 30. *Rom.* 1. 4. *& 9. v.* 5. & conceprione ac genealogia *Matth.* 1. *Luc.* 1. *&* 3. ita ut Christo non minus ac nobis applicari debeat illud *Actor.* 17. *ex uno sanguine*, &c. Quamvis enim modus originis variet, quod sine viro genitus sit, generatio tamen est univoca: quia homo genuit hominem, ejusdem essentiæ, naturæ, & speciei secum. *Hebr.* 2. *Sicuti pueri carnis & sanguinis*, &c. Et rectè cum ecclesia antiqua, virgo *Deum genuit*, & Maria θεοτόκος dicitur; Et Christus filius ejusdem ac fructus ventris ejus *Luc.* 1. *&* 2. §. 3.

II. *Probl. An damnati post diem judicii, & animæ eorundem ut & beatorum separatæ post mortem, sint proximi viventium, atque adeo dilectionis nostræ objectum. Resp.* 1. *Concl.* de beatis post diem novissimum minimè dubium est. Glorificatio enim & gloria cœlestis non tollit naturam, sed perficit; consequenter non tollit naturæ identitatem ac proximitatem: non magis quam gratia regenerans in hac vita naturæ humanæ veritatem, & in ea fundatam hominum inter se proximitatem.

2. *Concl.* nec de animabus beatorum dubitandum: quamvis sint, ut homines incompletè, sic & proximi viventium dicti. Quænam autem sint officia dilectionis à viventibus, erga animas beatorum præstanda, in controversiis Pontificiis de suffragiis pro defunctis, & de Invocatione sanctorum à nostris theologis ex professo & accuratè determinatur. Saltem officia caritatis symbiotica, ad vitæ animalis, civilis, & religiosæ atque ecclesiasticæ necessitatem pertinentia per modum beneficentiæ aut amicitiæ directè atque immediatè ipsis præstanda, hic locum non habent; juxta illud Eccles. 7. v. 8. *non habent partem in hoc seculo.*

3. *Concl.* De animabus separatis impiorum in inferno, si naturam earum

rum ſpectes, quæ per ſtatum damnationis non tollitur, idem judicandum. Eſt enim anima humana, & hoc reſpectu animæ meæ eſſentialiter proxima; & ſic ut talis creatura noſtræ naturæ conſors non odio habenda, ſed diligenda. Quomodo nec ipſe Deus eo reſpectu eam odio habet, tanquam opus ſuum, quod ipſe fecit; ſed diligit. Officia autem dilectionis non video illis in termino ſuo & ſtatu damnationis conſtitutis, ideoque in æternum à ſocietate noſtra tum præſentis tum futuræ vitæ ſeparatis ac ſeparandis, exhibenda. Omni ergo amore amicitiæ, benevolentiæ, & deſiderii erga illas ſepoſito, tantum amore concupiſcentiæ erga Deum ejuſque glorioſam juſtitiæ punitivæ declarationem ferri debemus: ſunt enim animæ damnatæ ſubjecta materia, atque occaſio illuſtrandæ juſtitiæ divinæ.

4. *Concl.* De damnatis poſt judicium extremum ſimiliter ſtatuendum.

III. *Probl. An & quomodo dilectio proximi ſe extendat ad angelos bonos? Reſp.* quatenus ſcil. communicant nobiſcum in natura intellectuali, & in æterna beatitudine per unionem ac communionem cum Deo: cujus inchoatæ in hac vita perfectionem aſſequemur in vita futura. Hinc eſt quod angelus dicat Johanni Apoc. 19. v. 10. *conſervus tuus ſum, & de tuis fratribus*, &c. Quænam autem ſint officia dilectionis angelis bonis præſtanda aut non præſtanda, determinatur à noſtris idololatriam Papatus, & ſpecialiter cultum angelorum Ethnicum, Pontificium, Photinianum oppugnantibus. Videatur inter recentiſſimos Stephanus Clotz Theol. Roſtochienſis in tract. de Angelolatria.

IV. *Probl. Quid de Angelis malis? Reſp.* analogicè huc applicanda, quę modo dicta de hominibus damnatis.

V. *Probl. Quid de peccantibus in ſpiritum ſanctum? Reſp.* Idem quod de damnatis: excepto, quod officia dilectionis ad neceſſitatem vitæ animalis & civilis ſpectantia ipſis neganda non ſint: iſtorum enim reſpectu adhuc partem habent inter vivos. Poſſent etiam quod ad ſtatum animæ data occaſione convinci magis & reddi ἀναπολόγητοι, iiſque certiſſima Dei ira denuntiari, idque ad apologiam & gloriam juſtitiæ divinæ.

VI. *Probl. An homines improbi, hoſtes Dei & eccleſiæ ipſius, aut etiam hoſtes noſtri privati ſint diligendi? Reſp.* 1. *Concl.* Homines peccatores, ſive jurati & profeſſi ſint hoſtes Dei atque eccleſiæ, ſive privati hoſtes noſtri, nihilominus diligendi ſunt, quà proximi noſtri naturâ, ac συμβιώσει humanâ, & quà capaces beatitudinis. Deus enim poteſt ipſos convertere.

2. *Concl.* Officia caritatis, ad ſalutem animæ promovendam, omnibus hoſtibus Dei & eccleſiæ (exceptis peccantibus in ſpir.ſ.) exhibendę ſunt, preces ſcil. apud Deum, hortationes, exempla bona, ad eorundem ſalutem: quam-

quamvis contra temporalem malorum consiliorum & conatuum successum Deum precari, eaque quantum in nobis est pro ratione vocationis nostræ impedire teneamur. Vide *Psal.* 35. & 68. & 83. &c.

3. *Concl.* Officia caritatis tum ad cœlestem tum ad animalem ac civilem vitam spectantia, hostibus nostris privatis exhibenda sunt. *Matth.* 5. *v.* 44. Facta Eliæ & Elizæi 2 *Reg.* 1. & 2. specialis legis & mandati sunt, ideoque non imitanda *Luc.* 9. *v* 54. 55.

VII. *Probl. An proximus mortuus etiam quod ad cadaver, aliquo modo sit objectum dilectionis? Resp. Aff.* Quænam autem caritatis officia hoc respectu sint exhibenda, docetur in loco de curâ & sepulturâ mortuorum: quem vide in *part.* 1. *Polit. Eccles. lib.* 3.

VIII. *Probl. An quisque homo sibi ipsi sit objectum dilectionis? Resp. Aff.* Dilectio enim sui ipsius exemplum statuitur dilectionis aliorum *diliges proximum, ut te ipsum* Matth. 22. Ergo necessariò diliges te ipsum, & quidem prius. De quo ordine & gradu dilectionis infra agendum. *Adhæc*, prohibetur odium sui ipsius: ergo mandatur amor. Antecedens probatur ex Ephes. 5. *Nemo propriam carnem odio habuit*, &c.

Dilectio, qua homo seipsum diligit, est amicitiæ & benevolentiæ: eaque duplex necessaria & libera. *Illa* est, qua vult sibi quædam bona, quæ naturaliter & necessario amat: ut conservationem sui ipsius & beatitudinem. *Ista* est, qua vult sibi quædam bona, quæ liberè & cum prælectione amat, tanquam media ad beatitudinem & conservationem sui ipsius. Ad dilectionem nostri ipsius, varii actus virtutum cardinalium, prudentiæ, justitiæ, temperantiæ, fortitudinis referuntur, & suis quique locis explicantur. Qui si debitum in objectum aut debito modo non ferantur, ad vitium φιλαυτίας rejiciendi sunt.

IX. *Probl. An & quomodo dilectio nostra feratur in bruta, & analogicè ad dilectionem proximi aliquo modo referri possit? Resp.* 1. *Concl.* Dilectione aliqua in quævis bruta ferimur, sicut in omnia alia Dei opera, quatenus naturaliter bona sunt, & quatenus ejus opera, & ad eum ordinantur. Si enim Deus ea diligit & in iis delectatur, seu actu complacentiæ in iis acquiescit *Psal.* 104. *v.* 31. Quidni & nos? Deum hic imitemur: qui debemus esse perfecti, sicuti ipse est *Matth.* 5.

2. *Concl.* Magis tamen diligimus bruta, quam alias creaturas, quod gradu & perfectione entitatis natura ipsorum superet naturas illarum, & consequenter quod nobiliori illa vita sensitiva nobiscum propius communicent. Quod tamen contra opinionem quorundam brutis sensum non magis tribuentibus, quam statuis Dædaleis, ita urgendum non est; ut in Pythagoræ, Plutarchi, & recentissimi scriptoris Hieronymi Rorarii brutorum

rationem quasi poëtico ludo amplificantis, inclinare videamur, & animas eorum in se & sua natura æque immateriales, separabiles, immortales facere, ac hominum.

3. *Concl.* Majori tamen ratione dilectionis nostræ actus exseruntur erga bruta domestica, quam erga feras: *tum* quod usibus nostris propius inserviunt; *tum* quod aliqua imagine συμβιόζεσθαι & quasi familiaritatis nobis propiora sunt; tum quod aliqua eorum nostra beneficentia & assuefactione allecta & affecta nos suo modo ament, & sic nos ad redamandum invitent. De talium brutorum dilectione loquitur Salomon Proverb. 12. v. 10. *Novit justus animam jumenti sui.* Et huc referendæ leges illę de clementia in bestias *Deut.* 22. *v.* 6. 10. *Exod.* 25. 19. *Genes.* 9. Vide commentar. ad loca cit. Dilectioni brutorum repugnat in defectu duritia & crudelitas eorum, qui miseria & dolore brutorum otiose delectantur; quales sunt spectaculorum editores & spectatores, ubi galli gallinacei, canes, &c. se mutuo dilaniant & discerpunt. Quos notant nonnulli practici in casibus, & ad 6. decalogi præceptum: inter eos *Perkinsus.* In excessu repugnat inordinata clementia & misericordia Francisci Assisii, qui (referente *Bonaventura lib.* 1. *vitæ ejus cap.* 8. & laudante *A Lapide in Proverb.* 12.) agnos ad mactationem ductos subinde redimebat, memor agni Christi; aves & pisces captos libertate donabat; qui vicissim illi applaudebant: quin & cicadas, phasianos, falcones, & lupos, ab illo dilectos, protectos & ad Dei laudem invitatos, prædicat idem *Bonaventura*, & cum eo *A Lapide.* Quid quod porcę sive sui malediceret, quod agnum occidisset; quę inde post triduum mortua est. Nec mirum, cum etiam verbum Dei hirundini, corvo, lupo, asino prędicaret, eosque & alias bestias fratris ac sororis nominibus appellaret, *pro eo* (inquit *Bonaventura*) *quod sciebat eas unum secum habere principium.* Mirabilis sane philologia, philosophia, & theologia. De simili clementia Anselmi deflentis bestias laqueis venatorum irretitas refertur in ejus vita; & Martini leporem venaticis canibus miraculosè eripientis apud *Sulpitium in vitâ Martini*: Et Pythagoræ, qui omnibus brutis hominum usui destinatis parci volebat, cujus opinionem vide apud *Laertium in ejus vita*, & *Ovidium lib.* 13. *Metamorph.* Ejusdem sententiæ sunt hodierni Indi, dicti Brachmannes seu Bramines & Benjani, qui non tantum abstinent ab esu animalium, sed etiam donariis suis venationem ad tempus prohiberi curant. Conferri potest delirium Alcoranicum de bestiâ *alborach*, & arietibus paschalibus, &c.

4. *Concl.* Amor hic est non tam amicitiæ, quam concupiscentiæ, quia amat quis bovem suum non tam ob bonum bovis, quam suum. *Pasce tuum pastor pecus, ut pascaris ab ipso.* Non tamen negandum est, imaginem aut umbram

umbram amicitiæ esse inter canem & herum: cum sit affectus mutuus non latens. Et hoc respectu dici potest amorem proximi quasi per appendicem & auxesin ad bruta se extendere.

Agendum nunc de modo dilectionis: qui dupliciter considerari potest, §. 4. vel absolutè & in se, circa quemvis proximum; vel comparatè, comparando sc. proximum cum proximo, qui ordo & gradus dilectionis vocatur. Quod ad modum priori ratione consideratum, ille in genere describitur istis verbis: *sicut te ipsum:* cum iis junge Matth. 7. v. 12. *Quæcunque autem volueritis ut faciant vobis*, &c. Utrobique autem subintellige, in rebus licitis & salutaribus. Quod pluribus deducit *Gregor. M. lib.* 10. *Moral.* Et accipe illud [*sicut ὡς*] non de omnimoda æqualitate, sed de similitudine & imitatione: quomodo particulam illam *Matth.* 5. & 6. *Joh.* 17. 21. *Actor.* 3. 22. accipi constat. Innuitur ergo veritas & sinceritas dilectionis; cujus exemplum à nostri dilectione petendum. Modus hic dilectionis ex collatis locis 1 *Cor.* 13. *Philipp.* 2. *Ephes.* 5. *Coloss.* 3. &c. explicandus per varias proprietates, ut scil. sit dilectio sincera & ἀνυπόκριτος, fortis, invincibilis, intensa 1 *Petr.* 4. *v.* 8. Constans, perpetua 1 *Cor.* 13. *Galat.* 6. &c. Colligantur reliqua caritatis attributa necessariò requisita ejus, aut affectiones, aut effectus continentia, ex locis citatis. Si quis velit manuductione & judicio aliorum hic uti, inspiciat sententiarios ad 3. *distinction.* 26. inter eos *Bonaventuram* & *Biel.* Inter patres *Nazianzenum de pace*, *Chrysostomum de eleemosyna*, aliosque passim à scriptoribus paræneticis & collectoribus indicatos. Verba autem, *sicut te ipsum*, explicata vide à *Calvino*, *Beza* aliisque nostris interpretibus in *Matth.* 22. & *Willeto in Levit.* 19. & Pontificiis, inter eos *A Lapide in Matth.* 22. imprimis in *Levit.* 19. Patrum expositiones exhibet glossa ordinaria & *Thomas in catena*, nonnullas etiam *Busæus in viridario tit. charitas.*

Modus dilectionis comparatè consideratus à scholasticis vocatur ordo §. 5. caritatis: de quo agunt *ad* 22. *qu.* 26. ubi primò movent quæstiones generales, quarum 1. *qu.* sic determinant, & rectè: in eis quæ ex caritate diliguntur esse aliquem ordinem, secundum relationem, ad primum principium hujus dilectionis, quod est Deus. Conferri hic potest *Augustinus lib.* 10. *de civit. Dei cap* 4. *& lib.* 15. *cap.* 22. *& lib.* 1. *de doctrin. Christi cap.* 27. *Prosper lib.* 3. *de vitâ contempli cap.* 25. 2. *Qu.* Deum magis diligendum, quam proximum & quam nos ipsos & hoc dicunt esse de fide, ex *Matth.* 10. & 22. *Luc.* 14. Rationes eorum, & solutiones objectionum, videri possunt ad *Thomæ quæst. cit. artic.* 2. & 3.

Nos missis his quæstionibus generalibus de caritate, specialiter nunc disquirimus de ordine & gradibus caritatis erga proximum. Priusquam

quam autem ad ſpeciales quæſtiones accedimus, præcognoſcendas damus trium generum diſtinctiones, quarum uſus erit in queſtionum determinationibus.

I. In objecto quod plus aut minus, prius aut poſterius diligimus, diſtinguimus proximum, ſeu hominem quemque in primò proximum, & in ſecundò-proximum ſeu alterum-proximum, qui diſtincte ἕτερος appellatur *Rom.* 13. *v.* 8.

Propinquitas ſecunda vel altero-proxima rurſum diſtinguitur ſecundum triplicem ſtatum ſeu vitam, naturalem, civilem, ſpiritualem. *Illius* ſtatus & vitæ reſpectu omnibus aliis priores ſunt maritus & uxor, parentes & liberi, fratres & ſorores, &c. *Iſtius* reſpectu in ſocietate œconomicâ propiores ſunt ſervi domino, & vice versâ: in ſocietate ſcholaſticâ diſcipuli magiſtro & vice versâ: in ſymbioſi politicâ, ſubditi magiſtratibus, & vice versâ; adhæc concives, & collegæ unius collegii ſibi mutuò. *Hujus* reſpectu propiores ſunt fideles & pii paſtoribus ſuis, & vice versâ; adhæc fideles ſibi mutuò, & miniſtri ſibi mutuò.

II. Bona quæ ex caritate nobis aut aliis volumus, ſunt vel vitæ animalis & civilis vel vitæ ſpiritualis. *Illa* vulgò in bona animi, corporis & fortunæ diſpeſcuntur: *Iſta* ſunt duum generum: chariſmata ſc. ſtrictè ſic dicta, quæ ſcholaſticis gratiæ gratis datæ dicuntur: & dona fidei, ſpei, caritatis, quę infallibilem cum æternâ ſalutè connexionem habent.

III. Magis ſeu plus amare aliquid, tribus modis intelligi poteſt, *objectivè* ſcil., *appretiativè* ſeu *æſtimativè*, & *intenſivè*.

Objectivè magis diligimus eum, cui majus bonum volumus. Sic ex. gr. beatus magis diligit proximum ſe beatiorem; & fidelis infans in Chriſto fortem in fide, & virum in Chriſto.

Appretiativè, eum magis diligimus, pro cujus vitandâ offenſione, alterius potius indignationem ſubimus; aut cui malumus non deeſſe ſuum bonum, quam alteri. Et hoc provenit ex quâdam magis dilecti ſuperioritate & eminentia.

Intenſivè eum magis diligimus, in cujus amorem intenſius conamur & incumbimus. Sic ex. gr. parentes tenerius diligunt filios juniores intenſive, quamvis primogenitum plus diligant objectivè & appretiativè: utpote qui malint illos quam iſtum amittere, cui etiam majorem volunt eſſe hereditatem. Hanc *intenſionem* ſolent vocare *intenſionem ex parte ſubjecti*. Duos priores modos nunc explicatos nonnulli putant coincidere: ita ut quidquid appretiativè magis diligitur etiam objectivè magis diligi videatur. Ab hac ſententia non eſt alienus Bonaventura, qui ad 4. Diſt. 16. art. 4. qu. 1. Intenſionem *appretiativam* vocat *objectivam* ſeu

ex

ex parte objecti: Nec inter recentiores *Malderus ad 22. qu. 26. art. 2. 7. 13.*

His distinctionibus præmissis, ad problemata specialia haut difficulter §. 6.
responderi potest: quę solum indico ex *Thomâ 22 qu. 26.* I. *Probl. An homo plus debeat Deum diligere quam proximum?* qu. 26. art. 2. II. *Probl. Et quam se ipsum* art. 3. III. *Probl. An plus debeat diligere proximum, quam corpus suum* art. 5. IV. *Probl. An proximus unus sit magis diligendus, quam alius?* art. 6. V. *Probl. An ordo ille caritatis maneat in patria* art. 13. VI. *Probl. An magis diligendi sint meliores, quam nobis propinquiores?* art. 7. VII. *Probl. An sit magis diligendus is, qui est magis conjunctus secundum originem carnalem.* art. 8. VIII. *Probl. An homo plus debeat diligere filium, quam patrem.* art. 9. IX. *Probl. An magis matrem quam patrem.* art. 10. X. *Probl. An magis uxorem, quam parentes.* art. 11. XI. *Probl. An magis benefactorem, quam beneficiatum.* art. 12. XII. *Probl. Quomodo teneamur, vel certè possimus honestè propter bonum spirituale proximi, nostrum temporale negligere. Ariaga ad 22. disp. 40. sect. 3.* XIII. *Probl. An quis licitè possit in casu extremæ necessitatis nostræ & proximi, illi panem cedere ne moriatur; etiamsi nos moriamur.* Ibid. XIV. *Probl. An in similibus casibus necessitatis, quando non possum utrique alteri proximo succurrere, tenear succurrere magis conjuncto? & quis hic & nunc censendus sit magis conjunctus?* Ibid. sect. 4. subsect. 2. Ubi septem regulas proponit: sed quæ difficultatibus, dubiis, & exceptionibus non carent; imprimis in eo, quod uxorem postponit parentibus & liberis; cum tamen tanquam una caro omnibus aliis propior sit *Gen. 2.* cum *Ephes. 5.* Atque hę quęstiones scholasticorum non ineptę; quamvis eas non omnes æquè feliciter determinent. Sunt & alię planè absurdæ, & falsis hypothesibus subnixæ, quas simpliciter rejicimus. 1. *An sit magis meritorium diligere inimicum, quam amicum*, qu. 27. art. 7. 2. *An sit magis meritorium diligere proximum quam diligere Deum.* art. 8. 3. *An ordo caritatis sit sub præcepto* qu. 44. art. 8. 4. *An sit majoris meriti applicare pro animabus purgatorii, aliusve viventibus propriam satisfactionem, quam eam pro se retinere? Ariaga in 22. disp. 40. sect. 2. subsect. 1. 2. 3.*

Oppositum dilectionis proximi est odium; quod est vel nostri ipsius, vel §. 7.
alterius. *Odium* nostri est vel directum vel interpretativum. *Istud* est omnium peccatorum, qui in impœnitentiâ vivunt: qui quamvis φιλαυτίας laborent, sunt osores & hostes sui ipsius. *Illud* est vel bonum vel malum. Bonum est peccatoris pœnitentis, qui seipsum ratione peccati sui odit, abominatur, abjicit, abnegât, crucifigit, sibi indignatur, & de se vindictam sumit. Vide 2 *Corinth. 7. v. 9. 10.* Malum est eorum qui sibi violentas manus inferunt. *Odium* alterius distinguendum est in licitum, & illicitum. *Illud* caritati non repugnat, & in quo Deum imitamur, qui odit

peccatores *Psal.* 5. *Prov.* 30. Et tale odium proximi peccantis præscribitur nobis *Ps.* 139. *v.* 21. 22. ubi videat, cui vacat, comment. *Lorini.* Non tamen excludit officia caritatis erga proximum peccantem. De quibus officiis agimus *sequ. disp.* & in *Exercitiis pietatis cap.* 24. *Istud* caritati repugnat, & hic propriè considerandum. Estque vel directum & crassum magis, vel magis subtile & palliatum. *Prius* est philautia (de quâ 2 *Tim.* 3. v. 2.), aut dilectio hypocritica, de qua *Rom.* 12. 9. 2 *Cor.* 6. 6. 1 *Petr.* 1. 22. *Posterius* à quibusdam distinguitur in odium abominationis & inimicitiæ: quam distinctionem examinat *Ariaga ad* 22. *pag.* 503. Sed his missis, notandi actus & effectus odii tam nostri quam alterius, *acedia*, *invidia*, *discordia*, *contentio*, *scisma*, *rixa*, *pugna* (utque bellum & duellum) *scandalum*, &c. aliique ad singula præcepta posterioris tabulæ decalogi, & infra tanquam oppositæ actuum caritatis enumerandi. Problemata de odio proximi apud Scholasticos nunc prætermittimus.

§. 8. Speciales actus caritatis erga proximum cum oppositis vitiis, enumerantur ad singula posterioris tabulæ præcepta: eorundemque alphabetica tabella ex autoribus in *Exercitiis pietatis pag.* 6. indicatis confici potest. Scholastici ad 22. *qu.* 28. - 34. quoldam ex multis aliis selectos pertractant; unum internum actum, dilectionem sc., & tres ejus effectus internos gaudium sc., misericordiam & eleemosynam, pacem: & unum externum, correptionem fraternam; cum oppositis, invidia, discordia, contentione, scismate, bello, rixa, duello, scandalo *qu.* 27 - 44. *Becanus in theol. scholastica secundæ partis* 2. *tom.* 3. aliter in ordinem digerit.

Internos actus, ait consistere aut in persecutione bona, aut in fuga mali. *Illos* facit 1. *amorem benevolentiæ*, quo volumus alicui aliquod bonum propter Deum, abstrahendo à præsentia vel absentia illius boni. 2. *Desiderium*, quo volumus ipsi aliquod bonum absens. Quod si sit inefficax, potest vocari *simplex desiderium*: si efficax, *dilectio*. 3. *Gaudium* quo volumus illi aliquod bonum præsens, quod jam habet, & eo delectamur. *Istos* facit respectu Dei 1. *Odium* peccati. 2. *timorem* peccati. 3. *tristitiam* de peccato commisso. Illis subjicit pacem; quam facit duplicem: unam inter voluntatem & appetitum sensitivum in eodem homine: Alteram inter voluntates diversorum hominum. Nos his Becano relictis, putamus commodissimè ad consignandos titulos locorum communium, actus omnes caritatis erga proximum, distribui posse, in directivos seu communes, & directos seu particulares. Directivus est *prudentia*: quæ cum ad speciale aliquod præceptum commodè referri nequeat, hic ex professo explicanda. Agunt de ea scriptores Ethici, alibi indicati, & scholastici ad 22. *qu.* 49 - 54. & peculiari tractatu, ut *Joh. Gerson*, & inter recentiores operosè *Chavassius de*

vera

vera prudentia. Actus particulares directi sunt vel erga nos ipsos vel erga alterum. Erga nos ipsos sunt interni *philautia* licita, cui opponitur inordinata: & *attentio*, qua quis sibi attendit *Act.* 20. *v.* 28. Externi sunt justa *apologia*, & *inculpata* tutela, honoris, vitæ, pudicitiæ, bonorum, famæ. Huc refer *fortitudinem.* Omnibus illis opponuntur vitia tum in defectu, tum in excessu, inter quæ *detractio sui ipsius*, & *proditio sui ipsius.* De quibus sigillatim ad sextum & nonum decalogi præceptum. Nominanda hic etiam *temperantia*: de qua ad septimum prec. Actus caritatis erga alios homines hic viventes (de mortuis tam beatis quam damnatis supra in transitu monuimus) sunt vel magis interni, vel magis externi. Interni sunt *benevolentia*, *desiderium*, *gaudium* seu *delectatio*: quibus opponitur *invidia*, *& tristitia* de bono alterius, *desiderium mali*, ἐπιχαιρεκακία. De quibus hic agi potest.

Actus externi sunt vel generales & communes; vel speciales circa mortuos, & circa peccantes. Titulus de officiis caritatis circa mortuos, hic solummodo notatus, commodissime tractatur in *Politica Ecclesiastica part.* 1. *lib.* 3. ubi de *cura & sepultura mortuorum.* Actus caritatis *circa peccata proximi*, seu potius *circa proximum peccantem* explicantur à nobis proximè *sequ. disp.*, & in *Exercitiis Pietatis.* Actus externi caritatis generales seu communes ad quatuor capita revocari possunt.

I. *Beneficentiam*, & *beneficia*, de quibus, & vitiis oppositis hic agendum. Sunt autem illi, vel circa æternam salutem proximi, vel circa temporalem. *Priores* sunt preces; instructio, & hortatio; consilium; reale auxilium *tum* per *exemplum bonum* (cui opponitur *scandalum*) de quo infra peculiari *diatriba* agimus: tum per remotionem impedimentorum, & suppeditationem mediorum, quibus salus ejus promoveri possit. *Posteriores* sunt circa curam & conservationem dignitatis seu honoris, vitæ, pudicitiæ, bonorum, famæ. Huc refer 1. *liberalitatem* & *magnificentiam*: quæ omnia cum vitiis oppositis, ad 5. 6. 7. 8. 9. præcepta referantur.

II. *Misericordiam*: cujus actus sub beneficentia continentur; sed in qua hypothetici sunt, non absoluti & simplices, & specialem respectum habent ad miseriam proximi; peculiari titulo non male à beneficentiæ abstractè sumtæ actibus seorsim tractantur. Sunt autem actus illi vel circa *miseriam peccati*, seu malum turpe; de quibus in *Exercitiis pietatis cap.* 24.: vel circa malum triste; quod vel internum tentationes scil. & desertiones Spirituales: externum, quod in multa genera & species, nunc non enumerandas, distinguitur. Utrumque est vel præsens vel futurum. *Istud* præveniendum aut avertendum. *Illud* tollendum aut leniendum verbo *consolationis*, (de officio consolationis in genere in exercitiis pietatis, & in politicâ eccle-

siasticâ); *consilio*; reali & prompto *auxilio*. De his, & vitiis oppositis ad octavum præceptum commodè tractatur, sub tit. *eleemosynæ* seu curæ pauperum & miserorum. Quo refer officium mutuationis gratuitæ, *Hospitalitatis, piorum legatorum, visitationis & curæ ægrotantium, captivorum, exulum*, &c. Casuistæ Pontificii, & scholastici ad 22. qu. 30. & 32. & peculiares tractatus exoterici ac paranetici huc pertinentes, suo loco ad 8. præc. indicari debent.

III. *Justitiam:* Cujus actus hic delineari & ad certa capita revocari possent. Sed plerorumque particulares tractationes ad sua quæque præcepta rejiciendæ. Scholastici non contenti ad *Thomæ 22. & in Theolog. casuum* de his operose commentari, peculiaria insuper volumina de Justitiâ & jure conscripserunt. Inter quæ mihi nota, *Dominici à Soto, Bannes, Molinæ, Lessii*. Longum nimis esset archetypos istorum voluminum hic exhibere. Hoc saltem notandum officia ex justitia debita esse vel secundum 5. præc. vel 6. vel 7. vel 8. vel 9. & illic commodè tractari posse. Excepto, quod de justitiâ & jure in genere, de æquitate, de gratitudine, de restitutione, deque vitiis oppositis hic agendum videatur.

IV. *Concordiam*. De qua in genere hic agendum. Ejus species duæ sunt pacis & amicitiæ. De *pace* hoc loco, aut ad sextum præceptum tractari potest. De *amicitia* cum oppositis hic omnino agendum: saltem præstantiores Ethici, & inter Theologos *Danæus*, qui peculiari tractatu eam descripsit, annotandi; ad quos occasione ita postulante studiosi recurrere queant. Huc etiam referendæ virtutes homileticæ, *affabilitas*, civilitas *morum*, &c. de quibus consulendi scriptores ethici; & tract. *Guazzo, Erasmi, Joh. Casæ* cum notis *Nathanis Cythræi, Althusii Ethica*.

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE, ET OPPOSITO SCANDALO.

PARS PRIMA.

Resp. JOHANNE TALLIERS Mediob. Zeel. *7. Junii*, 1662.

Caritas proximi exserit se circa promovendam salutem ejus temporalem & æternam. Illa quomodo promoveatur, alibi dicetur. Ista promovetur 1. Votis & precibus *pro ipsius salute seu gratiâ & gloriâ ex sincero affectus interioris sensu apud Deum effusis.* 2. verbis *tum consilii, tum institutionis, adhortationis, correptionis, elenchi sive immediatè, sive vivâ voce sive scripto apud ipsum aut ad ipsum prolatis.* 3. Factis, *hoc est, exemplo: dum in conspectu ejus,*

ejus, & in tota vitâ ac conversatione nostrâ abstinemus ab omni exemplo malo. h. e. ab omni scandalo activo ac dato; & contra exemplo bono in omni opere bono, eidem præimus. De postremo officio caritatis ergo proximum nobis nunc agendum. 1. de exemplo bono, ejusque imitatione. 11. de exemplo malo seu scandalo, ejusque fugâ. *De utroque sic acturi sumus, ut præmissis præcognitis.* 2. *ad propositas aliquot quæstiones respondeamus.* Sint ergo præcognita.

* 1. De Exemplo.

Exemplum, juxta *Nonium Festum*, est quod sequamur, aut vitemus: *exemplar*, ex quo simile faciamus. Illud animo æstimatur; istud oculis conspicitur. Sed hęc minus solida esse, & voces illas sæpe confundi, ex bonorum autorum lectione, satis superque constare arbitror.

Missis ergo philosophorum & philologorum circa vocum *exempli*, *exemplaris*, *ideæ*, *imaginis*, distinctiones ac significationes, disquisitionibus: tantum observari velimus 1. τὸ exemplum latè acceptum denotare 1 quodcunque simile, ex quo vel ad quod aliud simile fit aut fieri potest. 2. Quodcunque factum ad aliud simile.

Ita ut distingui possit exemplum in exemplans & exemplatum: haut aliter ac philosophi naturam distinguunt in naturantem, & naturatam; & theologi τύπον in πρωτότυπον & ἔκτυπον. Prior significatio occurrit apud scriptores Latinè loquentes, ut Manilium lib. 1. Astronomici pag. 3. edit. in 4.

Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

Et apud *Ciceronem* passim in *orat. pro Archiâ*, *in lib. de Oratore*, *in Topicis*, & *ad Herenn.* &c. Et apud *Boëthium*, qui tamen in παροιμῇ latinitatis floruit, *lib. 3. de consol. philosoph.* metro 9.

Tu cuncta superno Ducis ab exemplo.

Posterior apud Manilium, ubi de homine loquitur,

Exemplumque Dei quisque est in imagine parvâ.

Quod de homine pluribus sic explicat lib. 2. pag. 32. *Quem denique in unum, Descendit Deus atque habitat, seque ipse requirit.* Et sic apud *Salust. in conjur. Catilinar.* & *Ciceronem* passim in *epistolis*, *Exemplum literarum.*

11. Exemplum exemplans distingui potest, in naturale, seu necessarium, & in morale seu liberum. *Naturale* est, vel increatum, independens, divi-

num : vel creatum, & dependens. *Prius* nihil aliud est quam idea omnium possibilium & futurorum in Deo. De qua alibi nobis actum. *Posterius* est, quidquid in creaturis irrationalibus, homini ad contemplationem non tantum, sed etiam ad imitationem proponitur aut objicitur. Et tale analogicè exemplum dicitur. Vide & considera *Proverb.6. v. 6.* &c. & 30. 24. 25. *Jerem.8. v.7.* ubi exempla brutorum, in quibus imagines virtutum, hominibus proponuntur. Notum est illud Boëthii, quo hominibus exemplum rerum omni sensu carentium imitandum proponit, *lib. 2. de consolat.* metro 8. quod ita concludit:

O felix hominum genus,
Si vestros animos amor.
Quo cœlum regitur, regat.

Huc referri debet illud tritum *Hugonis de S. Victore lib.2. de arcâ cap.3.* de triplici voce, quâ creaturæ nobis loquuntur: *accipe, redde, fuge*; beneficium, officium, supplicium. Quarum prima est famulantis: secunda admonentis: tertia comminantis. Vide sigillatim per totum naturæ theatrum creaturarum voces cum adjunctis cuique vocibus Dei & hominis, prosequentem *Alstedium in theol. naturali part. 2.*

III. *Exemplum liberum*, est vel Dei, vel creatnræ rationalis. *Illud sunt* tum divina attributa, communicabilia scil. quatenus scil. creaturæ rationali liberè à Deo revelantur: tum opera externa. Attributa Dei, ut amor, justitia, clementia, benevolentia, benignitas, veracitas, misericordia, longanimitas, & quæcunque sub notione virtutum concipiuntur, imitanda proponuntur. Hujus exempli intuitu homo dicitur creatus ad imaginem Dei *Ephes. 4. v. 24. Coloss. 3. v. 10.* & particeps factus divinæ naturæ *2 Petr. 1. v. 4.* Vide *Matth. 5. v. 48. 1 Joh. 4. v. 7. 8. Ephes. 5. v. 1. 2.* Opera Dei sunt, tum communia creationis, conservationis, gubernationis; tum specialia, quæ angelorum & hominum statum æternum concernunt: qualia sunt beatificatio, redemtio, eisque opposita condemnatio. Talia opera homini in forma & specie tanquam exempla imitanda non proponuntur, nisi per analogiam quam, & quod ad generalia inde extracta. Sic ex. gr. exemplum Dei facientis oriri solem super bonos & malos *Matth. 5. v. 45.* nobis imitandum proponitur, sed quod ad genus, *v. 44. 46. 47.* Idem judicandum est de exemplis operum theandricorum Christi mediatoris, quæ nobis in exemplum proponuntur *1 Petr. 2 v. 21. 25. Rom. 6. v. 4. 5. Phil. 3. v. 10. Coloss. 3. v. 1. 5. Ephes. 5. v. 2.*

Exemplum creaturæ rationalis est vel passivum, quod patitur: vel activum, quod agit. *Passivum* est quodcunque malum triste divinitus immissum, sive in pœnam vindicantem, sive in δοκιμασίαν, sive in paternam castigationem & παιδείαν.

παιδείαν. Quod respectu Dei agentis est bonum, justitiæ scil. consequenter analogicè imitandum, quousque lex permittit: sed respectu hominis patientis est malum, & consequenter fugiendum. De talibus exemplis loquitur Apostolus 1 Corinth. 10. v. 6. *Hæc autem typi nostri fuerunt.* Ea, cum insolita, rara, graviora sunt, vocantur judicia Dei, quæ in his terris inter homines exercet *Jesa. 26. v. 7.-12. Psal. 36. v. 9.* Talibus exemplis scriptura abundat, & historiæ tum ecclesiasticę tum civiles. Hæc magno numero collecta sunt, secundum ordinem decalogi ab *Honsdorf.* & *Lonicero in Theatro judiciorum Dei*, *Manlio in locis comm.*, *Joh. Chassanione in historiis mirabilium Dei judiciorum*, &c. Gall. & Belg. Quibus junge *Martyrologia*, *J. D. speculum tragicum Lugd. Batav.* anno 1605. editum in 8. Prodiit ante annos aliquot aliud longè auctius idiomate vernaculo tit. historiæ tragicę. In utroque imprimis referuntur tragica exempla magnatum. Exstat libellus *Joh. Pierii Valeriani de infelicitate literatorum*, denuo cum *appendice* editus à *Cornelio Tollio* Professore Harderoviceno a. 1647. Generales libri exemplorum (quales *Zwingeri Theatrum*, *Catechismi historiales*, & *Polyantheæ Langii*, *Gruteri*, *Magiri*,) aliquam hic partem faciunt.

Judicia divina distinguuntur in privata; & in publica nationum, regionum; agrorum, civitatum: ista ex particularibus historiis bellorum, lanienarum, seditionum, latrociniorum, persecutionum religionis causâ, inundationnm, incendiorum, tempestatum, spectrorum, &c. innotescunt, de quibus supra pluribus & ex professo actum tit. de *Judiciis Dei.*

IV. Exemplum creaturę rationalis est vel angelicum, vel humanum. Illud est vel bonum vel malum. Exemplum bonorum Angelorum peculiariter nobis proponitur *Matth. 6. v. 10.* coll. cum *Psal. 103. v. 20.* Dæmonum exempla omnia sunt mala formaliter considerata: quamvis materialiter aliquid veri subinde dicant, ut tantò melius fallant; sicuti & aliquid boni aut pollicentur, aut subinde faciunt, ut perdant. Huc refer sanationes morborum, ereptiones ex periculis per subductionem, avectionem, auxilia contra hostes lata, &c. & quæcunque dæmones familiares seu paredri officia (ita loqui liceat) suis heris, an clientibus, ad annos aliquot prętitisse dicuntur. Vide *Manlium in collectan. loc. commun.* tit. de *Creatione* sub tit. *de malis spiritibus.* Memorabile exemplum refertur ab eodem *tom. 2. ad 3.* præceptum p. 193. de milite quodam per diabolum formâ procuratoris aut advocati à supplicio mortis, cui sententia judicum jam jam addicendus erat, indicio veritatis liberato, & scelerato ejus adversario atque accusatore inde averto. Sed nos ut à diabolo nihil edoceri, sic nec à factis ejus, ut ut materialiter bonis, exemplum petere, sumere, aut exspectare volumus

Homi-

Hominum exempla sunt vel moraliter mala vel bona, vel adiaphora. *Illa* propriè vocantur scandala activa scil. & data: de quibus infra. *Ista*, sunt tum externæ tum internæ actiones virtutum, moralium & theologicarum, per omnia præcepta decalogi. *Externæ* actiones sunt quæ in aliorum sensus incurrunt, 1 *Petr.* 2. *v.* 12. & 3. *v.* 1. 2. *Internæ* actiones, & dispositiones virtutum sunt exempla quatenus per divinam aut humanam revelationem hoc est, per signa & opera externa aliis innotescunt. Sic per revelationem divinam fides Abrahami innotescit. *Hebr.* 11. & aliorum ibid. à *v.* 4. - 40. Per signa & opera externa sunt exempla activa, non tantum ex naturâ operis, sed etiam ex intentione operantis. De quibus Matth. 5. v. 11. *Sic luceat lux*, &c. Conf. 1 *Petr.* 2. *v.* 11. 12. & innotescunt internæ ἕξεις & dispositiones virtutum, quantum imitaturis sufficit (intercedente scil. judicio caritatis) cum virtutibus illis prædiți lucem confessionis, & efficaciam caritatis erga Deum & proximum præferunt. Rom. 10. v. 10. *Ore fit confessio ad salutem* Jacob. 2. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus.* Et cap. 1. v. ult. *religiosus autem cultus*, &c. *hic est, invisere orphanos*, &c. Math. 7. *Ex fructibus cognoscetis eos.* Et 1 Cor. 13. v. 4. - 8.

Adiaphora exempla humana sunt opera habituum intellectualium scientiæ scil. cujusque; & artis tum liberalis tum illiberalis, tum principalis, tum instrumentalis. De quibus in disciplinis grammaticâ, rhetorica, poëtica, physica, mathesi, medecina, &c.

v. *Exemplum bonum* distingui potest in dictum aut scriptum, & in factum. De dictis & scriptis in genere Colos. 4. v. 5. 6. *Sapienter ambulate erga extraneos*, &c. *sermo vester semper cum gratiâ sit sale conditus*, &c. Ephes. 4. v. 28. *si quis est commodus* (sermo) *ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat.* Quorum opposita λόγοι σάπροι, & ὁμιλίαι κακαι scandalum præbent, & consequenter vitanda *Ephes.* 4. *v.* 29. 1 *Cor.* 15. *v.* 33. In specie de dictis & scriptis res fidei & pietatis proponentibus 2 *Tim.* 1. *v.* 13. ubi de hypotyposi saniorum sermonum: quam *Beza expreßam formam* interpretatur: qui eandem vocem 1 *Tim.* 1. *v.* 16. & 4 *v.* 12. exponit *exemplar*; vulgatus 1 *Tim.* 4. *v.* 12. *exemplum.* De exemplis factorum Apostolus 1 *Tim.* 4. *v.* 12. *Philipp.* 4. *v.* 8. 9. 1 *Cor.* 10. *v.* 32. 33.

vi. *Exemplum* bonum, rursum est vel *principium* faciens demonstrationem in fide & theologiâ; consequenter fidei & morum regula ac norma infallibilis: vel *motivum* tantum. *Illud* est omne exemplum imitabile Dei, Christi mediatoris, angelorum, & beatarum animarum. *Istud* est tum fidelium & sanctorum in hâc vitâ primario; tum etiam infidelium secundariò.

*II. DE IMITATIONE.

IMitatio est actio hominis quâ ad exemplum ab alio datum, simile quid efformat, eique qui exemplum dedit, se conformat. In hâc descriptione, uti in motu physico, tria consideranda, terminus à quo, terminus ad quem, & tendentia seu motus ad terminum.

I. *Terminus* à quo est exemplum exemplans, quod Græcis μιμητὸν, id est, imitabile, & ἰδέα (quæ *Platoni* causa exemplaris), in N. T. ὑποτύπωσις, ὑπόγραμμος, τύπος dicitur, 1 *Timoth.* 4. 12. 1 *Petr.* 2. 21. *Rom.* 6. *v.* 17. In V. T. Hebr. תבנית 2 Reg. 16. v. 10. פַּרְשֶׁנֶן, id est, exemplum epistolę *Ezr.* 4. 1. Et sic Targum *Jerem.* 10. *v.* 11. *Psal.* 60. *v.* 1. Idem *Esther* 3. *v.* 14. scribitur פַּתְשֶׁנֶן ubi Gr. interpres vertit ἀντίγραφον. Potest enim intelligi vel de formâ & originali conceptu (ita loquar) epistolæ, vel de apographo seu antigrapho. Quomodo accipit, Targum *Jos.* 8. 3. *Deuter.* 17. *v.* 18. ubi textus Hebr. habet משנה. Porro exemplum seu imitabile illud est vel subjectum ipsum seu persona, vel adjunctum aliquod illi subjecto inhærens aut adhærens. Utrique in scripturâ ratio exempli & imitationis tribuitur: illi *Hebr.* 13. *v.* 7. isti 1 *Cor.* 11. *v.* 1.

II. Terminus ad quem seu res motu facta est simile illud seu exemplum exemplatum, quod ad imitationem prototypi factum. Gr. μιμητὸν & μίμημα, Latinis *imitamentum, imitamen, imago, simulacrum.*

III. Motus ipse seu actio per quam τὸ μίμημα & exemplum producitur, propriè dicitur *imitatio*, Gr. μίμησις (quæ vox etiam τὸ μίμημα denotat, uti κτίσις creationem & creaturam) à verbo μιμέομαι, quod in scriptura aliquoties legitur, ejusque derivatum μιμητής. Est autem imitatio vel scientiæ, vel artis, vel virtutis. Duæ priores quam sint necessariæ, & quomodo ritè instituendæ docent philosophi, & philologi: inter eos *Bembus tract.* peculiari, & novissimè polyistor *Gerh. Joh. Vossius tract. peculiari*, quem poëticæ subjunxit anno 1647. Tertia nobis hic spectanda: & pertinet ad virtutem, cui opponitur speciale vitium, dictum κακοζηλία; qua malos & mala imitamur; aut bonos & bona, sed malè. Hic chorum ducit diabolus, qui ideo Dei simius dicitur: cujus mimicam peculiari libello, aliqua ex parte delineare conatus fuit, sed eam infeliciter à Papatu removendo, ac reformatis applicando, *Henricus à Monte acuto S. Johannis à Costa dominus, tit. Dæmonis mimica.* anno 1612. Longè plura & certiora huc adferri possent ab illis, qui in scripturis probè versati, nec in historiis antiquis & novis hospites. Apostolus 2 *Corinth.* 11. *v.* 15. ait Satanam se transformare in angelum lucis, & ministros ejus tanquam ministros Christi. Exemplum hypocritarum, nec non antiquorum &

recentium hæreſiarcharum, præſertim magni Antichriſti, ad oculum hoc demonſtrant: modo paralleliſmus inter diabolum & ipſos inſtituatur.

I. *Quæſt. An dicta & facta quævis Dei, & Chriſti mediatoris ſint nobis exempla imitanda? Reſp.* Diſtinguimus, & ſic ab utrâque extremâ ſententiâ recedimus.

Sunt qui promiſcue adverſus quævis exempla Dei & Chriſti, quoties eorum imitatio urgetur, ex imperitiâ an ex cauſę deſperatione excipiunt: Nos non eſſe Deum aut Chriſtum, conſequenter nobis non licere, quod Deo aut Chriſto licet; & ſiquidem eos imitari velimus, nos incurrere redargutionem Chriſti Luc. 9. v. 55. *neſcitis, cujus ſpiritus ſitis. Reſp.* Sed contra Servator *Matth.* 5. *v.* 45. 48. hortatur nos ad Dei imitationem Math. 5. v. 48. *Eſtote igitur perfecti*, &c. Et Apoſtolus Epheſ. 5. v. 1. *Eſtote igitur imitatores Dei*, &c. 1 Petr. 1. v. 16. *Eſtote ſancti, ſicut ego ſanctus ſum* coll. cum v. 14. 15. De Chriſti exemplo ad imitationem nobis propoſito 1 *Cor.* 11. *v.* 1. 1 *Petr.* 2. *v.* 21. Philipp. 2. v. 5. *Itaque is ſit affectus in vobis, qui fuit & in Jeſu Chriſto*, &c. Hinc enatum veriſſimum illud diverbium, *Omnis Chriſti actio noſtra inſtitutio.* Et non immeritò *Thomas à Kempis* aureum ſuum libellum (exceptis nonnullis, quę juxta errores iſtius ſæculi intercurrunt) de *Imitatione Chriſti*, hoc titulo inſignivit: *Qui ſequitur me*; eundemque à verbis Johann. 8. v. 12. *Qui ſequitur*, &c. inchoavit.

In alterum extremum eunt, qui abſque diſtinctione & diſcretione, quęvis exempla Dei & Chriſti imitanda arripiunt, aut aliis proponunt. Sed diſtinguendum eſt: inter τὸ materiale & formale facti; ut & inter imitationem ſpecificam ſeu formalem facti, & inter generalem ſeu analogicam. Omnia facta Dei & Chriſti mediatoris nobis ſunt exempla imitanda, quod ad genus aut generale aliquod inde extractum, ſeu quod ad analogiam: non vero in ſpecie, quod ad eandem ſpeciem, ſeu quod ad formale. Sic e. gr. Dei miracula, mundi creationem, benedictiones ſpirituales & temporales, gratiam electionis, vocationis, regenerationis, juſtificationis, ſanctificationis, &c. non imitatur; & Chriſti incarnationem, paſſionem, ſacrificium, ſepulturam, reſurrectionem, aſcenſionem, interceſſionem pro nobis, munus item regium, ſacerdotale, propheticum imitamur, & non imitamur, ſub hac diſtinctione. Vide *Rom.* 6. *v.* 3.-7. *Coloſſ.* 3. *v.* 1. 2. *Philipp.* 3. *v.* 10. 1 *Petr.* 2. *v.* 5. 9. *Apocal.* 1. *v.* 6. & egregias catecheticas *quæſt.* 32. 43. 45. 49.

II. *Quæſt. Quomodo cognoſci poſſint, quænam opera Dei & Chriſti nobis formaliter & in ſpecie ſint imitanda; & quænam tantum quod ad genus, ſeu generale quoddam inde extractum. Reſp.* 1. *Concl.* Omnia, quæ communi lege Dei tanquam virtutes in ſcripturâ præcipiuntur, nobis in actionibus

Dei

Dei ad imitationem & quidem in formâ ac ſpecie proponi credendum eſt. Quæ contra lege Dei in ſcripturâ prohibentur, ea nobis in actionibus Dei minimè imitanda ſunt. Sic e. gr. Deus mandat Abrahamo, ſed ſpeciali mandato occidere filium innocentem (in foro ſcil. humano): hoc nullis parentibus, heris, Magiſtratibus imitari licet; quia Deus lege communi occiſionem innocentis prohibet. *Exod.* 21. & 22. *Numer.* 35. *Rom.* 13. *v.* 3. 4. κακοζηλίαν gentium illarum, quæ ad mandatum & factum hoc ſpeciale reſpexiſſe videntur, in mactandis liberis ſuis, & Iſraelitas imitatores hujus nefariæ κακοζηλίας, Deus paſſim deteſtatur. *Ezech.* 16. *v.* 20. 21. *Pſal.* 106. *v.* 37. 2 *Reg.* 16. *v.* 3. Detur aliud exemplum: Deus & Chriſtus mediator ſine cauſis ſecundis miraculosè ſupra omnes naturę leges immediatè & extraordinariò multa egerunt: ſed talium imitatio nobis tentanda non eſt; quia prohibemur Deum noſtrum tentare *Matth.* 4. *v.* 7. h. e. ſine mediis in naturâ ordinatis ſimiles effectus intendere aut exſpectare. Pontificiorum κακοζηλία alibi detegitur, cum baptizantes dicunt *ephphata*, & ordinantes ſacerdotem afflant eundem ad modulum ſcil. *Marc.* 7. *v.* 34. *Joh.* 20. *v.* 22. His & aliis ſexcentis opponi debet illud ſervatoris Luc. 29. *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis.* Quod dictum non niſi imperitè contra ſcripturam, & elementa theologiæ non tantum revelatæ, ſed & naturalis ad imitationem tum verborum ſeu phraſium, tum rerum ſeu ſententiarum, tum exemplorum & factorum Dei, Chriſti mediatoris, angelorum, θεοπνεύστων Prophetarum & Apoſtolorum extenditur.

2. *Concl.* Sit ergo. Ubicunque Deus à ſcriptoribus θεοπνεύστοις introducitur talem imitationem præcipiens, aut illi ipſi ſcriptores ex ore Dei & nomine ipſius (quippe habentes ſpiritum Dei & acti ab illo 1 *Cor.* 7. 2 *Petr.* 1.) imitationem actionum Dei exemplo ejuſdem propoſito præcipiunt ac ſuadent, ibi tutò non tantum imitari poſſumus, ſed & debemus. Sic e. gr. Dei exemplum ab unâ parte nobis proponitur ad exercendam miſericordiam *Luc.* 6. *v.* 36. Sed quis puerili inconſequente & paralogiſmo à particulari, ſeu mavis fallaciâ à dicto ſecundum quid, inde inferat, ergo Dei exemplo inter homines nunquam exercenda eſt juſtitia punitiva. Vide contrarium Deuter. 7. v. 16. *Oculus tuus illis non parcet.* Rom. 13. *Gladium non geris fruſtra.* Chriſtus *Matth.* 11. *v.* 28. ſuaviſſimè conſolatur: ergo exemplo Chriſti non licet aliquem, re ita poſtulante, hortari, reprehendere, corripere. Rurſum Chriſtus ad multas accuſationes tacuit coram Cajapha & Pilato: ergo nunquam licet eccleſiæ, aut ovibus Chriſti, ipſius exemplo, contra accuſatores ſuos ἀπολογεῖν. Contrarium vide à nobis demonſtratum in diſp. de apologiis, ad 1 Petr. 3. *tertiæ parti Politicæ Eccleſiaſticæ* inferendâ. Chriſtus Matth. 11. v. 29. ait: *Diſcite à me*, &c. *quod mitis ſum*, &c.

Ergo nunquam licet exemplo Christi *Matth.* 16. & 23. *Joh.* 8. aliquem adversarium sive à fide alienum sive ejusdem fidei consortem, ita ferente necessitate, acriori objurgatione, correptione, censurâ, excipere: idque in veritate & justitiâ, absque calumniâ & privata vindictâ; ad conversionem ipsius aut confusionem; ad veritatis, pietatis, innocentiæ defensionem; ad aliorum præmonitionem, ne seducantur aut scandalizentur; ad ecclesiæ orthodoxæ honorem & ædificationem; ad accusationum ecclesię malignantis aversionem. Contrarium prȩcipit Christus per Apostolos & amanuenses suos. 2 *Tim.* 4. *v.* 2. Tit. 1. v. 13. *eos redarguito præcisè, ut sani sint in fide.* Conferenda loca *Phil.* 3. *v.* 2. ubi quosdam appellat *canes, malos operarios*, &c. 2 *Petr.* 2. & epist. *Judæ*, 2 *Cor.* 11. 13. 14. 15. cum *v.* 23.

Contra hęc excipi aliquando audimus ab idiotis quibusdam, ut & vix semi-literatis, in elementis Theologiæ rudibus & non catechizatis, sed catechizandis 1. *Except.* Quod Christo, quod viris Dei Prophetis & Apostolis licuit: nobis non licet? Nescimus enim cujus spiritus simus. *Resp.* Hoc tam crudo effato nesciunt se tollere omnia officia adhortationis, fraternæ correptionis, disciplinæ & censuræ ecclesiasticæ, atque adeo magnam efficientiæ, authentię normalis, & usus scripturæ partem; breviter totam theologiam (quam ita vocant) exemplarem. Exempla enim Dei, Christi, Angelorum, ut & exempla Prophetarum, atque Apostolorum, immo & omnium aliorum sanctorum, sive communi sententiâ legis divinę, sive speciali judicio in scripturis probata, tanquam media seu argumenta demonstrationis theologicæ adduci solent: nec adversus ulla eorum admittenda exceptio; nisi scripturæ eandem exceptionem indicent, aut ex earum analogiâ solidè probari possit.

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE, ET OPPOSITO SCANDALO.

PARS SECUNDA.

Resp. CORNELIO de KRANCKEL Woudrich. Bat. 14. *Junii* 1662.

§. 1. III. *Quæst. An imitatio Christi non tantum universalis seu perfecta perfectione partium, esse debeat; sed etiam undequaque exacta, seu perfecta perfectione graduum. Resp. Aff.* Probatur ex exacta impletione legis & perfectione bonorum operum, perfectâque caritate Dei, ad quam tenentur fideles, *Matth.* 22. *v.* 37. cum *Marci* 12. *v.* 30. *Jacob.* 2. *v.* 12. 2 *Thessal.* 2. *v.* 15. 17. Jam verò Christus secundum

cundum humanam naturam obediens legi divinæ nobis viva seu animata lex est; eumque tanquam ducem sequi *Math.* 16. *v.* 24. *Hebr.* 12. *v.* 2. *Joh.* 8. *v.* 12. ab eo discere *Math.* 11. *v.* 29. eundem tanquam perfectum exemplar imitari jubemur 1 *Cor.* 11. *v.* 1. *Rom.* 15. *v.* 7. *Ephes.* 4. *v.* 20. 32. & 5. *v.* 1. 2. 25. 29.

Sed ab imperitis idiotis non rarò excipi solet, cum urgetur exemplum & imitatio Christi. 1. *Exc.* Ego non sum Christus, qui per unionem hypostaticam in humanâ naturâ erat impeccabilis; nec quisquam meam obedientiam cum perfecta Christi obedientiâ comparare debet? *Resp.* Verum est antecedens: Sed nos non dicimus aut prædicimus tuam perfectionem esse aut posse esse, Christi perfectioni æqualem; sed tantum cum & ex scripturâ contendimus, eam debere esse æqualem.

Instantia: si æqualis esse non potest; ergo frustra urgetur, & pro eâ ex scripturis contenditur. *Resp. Neg.* consequentia. Christus enim non reliquit nobis frustra exemplar, ut vestigia ejus sequeremur 1 *Petr.* 2. *v.* 21. nec frustra dixit, discite à me, &c. *Matth.* 11. *v.* 29. Et imperitè præsupponi videtur, quod unicus finis operis, præcepti, adhortationis, exstimulationis, correptionis sit perfectio in hâc vitâ, aut ullo modo finis atque intentio operantis ministri sit eadem perfectio. Minimè. Longè aliud docetur *Ezech.* 2. *v.* 5. 7. & *Rom.* 1. *v.* 20. cum 2. *v.* 14. 15. (ubi de lege naturæ.) Hic obtinere debet illud Augustini, lib. de corrept. & grat. cap. 3. *O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere: in correptione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere.* Sunt ergo operis ipsius honesti, (præcepti & adhortationis) fines succedanei, quos perquam eruditè & piè docet nostra *catechesis quæst.* 115. Et est unicus finis unica intentio operantis, hoc est, adhortantis & corripientis ministri (qui cum *catechesi qu.* 114. certa fide tenet imperfectionem in hâc vitâ), ut quisque convincatur de debito perfectionis, & de suâ imperfectione; ut consequenter humilietur, desideret gratiam Christi & ad illam solam confugiat, denique ad perfectionem & scopum versus feratur, &c. *Hebr.* 6. *v.* 1. cum *Philipp.* 3. *v.* 12. 13. 14.

Ut autem absurditatem hujus exceptionis palpare queas, propono similes: Non debet prædicari aut urgeri in ecclesiis nostris imitatio patriarcharum, prophetarum, Apostolorum (quod tamen repugnat *Hebr.* 12. *v.* 1. & 13. *v.* 27. 1 *Corinth.* 11. *v.* 1.): quia non sumus Prophetæ aut Apostoli. Et rursum: Non debet urgeri & prædicari ex Matth. 5. v. 48. *estote perfecti*, &c. & ex Ephes. 5. v. 1. *Estote imitatores Dei*, &c. & *ambulate in caritate*, &c. Quia nos non sumus Deus, qui est ipsa *caritas* 1 Joh. 4. v. 8. Nec exemplum angelorum, *Math.* 6. *v.* 10. quia non sumus angeli.

Except. 2. Christus, & Euangelium liberant nos à perfectâ præcisâ & rigidâ illâ obedientiâ legis, & consequenter à perfectâ imitatione Christi quod ad partes, & gradus. Et videntur esse legales atque anti-euangelici, qui novum fœdus gratiæ his oneribus gravant. *Resp.* Tales similesque exceptiones non tantum ab idiotis, sed etiam à nonnullis ex bestie aut semisse literatis, subinde audite. Nos eam istâ distinctione sic diluimus: legis perfecta obedientia imponitur homini vel sub forma, ratione, & conditione meriti, & acquirendi juris ad vitam æternam; cum consequentiâ & successione maledictionis, siquidem obedientia deficiat *Levitic.* 10. *v.* 5. *Deuter.* 27. *v.* 26. Vel imponitur ei præstanda sub formâ gratitudinis. Ab illâ nos liberat Christus & fœdus novum seu euangelium, *Rom.* 6. *v.* 14. 15. *Galat.* 3. *v.* 12. 13. Ab istâ minimè: sed contra tanquam validissimum motivum & arctissimum vinculum nos obligat ad perfectum amorem Dei, & gratitudinem 2 *Cor.* 5. *v.* 13. 14. 15. Vide theologiam catecheticam ad *quæst.* & *resp.* 86. 91. 94. 113. 116.

Exc. 3. Cum tam universalis & exactus exempli Christi tanquam animatæ legis intuitus, tam exacta ejusdem imitatio, sine ullâ latitudine, sine ullâ relaxatione, sine ullâ in benigniorem ac paulò faciliorem partem interpretatione, sine ullâ ad varia hominum ingenia, studia, infirmitates συγκαταβάσει, accommodatione, ædaptatione, traditur & præscribitur: plus destruitur, quam ædificatur, plus dispargitur, quam colligitur. Quia homines sive infideles, sive sectarii à religione & ecclesiâ nostrâ alieni, adhæc, neutrales aut in bivio constituti, non renuentes tamen propius ad nos accedere, Mundani præterea, & etiamnum carnales, infirmi, infantes (1 *Cor.* 3. *v* 1. 2.) ejusmodi magnis & rigidis postulatis, à capessendâ fide ejusque professione avertuntur, aut tristitiâ afficiuntur, si non in desperationem adiguntur. *Resp.* Hoc totum est per accidens: quomodo Euangelii (quod est verbum pacis) prædicationem, sequuntur aut comitantur hominum dissidia, contentiones, hostilitates, casus multorum, &c. *Math.* 10. *v.* 34. 35. 36. *Luc.* 2. *v.* 34. & legis prædicationem sequitur, omnis concupiscentia & peccatum admodum peccans *Rom.* 7. *v.* 8. 13. & præstantissima opera à fidelibus præstita, imperfectiones; & ardentissimas piorum precationes, vexatio distractionum & mentalium evagationum. De gravi, difficili, rigidâ, & infideles ac sectarios abalienante doctrinæ reformatæ formulâ in conqueruntur cap. de trinitate, personâ & officio Christi Sociniani; in cap. de prædestinatione, & gratiâ Dei cum annexis, Remonstrantes; in cap. de disciplinâ ecclesiasticâ, non tantum extranei, sed & complures, qui intus sunt. Quid hic faciendum; an ideo in catechesi & confessione nostrâ omnia hæc inducenda? aut saltem τὸ *hic magister non tenetur* capitibus illis adscri-

scribendum? Aut divortium morum, & praxios à lege, obeliscis in margine appositis indicandum? An potius generalis aliquo confessio dictis consensus formulis ecclesiasticè conceptis ac receptis, & supremarum potestatum in Belgio fœderato confirmatione denuò munitis anno 1651. substituenda: ad uniendas scil. omnes sectas Christianum nomen prętendentes aut affectantes, easque in unum templum compingendas? Talis confessionis specimen exhibet nobis catechesis Goudana, & Acontii liber de stratagematis Satanæ, Remonstrantibus tantopere laudatus: ubi à fraternâ unione nulli Arriani, Photiniani, Samosateniani, Pneumatomachi, &c. excluduntur. Vide quæ de henoticis Acontii, Socinianorum, Remonstrantium, Neutralium, Mediorum consiliis alibi ex professo monuimus, *part. 1. selectar. disput. tit. de necessit. & utilit. dogmatis de Trinitate*; *& part. 2. tit. de artic. & error. fundamentalib. & part. 3. tit. Notitia latentis & serp. hæres. Antitrinit. & in diatribis de syncretismo, moderatione & tolerantiâ, libertate prophetandi 3. parti Polit. Eccles.* inserendis.

Concludimus veritates scripturis traditas propter hæc, aliaque, quæ prudentia carnalis prætexit, incommoda, aut propter ullos respectus humanos, minimè deferendas, supprimendas, nedum directè aut indirectè oppugnandas esse. Proverb. 23. v. 23. *Veritatem eme, & ne vende*, &c. Math. v. 19. *Quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis*, &c. Deuter. 4. v. 12. Ne addite ad verbum, &c. *neque detrahite de eo*, &c. Propter τὸ per accidens, bonum per se necessarium (necessitate præcepti divini) omittendum non est, nedum ut rejiciatur aut improbetur: nec lex divina, quæ sancta, immaculata, & norma perfecta, nec perfectum exemplar virtutum Christi, instar plumbeę & lesbiæ regulæ ad quosvis homines, ad quęvis tempora, ad quęvis studia, ad quævis vitia sive endemia sive epidemica, inflectendum, adaptandum. Sic non fecit Christus cum talia ipsi evenirent *Johann. 6. v. 41. 60. 61. 66. 67. Math. 11. v. 45. 46.* & *19. v. 22.* Nec Paulus *Actor. 17. v. 32.* & *22. v. 22. 23.* & *28. v. 29.* Nec fideles orthodoxi de doctrinâ gratiæ, prædestinationis, perseverantiæ quidquam remiserunt, quamvis à Remonstrantibus, in libellis vernaculis imprimis à *Bertio, Grevinckhovio, Tileno*, aliisque, Prædestinatianorum, Calvinistarum, Manicheorum, Borboritarum, Catharorum, &c. nominibus odiosè traducerentur.

Except. 4. Videtur tam accuratâ secundum legem obedientię, & imitationis Christi etiam in minimis cogitationibus, cupiditatibus, animique motibus primò primis traditione atque exactione, & tam operosâ casuum conscientiæ & theologiæ practicæ explicatione, vita nobis acerba reddi: & Papalis theologia casuistica & scholastica in scholas & ecclesias reformatas, etiam peculiaris religio instar novi monachatus, immo & enthusiasmus

in

in religionem introduci; & consequenter peculiaris ac singularis populus in populo Dei, atque unà, separatio, scisma, & secta *Præcisistarum* nomine insignienda formari. *Resp.* Quid statuendum sit de praxi pietatis, de *theologiâ practicâ*, & *casuisticâ*, de exercitiis pietatis, abundè docuisse me arbitror in 3. *part. select. disp. tit. de theologiâ practicâ, de amore Dei*; & *part.* 2. *tit. de praxi fidei.* Et in *Ascetica cap.* 1. De theologia scholasticâ, & casuisticâ in 1. *part. titulis, de patribus, de theol. scholasticâ.* De præcisitate ante annos complures peculiarem diatriben conscripsi; quam iteratò cum 3. *part. select. disp.* edendam curavi. Illam si prius legere dignentur, qui *vituperant quæ non noverunt* Jud. v. 10., non dubito quin judicaturi sint contra dictam ἀκριβείαν seu præcisitatem nihil calumniosè jactari, quod pari jure seu mavis injuriâ à profanis hominibus contra perfectionem legis divinæ, postulatam operum perfectionem, ipsam pietatis praxin, atque adeo totam theologiam, quæ practica scientia est, specialiter contra quęst. catechet. 94. 113. 115. deblaterari non posset.

Voces synonymæ in scripturâ sunt ἀκριβῶς, *Ephes.* 5. *v.* 15. ἀπολόμως *Tit.* 1. v. 13. 2 *Cor.* 13. v. 10. Priorem *Beza* & *Erasmus* in versione & notis exponunt *solerter*, *diligenter*, *accuratè*, *peritissimâ adhibitâ consideratione*: *posteriorem* Beza *præcisè*, *rigidè*, quomodo glossar. Gr. Lat. ἀπολόμως *præcisè*, Hesychius in lexico ἀπολόμως, σκλήρως 1. *rigidè*; Varinus in lexico ἀκριβῶς ἄκρως, id est, *summè vehementer.* Synonymum Hebr. מאד *meod* Deut. 6. v. 5. *in omni meodecha.* Psal. 119. v. 4. *tu præcepisti mandata tua observari* מאד *meod*, id est, *valde*, *vehementer.* Adde quę in scripturâ occurrunt de zelo, fervore, languore, morbo, tepore circa amorem & adhęsionem Dei, de desiderio verbi divini, studio religionis & bonorum operum. *Rom.* 12. *v.* 11. *Apocal.* 3. *v.* 16. 19. *Psal.* 119. *v.* 20. 25. 31. 81. 120. 123. 139. *Cantic.* 2. *v.* 5. cum *Math.* 5. *v.* 6. & 2 *Corinth.* 5. *v.* 13. 14. *Catechesis nostra qu.* 115. adhibet voces *exactè*, *severè*; Gr. *Sylburgii* ἀκριβῶς, ἐπιτρεφῶς, Belgicè **scherpelijck**. In Catechesi eccles. Gallicarum sect. 13. *zeli vehementia.*

Si quibus libeat per artem conjugatorum grammatico-logicam, hinc edolare & denominare, sectas *vehementium*, *rigidorum*, *solertium*, *diligentium*, *zelotarum*, *accuratorum*, *languentium*, *suspirantium*, *lugentium*, *ægrotantium*, & quidni *phreneticorum*, *stolidorum*, *fanaticorum* seu *Enthusiastarum*, *tremulorum*, Anglicè *Quakers* (historicè loquor); æquè ac sectas *soli-ipsorum*, *singularium*, *præcisistarum* seu *Præcisorum* nonnullis jam publicè in theatro totius orbis proclamare libuit; ferendum est, donec aut ipsi maledicendo, subsannando, contendendo lassi sint, aut Deus exurgat, qui non μυκτηρίζῃ. *Gal.* 6. *v.* 7. Interim, fideles, qui tanquam filii scripturarum, à vocibus & sententiis earum,

tum minimè abhorrent, denominationum istarum explicatione, applicatione autorum conscientiis relictâ, cum Apostolo Actor. 24. v. 14. *secundum viam illam, quam sectam nominant, Deo patrum nostrorum* (h.e. reformatorum) *servire* non desinent: atque unà multiplices defectus suos, hâc in parte, sentire, deplorare, confiteri; ad omnimodam Christi gratiam confugere; juxta antiquam, tritam, & tutam semitam in *catechesi resp. ad quæst.* 115. ex scripturis complanatam. Eam nos cum totâ catechesi, confessione, canonibus Dordracenis, liturgia, contra novitates, oblocutiones, detorsiones, exceptiones, incrustationes, κρυπτὼ τῆς αἰσχύνης, pseudo-syncretismos, pseudo-moderationes, aliasque novas laxationes, stateras dolosas, mundanas fucationes, χρησυλογίας, ἀνθρωπαρεσκείας, tueri ut debemus, sic etiam per Dei gratiam parati sumus. Fabellas, susurros, garritus hominum malè feriatorum, nemo in tantum curare debet; ut ob metum fingendæ novę sectæ, per denominationem *Catharorum* aut Pręcisistarum, de munditie seu puritate ecclesiæ cum *Erasmo ad Psal.* 15. cum aliis theologis de puritate cordis, conscientiæ, manuum, totius hominis ad *Matth. 5. v. 8. Psal. 24. v. 4. Tit. 1. v. 15. Hebr. 10. v. 22. 2 Corinth. 7. v. 1. 1 Joh. 3. v. 3. Jac. 4. v. 8.* secundum analogiam scripturarum & orthodoxæ fidei, quâcunque occasione tractare cessaret; aut de veritate in earundem tractatione, vel hilum adversariis concederet. Insigniti sunt orthodoxi tempore Waldensum, Wiclefistarum, Hussitarum titulis Insabbathatorum, Lollardorum, Bulgarorum, Turlupinorum, Manichæorum, &c. & post inchoatam anno 1517. reformationem, Hugonotarum, Geusiorum, Cinglianorum, Sacramentariorum, Picarditarum, Puritanorum, Calvinistarum (apud *Becanum in Manuali lib.* 3. in principio), adde & Gomaristarum, Contra-Remonstrantium, rigidorum prędestinatorum, purorum fratrum, Puritanorum, Stoicorum, supra-lapsariorum, Borboritarum, &c. in Belgio nostro. Quid tum. Audi Tertullianum in Apolog. c. 3. *Ante odium nominis competebat prius de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de sectâ. At nunc utriusque inquisitione & agnitione neglectâ, nomen detinetur, nomen expugnatur, & ignotam sectam, ignotum, & auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia revincuntur.* Confer, quæ ad quartam hanc exceptionem difflandam congessimus in cit. *disp. de Præcisitate.*

I V. *Quæst. An facta quælibet hominum quorumcunque, aut saltem fidelium ac piorum, quæ in scripturis memorantur, sint exempla bona nobis ad imitandum proposita; & consequenter, an dicta & consilia eorum faciant nobis argumenta seu demonstrationes theologicas, fide divinâ, cui non potest subesse falsum, recipiendas; & facta eorum faciant exemplo authentica, quæ instar legis*

sequi nobis liceat, aut insuper necesse sit. Resp. Minimè: Valet enim hic regula: *Non exemplis: sed legibus vivendum.* Distinximus alibi inter autentiam historię, & normæ seu præcepti, in 1. *part. select. dispp. tit. Quousque se extendat scripturæ autoritatis.* Istic dicta hic non repetimus: sed studiosos nostros eò ablegamus. Tantum hic per prolepsin respondemns; ad illa Pauli 1 *Cor.* 4. *v.* 16. *Thess.* 1. *v.* 6. 2 *Thess.* 3. *v.* 7. 3. ubi imitationem sui laudat, & mandat, illud fieri cum limitatione, quam adhibet 1 *Corinth.* 11. *v.* 1. *imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Sed plenius hoc explicatur quæst. sequ.

V. *Quæst. An exempla & praxis Apostolorum, aut ecclesiæ Apostolicæ, qua & quousque assistentiâ, directione, & judicio alicujus Apostoli fruebatur, omnibus sequentibus ecclesiis exemplum sit in regiminis & disciplinæ ecclesiasticæ administratione necessariò, aut saltem licitè ac tuto imitandum? Resp.* Præmittimus distinctionem inter exempla Dei, Christi mediatoris, sanctorum obligatoria; & non obligatoria.

1. *Dei* exempla obligatoria nobis ad imitandum proposita, sunt solæ & omnes morales actiones & excellentiæ *Matth.* 5. *v.* 44. 45. 48. *Eph.* 5. *v.* 1. 1 *Petr.* 1. *v.* 14. 15. 16. 1 *Joh.* 4. *v.* 10. 11.

11. *Christi* mediatoris sunt vel omnes & solæ actiones morales *Matth.* 11. *v.* 29. *Ephes.* 5. *v.* 2. 3. 25. 1 *Petr.* 2. *v.* 21. &c., vel saltem innixæ rationi & fundamento morali, *Joh.* 13. *v.* 14. 15. ubi rationem exempli magis, quam individuum (seu specificum & formalem) actum imitari debemus. Quam distinctionem alibi contra ποδονίπτας & κακοζηλίαν ποδονιπτικὴν inculcamus in 1. *part. Polit. Eccles. lib.* 2. Confer inter antagonistas Papatus *Chamierum tom.* 3. *panstratiæ lib.* 19. *cap.* 7. *& lib.* 24. *cap.* 9. *& tom.* 4. *lib.* 8. *cap.* 1. *&* 7.

Excluduntur ergo, *primò* Christi actiones omnes miraculosæ ab omnipotentiâ divinâ profectæ. *Secundò* Christi actiones ad divinam ejus potestatem ac prærogativam referendæ, ut e. gr. solutio asinæ absque præhabito consensu possessoris *Matth.* 21. *v.* 2. *Tertiò* Christi actiones mediatoriæ, quatenus erat summus propheta, pontifex, rex; ut e. gr. positio animæ suę pro ovibus in satisfactionem *Joh.* 10. *v.* 15. donatio spir. s. *Joh.* 20. *v.* 22. *Actor.* 2. Institutio, missio, & instructio ministrorum *Joh.* 20. *v.* 21. *Math.* 10. *v.* 15. & 28. *v.* 19. 20. Institutio & præscriptio novi cultus instituti, baptismi scil. & cœnæ dominicæ, *Matth.* 28. *v.* 18. 19. 1 *Corinth.* 11. *v.* 23. &c. *Quartò*, Actiones quædam accidentales, seu mavis circumstantiales, & occasionatę, seu incidentales: ut e. gr. in primâ celebratione cœnæ, quod facta sit tempore vespertino seu nocturno: post sumtam cœnam, non ante: tantum cum viris, & quidem Apostolis; pane azymo, &c. Quibus nonnulli addunt pedum lotionem, tanquam immediatè manducationi

eucha-

eucharisticæ præmissam. Sed hoc ex scripturâ certò non probari, alibi ostendimus.

111. *Sanctorum* exempla omnia non esse obligatoria, sed tantum ea quæ habent approbationem à Deo sive generalem & implicitam per sententiam legis moralis, sive specialem & explicitam. Quarum illa ex scripturâ semper colligi potest, examine, adductione, & applicatione factorum ad legem: ista non semper habetur. Sicut enim omni relationi seu historiæ peccatorum non adscribitur continuò ἐπίκρισις, nec finitur aut qualificatur quale illud factum sit, moraliter bonum an malum (ex. gr. *Genes.* 19. de incestu Lothi): sic nec omnia bene facta, & exempla bona, quæ in scripturis referuntur, specialiter adscriptum habent virtutis & exempli boni atque imitandi encomium.

1v. *Apostolorum* (addo Prophetarum & Joh. Baptistę) exempla obligatoria, directiva, regulantia sunt *primò* omnes eorum actiones quę lege Dei exserte & directè tanquam faciendę immediatè per Deum aut Christum, mediatè per viros προπιύτας præscribuntur. *Secundò* omnes actiones, quæ fundamento ac rationi morali communis, perpetui & obligatorii juris innixæ quemcumque hominem fidelem, verbi ministrum, ecclesiam institutam particularem, æque concernunt, ac Prophetam aliquem, aut Apostolum, aut ecclesiam quam Apostolicam, puta Hierosolymitanam, Ephesinam, &c. *Tertiò*, actiones, quas Deus sive immediatè, sive mediatè per Doctores & scriptores προπιύτας tanquam exempla, imitandas; aut quarum oppositas docet fugiendas. *Quartò*, actiones, quas Deus immediatè aut mediatè per ministros προπιύτας commendat, approbat, laudat, iisque remunerationem promittit: & quarum oppositas improbat, vituperat, condemnat; iisque pœnas minatur. Exempla primæ, tertiæ, & quartę classis exempla non est quod hic indicemus: sed tantum secundæ, contra quæ à contendentibus circa regimen ecclesiæ in alterutrum extremum, excipitur. Sunt autem tales actiones baptismus fœminarum æque ac virorum *Actor.* 8. *v.* 12. & 16. *v.* 15. quia æquè sunt unum in Christo *Galat.* 3. *v.* 28. Baptismus, occasione ita ferente, extra cœtum ecclesiasticum, & antequam baptizandi sint formata & actualia membra externi particularis cœtus *Actor.* 8. & 16. 33. quia sufficit eos tanquam membra ecclesiæ universalis tum invisibilis, tum visibilis per fidem ac professionem Christianæ fidei, & communionem implicitam cum omnibus ejus cœtibus ac membris baptizari. 1 *Corinth.* 12. *v.* 12. 13. Cultus Dei & exercitia pietatis primo die hebdomadis celebranda *Actor.* 20. *v.* 7. quia sabbathum hebdomale ex vi quarti præcepti observandum: idque sub N. T. non postremo, sed primo die hebdomadis: mutatione

hâc circumstantiali per Apostolorum exemplum nobis commonstratâ. Gubernatio omnium cœtuum in unâ civitate tanquam unius ecclesiæ topicę per unum presbyterium, ut Hierosolymitanâ *Actor.* 8. *v.* 1. & 15. *v.* 4. Antiochenâ *Actor.* 13. *v.* 1. & 11. *v.* 25. 26. Corinthiacâ 1 *Cor.* 1. *v.* 2. 2 *Corinth.* 1. *v.* 1. Errorum, scismatum, scandalorum ecclesias presbyteriales turbantium sanatio, per autoritativa judicia & decreta synodorum quæ ex diversis membris & delegatis presbyteriorum constituuntur, *Actor.* 15. Quem locum contra exceptiones Separatistarum & Independentium vindicamus in *disp. de classibus & synodis.* 3. *part. Politic. Eccles.* inserendâ.

Excluduntur autem ab exemplis necessario in regimine & directione ecclesiarum imitandis 1. *Actiones vitiosæ*, quæ sunt exempla mala, non imitanda, sed fugienda 1 *Cor.* 10. *v.* 5. 6. 10. 12. & 3. Et tales sunt omnes actiones Apostolorum, aut ecclesiarum Apostolicarum, quę communi indicio legis, aut speciali Apostoli alicujus, aut Christi improbantur: e. gr. Petri *Gal.* 2. *v.* 11. Ecclesiæ Corinthiacæ 1 *Cor.* 1. *v.* 12. & 3. *v.* 1. 2. Galaticæ *Galat.* 3. *v.* 1. 2. Pergamensis & Thyatirensis, *Apoc.* 2. *v.* 14. 15. 20. 2. *Actiones heroïcæ*, peculiari instinctu & mandato spir. s. præstitæ: quales Petri morte sacrilegium Ananię & Saphyræ, & Pauli cœcitate Elymę magi seductionem punientis. *Act.* 5. & 13. Quæ cum Abrahami, Pinehas, Simsonis, Eliæ actionibus comparari possunt. 3. *Actiones extraordinariæ* vi extraordinariæ vocationis legitime & ἐυτάκτως præstitæ: quam vi ordinariæ vocationis suę ministri præstare non tenentur, nec etiam debent. Et talis erat Apostolorum universalis quarumvis ecclesiarum, pro re natâ, inspectio, cura, plantatio, rigatio, reformatio & euangelistarum aliorumque ministrorum missio & institutio: idque vi extraordinariæ ad illud vocationis. Sicuti & Joh. Baptista tanquam præco pœnitentię, alter Elias & Christi præcursor peculiare vitæ *Matth.* 3. 4. genus quibusvis non imitandum instituit. 4. *Actiones occasionatæ peculiariter:* quæ ad imitationem non obligant, nisi similis occasio & necessitas se offerat: ut communitas illa bonorum *Act.* 2. & 4. & Euangelii prædicatio ἀδιάπτως, sine stipendio 1 *Cor.* 9. *v.* 12. 15. cum *Actor.* 20. *v.* 24. De quo alibi contra Anabaptistas dictos Huttericos, ubi de communione bonorum differitur: & nos *part.* 1. *Polit. Eccles. lib.* 4. *ubi de stipendiis ministrorum.* 5. Actiones eorundem, quatenus erant Apostoli h. e. extraordinarii ministri: & quatenus erant sympresbyteri, 1 *Petr.* 5. *v.* 1. Illas nullus minister ordinarius: istas nullus privatus fidelis imitari debet.

DE

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE, ET OPPOSITO SCANDALO.

PARS TERTIA.

Resp. HENRICO SNAPPER Ultrajectino 26. *Junii* 1662.

VI. *Quæst. An exempla V. T. transferenda sint ad usum nostrum?* §. 1. *Resp.* de hâc quæst. ex professo agit *Aretius part. 2. problem. pag.* 388. *edit. in* 8. Sunt duæ extremæ sententiæ.

Una erat olim Manichæorum, qui in solidum vetus testamentum condemnabant, legem & Prophetas resiccatis ac interituris arboribus comparabant, & principem tenebrarum in lege & Prophetis locutum dicebant, teste *Epiphanio hæres. 66.* Cum quibus hactenus Anabaptistæ illi conveniunt, qui nullas inde probationes sive testimonia sive exempla, ad fidei morumque informationem admittunt. In *Confessione* anno 1618. cum ipsorum martyrologio, & postea anno 1620. seorsim in 8. edita, artic. 11. ajunt *omnes fideles N. T. debere se necessario componere tantum ad Euangelium Christi:* quod ibidem à doctrinâ V. T. exsertè distinguunt. In colloq. Francothalensi art. 1. §. 14. respondet Joh. Buchel. *quicquid in Veteri Testamento probari potest non repugnare doctrinæ Christi, recipimus tanquam* ἀξιόπιστον. Quod *Thieboldus ibid.* §. 18. ulterius sic explicat. Quod Christus & Apostoli omnia docuerunt, quæ ad salutem sufficiunt: & quod Moses per doctrinæ suæ insufficientiam, nobis monstraverit Christum: Joh. de Riis in exhortat. suâ Amstelodami anno 1596. institutâ, docet *legem & doctrinam Mosis Christianos iam non concernere, nec illis cum ea quidquam esse negotii.* In actis colloqu. Leovardiensis art. 28. Petrus van Ceulen, negabat *tam per V. quam per* N. T. *scripta articulos præcipuos fidei Christianæ confirmari posse ac debere.* Inter Socinianos Smalcius in præfat. ad refutationem thesium Frantzii: *Quidquid ex V. T. ad probandam religionem adfertur, id non tam ad confirmandam eam, vel fidem ei faciendam, quam illustrandam & commendandam facit.* Socinus de autorit. scripturæ cap. 1. innuit lectionem V. T. esse utilem, non tamen necessariam. *Cateches. Racoviana cap. 2.* certitudinem scripturæ tam N. quam V. T. proponit; sed illam solummodo probat.

Altera extrema sententia est eorum, qui promiscuè quidvis tanquam ob-

servatu necessarium inde adducere solent ad mores nostros & ad regimen ecclesiasticum ac politicum formandum.

Nos breviter adhibitis distinctionibus sic determinamus 1. *Concl.* quæ est generalis, rationes ab exemplis tum V. tum etiam N. T. ductas concludere posse necessariò, cum scil. unum particulare ex alio particulari probatur vi similitudinis communis toti generi, sub quo ea particularia continentur. Debet ergo simile esse id, quod proponitur ei, de quo arguitur: deinde debet similis illa ratio communis esse universo generi; & inde ab exemplo exemplante ad exemplum exemplandum (ita loquar) consequentia duci. Secus si sit, ne probabiliter quidem exemplum concludit. Variis instantiis id probatur. Cerinthiani, Ebionæi, Æthiopes Abassini asserunt infantes Christianorum circumcidendos esse exemplo *Christi*. Et quid si quis dicat Paschalem agnum comedendum exemplo Christi. Aut cum Arabibus & Muhammedistis, nos decimo tertio ætatis anno circumcidendos exemplo Ismaëlis. Aut cum fœminâ Samaritanâ *Joh.* 4. in monte illo Deum adorandum. Vide *Raynoldum* more suo eruditè & accuratè hoc explicantem *lect.* 186-190. *in apocrypha.*

2. *Concl.* Quorumvis hominum dicta, consilia, facta in scripturâ V. T. relata, non sunt exempla obligantia.

3. *Concl.* Omnia Prophetarum & scriptorum προπνεύσων facta, ut Mosis, Abrahami, Jacobi, Davidis, Salomonis, &c. non sunt nobis exempla obligantia ad imitationem.

4. *Concl.* Idem dico de dictis, & consiliis eorum. Effutiit enim Moses verba quædam *Psal.* 106. *v.* 33. & David proditoriâ epistolâ Uriæ pernitiem molitus est 2 *Sam.* 11.

5. *Concl.* Et de factis quibusdam à peculiari & extraordinario Dei instinctu, mandato, & motu profectis: ut Pinehas, Eliç, &c.

6. *Concl.* Perpetua praxis eorum in regimine ecclesiæ, nos obligat ad imitationem in iis quæ sunt juris universalis perpetui, & immutabilis. In reliquis minimè. Quæ sunt non tantum omnia typica, aut ad legem ceremonialem aut ad legem forensem pertinentia, sed etiam purè peristatica, & ambulatoria illi populo, non tantum ecclesiasticè, sed etiam politicè tanquam peculiari Dei populo, & quidem diversis in locis ac temporibus, in familiis Patriarcharum, in Ægypto, in deserto, sub judicibus, sub regibus, in captivitate Babylonicâ, sub ducibus post reditum ex captivitate, observata. Sicuti enim in primâ ecclesiâ Apostolicâ, ejusdemque primâ plantatione, ac propagatione quædam facta, aut observata, aut tolerata sunt; quæ succedentes Ecclesias, earumque ministros ad perpetuam imitationem aut ordinariam observationem non obligant: ita & in regimine Ecclesiæ V. T.

quæ-

quædam fieri, obſervari, admitti, tolerari potuerunt, quæ imitari partim non tenemur, partim nobis non licet, ex. gr. polygamia, & libellus repudii (extra caſum adulterii) nec typica erant, nec lege ceremoniali mandata: propter illa tamen communis tolerantiæ & conniventiæ peccata, eccleſiâ à ſacrorum communione non excludebat peccatores: quos tamen arcebat ob immunditiem aliquam ceremonialem. Quod Eccleſiæ in N. T. imitandum non eſt. Præterea alligabat omne miniſterium ſacrum uni tribui Levitarum, omne ſacerdotium uni familiæ Aaronicę, præſtantiſſimas quaſdam cultus œconomici partes, immo & preces ſuas uni tabernaculo aut templo. Ut jam de politiâ nihil dicam, ubi poſt Samuelem regia majeſtas, quamdiu per Dei voluntatem forma illa regiminis ſtabat, uni familiæ Davidicæ alligata erat. Similiter ac in N. T. communio aliqua bonorum *Actor.* 2. & 4. & Euangelii abſque ſtipendio in aliquâ eccleſiâ (non tamen pauperculâ) prædicatio. *Actor.* 20. *v.* 34. 35. 1 *Cor.* 9. *v.* 18. 19. zelus, cupiditas, propoſitum prędicandi Euangelium, ubi Chriſtus non erat auditus *Rom.* 15. *v.* 20-22. Polygamorum ex Ethniciſmo aut Judaiſmo ad fidem Chriſti accedentium, in primâ eccleſiarum plantatione tolerantia, non tamen approbatio 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. Ad tria priora abſolutè non tenentur omnes eccleſiæ & miniſtri: poſterius eccleſiis bene conſtitutis non licet; ut ſcil. polygamos in communionem recipiant, aut lapſos ac impœnitentes in eâdem retineant.

Omnibus ergo illis exceptionibus & limitationibus adhibitis, dicimus omnia quæ in V. T. ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe *Rom.* 15. *v.* 4. & utilia nobis eſſe ad doctrinam, redargutionem, &c. 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. ut formaliter & in ſpecie nobis ſint exempla aut fugienda, 1 *Cor.* 10. *v.* 11. πάντα ὰ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις, ἐγράφη ὰ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, &c. aut ſequenda, *Hebr.* 12. *v.* 1. cum *cap.* 11. præcepta autem omnia ad minimum quod ad genus ſeu generale aliquod inde extractum, non in formâ & ſpecie, ſed analogicè uſui & imitationi noſtræ inſerviunt.

Conſectar. 1. *Malè Anabaptiſtæ, Sociniani, & ſequaces eorum ſtatuunt, aliam legem moralem fuiſſe in V. ac in N. T. quam legem Euangelicam appellant: quaſi per illam in foro conſcientiæ aliqua licita fuiſſent, quæ per iſtam* nunc eſſent illicita: qualia ſunt, uſus gladii, bellum, juramentum, repudium, polygamia, concubinatus.

2. *Nec* minus malè, *ſi non longè pejus, libertas chriſtiana extenditur ad moralia aliqua in V. T. per rigorem legis in foro conſcientiæ illicita, quæ nunc ſub N. T. eſſent licita. Quaſi* ſcil. *ad amorem & gratitudinem erga Deum noſtrum ex præſcripto legis moralis præſtandam, minus ſtrictè & exactè quod ad extenſionem & intenſionem, obligaremur, quam fideles V. T.*

VII.

VII. *Quæst. An cujusque ecclesiæ post-Apostolicæ, antiquissimæ antiquæ, mediæ, novæ sive ab Antichristo corruptæ, sive reformatæ, præcedens aut præsens praxis, in modo & executione regiminis, omnibus passim ecclesiis, aut huic atque illi ecclesiæ, sit exemplum obligans? Resp.* Hoc istis conclusionibus determinatur.

1. *Concl.* In substantialibus & generalibus regiminis verbo Dei præscriptis, si omnes ecclesię antiquæ aut novæ nobis darent exemplum: utique grato animo id agnoscendum, & zelus imitationis excitandus. Si nullæ, aut pauciores ecclesię exemplum darent; immo si contra statutis & exemplis malis à bono nos abducerent: habent ecclesiæ quælibet exemplum ecclesiæ Apostolicæ & regulam verbi divini, quam sequantur vel cum paucioribus, vel etiam solæ: uti hoc alibi explicuimus, *1. part. polit. eccles. last. lib. 2. tr. 1.* ubi de canonibus ecclesiasticis. Antiquitas & consuetudo sine veritate, nil nisi antiquus & consuetus error est: uti & novitas sine veritate novus error est.

2. *Concl.* In peristaticis, & mutabilibus adiaphoris circa regimen ecclesiasticum, nec antiquæ nec novę ecclesiæ sive præcedens sive præsens consuetudo, nos obligare debet: sed personis, temporibus, & præsenti rerum statui omnia accommodanda, ad majorem ædificationem; & toties mutanda, quoties melior hujus, aut ecclesiæ ædificatio id suaserit. Neque enim versantur hic in ideali Republicâ Platonis; nec peristatica determinatio aut praxis hic & nunc, in generale dogma aut immobilem articulum fidei transformanda, quo conscientię semper & ad semper obligentur.

3. *Concl.* Hoc tamen vitandum non tantum in theoreticis, sed etiam, & imprimis in practicis, ne ab unâ parte simus soli ipsi, qui nihil ab aliis dictum aut factum agnoscere, admirari, probare, imitari velimus; in solis ab ingenio nostro ortis ac primum (uti putamus) inventis acquiescentes, & sic ad singularitatis fastigium enitentes. Contra illud 1 Thessal. 5. v. 6. 7. *Prophetias ne contemnite.* Eccles. 4. v. 10. *Væ uni, cum ceciderit*, &c. Et huc applicandum illud Græcorum proverbium: εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνήρ. Maximum vanitatis & ventosę αὐθαδείας signum est, nihil velle tanquam exemplar aut exemplum, etiam in sapientissimis & probissimis, aut in majoribus, aut præceptoribus, aut amicis suis intueri & sibi proponere: quia scil. jam tritum est, aut saltem aliis etiam notum, aut non est novum ac singulare, aut à te primitus non inventum, non factum. Nec tamen ab alterâ parte tam ductiles & stolidi imitatores quorumvis dictorum & factorum etiam à sapientibus & bonis immo optimis profectorum esse debemus, ut absque rationali examine de iis peremtoriè statuamus aliquod αὐτὸς ἔφα: uti Pythagoræ discipuli de ipso, αὐτὸς ἔφα.

Contra

Contra 1 Thess. 5. *omnia probate*, &c. & Cor. 11. v. 1. *imitatores mei estote, sicut ego Christi.* 1 Cor. 7. v. 23. *Ne estote servi hominum.* Talibus rectè occinitur illud poëtæ : *O imitatores servum pecus, ut mihi sæpe Risum,* &c. Prov. 3. v. 5. *Fide domino in toto corde tuo, & intelligentiæ tuæ ne innitaris* v. 7. *Ne sis sapiens in oculis tuis*, &c.

VIII. *Quæst. An nihil agendum sine exemplo præeunte; seu an præstantius sit tum in vitâ communi, tum in regimine ecclesiastico, exempla aliis dare, quam ab aliis exspectare? Resp.* Respondemus istis conclusionibus.

1. *Concl.* Beatius est dare, quam accipere *Actor.* 20. v. 35. quia, juxta philosophum. 4. Ethic. Nicomach. cap. 1. *Hominis liberalis est magis dare, quibus dare oportet, quam à quibus accipere oportet, accipere. Virtutis magis est* τὸ *benefacere, quam* τὸ εὖπάσχειν *bene pati.* Unde sequitur bona exempla danda Math. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera,* &c. *Hebr.* 10. v. 24. κατανοῶμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων.

2. *Concl.* Minus malus est, qui per insciticm veræ pietatis & honestatis, aut per ἀπειρίαν τῆς καλοκαγαθίας, aut per carnalium affectuum dominium, aut per negligentiam & teporem, aut per aliam quam ἀνυπερίστατον infirmitatem præclara exempla non dat: patitur tamen ea ab aliis se sapientioribus ac melioribus dari.

3. *Concl.* Pessimus est, qui cum ipse præclara sapientiæ, pietatis, diligentiæ, ἀκριβείας, beneficentiæ, aliarumque virtutum exempla dare aut nolit, aut non possit, non patitur ab aliis dari; immo si dentur, eadem excogitatis commentis, sycophantiis, calumniis, & forte ultra insectatur: idque ex merâ invidiâ, superbia, ambitione.

Nec ferre potest (canente Lucano) *Cæsarve priorem,*
Pompeiusve parem.

Stat enim illi ἀεὶ ἀριστεύειν καὶ ὑπερέχειν ἔμμενναι ἄλλων. Maledictum est illud dictum Ephesiorum Hermodorum ex urbe suâ ejicientium à *Strabone lib.* 14. *Geogr.* & à *Cicerone in Tuscul. quæst. lib.* 5. sub finem: ἡμετέρων μηδεὶς ἀνὴρ ἀγαθὸς ἔστω, εἰ δὲ μὴ, ἀλλ' ἐν μετ' ἄλλων, id est, *Nemo nostrum optimæ frugi esto; aut alibi id esto, aut inter alios.* Quod factum & directum ita detestatus est sapiens Heraclitus & ipse Ephesius, ut pronunciaret dignos esse Ephesios, qui ad puerum usque omnes strangulentur; teste ibid. *Strabone.* Ita sc. *oderunt omnes exsuperantiam virtutis:* ut *Cicero ibid.* loquitur, addito exemplo Aristidis ex patriâ suâ ob eximiam justitiam pulsi. Si talibus majoris studii, & conatus, aut etiam profectus in viâ sapientiæ, & virtutis hostibus, Athenienšium ostracismus adesset: væ multis eruditione, aut virtute sive in togâ sive in sago excellentibus; cum infernalis hæc superbissimæ invidiæ pestis istorum ordinum viris maximè infesta sit.

4. *Concl.* Nemo tamen tam abjecti tam tepidi animi esse debet, ut à divinitus impositò aliis prælucendi officio absistere velit: ob metum scil. ne passu uno atque altero forte alium quem prævertens, qui sibi turpe putat relinqui, indignationem ejus incurrat, tanquam luminibus ipsius obstruens. Quod per se bonum est, & ad quod quis per se jure divino obligatur, omittendum non est, proptur per accidens secutura mala turpia & tristia; non magis quam facienda sunt per se mala & vetita, ob bona aliqua per accidens secutura. Utinam adhærens hominibus segnities & mollities, non excuteret ipsis sensum & recordationem primi & maximi illius præcepti: *diliges dominum Deum tuum ex toto corde*, &c.

Consectar. 1. Indignæ sunt homine Christiano vulgares illæ exceptiunculæ, *Nulli, aut saltem non multi ex majoribus nostris, ex familiâ nostrâ, ex ordine nostro, ex proximis prædecessoribus nostris, tale quid, aut toties, aut tum, aut tali modo fecerunt; aut à malo isto bene posito, aut à specie, aut occasione mali abstinuerunt: Ergo nec ego faciam, aut abstinebo.*

2. Multo indignius est plusquam Manlianum imperium verbis, sive explicitè sive implicitè, aut ipsis factis indicatum: *Ego sic feci, aut faciam: aut ego sic non feci, non facio, non faciam: aut nunc mihi sic variare libet, nunc sic muto. Ergo tu sub pœnâ imponendi tibi, novam factionem, aut turbatam pacem*, &c. *Ne latum unguem à me discede; tu me* sequere, tu *inter eadem lineas curre aut ambula.*

PRÆCOGNITA DE SCANDALO.

§. 2. VOx Græca scandali occurrit *Math.* 13. *v.* 41. & 16. *v.* 23. & 18. *v.* 7. synonymum ejus πρόσκομμα. *Rom.* 14. *v.* 13. πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον. Verbum σκανδαλίζειν *Math.* 5. *v.* 29. 30. 1 *Cor.* 8. *v.* 13. &c. Hesychius in lexico scribit masculino genere σκάνδαλος, & exponit per synonymum ἐμπόδισμός. Etymon ejus sic explicat Etymologicum magnum: σκάνδαλον, παρὰ τὸ ζηλίζω, ὁ σημαίνει τὸ χαλαίνω. Definitionem nominalem per synonymiam ibidem affert geminam: λέγεται τὸ σκάνδαλον ἡ διαστροφή. Et, σκάνδαλον τὸ σκάζον ἢ τὸν ἀληθειαν. Hebræis dicitur מכשול *Levit.* 19 *v.* 14. *Jerem.* 6. *v.* 21. כשלון *Prov.* 16. *v.* 18. מכשלה *Jes.* 3. *v.* 6. *Zephan.* 1. *v.* 3. à rad. *caschal impegit, offendit, lapsus est.*

Describi potest scandalum propriè dictum, *quando dicto aut facto, aut dicti*

dicti, factique omissione, quæ per se mala aut speciem mali habet, alicui occasio datur peccandi. Basilius lib. 2. de baptismate ad quæst. 10. describit, quod sit *omne quod ad defectionem veritatis secundum pietatem, aut provocationem erroris inducit, aut ædificat ad impietatem: in summâ, omne quod prohibet mandato Dei obedire usque ad mortem ipsam.* Distinguitur vulgo cum scholasticis ac Casuistis ex *Thomâ* 22. *qu.* 43. *art.* 1, & 3. in *activum* & *passivum.*

1. *Illud* est actus aut omissio, quæ alteri occasio peccati aut ruinæ. *Istud* est ipsum peccatum aut ruina. *Activum* duplex est, vel per se vel per accidens. Activum *per se* est, quando quis intendit peccatum aut ruinam alterius. Activum *per accidens*, quod est præter, intentionem. Inter quæ *medium* est, quod activum & *per se* & *per accidens* dici potest: *per se* ratione operis, quia ex natura operis alteri datur occasio peccandi: *per accidens*, respectu operantis, quia hoc minimè intendit.

11. *Passivum* est ejus qui impingit & scandalizatur. Quod vulgo distinguunt in datum & acceptum. *Datum est*, quod verè oritur ex activo scandalo alterius; quod etiam scandalum infirmorum seu pusillorum dici solet. *Acceptum* est lapsus seu ruina alterius, non verè orta ex scandalo activo operantis, sed ex malitiâ propriâ labentis. Sed hæc non est divisio generis in species; sed solummodo distinctio vocis ambiguę in sua significata. Siquidem acceptum scandalum, respectu agentis quid aut omittentis non est scandalum, quia impedimentum & obicem illi non ponit in cursu pietatis, nec quid operatur aut cooperatur ad alterius seductionem aut lapsum: sed est solummodo occasio passiva, seu per accidens.

111. *Scandalum* activum rursum à nonnullis scholasticis & casuistis distinguitur in generale & speciale.

DE EXEMPLO BONO, EJUSDEMQUE IMITATIONE, ET OPPOSITO SCANDALO.

PARS QUARTA.

Resp. SALOMONE BOR Embricâ Clivensi 28. *Junii*, 1662.

Præcognita de Scandalo.

III. Scandali distinctio in *universale* & *speciale* à Casuistis Ponti- §. 1.
ficiis, sic exponitur: quod *illud* sit, quando quis peccando alterum inducit, eique occasionem scandali passivi præbet; sed non intendit ejus ruinam spiritualem: *Istud* sit, quando quis alterum ad peccatum inducit intendens ejus spirituale damnum.

IV. Scandalum *activum* posset etiam ratione objecti seu materiæ, per extrinsecam denominationem distingui in *universale*, & *speciale*. *Illud* est, quando quis aut universæ religionis apostaticæ professione & exercitio, aut universæ vitæ ac conversationis totali improbitate alteri præbet occasionem ruinæ. *Istud*, quando particularis erroris aut hæresios professione, etiam dogmatizatione, aut peccati specialis adhærentis consuetudine, aut lapsu aliquo graviori & conspicuo alteri impingendi occasionem præbet.

V. Scandalum acceptum itidem ratione materiæ distingui potest, in universale & particulare. *Illud* est, quando quis ob formulam seu confessionem seu systema religionis Christianæ, aut reformatæ; aut propter postulatum observantiæ exactæ, perfectæ, & immaculatæ legis divinæ in Ecclesiis traditæ, scandalizatur.

VI. Distinguitur etiam scandalum acceptum ex causis, in Pharisaicum, & in Pusillorum: quorum illud ex malitiâ, & contumaciâ; istud ex ignorantiâ aut infirmitate procedit. Pusilli & infirmi in fide strictè dicuntur illi, qui circa libertatem Christianam in N. T. sufficienter instituti non sunt, 1 *Corinth.* 8. *v.* 7.

VII. Distinguitur in simplex & in duplex. *Illud* est cum committitur factum ex se malum: in quo duplex peccatum. *Istud* est, cum factum in se est adiaphorum, sed id in tempestivè vel fit vel omittitur, contra regulam caritatis & prudentiæ. Fit autem hoc dupliciter, vel committendo aliquid, quod speciem mali habet: vel temere committendo aliquid, quod nobis non est necessarium.

VIII. Dividitur scandalum datum secundum objecta: ut aliud scandalizet à fide & ecclesiâ extraneos; aliud domesticos fidei, eosque aut sapientes & viros (quod tamen non ita frequens), aut infirmos & infantes in Christo. Vide 1 Cor. 10. v. 32. *Estote ἀπρόσκοποι & Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.*

IX. Aliud est exterius, aliud interius. *Illud* est, quo quis alium scandalizat. *Istud* quo quis seipsum scandalizat: cum scil. quis per veterem hominem offendit novum. *Marc.* 9 *v.* 43. 44. 45.

X. Utrumque scandalum tam datum quam acceptum spectatur vel in se seu active, vel ratione eventus seu passivè. Posterius rursus ratione effectus distinguitur in illud, quod ad imitationem provocat & ducit: & in illud, quod tristitiâ afficit, & quocunque modo turbat pacem ac tranquillitatem conscientiæ scandalum accipientis 1 *Corinth.* 8.

Quæ-

Quæstiones generales de Scandalo.

I. *Quæst. An omne scandalum sit peccatum? Resp. Aff.* 1. *De Scandalo activo*, sive cum intentione scandalizantis, sive absque intentione; cum scil. ex ipsâ naturâ dicti aut facti occasio lapsus oritur. Sive quis in se & per se malum committat, sive speciem mali, aut aliquod per accidens malum; quando quis secundum caritatem & prudentiam Christianam, suâ libertate non rectè utitur. De quo vide 1 *Cor.* 8. & 10. 2. *De Scandalo passivo Aff.* Quia omnis lapsus aut ruina spiritualis est peccatum. Nunquam enim in bono licet deficere, aut mali quid facere: quæcunque irritamenta, & incitamenta peccandi ab aliquo objici contingat. Scandalizans enim ejusque factum, non est causa principalis, physica, directa ruinę in scandalizato: sed tantum occasio passiva, quando scandalum passivum est purè acceptum; & ad summum causa minus principalis, impulsiva, moralis aut occasio activa, quando scandalum est activum.

Sed contra adferri posset, ex *Matth.* 16. *v.* 23. Christum immunem ab omni peccato dicere, Petrum sibi scandalo esse. *Resp.* non notari illic *scandalum* propriè dictum, sed latâ significatione *impeditionem*, quâ Petrus volebat passionem Christi impedire.

II. *Quæst. An scandalum sit speciale peccatum, quod per formalem suam rationem in specie constituatur, & sic ab aliis distinguatur; an vero tantum denominationem ab aliquâ circumstantiâ specifico cuique peccato addat? Resp.* Istis conclusionibus.

1. *Concl.* Aff. pr. & neg. poster. de scandalo activo per se, quod est ex intentione scandalizantis. Ratio à *Thomâ* & scholasticis ad 22. *qu.* 43. *artic.* 3. communiter assignatur duplex: *una*, quod specialis finis qui intenditur à scandalizante, nocumentum scil. proximi (intendit enim alium dicto vel facto inordinato trahere ad peccandum) constituat rationem specialis peccati; & quod finis det speciem in moralibus, uti hoc præsupponitur probatum in 1. 2. *qu.* 1. *artic.* 3. *& quæst.* 18. *artic.* 4. 6. 7. *Altera* ratio est, quod directè opponatur speciali virtuti seu operi bono, *correctioni* scil. *fraternæ*, in quâ attenditur specialis nocumenti remotio. Ratio utraque sic satis placet. Sed quid si in posteriori, *correctioni* substituatur, aut saltem addatur *exemplum bonum*, ad quod omnes dictis & factis suis proximo præbendum tenentur *Matth.* 5. *v.* 16.

Object. Omne peccatum [externum scil.] est dictum vel factum malum: ergo activum scandalum non differt à quocunque speciali peccato. *Resp.* materialiter seu secundum materiam consideratum, non constituit novam

& ſpecialem rationem peccati: ſed ex ſpeciali intentione finis, nocumenti ſcil. ſpiritualis proximi, habet formalem ſpecialis peccati rationem. *Sicuti*, inquit Thomas loc. cit. *furtum eſt ſpeciale peccatum, aut homicidium propter ſpeciale nocumentum proximi.* Sed de ſpecificatione peccati, & an aliquid ſit de eſſentiâ ſeu formali ratione peccati, an vero tantum ſit accidentalis circumſtantia, gradum ſeu exaggerationem ſpeciali illi peccato addens, alibi agimus *part.* 1. *Polit. Eccleſ. lib.* 4. ubi vanum & novum heurema de Achane non punito ob ſacrilegium excutimus.

2. *Concl.* Thomas loc. cit. negat paſſivum ſcandalum poſſe eſſe ſpeciale peccatum: quod ex dicto vel facto alterius occaſionem peccandi ſumens non conſtituat ſpecialem peccati rationem; quia non importat ſpecialem deformitatem ſpeciali virtuti oppoſitam. De quo nunc ſubtiliter non diſquirimus.

3. *Concl.* Scandalum activum per accidens, ſeu præter intentionem ſcandalizantis non eſſe ſpeciale peccatum, hâc ratione *Thomas ibid.* probat, quia quod eſt per accidens non conſtituit ſpeciem. Circa quod non vacat nunc τὸ ἀκριβὲς ſectari.

III. *Quæſt. An quandocunque ſcandalum datur activum, neceſſariò ei reſpondeat paſſivum? Reſp.* Neg. poteſt enim aliquis abſque lapſu & ruinâ ſpirituali, ab hæreticis, aut peccatoribus tum dicto tum facto incitari, & invitari ad peccatum. Et hoc toties fit, quoties magis attenditur ad verbum Dei, quam ad mundi allicia. Prov. 1. v. 10. *Si pellexerint te peccatores, ne velis*, &c. Vide exemplum Eccleſiæ Smyrnenſis *Apocal.* 2. *v.* 9. Coincidit ferè hæc quæſtio cum eâ; quæ alibi in materia de tentationibus proponi ſolet; An omnem tentationem diaboli aut mundi neceſſario comitetur aut ſequatur admiſſio tentationis, & tentatio propriæ carnis, ſubſerviens tentationi diaboli & mundi. Valet enim vulgatum illud philoſophorum axioma tam in moralibus quam in naturalibus: *actio recipitur non ad modum imprimentis, ſed ad modum receptivitatis.* Et, *Non tam neceſſariò patiens patitur, quam agens agit.*

IV. *Quæſt. An quis ſeipſum ſcandalizet: ſeu, an unus idemque homo ſimul ſcandali activi & paſſivi ſubjectum eſſe poſſit? Reſp.* Abſolutè negandum non eſt. Quamvis enim ſtrictè & propriè τὸ ſcandalizare reſpectum habeat ad alium; analogicè aut actuale dici poteſt ſcandalizare eundem hominem, hoc eſt, homo ſeipſum per peccatum ad aliud peccatum, ad graviorem lapſum incitare Matth. 18. v. 9. *ſi ſcandalizet te oculus tuus*, &c. Sicuti homo dicitur proprium cor ſeducere *Jacob.* 1. *v.* 26. & à ſe tentari cum à propriâ concupiſcentia ſeducitur. Ibid. *v.* 14. Conſiderantur enim in homine quaſi duo homines, duæ leges, duæ formæ, duo adverſa principia agendi *Galat.* 5. *v.* 17. *Roman.* 7. *v.* 14. uſque ad finem.

V.

V. *Quæst. An Bonum spirituale propter scandala sit dimittendum ? Resp.* De hoc *Thomas quæst.* 43. *artic.* 7. Nos istis conclusionibus sic determinamus.

1. *Concl.* Bonum spirituale nunquam sic dimittendum est, ut propter scandala accepta, malum aliquod faciamus. Hic tenet regula *Rom.* 3. *v.* 8. quæ nullam patitur exceptionem.

2. *Concl.* Bonum spirituale ad salutem propriam necessarium nequaquam dimittendum est propter scandalum: neque enim tenemur peccare, & propriam salutem negligere, ut alterius peccatum impediamus, ejusdemque salutem promoveamus. Plus debet homo, secundum ordinem caritatis suam salutem spiritualem diligere quam alterius: sic ex.gr. debita confessio, professio & defensio veræ religionis omittenda non est. Gregor. M. homil. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, utilius nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur.* Vide de necessitate confessionis *disp.* nostras de confess. & *martyrio*, & de *confessionibus* atque *apologiis* 2. *&* 3. *part. Politic. Eccles.* inserendas. Hic præit nobis exemplum Christi *Matth.* 15. *v.* 12. 13. & *Johann.* 6. *v.* 67. qui tale scandalum contemnebat.

3. *Concl.* Bonum spirituale ad propriam salutem non necessarium necessitate medii, vel occultari vel differri potest ad tempus, ejusdemque oppositum malum ad tempus tolerari, propter scandalum infirmorum. Exemplo sint correctio seu correptio fraterna, & excommunicatio; quæ differri possunt, ob metum præsentis scandali infirmorum, & schismatis aut cujuscunque majoris mali inde orituri. Et citatur dictum *Augustini lib.* 1. *de civit. Dei cap.* 9. „Si propterea quisque objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit ne „deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant infirmos alios, & premant atque avertant à fide, non videtur esse „cupiditatis occasio, sed consilium caritatis.

4. *Concl.* Bonum tamen illud nec occultandum, nec differendum amplius, propter scandalum Phatisaicum h. e. ex invidiâ, merâ pervicaciâ, ad impedienda spiritualia bona, profectum: nec boni oppositi ἅπαξ diutius conniventiâ, tolerantiâ, moderatione prosequendum. Sic Apostolus ad horam noluit cedere, aut Titum circumcidi *Galat.* 2. *v.* 3. 4. 5. Et *Apocal.* 2. *v.* 2. laudatur angelus ecclesiæ Ephesinæ, quod non toleraret malos. Sic inter spiritualia bona numerantur publicæ prędicationes, & publicæ privatæque catechizationes; adhæc privatæ & frequentes ovium ministris ecclesiæ commissarum visitationes, omniumque, quæ ad majorem ac meliorem ædificationem pertinere novimus, diligens praxis atque executio. Atqui omnia illa propter metum scandali, offensionis, dissidii, contentionis,

tionis, & consequenter multiplicis calumniæ, convitii, sycophantię, obtrectationis apud alios sive inertes, sive ignavos, sive ἀνηθέας & æmulos inde orituræ, non sunt omittenda. Damna enim à sycophantiis, irrisionibus, libellis famosis privatæ fidelium quorundam famæ, & honori ministerii, atque adeo per latus eorum publicæ paci & tranquillitati populi inferenda, æquiparari non possunt cum lucro veritatis, pietatis, ædificationis ex diligenti praxi modo memoratâ. Studium gloriæ divinæ, cura conscientiæ, promotio veritatis, & pacis, fidei, & pietatis in populo Dei, suprema lex esto: quidquid eveniat aut non eveniat. Luc. 14. v. 6. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum*, &c. Confer 3. *part. Polit. Eccles.* ubi de tolerantiâ & moderatione ecclesiastica; & infra disp. de Officiis caritatis erga proximum peccantem. In transitu hic notandum exemplum boni spiritualis ad salutem non necessarii, quod adfert *Thomas loc. cit.* de monachatus seu religionis professione & consiliis Euangelicis, ad non entia relegandum; & consequenter vanæ disquisitiones, distinctiones, & determinationes Doctorum circa casum propositum ad disputationes de non ente. Idem judicandum de illis, quæ ex distinctione peccati venialis & mortalis ad hanc quæstionem conferunt.

VI. *Quæst. An bona temporalia propter scandala sint dimittenda. Resp.* Istis conclusionibus.

1. *Concl.* Aliquando esse dimittenda, in genere probari potest ex 1 Corinth. 6. v. 7. *Cur non potius damnum accipitis*, &c. Matth. 5. v. 40. *Dimitte illi etiam pallium* 1 *Corinth.* 9. cum *Actor.* 10. ubi debitum stipendium Apostolus dimittit. Et Matth. 17. vers. 27. *Ne illos scandalizemus*, &c.

2. *Concl.* Propria nostra bona aliquando, propter scandalum pusillorum dimittenda sunt, aut scandalum sedandum. Hoc accersunt scholastici cum *Thomâ qu.* 43. *art.* 8. ex Augustini lib. 1. de sermone domini in monte cap. 4. ubi hæc verba: *Dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quantum ab homine credi potest. Et cum negaveris, quod petit, indicanda est ei justitia: & melius ei aliquid dabis, si competentem iniustè correxeris.* Unde facile colligimus, de parte bonorum, aut de hypotheticâ, in hoc aut in illo peculiari necessitatis casu, dimissione hoc inteiligendum; uti & verba Christi & Pauli cit. satis innuere videntur. Nam ut quis absolutè & semper bona sua ob pusilli alicujus acceptum scandalum tollendum aut prævenien-dum dimittat; juri divino, naturali, humano minimè convenit. Quisque enim orare debet, ne des mihi paupertatem *Proverb.* 30. *v.* 8. adhæc *suo pane vesci.* 2 *Thessal.* 3. *v.* 12. & domui suæ prospicere. 1 *Timoth.* 3. 4. 5. liberis suis θεραπείαν curare, & thesaurizare *Ephes.* 6. *v.* 4. 1 *Tim.* 5. *v.* 8.

Huc

Huc advocari potest, ministros stipendia sua non dimittere propter acceptum scandalum Anabaptistarum, & aliquorum ignorantium aut infirmorum in nostris Ecclesiis. Denique non video, quomodo hinc non sequeretur fideles & pios omnes debere divitias suas abjicere; quibus inter pauperes non pauci scandalizantur. Ne quid dicam de scandalo totius sectæ inter Anabaptistas, dictæ *Hutterica*; quæ tenet communionem bonorum. De peculiari facto. Pauli sine stipendio Corinthiis Euangelizantis 1 *Cor.* 9. alibi diximus 1. *part. polit. eccles. lib.* 4. *tract.* 3. Et quamvis lucrum illud in Ecclesiâ Corinthiacâ obventurum, propter insidias & cavillationes adversariorum tunc dimitteret Apostolus; non tamen aut semper & ubique aut etiam tunc dimisit omnia sua temporalia, quę tum per laborem manuum *Actor.* 20. *v.* 34. tum per tributa aliarum ecclesiarum 2 *Cor.* 11. *v.* 8. *Phil.* 4. *v.* 10.-18. acquirebat.

3. *Concl.* Bona nobis commissa sive sint ecclesiæ sive Reipublicæ, propter scandalum dimittenda, absolutè negant Pontificii cum *Thomâ art. cit.* Quod sint deposita ex necessitate commissa. Sed quis dicet aut Reipubl. rectoribus, aut prælatis (quibus ex sensu Thomæ commissa) tanquam depositum, aut tanquam bona pupillorum, communia illa bona absolutè, absque ullo necessitatis casu excepto, ita commissa esse, ut propter scandalum pusillorum (quasi scil. scandalum pusillorum Prælati multum curarent) non possint ea dimittere, tribuendo quę habent, aut non repetendo, si apud alios sint? Cur non æque determinat per disjunctionem uti ibid. de bonis temporalibus, quorum nos sumus domini. *Si scandalum, inquit, oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum*, &c. *tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia*, (quod sane rigidum) *vel aliter scandalum est sedandum, scil. per aliquam admonitionem*: quod facile, saltem facilius prælatis, quam privatis hominibus. Adde quod tam absolutè negat de bonis ecclesiæ, mox ibidem ad 5. non minus concedit, quam de bonis privatorum fidelium: *Et simili*, inquit, *ex causâ* (qualis erat Pauli 1 Cor. 9. v. 12.) *Ecclesia abstinet à decimis exigendis in terris, in quibus non est consuetum decimas solvere.*

VII. *Quæst. Utrum scandalum passivum aut activum possit cadere in perfectos? Resp.* Movetur hæc quæstio apud Thomam artic. 5. &c. ad quam per absolutam negationem respondetur. Rationes adferuntur istæ. 1. *Quia* perfecti sive majores soli Deo inhærent, cujus immutabilis est bonitas. 2. *Quia* quantuncumque videant alios inordinatè habere in dictis vel factis, à suâ rectitudine non recedunt. Quod probatur ex *Psal.* 125. *vers.* 1. 3. *Quia*, qui perfectè per amorem Deo inhærent, in illis scandalum non invenitur. Quod Prob. ex Psalm. 119. *pax multa diligentibus* legem tuam, & in illis non est scandalum. Sed straminea hæc argu-

menta detegere, est refutare apud catechetică theologiâ mediocriter imbutos.

Sit ergo. 1. *Concl.* Nostra affirmans Thomisticæ opposita, peculiari probatione hic non munienda: sufficit huc advocare classes argumentorum pro quæst. 114. cateches. & imperfectione fidelium in hâc vitâ.

2. *Concl.* nostra est aff. de scandalo activo. Thomas negat, sed cum dist. Ratio quam adfert, planè inepta est. *Ad perfectos*, inquit, *pertinet omnia quæ agunt, secundum regulam rationis ordinare, secundum illud* 1 Cor. 14. v. ult. Paulo post per prolepsin subjicit: *Et siquidem aliquid in moderatione desit, hoc provenit ex infirmitate humanâ, secundum quam à perfectione deficiunt: non tamen in tantum deficiunt, ut multum ab ordine rationis recedatur, sed modicum & leviter*, &c. Tandem ibid. ad 3. & ult. *Si qua in exterioribus dictis, vel factis venialia peccata committant, tam levia sunt, ut de se scandalizandi virtutem non habeant.* Non video quomodo hæc à contradictione & absurdo liberari possint. An ideo peccatum non erit peccatum; quia modicum est, aut quia ex ipsâ carnis infirmitate procedit? an modica fornicatio, modicum furtum, modica simonia, &c. non erunt formaliter talia peccata, quia non sunt magna. *Cajetanus in notis ad artic. 5. &* „ *6.* vult adverti, scandalum activum propriè esse, quum quis tale aliquid „ dicit vel facit, quod de se tale est, ut alterum natum sit inducere ad ruinam: quod quidem est solum id quod inordinatè fit, vel dicitur; Au„ tor per id quod inordinatè fit aut dicitur, intelligit non solum secundum „ se malum, sed habens speciem mali: quoniam utrumque inordinatè fit, „ & est peccatum, ut patet in *artic.* 2. Rectè quidem: sed quomodo dici potest à Thomâ verbis modo cit. tam levia esse illa *peccata*, quæ vocat, *venialia*, *ut de se scandalizandi virtutem non habeant*? An hoc convenit cum Apostolo 1 *Corinth.* 10. *v.* 28. coll. cum *cap.* 8. *v.* 7. 8. 12. 13. ubi inordinatè edere & edendo speciem mali committere de se scandalizandi virtutem habere innuit.

VIII. *Quæst. An scandala sint data, an vero accepta, quibus olim Gentiles, & hodie Pontificii aliique errantes à veritate & professione religionis Christianæ avertuntur? Resp.*

1. *Concl.* Pleraque olim fuerunt accepta; eaque trium generum 1. *figmentis* & mendacibus criminationibus innixa, qualia ex. gr. de adoratione capitis asinini, de cœnâ Thyestеâ, de affectatione regni terreni, deque rebellione ac seditione contra Reges, Respublicas. 2. *Innixa* liquidæ veritati & revelationi divinæ, ut de resurrectione mortuorum, de Christo Deo, de remissione & purgatione peccatorum per ipsius mortem ac passionem, de uno Deo patre filio Spiritu S. 3. *Innixa* quibusdam malis, quæ fidei Chri-

Christianæ injustè imputabant: qualia imprimis erant tum dissidia, contentiones, turbæ exortæ occasione plantatæ, receptæ, propugnatæ relig. Christ.: *tum* plagæ divinitus orbi immissæ post introductam religionem, ex. gr. hostium irruptiones, inundationes, incendia, fames, pestis, &c. Prioris generis mala per accidens improbitatis hominum fidei Christianæ sive concomitantia sive consequentia erant: per se itaque & justè hostibus veritatis imputanda, non vero ipsi veritati. Posterioris generis mala, uti nec absolutè nova ac insolita erant, sic contemtui & odio religionis, non ejusdem receptioni justissimè imputanda. De his & similibus acceptis scandalis, eorumque convictionibus, legendæ *apologia Athenagoræ, Justini, Tertulliani, Minutii*; & *Augustini libri de civitate Dei.*

2. *Concl.* Aliqua tamen fuerunt data: inter quę quatuor hæc in præsenti indico. 1. *Generis* erant Dissidia & contentiones in mediâ Christianâ Ecclesiâ circa fidei dogmata. De quibus consulendi *Irenæus de Valentini* & reliquorum hæresibus, *Tertullianus contra Marcionem*, *Epiphanius in panario*, *Augustinus de hæresibus*, idemqne contra *Manichæos* & *Pelagianos*; prętерea *Theodoretus*, *Harmenopulus*, *Nicetas*, aliique de sectis alibi indicati. 2. *Generis* erant sciśmara, divisiones, & separationes, tum ecclesiarum tum ministrorum; qui aliis ejusdem fidei consortibus repudium pacis & fraternitatis mittebant. Scandalosum erat Victoris Romani repudium ecclesiis Asiæ intentatum, ob celebrationem paschæ. De quo *Eusebius lib. 5. histor. eccles. cap. 22. 23. 24.* edit. Lat. Celebre etiam fuit sciśma Donatistarum: de quo Gesta collationis Carthaginensis à *Papyrio Masono* edita; Et breviculum ejusdem collationis, ab *Augustino*, aliaque ab eodem & ab *Optato Milevitano contra Donatistas* conscripta. 3. *Generis* erant, degeneres & mali mores multorum Christianorum, qui gentes agendo sub nomine Christi, contra fidem vivendo, & Christum factis abnegando, fidem & ecclesiam coram Gentilibus prostituebant. De quibus pii antiquitatis doctores sæpe & pluribus conquesti sunt: inter eos *Tertullianus*, *Chrysostomus*, & *Salvianus*; qui postremus in libris 8. de gubernatione Dei, & libris 4. contra avaritiam improbos Christianorum mores graviter incessit. 4. *Generis* erant nimiæ reliquiarum Ethnicismi in rebus externis tolerantiæ; imprimis & nimiæ rituum Gentilium concessiones, & ad cultum veri Dei adaptationes, eorundemque ex prudentiâ quâdam carnali affectationes; quibus Christianos magis Gentilizare, quam Gentiles christianizare docuerunt; & successores suos, quamvis hoc non intenderent, miserè impingere, & tandem corruere fecerunt in abominationem illam vastationis, quæ etiamnum hodie Papismum constituit.

3. *Concl.* Quod ad hodierna scandala, quę tam multos à verâ religione

& ecclesia avertunt, ea maximam partem sunt purè accepta: quæ etiam ad classes easdem, uti supra, revocari possunt. Innituntur enim aut puris mendaciis & commentis; aut per fallacias accidentis, & calumniosas consequentias iniquè impactis sive heterodoxiis, sive aliis criminibus; inter quæ agmen ducunt, perturbata pax, rebellio, seditio, crimen læsæ majestatis, odium regiminis monarchici, imminuta si non supplantata autoritas publica, Respublica in Republicâ, ædificatio Imperii in Imperio, &c. Qualia à Remonstrantibus, Neutralibus, Semi-Libertinis, &c. ruspari audias. Quibus abundè à *Sopingio*, *Triglandio*, *Lubberto*, *Riveto*, *c. Grotium*, aliisque in *1. part. polit. eccles. lib. 1. tract. 2.* indicatis, responsum est. Quæ ex reformatâ doctrinâ & ecclesiâ à Pontificiis accipiuntur scandala, profligata vide in libro *Calvini de scandalis*, *Juelli apologiâ eccles. Anglicanæ*, &c. Sed unum inter alia est, quod editis libris extraneorum, aut apertis contestationibus nostrorum non ita petitur, à quo tamen tam multi, præsertim in Belgio nostro, scandalum accipiunt, *disciplina scil. ecclesiastica* quæ catechesi, *qu. 83. 84. 85. & confess. Belgicâ art. 28. 29. 30. 32.* nec non liturgiâ, & statutis ecclesiasticis præscripta est: de quâ agendum in *3. part. polit. eccles. lib. 4.* Ex doctrinâ reformatorum de omnimodâ Dei gratiâ eligente, convertente, conservante, deque justâ & efficaci providentiâ Dei in malo, sed non sine falso aut calumniosâ detorsione proposita, à Remonstrantibus, Pontificiis, aliisque peculiariter scandala accipiuntur: uti videre est in *Eduardi Poppii* conciona-toris, cum viveret, Goudani concione ad *Math. 18. v. 17.* post obitum ipsius anno 1626. typis editâ in 4. Quomodo ejusmodi scandalis occurrendum sit, docui in *1. part. select. disp. tit. Methodus respondendi excerptis & calumniis de Deo autore peccati.* In controversiis de ceremoniis quibusdam Anglicanis, subtiliter de scandalo disquisitum fuit. Vide *Mortonum de tribus innocentibus ceremoniis part. 1. cap. 5.* & *Amesii* scriptum in 4. c. Mortoni generalem ceremoniarum defensionem; Ejusdem replicam contra Doctorem *Burges*; & qui post illum scripsit, Anonymum (*Gillespie*) scriptorem libri, tit. Anglo-Papisticæ ceremoniæ Ecclesiis Scoticis obtrusæ *part. 2. cap. 8.* & 9. Ad plenam materiæ hujus de scandalis cognitionem conferri poterunt tractatus de Adiaphoro, de libertate Christiana, de conscientiâ.

DE

DE OFFICIIS CARITATIS ERGA PROXIMUM PECCANTEM.

PARS PRIOR.

Resp. URBANO K. ERSEK-UYVARI Ungaro 6. *Decembr.* 1654.

Ad rectè explicanda officia caritatis circa proximum peccantem, præmittendæ §. 1.
sunt distinctiones peccatorum, peccantium, & actuum circa peccata aliena.

1. Peccata *sunt vel nostra vel aliena. Actus circa propria nostra peccata sunt vel præcedentes, vel subsequentes.* Illi *sunt odium, fuga, oppugnatio: & huc pertinent diagnostica, prophylactica, antidota peccatorum: de quibus alibi agendum. Exstant practici tractatus tit. Summæ seu Destructorii vitiorum, auctore Alexandro Anglo* leu *Alexandro Ales; aurei operis contritionis, autore Vivialdo; Summæ virtutum & vitiorum, Gul. Parisiensis; Summæ virtutum & vitiorum Gul. Peraldi; Præservativorum peccati, autore Nathanaële Coole,* sed Anglicè tantum (quod sciam); *Medicinæ spiritualis, autore Johanne Abrenethii,* sed Anglicè & Belgicè; *Medici spiritualis, autore Carolo Stribanio; Panarii autore Busæo; Emendationis vitæ, autore Joh. Taffino, sed Gallicè & Belgicè. Huc referri possunt scriptores de tentationibus in Ascet. indicati.* Isti *sunt actus resipiscentiæ, de quibus in Asceticâ nostrâ, seu Exercitiis pietatis: ubi varii autores indicantur. Peccata proximi de quibus hic propriè agendum varie per objecta & gradus distingui possunt. Posteriores distinctiones huc propriè pertinent. Quas mox indicabimus.*

2. Peccantes (ἕτεροι) *sunt triplices, insanabiles, difficillimè sanabiles, & sanabiles.*

1. Insanabiles *sunt peccantes in Spir. S.*

2. *Ægrè ac difficillimè sanabiles sunt indurati; quales Judæi* Rom. 11. *& Gentiles illi qui in reprobum sensum traditi* Rom. 1. v. 24. ἀπηλγηκότες Eph. 4. v. 19. *& Pseudo-Christiani illi qui* κεκαυτηριασμένοι τὴν συνείδησιν 1 Tim. 4. *vers.* 3.

3. Sanabiles *sunt, aut* remotius, *ut infideles, & homines carnales partim aperti peccatores, partim hypocritæ: aut* propinquius, *ut fideles & conversi, sed infantes, infirmi & magnam partem adhuc carnales: aut* proximè, *ut pii & fideles illi, qui viri & perfecti phrasi Scripturæ dicuntur.*

Actus circa peccata aliena, ad tres generales istos revocari possunt.

1. *Cooperationem qualemcunque sive directam, sive indirectam: quæ semper culpabilis, & reum facit cooperantem peccati participati. Quot autem modis alieni peccati quis particeps fieri possit, infra explicatur.*

2. *Resistentiam, seu legitimam oppugnationem.*

3. *Usum peccati pure permissi aut tolerati, tolerantiâ scil. innoxiâ. His præcognitis, omnes actus, partes & officia caritatis circa proximum peccantem distinctè & methodicè sic delineamus.*

§. 2. 

Fficia illa versantur.

1. *Vel* circa peccatum antequam fiat tam internum quam externum.

2. *Vel* circa peccatum in fieri, seu circa initium ejus externum; cum quis vacillat in tentatione aut labascit.

3. *Vel* circa peccatum in facto esse seu circa externum jam consummatum: quod propriè παράπτωμα, lapsus aut scandalum, aut etiam delictum, seu crimen, quin & facinus seu scelus dicitur. De lapsu *Galat.6. v.1.2.* ejusque exemplum habes in Petro *Matth.26.* Scandali in eodem *Galat.2.* & in iis, qui vescebantur idolothytis, & accumbebant in idoleio 1 *Cor.8.* & 10. criminis & delicti in Davide 2 *Sam.* 12. sceleris in Absolomo, Ammone, Judâ proditore, &c. Aliter peccata proximi dividuntur, in ignorantiæ aut contra conscientiam; in infirmitatis aut malitiæ, & præsumptionis; in peccata erga Deum, aut alios homines; aut nos ipsos. Rursum in peccata simplicia aut eadem sæpius repetita, aut consueta, & ex pravo habitu. Sed his missis specialia officia delineëmus. Primæ classis officia nomine præventionis, & secundæ classis nomine impeditionis seu resistentiæ complectimur: quibus opponuntur negligentia seu ἀργία, & promotio peccati, & cum peccante cooperatio.

Præventio est actus caritatis, quo peccatum proximi studiosè avertimus.

Media seu actus speciales sunt.

1. Preces.

2. Instructio verbalis

3. Factum reale: idque vel objectivè, vel subtractivè operando.

Preces sunt *vel* generales abstracte à singularibus personis & specialibus peccatis 1 *Thessal.5.* *vel* speciales pro singulari personâ, aut contra speciale peccatum.

Problemata hic sunto.

1. *Probl. An universaliter pro omnibus hominibus in terrâ viventibus, orandum sit sive absolute, sive sub conditione, ut nemo in posterum peccet? Resp. Neg.* Talis enim precatio repugnaret fidei, quam ex verbo Dei tenemus, semper fore peccatores, & Christum dominaturum in medio inimicorum,

micorum, & diabolum fore principem hujus mundi usque ad postremum Christi adventum.

2. *Probl. An pro omnibus electis & fidelibus collectim sumtis hoc orandum? Resp. Neg.* Quia eâdem fide certi sumus Electos multos esse nondum actualiter conversos, & actualiter conversos semper habituros in se carnem repugnantem spiritui, & τὸ ἐν μέλεσι *Rom.* 7. *v.* 23. cum *Galat.* 5. *v.* 17. & 1 *Cor.* 13. *v.* 10.

3. *Probl. An orandum sit sigillatim pro unoquoque proximo nostro sive converso, sive non converso, ut per gratiam Dei præservari & immunis possit esse ab hoc aut illo speciali peccato. Resp. Aff.* Non tamen absolutè, sed sub conditione sive expressâ sive subintellectâ: si scil. Deus ita voluerit, & nomini ipsius futurum sit gloriosum. 2 *Tim.* 2. *v. ult.* Ad trium istorum problematum solutionem, conducent commentationes Scriptorum Catecheticorum, aliorumque interpretum (inter quos memini lectum & probatum mihi olim Perkinsum) ad 3. & 6. petitionem orationis dominicæ.

Institutio verbalis, est vel autoritativa vel simpliciter caritativa; rursum §. 3. vel publica vel privata; & vel Oeconomica, vel Ecclesiastica, vel Politica. Speciales actus & modi institutionis sunt, dehortationes, obtestationes, adjurationes, confœderationes, leges & sanctiones.

1. *Dehortationes* & adhortationes: eæque tum generales, abstractè à specialibus peccatis, & à diversis hominum statibus ac conditionibus *Rom.* 12. 1 *Petr.* 2. tum speciales, respectu specialium peccatorum contra quævis decalogi præcepta; aut respectu specialium statuum e. gr. parentum, senum aut juvenum, maritorum & uxorum, &c. Aliquos paræneticos tractatus singulis statibus appropriatos, qui quidem mihi innotuerunt aut tunc occurrebant, in exercitiis pietatis cap. ult. indicavi.

2. *Obtestationes* & adjurationes, quæ sublimioris gradus dehortationes sunt, occurrunt in Scripturâ, præsertim in epistolis Pauli ad Timotheum. Et huc referendæ solemnes abrenuntiationes & ejutationes, nec non confœderationes contra peccata, tum in genere tum in specie 2 *Paralip.* 15. *Ezræ* 8. *Nehem.* 9. & 10. & 13. Memoranda hic antiquæ Ecclesiæ formula adultis baptizandis proponi solito, *Abrenuntio Satanæ cum omnibus pompis, spectaculis & operibus.* De quâ videatur Salvianus de gubernatione Dei *lib.* 6. aliique patres citati à Rittershusio in commentar. ad loc. cit. Scriptores de ritibus baptismi, inter quos Ambrosius Vicecomes, qui *l.* 2. *cap.* 16. 22. prolixissimè explicationem hujus ritus persequitur.

3. *Consilia* sunt, quæ pro causâ virtutis contra peccata, (imprimis titulo liciti & adiaphori aut dubii fucata & obrepentia) suggeruntur. De Consiliis Theologicis agimus *lib.* 2. *Polit. Ecclesiast. tract.* 3.

4. *Le-*

4. *Leges* & ſanctiones ſunt vel Eccleſiaſticæ, vel civiles. *Illæ* videndæ in Canonibus conciliorum apud Photium in Nomocanone, Bartholomeum Caranzam, Chriſtophorum Juſtellum in Canonibus Eccleſiæ univerſæ, & Eccleſiæ Africanæ, Laurent. Bochellum in decretis Eccleſiæ Gallicanæ, Wendelſtinum ſeu Cochleum in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ. Noſtrarum Synodorum poſt introductam reformationem decreta diſcenda, ex repertoriis in quâque natione aut Provinciâ confectis. *Iſtæ* occurrunt partim in corpore juris, partim in conſtitutionibus imperialibus à Goldaſto editis, nec non legibus cujuſque gentis particularibus.

§. 4. Facta realia ſunt quæ *aut* objectivè tantum & per modum propoſitionis ſeu motivi; *aut* efficaciter per modum directè agentis operantur. Illa ſunt imitanda exempla eorum, qui peccata oderunt, fugiunt, prævertunt, & longiſſimè ab iis recedunt. Inter quæ excellunt heroica quorundam facta, ut e. gr. Abrahami contra avaritiam *Geneſ.* 14. Joſephi contra luxuriam *Geneſ.* 39. Pauli contra timiditatem *Actor.* 21. Aliorumque martyrum, quæ in martyrologiis & vitarum Scriptoribus paſſim annotantur. Sed de exemplo bono, ejuſque oppoſito ſcandalo, vide *diſp.* proximè *præced.*

Iſtæ ſunt reales ablationes poteſtatis, aut potentiæ, & mediorum atque occaſionum, quibus proximus ad peccandum abuti poſſet. Huc reduci debent, non-collationes poteſtatis, aut potentiæ, & mediorum, quæ proximo alioquin, extra hunc caſum, conferri poſſent, aut deberent. Sed quia varii caſus hic incidunt, & frequentiſſimè prætextu mali præveniendi malum committitur, problematis aliquot in hanc rem penitius inquiremus.

I. *Probl. An ob præſumtum & metuendum peccatum, ſpeciatim injuriam à proximo nobis aut publico inferendam, eum vitâ privare liceat? Reſp. Neg.* Idque juxta regulas, *Tam diu quis præſumitur bonus, quamdiu non probatur malus.* Et, *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, aut ut avertantur mala.* Duo ſunt quæ hic prætexi poſſunt.

1. *Vulgatum illud: præſtat prævenire quam præveniri.* Sed dictum illud multam admittit limitationem: non minus quam iſta: *vim vi repellere licet.* Et *caritas incipit à ſeipſo.* Et, *proximus ſum egomet mihi.* Et, *unumquodque ſtudet conſervare ſeipſum.* Regula enim una immota eſt, ad quam omnia dicta axiomata ſive juris ſive moris exigenda ſunt: *Omnes ſcil. actiones humanas in genere moris, ſeu moraliter conſideratas neceſſarium reſpectum habere ad ſummam & primam rectam rationem, quæ eſt in Deo; quam ſcil. in legem ſuam derivavit, & cui noſtram rectam rationem ac conſcientiam ſubjecit.* Jam verò vita hominis innocentis, propter potentiam peccandi, & præſumtionem ac metum tuum ut ut minimè vanum, nullius hominis poteſtati ſubjecta

jecta est, nedum ut per modum pœnæ culpam & crimen antecedentis auferri possit. Sic e. gr. non licet vitam comitis in itinere auferre, quod probabiliter metuamus, vitam nobis per illum auferendam.

2. *Bonum publicum* atque universale, quod prævalet omni bono particulari; & consequenter etiam vitæ innocentis, nunc quidem non inferentis injuriam, sed qui validè præsumitur jam aut datâ quâcunque occasione illaturus. Sed nulla intentio aut prætextus boni publici, nulla præsumta mali averruncatio, nullus quamvis justus metus, jus divinum violare potest, aut ex peccato facere non peccatum. Scimus historias scatere contrariis consiliis & exemplis, quibus regnandi causâ jus divinum hâc in parte violatum fuit. Ejusdem commatis fuit occisio masculorum per Pharaonem, & infantium Bethlemicorum per Herodem.

II. *Probl. An quis corpus suum mutilare, ladere, deformare, aut stoliditatem simulare possit, ut sic proximi peccatum luxuriæ, quod probabiliter metuendum, avertat & præveniat. Resp. Neg.* Et merito ad facta ignorantię rejiciendum illud fœminæ Christianæ, quæ oculos sibi eruebat, ut tyranni intentatam libidinem & violationem averteret. Licet exemplo Josephi fugâ formam suam oculis luxuriosis subducere, absque lęsione corporis aut elegantis formæ. Nemo enim propriam carnem odio habet *Eph.* 5. Confer huc, quæ de castratione *Matth.* 19. & de abscissione dextræ, &c. *Matth.* 18. observant commentatores, & quę infra dicimus in disp de homicidio sui ipsius & flagellatione spontanea.

III. *Probl. An in præsumto metu conspirationis, rebellionis, seditionis, perduellionis, suspectæ personæ ex urbe aut regno pro tunc* (ita loquar) *ob instantem periculi necessitatem, dimitti, aut etiam custodiæ honestiori ac liberiori committi possint? Resp. Aff.* Siquidem id fiat per eos, penes quos est publica potestas; idque solum intuitu boni publici, absque privatâ vindicta, invidia, avaritia.

IV. *Probl. An bona patrimonialia, aut munera publica, unde unctius caput referri solet, aut libertates, aut privilegia, aut dignitates, aut abundantia negotiationis, aliaque media quibus divitiæ acquiruntur, alicui subtrahenda sint; quem judicamus rebus prosperis insolentem & in peccata, præsertim luxus, contumeliæ & cujuscunque injuriæ nimis lubricum fore. Resp.*

1. *Concl.* Justè possidentes directè & per se sive per nos sive per alios in totum aut ex parte privari non debent. Quia directè repugnat juri & justitię. Et hoc non tantum privatis hominibus, sed & publica potestate armatis applicatum volumus: quidquid sit, de Pseudo-politicæ arcanis (uti vocant) & manifestaria atque ubique ferè (proh dolor!) recepta praxi. Conferantur Scriptores Politici, præsertim Anti-Machiavellici, alibi indicati.

2. *Concl.* Ad prævertendam injuriam aliaque peccata justè metuenda, possunt parentes liberis, Domini servis, Magistratus suis subditis, non conferre talia aut tanta, quæ in ipsorum potestate sunt, & quorum abusum ad peccata, seu delicta tum privata tum publica fore, prudenter præsumunt.

3. *Concl.* Salva manente possessione, χρῆσις bonorum quibus ad peccata quis abuteretur, per Magistratum circumscribi potest. Et huc pertinent leges civiles de prodigis, & cura eorum. Vide *syntagma Tholosani lib.* 13. *c.* 7. *& lib.* 44. *c.* 3. 9. 10.

4. *Concl.* Potest quis privatus directè sua juste & opportune agere, & Magistratus omnibus honestis mediis Reipublicæ & subditorum negotiationem, potentiam, potestatem promovere; quamvis videar incrementum hoc non fore sine aliorum decremento, & ortum hunc fore aliorum interitum: modo hoc non intendat, nec damnum proximi aut alienę Reipubl. procuret, aut tale quid agentibus cooperetur. Excipe tamen casum inculpatæ tutelæ & justi belli: de quibus ad 6. & 9. præceptum. Extra hos casus, quidquid damni nobis nostra inculpate agentibus proximo obtingat, id totum est per accidens: atqui propter consequentiam per accidens, non sunt omittenda officia per se debita. Alioquin non fuisset procuranda vocatio gentium, quod secum traheret rejectionem Judęorum. Vide Rom. 11. Nec infideles ad fidem, peccatores promiscuè ad emendationem & virtutem ex verbo Dei opportunè importune invitandi essent; quod talis prædicatio sæpè comitem habeat obfirmationem in malo, & consequenter odorem mortis ad mortem.

§. 5. *Impeditio* peccati complectitur officia caritatis circa proximum peccaturientem, aut labascentem, aut in tentatione & dubitatione constitutum. Est autem impeditio talis vel purè *caritativa*, fidelis scil. cujusque circa proximum: vel *autoritativa*, superioris scil. circa inferiorem; eaque aut domestica, maritalis scil., patria, herilis; aut scholastica; aut collegialis; aut Politica, aut Ecclesiastica. Media seu actus impeditionis sunt quatuor.

1. *Potentiæ* & potestatis ablatio, aut imminutio, aut impeditio. Ad quorum explicationem, applicanda, quę supra *thesi* 3. de mediis prevenienti peccatum dicta sunt.

2. *Confirmatio* seu erectio contra tentationem & dubitationem.

Tentationi resistitur tum argumentorum suggestione, tum occasionum & mediorum objectione atque adhibitione, quibus peccatum conceptum aut suggestum aut injectum ante consummationem avertatur, aut in herba opprimatur.

Du-

Dubitationi occurritur, quando errantis aut in errorem inclinantis conscientia melius instruitur & informatur; & fluctuans conscientia salubri consilio fulcitur.

3. *Directio* seu ordinario: quæ est peccati inchoati aut concepti directio vel in objectum, vel in finem. In objectum dirigitur, cum conceptum avertitur directè ab hoc objecto; ad quod sequitur ut in aliud objectum tendat, quò tamen ex caritatis nostræ intentione aut directa aliquâ operatione non dirigitur aut promovetur: ita ut nuda tolerantia nostra hic interveniat.

4. *Determinatio* est, quâ tolerantiæ nostræ seu permissioni modus ponitur, & peccato ad fores excubanti, aut concepto, aut etiam externè inchoato terminus ponitur; ne ulterius pergat & ad consummationem perveniat. Sed de tolerantiâ mox plenius agendum. Porro impeditio peccati ut & præventio pro ratione objecti dividi potest in eam quæ versatur circa proximi ignorantiam facti & peccatum inde consequens: & in eam, quæ versatur circa ignorantiam juris; eamque tum puræ negationis, seu simplicem (sed nihilominus privativam seu culpabilem) tum pravæ dispositionis. Breviter prævenitur & impeditur proximi peccatum vel erga Deum, vel erga proximum: vel in fide vel in moribus seu observantiâ. De specificis mediis præveniendi, impediendi, & minuendi infidelitatem, apostasiam, errores, sectas, tum privatis tum publicis, Ecclesiasticis & Politicis, ex professo agitur in Politia Ecclesiastica: hic itaque explicare ea supersedemus.

Repugnant officiis caritatis, quibus prævenitur aut impeditur pecca §. 6.
tum; *minus* securitas, ἀπραξία seu ἀργία, & negligentia circa peccata proximi; *magis* tolerantia culpabilis; *maximè* cooperatio.

1. *Securitas* & ἀπραξία, est quando ignorantiâ affectatâ peccatum proximi ignoramus; aut si attendamus, ad debitum opus præventionis aut impeditionis nos non accingimus; aut si quid movere incipiamus, non promovemus. Quæ singula exemplis nunc non illustramus, ut brevitati studeamus.

2. *Tolerantia* (cujus synonyma, permissio, indulgentia, conniventia) respicit vel peccatum, vel peccatorem. De priori hic propriè agitur, de posteriori infra, ubi de officiis caritatis post peccatum jam consummatum. Distinguitur permissio in approbativam & tolerativam. *Illa* nunquam circa peccatum quodcunque licita est. *Ista* aliquando licita, aliquando illicita. Hinc distinctio tolerantiæ in licitam, & illiciram: de illâ an sit & quæ sit infra disquiremus; de ista hic, quippe quæ sola officiis caritatis repugnet. Utraque est vel privata, vel publica: hæc vel Ecclesiastica vel Politica.

Utraque rursum vel *facti*, vel *juris*. *Facti*, est *vel transiens* in hoc aut illo temporis & necessitatis articulo tantum: vel *permanens* & consueta. *Juris*, est quæ lege aut conventione aliqua, aut transactione, aut decreto quocunque stabilita est, e.gr. permissio polygamiæ in Republica Mosaica; quæ permissio inculpabilis. Permissio concubinatus in Jure Canonico, & in Jure Civili Romano: quamvis de Jure Civili nonnulli in dubium trahant. De utriusque juris permissione, an licita sit, alibi *part.* 1. *Politicæ Eccles. lib.* 3. *tract.* 1. *quæritur.*

3. *Cooperatio* cum peccato alterius, & consequenter participatio illius peccati, est vel accessoria, vel occasionalis.

Accessoria est, cum peccans consensu & cooperatione nostra in peccato juvatur & promovetur. Fit autem hoc vel ante inchoatum aut commissum peccatum, vel post. *Illic* fit mandato 2 *Sam.* 12. *v.* 9. consilio *Matth.* 27. *v.* 20. coll. cum *Act.* 3. *v.* 14. incitatione *Genes.* 3. *v.* 6. coll. cum 1 *Timoth.* 2. *v.* 14. *Istic* fit vel subsequente consensu, vel defensione, vel nimia conniventia.

Consensus est, quo consentimus peccato ab aliis concepto & intentato; 1 *Reg.* 21. ubi de Achabo probante aut acceptante nefarium scelus uxoris.

Defensio est cum sub specie juris, verbis aut factis, alienum peccatum laudamus, aut coloramus, ut Tertullus *Actor.* 24. aut violenter & manu armata defendimus, ut Benjamitæ *Jud.* 20.

Conniventia seu indulgentia est, cum non reprehendimus, aut non satis reprehendimus & castigamus; aut etiam blanditiis, adulationibus aut dolosis & æquivocis verbis, aut subtiliter quæsitis distinctionibus & exceptionibus, sive in totum sive in tantum excusamus.

Occasionalis participatio est vel privata, vel positiva. *Illa* est quando non impedimus aut coërcemus peccatum. (Huc refer Exemplum Eli 1 *Sam.* 2.) & hæc concidit cum culpabili tolerantia. *Ista* est, cum *exemplo* nostro alii seducuntur, ut *Galat.* 2. in facto Petri: *aut* cum relinquimus alteri opportunitatem peccandi: *aut* cum imitamur aliorum peccata, eaque continuamus, atque iis insistimus. Sic participes fiebant Judæi peccatorum à majoribus commissorum, quia mensuram eorum implebant. *Matth.* 23. *v.* 31. 32. 35. *Ut super vos veniat sanguis*, &c. Scholastici & Casuistæ Pontificii peccati participationem seu peccatum participatum, ad novem modos revocatum in quæstione de simonia istis versiculis comprehendunt.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, nutans, non obstans, non manifestans.

Hæc & similia circa specialia peccata e. gr. furti, homicidii, calumniæ, superstitionis, idololatriæ (de cujus participatione *part.* 3. *select. disp. tit.* de Idolo-

Idololatriâ, &c.) observata, ad generales modos traduci possunt. Confer *Amesium lib. 5. Casuum cap.* 10. cum *lib.* 2. *Medullæ cap.* 16. §. 44 45.

§. 7. Problemata circa tolerantiam, & participationem alieni peccati sunt.

1. *Probl. An & quomodo peccati Achan* (Josuæ 7.) *particeps fuerit totus Israël. An per positivam cooperationem? an vero per puram tolerantiam? an aliquâ aliâ ratione? Resp.* Non video ex participatione plagæ toti populo immissæ propter illud peccatum participationem peccati necessario concludi debere. Certè Deus liber Dominus, hominibus peccatoribus (quales sunt omnes si non actuali, saltem originali peccato): temporales plagas ad gloriæ suæ manifestationem, impiorum terrorem, cautelam & emendationem piorum, immittere potest; quamvis iidem illi, quibus immittitur, cum peccato illo directè aut indirectè communionem non habuerint, nec per ignorantiam invincibilem aut carentiam potestatis illud prævertere aut impedire, aut vindicare potuerint aut debuerint. Hâc tamen cum distinctione cadunt temporales illæ plagæ, ut impiis nihil sint nisi vindictę, & pœna formaliter sic dicta, piis vero & electis sint exploratio, aut paterna castigatio, aut prophylacticum. Huc analogicè applica illud Christi Joh. 9. *Neque hic peccavit, nec parentes ejus*, &c.

2. *Probl. Quid statuendum de supplicio, quo septem illi ex familiâ Saulis affecti sunt* (2 Sam. 21.) *propter peccatum, cujus illi omnes aut saltem aliqui eorum nullo modo participes videbantur. Resp.* Idem quod de plagis Israëli propter factum Achani immissis. Et sic in genere judicandum de omnibus plagis & afflictionibus quæ immittuntur sive posteris sive præsentibus cum peccatore aliquo propriorem quam communionem personalem habentibus, quamvis cum peccato illius nullam communionem habeant.

3. *Probl. An omnis tolerantia alieni peccati inducat ejusdem communionem seu participationem. Resp. Aff.* Ex 1 *Cor.* 5. *v.* 2. 7. 13. *Apocal.* 2. *v.* 20. *coll.* cum *v.* 2. Exceptis duobus casibus: quorum unus est, cum non est potestas & potentia, illud præveniendi, aut impediendi, aut emendandi. Alter est: cum publicè aut privatim malum aliquod toleratur, ut majus malum alioquin eventurum impediatur & præveniatur; aut magnum & necessarium bonum obtineatur. Sic tolerantia polygamiæ, divortii, aliorumque malorum in Republicâ Israëlitica, immediate jure divino sancita fuit. Iisdem sub distinctionibus determinantur quæstiones de tolerantia idololatriæ, hæresios, erroris, schismatis, mordentis usuræ, de libertate prophetandi, de Moderatione & tolerantia, de syncretismo. Neque his in casibus objici potest illud axioma. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Quia qui simpliciter aliquid tolerat, quod tolli non potest, ille non facit. Nec us-

quam in Scriptura comparet hoc axioma: *Nunquam sunt toleranda mala, ut eveniant bona.*

4. *Probl. An positivæ leges, aut decreta circa peccatum alienum, inducant participationem, e. gr. leges Mosaicæ circa divortium, polygamiam, & liberos ex ea procreatos, item circa stuprationem virginis ex hostibus captivæ. Et leges seu decreta Politiæ alicujus circa mordentis usuræ executionem, aut circa resignationem & emptionem præbendarum Ecclesiasticarum, & titularium dignitatum, canonicatuum, vicariatuum, si qui inter Protestantes & Reformatos alicubi supersunt; & quidem sub Papisticæ hierarchiæ & abusivis atque ementitis titulis, sine re, aut opere, aut officio, sive eodem, aut æquivalente, sive analogo, aut meliori, & defacato: ut scil. aliquâ juris humani specie in prædecessorum suorum Papisticorum jura & bona commendata succedere, iisque bonâ conscientiâ uti frui viderentur. Resp. Neg.* Siquidem leges tantum limitent & determinent illud malum necessarium; atque in objectum & finem dirigant: Non vero illud præscribant aut probent, aut promoveant. Hæc tamen conditio præsupponenda, si nec potestas nec potentia adsit abusus & corruptelas illas tanquam mala bene, ut dici solet, posita loco movendi; aut publicum ac necessarium bonum aliter obtineri non possit. Et tales inculpabiles tolerantiæ non ponunt peccantis immunitatem, & peccati ipsius licentiam; sed tantum immunitatem à pœna in foro soli infligendâ.

5. *Probl. An ex tolerantâ publicâ, sive Ecclesiasticâ, sive Politicâ τὸ licitum & honestum mali tolerati concludi possit? Resp.* Minimè: siquidem de tolerantiâ in thesi & de jure quæratur. De facto & intentione horum aut illorum in hypothesi hic non agimus. Fieri enim potest ut aliqui tolerantes mala in Republicâ aut Ecclesiâ, ea tacite approbent, & promoveant, atque adeo illis cooperentur, & per ea privatis suis studiis & intentionibus subserviant; adhæc necessitatem eorum invincibilem prætexant, quæ tamen revera non sit. De his quamdiu detecta non sunt, possumus pro tempore ἐπέχειν. Porro de tolerantia peccati aut potius peccantium in Ecclesia, alibi data occasione diximus, in *tract. de Fraternitatibus Marianis.* Ubi adduximus exemplum Ecclesiæ Apostolicæ, quæ initio tolerabat divortio aut polygamiæ in Gentilismo aut Judaismo implicitos, à quo nondum se expediverant. Vide Bezam de divortiis, & notas nostrorum ad 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. & *part.* 1. *Polit. Eccles. lib.* 3. *tract.* 1.

6. *Probl. An* συγκαταθέσεως *conniventia ad aliquod malum in perpetuam & legem stabilitam tolerantiam mutari debeat? Resp. Neg.* Idque secundum regulam de omni fermento veteri expurgando; & de perficiendis ac corrigendis iis, quæ desunt; & de contentione ad perfectionem.

7. *An consuetudine, aut lege aut decreto recepta tolerantia sive Politica, sive*

sive Ecclesiastica, pios præsertim ministros obliget ad perpetuum silentium: ne scil. unquam aut privatim aut publice sive ultro sive rogati conscientiam proximi de malo illo informent, eosque ab ipso, si fieri possit, avertant. Resp. Neg.

8. *Probl. An quæcunque objecta occasio peccandi inducat participationem. Resp.* De occasione activa aut per se. *Aff.* De passiva aut per accidens. *Neg.* Alioquin forma, divitiæ, ingenium, eruditio, immo quævis ut ut optime dicta & facta, denique vera fides & religio essent abjicienda, tanquam mala aut occasiones mali; quia aliqui ad libidinem, avaritiam, injustitiam, invidiam, blasphemiam aut aliquod aliud peccatum se concitant. Sic Christus fuit Petra scandali, & in ruinam multorum 1 *Petr.* 2. *Luc.* 2.

DE OFFICIIS CARITATIS ERGA PROXIMUM PECCANTEM.

PARS ALTERA.

Resp. URBANO K. ERSEK-UYVARI Ungaro 13. *Decembr.* 1654.

HActenus de actibus & officiis Caritatis ad peccati præventionem & impeditionem spectantibus: §. 8.
restant ea, quæ post peccatum consummatum adhibentur: quæ revocari possunt ad actus caritatis quod ad nos ipsos: quos posteriores nomine *usuum* peccati alieni notabimus.

Actus priores sunt vel interiores seu magis interiores, vel exteriores.

Interiores pertinent vel ad cognitionem vel ad affectum.

Isti sunt 1. Dolor.

2. Ira seu indignatio, & odium.

3. Zelus.

4. Desiderium & preces pro peccati expugnatione & peccantis conversione.

5. Gaudium & gratiarum actio, pro expugnatione, & peccantis conversione.

Exteriores ad hos ttes generales reducuntur.

1. Oppugnationem.

2. Tolerantiam.

3. Remissionem.

De quibus, eorumque subordinatis speciebus, aut modis, aut partibus nunc ordine dicendum.

Cogni-

Cognitio peccati alieni est vel communis, vel specialis ex speciali munere, mandato, atque obligatione nobis imposita. *Illa* educitur ex textibus *Rom.* 15. *v.* 14. *Galat.* 6. *v.* 1. 2. 1 *Thessal.* 5. *v.* 14. *Jac.* 5. *v.* 19. 20. *Judæ v.* 22. 23. aliisque, qui aliquod caritatis officium circa peccantem communiter omnibus præscribunt. Atqui nullum est istorum officiorum, quod non præsupponat cognitionem. *Ista* est superiorum in Oeconomia, Politia, Ecclesia. Qui subditis suis attendere debent, & in eorum defectus inquirere, ut tempestivè remedia adhibeant. Probatio hujus ex descriptione officii superiorum, maritorum scil. Parentum, Tutorum, Præceptorum, Dominorum, Magistratuum, Pastorum peti potest. Quod ad Pastores, de iis Apostolus *Actor.* 20. *v.* 28. 29. Idemque in 1 *Cor.* 1. *v.* 11. 12. & 5. *v.* 1. *Galat.* 1. *v.* 6. exemplo suo docuit omnes animarum curatores, quam sollicitè statum Ecclesiæ suæ & fidelis cujusque explorare teneantur, & omna circumspicere, ne errores, hæreses, aliaque peccata tandem Ecclesiam pessundent.

Cognitionis partes sunt *apprehensio* seu perceptio, & *judicium*. Ad perceptionem pertinent.

1. Aliorum *relatio* & *delatio*.

2. Propria nostra *observatio* per visum & auditum.

3. Subsequens *exploratio*, seu informatio, scrutatio, investigatio, inquisito, circa τὸ an sit, & quale ac quantum sit.

De peculiari inquisitione & informatione judicum circa delicta tractant JCC. unde nonnulla ad quamvis explorationem seu informationem analogicè aptari possunt.

Judicium est, quo statuitur, quid circa peccatum proximi jam faciendum aut non faciendum sit. Judicio huic inservit *consultatio* seu deliberatio, *tum* solitaria & nostra, *tum* socia, & cum aliis. Huc refer consilia sapientum, quæ in hoc aliisque in casibus peti, & admitti solent. Sed responsione ad aliquot problemata ulterius materiam hanc illustremus.

I. *Probl. An cujusvis sit in quorumvis peccata serio inquirere, inque eum finem relationes & delationes aliorum expetere, procurare, avide audire. Resp. Neg.* Nisi istis in casibus: Si nobis non affectantibus peccata in aures & oculos nostros se ingerant; non est refugienda eorum cognitio ad nostrum, proximi, & publicum bonum. Quod nam autem bonum nostrum, & publicum hinc elici possit, infra patebit, ubi de Usibus peccati alieni. Bonum proximi peccantis hic intendendum in sequentibus explicabitur. *Sed ad formalem & ex professo susceptam* explorationem, atque expiscationem privatus quisque non tenetur; *nisi peccans naturalis, aut civilis*, aut spiritualis necessitudinis vinculo ipsi propior & conjunctior sit. Et tali in casu sequentes conditiones observandæ sunt.

1. Ut

1. Ut fiat ex conscientia pura, & caritate ἀνυποκρίτῳ.

2. Ad Dei gloriam, proximi salutem, Ecclesiæ ædificationem, & bonum Reipublicæ.

3. Ne hoc præcipue agat, saltem non ita, ut multa & multos explorando seipsum & sua negligat. Caritas enim incipit à seipso: & quisque secum habitare debet: & ipse primum conversus, fratres confirmare. Huic innocuæ & sanctæ explorationi repugnant curiositas, ἀλλοτριοεπισκοπὴ, vanum rerum novarum studium; quarum relatio materiam otiosis colloquiis & garritibus, & libellis tum famosis tum satyricis suppeditet: tantum aut saltem præcipue ad proximi obtrectationem, detractionem, calumniam, ignominiam, adhæc rixam, contentionem, scisma, &c. De quibus vitiis ad 6. & 9. præceptum: de curiositate, & ἀλλοτριοεπισκοπῇ ad 8. præceptum, & apud commentatores ad *Johann.* 21. *v.* 22. 1 *Petr.* 4. *v.* 15. 1 *Tim.* 5. *v.* 13.

II. *Probl. An potestate & superioritate instructi e. gr. parentes, antecessores Ecclesiæ, Magistratus, teneantur in peccata suorum inquirere. Resp. Aff.* De Ecclesiæ inspectoribus fidem facit descriptio muneris pastoralis: illi enim invigilare debent, & contra hæreses ac peccata tempestive oves suas monere *Ezech.* 3. *Hebr.* 13. *v.* 17. correctiones fraternas & paternas adhibere, censuris Ecclesiasticis præesse. Et in hunc finem vigent in Ecclesiis visitationes ordinariæ & extraordinariæ (de quibus in Politicâ Ecclesiasticâ part. 3.) adhæc scrutinia illa, quæ vulgo *censuram morum* vocamus, in conventibus nostris consistorialibus, classicis, & synodicis recepta. Quin & Apostolus Paulus honestis delationibus, tanquam mediis ad cognitionem utilibus subinde usus est. 1 *Cor.* 1. *v.* 11. Hæ tamen conditiones servandæ.

1. Ut ministri & seniores hoc agant, eo animo & intentione, quæ deceant patres spirituales.

2. Ut prudentiam in recipienda delatione (de qua *Matth.* 18. *v.* 17.) adhibeant.

3. Imprimis etiam in scrutinio: ne intempestive & imprudenter in aliorum lapsus inquirendo, nisi turpiter labantur, lapsis aut aliis majorum lapsuum, rixarum, scismatum, contentionum causa sint.

4. Ut *primum* & assiduo attendant, ad lapsus & defectus suorum: hoc enim opus ipsorum. *Deinde* ad defectus in Ecclesiis propiori vinculo classicæ & synodalis correspondentiæ propiùs conjunctis. Ad Ecclesias & Politias alienas, earumque arcana (quorum theoreticam aliquam cognitionem adepti sunt), nunquam curiositas eorum huc usque exspatietur, ut ex parergo ἔργον faciant, aut practicam suam Ecclesiasticam in hoc subjecto exerceant, aut per πολυπραγμοσύνην & ἀλλοτριοεπισκοπὴν se intrudant in ea, ad

quæ vocati non sunt: atque ita negligant studium in assiduâ lectione trium librorum, scil. Scripturæ, propriæ conscientiæ, & propriæ Ecclesiæ. Casum hunc excipio, cum ab alienâ Ecclesiâ aut ministro casus alicujus decisio & consilium Theologicum postulatur. Quod ad Magistratus, in confesso est, illis imprimis cognoscenda peccata in populum irrepentia, aut grassantia, præsertim clamantia. Debent enim profligare malum & malos: ergo debent cognitionem eorum capessere. Quomodo autem & quibus adhibitis explorationum mediis, & an ac quibus exploratoribus ac delatoribus uti possint, docetur apud scriptores Politicos: quorum tamen scripta omnia sale scientiæ & conscientiæ, æquè condita non sunt. Quæ ἀτλήματα inde fere proveniunt, quod mordicus non teneant regulam, de non faciendis malis, ut eveniant bona. Inter explorationum media non infimum est, delatio & querela Ecclesiæ, per quæ indicantur Magistratui peccata, non quidem clandestina (nisi aliquo in casu) sed publicè grassantia. Illustris & perpetua hic praxis est Ecclesiarum Belgicarum, quæ per consistoria, Synodos, Classes querelas suas de peccatis illis deferunt & remedium eorum implorant.

III. *Probl. An & quæ delatio peccantium ad superiores, aut ad eos, quorum interest, sit licita? Resp.*

1. *Concl.* Delatio non est intrinsecè mala; ideoque omnis simpliciter illicita non est. Probatur ex *Matth.* 18. *v.* 17. 1 *Cor.* 1. *v.* 11. ubi mandatur & commendatur. Adde his exemplum Josephi *Genes.* 37. *v.* 2.

2. *Concl.* Delatio honesta requirit has conditiones.

Prima. Ut fiat animo & intentioue abrumpendi peccatum si non per emendationem peccantis, saltem per coërcitionem & pœnam peccati; breviter tanta præsumatur utilitas delationis, ut ea præponderet infamiæ illi, quam proximus per delationem pateretur.

Secunda. Ut eam præcedat secreta admonitio juxta *Matth.* 18. *v.* 15. Insuper ecclesiastica censura & disciplina præcedat delationem ad Magistratum. Ubi enim Ecclesia spiritualibus remediis nihil proficit, coactiva potestas imploranda est. Sex tamen casus scholastici communiter excipiunt, in quibus necessarium non sit privatim moneri proximum, sed possit immediatè ad superiorem deferri. Vide exceptiones illas propositas, & partem aliquam excussas ab Ariaga ad 22. *disp.* 46. *sect.* 2. De honestâ delatione, eique oppositâ proditione seu iniqua peccati detectione agitur, in Exercitiis pietatis *cap.* 24. *tit.* de *fraternâ correptione.*

IV. *Probl. An peccata clandestina seu occulta si quæ Ecclesiæ aut pastoribus innotescunt, per illos debeant ad Magistratum, aut judicem deferri? Resp. Neg.* Exceptio tamen aliqua hic admittenda; contra opinionem Papistarum

tum sigillum confessionis auricularis hic frustra prętendentium. Vide commentum hoc detectum & refutatum à Riveto in decalogum.

V. *Probl. Utrum secuta emendatione proximi, tenear aut possim eum ad superiorem deferre. Resp. Neg.* Si secuta sit emendatio, & non timeatur relapsus: & si peccatum illud non transeat in tertiam personam. Vide de duabus his limitationibus differentem *Ariaga disp. 46. sect. 3.*

Atque hactenus de cognitione: sequuntur actus magis affectivi: quorum §. 9.

1. *Dolor*: qui est, & super peccato, quod ad turpitudinem ejus in se, & super peccato, quod ad miseriam ejus, quam peccando incurrit. *De Dolore* Psal. 119. v. 136. *Rivi Aquarum*, &c. *De Luctu* 1 Corinth. 5. & 2 Corinth. 12. v. 21. Jesa. 24. v. 16. Ezech. 9. v. 4. Dolori huic repugnat ἐπιχαιρεκακία, *gaudium, exultatio, triumphus* super lapsu proximi. Hic quęritur.

I. *Probl. An unquam liceat gaudere de peccatis proximi? Resp.* De peccato ut peccato directè gaudendum non esse, constat ex textibus modo adductis. Et suadet etiam ratio naturalis, super nullo malo esse gaudendum; nedum super malo turpi. Hoc rectæ rationis axioma inculcatur 1 Cor. 13. v. 6. charitas *non lætatur in injustitia*, &c. *Indirectè* tamen, seu per accidens gaudere licet, propter scil. bonum ex peccato eductum aut illi conjunctum. Vide *1. part. select. disp. tit. de Usibus peccati*, &c.

II. *Probl. An risus, joci, sales conveniant peccatis proximi; seu an satyricæ & comicæ exagitationes ac traductiones peccantium ad auditorum & spectatorum oblectationem ac risum concitandum, sint licitæ. Resp.* Placent verba Cypriani, ad quendam suum adversarium: *Tu ridende aut deflende potius.* Deploratio, luctus, gemitus in casu peccati alieni nunquam non convenit. Aliquando tamen non inconveniens est risus, ironia, sacrasmus, ad majus peccatorum quorundam vilipendium & prostitutionem. Comædiam sive veterem sive novam censemus remedium nimis periculosum esse, & sæpe ipso malo deterius: de quo infra in disp. nostris de excelsis mundi. Qualis autem fuerit facies comœdiæ & scenæ apud veteres, ostendit Jul. Cæsar Bulengerius in tract. de theatro & Vossius in Poëtica. Satyricas vilissimarum insaniarum exagitationes ac dirisiones, siquidem intra terminos decori se contineant, non putamus esse illicitas. De satyræ usu & abusu facile erit judicare, si ex lectione poëtarum, aut ex tract. Casauboni de satyrâ (commentariis in Persium subjecto) & Heinsi de eâdem in notis ad Horatium, didiceris quid sit satyra. Bessei Democritus, Navis stultifera Sebast. Brant. Encomium moriæ Erasmi, Passavantius, Alvearium Ecclesiæ Romanæ Phil. Marnixii & similia scripta ludicro schemate induta, quomodo quod ad summam rei defendi aut

saltem excusari possint aut non possint, in Exercitiis pietatis cap. 6. tit. de lachrymis, quæsivimus.

1. *Ira, indignatio, odium, directè ergo peccata, indirectè erga peccatores,* probantur ex exemplo Christi Marc. 10. v. 14.

2. Accedit hæc ratio, quod erga propria peccata & ratione eorum, indirectè etiam erga nos ipsos indignatione & odio ferimur 2 *Cor.* 7. *v.* 11. Quidni ergo in peccata aliena?

3. Quia generalis regula absque omni exceptione formanda est ex Psal. 119. v. 128. *Odi omnem viam iniquam* vel *falsitatis* adde *Psal.* 97. *v.* 10. *Proverb.* 8. *v.* 13. *Rom.* 12. *v.* 2. Quod autem suo modo odium hoc redundet in peccantes, patet ex *Psal.* 26. *v.* 5. & 31. *v.* 7. & 139. *v.* 21. 22. Odium hoc comitatur *contemtus* impiorum *Psal.* 15. eorumque realis fuga *Psal.* 1. *v.* 1. 2. *Tit.* 3. *v.* 10. 1 *Cor.* 5. *v.* 9. 11. &c. de qua infra. Adde & hanc rationem, quod Deus odio habeat operarios iniquitatis *Psal.* 5. *v.* 6. Jam vero nos odisse debemus inimicos Dei, quos ille odit *Apocal.* 2. *v.* 6. Huic pio & sancto odio repugnat inordinata peccatorum dilectio, & cultus amicitiæ, initæ societatis, ac confœderationis cum iisdem. Notandum hic judicium Dei tum verbale tum reale, quo condemnavit societatem Josaphati initam cum Achazia filio Achabi 2 *Paralip.* 20. *v.* 37. An autem & quo in casu ac quibus conditionibus fœdus politicum iniri possit cum infidelibus aut impiis, ex professo disputatur à Scriptoribus Politicis, & inter Theologos à Martyre in loc. comm. & Riveto in comment. ad Hoseam.

I. *Probl. An peccatores diligendi sint, & dilectio hæc cum sancto odio (de quo jam dictum) consistere possit? Resp. Aff.* utrumque. Eo ipso enim quod odimus in iis peccatum, quin & ipsos quà peccatores odimus, eosdem ex caritate diligere debemus, tanquam proximos & tanquam beatitudinis capaces.

Rationes sunt.

1. *Quia* Deus hoc mandat. *Matth.* 5. 44. 45.

2. *Quia* Dei exemplum hoc suadet *Joh.* 3. 16. *Rom.* 5. *v.* 8.

3. *Quia* evincit hoc fraterna correptio & opera misericordiæ erga peccatores infra indicanda; ad quæ tenemur *Levitic.* 19. *v.* 17.

4. *Quia* proximi nomine, immo & fratris adhuc continentur peccantes *Matth.* 18. *v.* 15. cum *Levit.* 19. *v.* 17.

5. *Quia* proximus qui maxime auxilio nostro indiget, eo respectu magis diligendus est: quod ex responso Christi & parabolis *Luc.* 15. per totum, coll. *Matth.* 19. *v.* 11. 14. colligimus. Posse autem unum eundemque hominem peccatorem diligi & odio haberi, sub hac distinctione *quà proximum & quà peccatorem*; quà Deo ingratum ejusque hostem, & quà possibilem aut futurum gratum & Deo reconciliabilem, aut ut sit gratus; analogicè de-

desumimus ex distinctione, quam alia in materia adhibet Apostolus *Rom.* 11. *v.*28. coll. *v.*22. 23. Et ex altera distinctione, sub qua Deum inimicos suos, quos oderat (*Rom.* 1. 30.) dilexisse notant interpretes ad *Joh.* 3. *v.*16. & *Rom.* 5. *v.*8. *Ephes.* 2. *v.* 3 4. Tit. 3. v.4. *Denique ex tertiâ distinctione*, sub qua Christum quâ sponsorem propter peccata nostra Deo exosum, & quâ Filium ac sanctum sanctorum Deo dilectissimum fuisse, notant commentaria & conciones nostrorum ad historiam passionis; ubi de passione Christi in anima. Conferant, qui volent, 2. part. sel. disp. tit. de Agoniâ & Desertione Christi. Concludimus verbis Prosperi sentent. 2. *Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores : quia aliud est amari quod factum sunt, aliud odisse quod faciunt.*

II. *Probl. An odium erga peccatores, si qui nos offenderunt, huc usque extendendum sit, ut à salutatione, eleemosyna, precibus & similibus caritatis communibus officiis excludamus ? Resp.* De precibus, benedictionibus, eleemosyna, & beneficientia in casu necessitatis, simpliciter negatur; ex *Matth.* 5. *v.*44. *Rom.* 12. *v.* 14. 20. *Exod.* 23. *v.*4. Quod ad externa signa honoris, & salutationes aut resalutationes, possunt ea aliquando aliquo in casu prudenter restringi, propter scandalum infirmorum, & ut periculum seductionis evitetur. Vide comment. ad 2. epist. Johannis 5. v. 10. *Ne dicas illi ave.* Sed hic distinctio adhibenda inter peccantes ex ignorantia aut infirmitate; & inter peccantes pertinaces, induratos, desperate malos. Rursum inter seductores & seductos. Adhæc inter hostes nostros privatos, & inter publicos seu professos ac juratos hostes Dei, fidei, pietatis, Ecclesiæ. Si cui Scholasticorum fluctuantes & variantes opiniones explorare libeat, is adeat Cajetanum, Bannes, Malderum imprimis, & Ariaga in 22. *qu.* 25. *artic.* 9.

III. *Zelus*; qui respicit.

1. Deum ejusque gloriam contra quem peccatur.

2. Peccantem, super quo zelamus zelo misericordię; etiam positis ponendis, zelo justitiæ coërcentis & punientis.

3. Ecclesiam, quæ scandalizatur.

4. Extraneos, qui à veritate avertuntur, eique & Ecclesiæ insultant. Expendenda exempla Christi *Joh.* 2. *v.* 17. & Pauli *Actor.* 17. *v.* 16. & 2 *Cor.* 11. *v.*2. & Pinehas *Numer.* 25. & Eliæ 1 *Reg.* 19. *v.* 10. quorum tamen extraordinaria facta non imitanda. Problemata quæ de zelo contra quęvis peccata, speciatim idololatriæ, hæresios, blasphemiæ, tyrannidis moveri possent, studio nunc prætermimus : tum quod in diatriba de idololatria indirecta aliquid istorum attigerimus, tum quod unica cautione adhibita omnia facile expediri queant, ut scil. zelus sit secundum scientiam : hoc est, ut non tantum recta sit intentio; sed etiam media omnia, quibus in execu-

tione & ostensione zeli utimur, sint recta, legitima, & bono fini proportionata; hoc est, ut non nisi ex præscripto vocationis nostrę & mandati divini deligantur.

IV. *Desiderium & preces:* tum ut peccatum abrumpatur, tum ut peccantem Deus convertat, eumque veniâ dignetur. Exemplum hujus officii præbuit Christus in cruce *Luc.* 22. *v.* 17. Ad quem textum multa huc *facientia* invenies in commentariis & concionibus ad Passionem Christi, & ad septem verba in cruce. Adde exemplum *Job.* 1. *v.* 5. & Pauli 2 Tim. 4. v. 16. *Ne ipsis imputetur.* Huc refer preces Ecclesiasticas pro conversione infidelium: quas Pelagianis in causa gratiæ objicit Augustinus. Confer commentar. & conciones ad 2. petitionem orationis dominicę.

V. *Gaudium & gratiarum actio* pro cessante peccato, & converso peccatore. Probatur ex parabolis *Luc.* 15. & gaudio Angelorum pro peccatore resipiscente. ibid. v. 7. 10.

§. 10. VI. *Actus exteriores reducimus ad*

1. Oppugnationem seu resistentiam.
2. Tolerantiam.
3. Remissionem.

Resistentia seu *oppugnatio* variè distinguitur.

1. *Ex effectu* seu consequente in efficacem & inefficacem. Quarum ista quod ad peccatum cui resistitur, & peccatorem frustanea est; si primarium scopum resistentis spectes; non frustranea, si scopum succedaneum, ἀναπολογησίαν peccatoris (*qui sordet sordescat adhuc* Apoc. 22. v. 11. Confer Jes. 6. v. 9. 10. Ezech. 2. v. 5.) & officium ac conscientiam resistentis spectes: hic enim liberavit animam suam *Ezech.* 3. v. 19.

2. *Ex causâ*, in publicam & privatam; seu in purè caritativam, & in autoritativam; eamque aut inferiorem, domesticam scil. & scholasticam; aut superiorem, Politicam scil. & Ecclesiasticam.

3. *Ex modo* agendi, & mediis, in realem, & moralem. *Illic* media sunt, actualis & valida coërcitio, occasionum subtractio, legitima compulsio, denique omnia, quæ à coactiva potestate sive inferiori sive superiori legitimè adhiberi possunt. Qualis stricte & proprie vocatur coërcitio: fitque partim per actualem, realem & validam mediorum & occasionum subtractionem; partim per oppositorum mediorum & occasionum submini-strationem & promotionem. *Istic* per hortationes tantum, lenes suasiones, promissiones, beneficia, aliaque honesta allicia atque incitamenta proceditur.

4. *Ex fine & scopo* potiori & directe intento, in emendantem seu convertentem; & in punientem seu vindicantem.

5. *Ex objecto* speciali, in emendationem seu conversionem aut coërcitionem ac vindicationem, quæ versatur circa errores in fide, & religione; & in eam, quæ versatur circa peccata seu corruptionem morum. Prior si publica & communis sit distinguitur, in *conversionem* infidelium, & in *reformationem*. *Illa* est vocatio & conversio Gentilium, Judæorum, Muhammedistarum, ad fidem Christi. De qua in 3. *part. Politicæ Ecclesiasticæ, & in part.* 2. *select. dispp. tit. de Plantationibus Ecclesiarum, de Judaismo, de Gentilismo, de Muhammedismo. Ista*, est reductio & revocatio Christianorum ad primævam puritatem fidei ac religionis unde prolapsi sunt, sive ipsi immediatè ac primi, sive mediate in majoribus & prædecessoribus suis. De qua itidem in 3. *part. Politicæ Ecclesiasticæ*, & pluribus in nostra Desperata causa Papatus.

6. *Ex objecto* rursum, in eam quæ versatur proprie circa reatum; & in eam quæ versatur circa mala consequentia.

Prior procedit per punitionem & vindicationem.

Posterior, versatur circa consequens malum vel turpe, vel triste. Circa *malum turpe* versatur, cum consequentis aut consecuturi peccati ejusdem aut affinis repetitionem, aut continuationem, aut augmentum, impedit. Hoc enim agit, ut peccati perpetratio sistatur & abrumpatur, per oppositæ virtutis exercitium & suscitationem. Huc spectant verba Danielis c. 4. v. 27. *Abrumpe peccata tua, &c.* Circa *malum triste*, quod redundaret vel in ipsum peccantem, vel in proximum privatim, vel in publicum. *Malum peccantis* est vel internum, conscientiæ scil. perturbatio, & desperatio; quibus opponitur *consolatio*: vel *externum*, ut damnum, infamia, pœna. Huc pertinet exemplum Davidis, qui quod ad damnum & pœnam Absolomo peccanti parci voluit 2 *Sam.* 18. *v.* 5. *Malum proximi*, est vel damnum, quod homini interno per malum peccantis exemplum, seu scandalum: vel damnum, quod homini externo in corpore, bonis, honore ex hoc peccato inferri posset: Huic malo sistendo aut abrumpendo inserviunt prudens peccati perpetrati directio, limitatio, circumscriptio & terminatio. *Malum publicum*, quibus consiliis & auxiliis legum, sanctionum, comminationum, actualis executionis, & severæ vindicationis, sisti aut averti possit, docet exemplum Davidis in suppressione rebellionis Absolomi; & Josaphati, Asa, Hiskiæ, Josiæ, Nehemiæ in negotio reformationis. Atque hæ distinctiones particularibus factis & casibus applicatæ, non exiguam lucem in hanc materiam inferent. Nos omnibus iliis præsuppositis, & ulteriori explicationi ac deductioni cujusque judicio & studio relictis, tantum hic duo imprimis consideranda notamus, Punitionem scil. peccantis & conversionem.

Pu-

Punitio est vel domestica, vel scholastica, vel Politica, vel Ecclesiastica.

De primâ agunt Scriptores œconomici, & de educatione liberorum, &c.

De secundâ Scriptores scholastici.

De tertiâ Jureconsulti, & interpretes legum Mosaicarum, quales Zepperus & commentatores in Exodum, & Deuteronomium.

De quartâ nos in 3. *part. Polit. Eccles. tit. de Clavibus regni cœlorum:* ubi alii autores indicantur.

Conversionis media sunt *correptio*, & *consolatio* seu erectio peccantis. De correptione, & consolatione agimus in Exercitiis pietatis.

Problemata sunt.

I. *Probl. An pœna vindicta seu vindicatio ab homine privato erga peccantem exerceri possit? Resp. Neg.* ex Matth. 5. v. 39. *Ne resistatis malo*, &c. Rom. 12. v. 19. *Vos ipsos non vindicantes*, &c. *Scriptum est enim, mihi vindicta*, &c. De quo ex professo Scriptores de duello, & commentatores ad 5. petit. orat. dominicæ, & ad *Matth. 5. Rom.* 12. & ad sextum decalogi præceptum. Exempla Pinehas *Num.* 25. Eliæ 2 *Reg.* 1. Elizei 2 *Reg.* 2. Petri *Actor.* 5. Pauli *Actor.* 13. peculiari atque extraordinario instinctu ac mandato Dei subnixa nobis imitanda non sunt. Applica monitum Christi *Luc.* 9. *v.* 55. Quod ad moderamen inculpatæ tutelæ (de quo Rivetus in decalogum,) ad directam pœnam seu vindictam referri non debet. Præterquam, quod illo in necessitatis casu quisque privatus publica potestate, & mandato tum divino tum humano munitus, tanquam Magistratus aggressorem interficere dicendus sit.

II. *Probl. An privato homini vindicta parva sit licita, e. gr. ut percussus alapa, pugno, baculo, ex incontinenti repercutiat? Resp.* Affirmant nonnulli Casuistæ Pontificii; nec multum abnuere videtur *Lessius lib.* 2. *de Justitiâ & Jure cap.* 47. *dubit.* 4. §. 23. Sed non videmus quomodo hoc conveniat cum Math. 5. v. 39. *Ne resistatis*, &c. nedum ut abominanda illa Jesuitarum Theologia, de occisione ejus, qui in puncto honoris quem læserit, aut nobilem baculo percusserit. De quâ ad 6. præc.

III. *Probl. An omnis pœna & vindicta sit odium proximi, & consequenter sit illicita? Resp. Neg.* Jure enim divino & naturali pœna à judice propter justam causam infligenda præscribitur. De jure divino probatur ex praxi criminali legis forensis Mosaicæ: unde quod ad genus seu analogicè pœna ab hodiernis judicibus infligenda deducitur. Adde textus *Gen.* 9. *v.* 5. 6. coll. cum *Rom.* 13. *v.* 4. Rationes jus naturale (non primigenium aut absolutum, sed secundum & hypotheticum per & post ingressum peccati) demonstrantes, vide collectas à Scholasticis ad 22. *q.* 108. *art.* 1. 2. 3. & à Lessio *l.* 2. *c.* 47. *dub.* 4.

IV. *Probl.*

IV. *Probl. An ex caritate erga proximum pœna peccantibus aliquando possit remitti, aut mitigari aut differri? Resp.* Quidni? Huc faciunt quæ de æquitate, lenitate, clementia Theologi, Ethici, Politici passim commentantur.

Tolerantia (ad quam referimus συγκατάβασιν & προσφοείαν) directè &§.11. propriè spectat peccantes, non peccata. Tolerantur autem in communione & societate, non obstantibus peccatis eorum. Sed pro varietate communionis, & peccati, distinctè de pia tolerantia determinandum est. Sunt enim peccata, alia præsumtionis, alia indurationis, alia ignorantiæ, alia infirmitatis; alia permanentia & adhærentia, alia transeuntia; eaque aut cum subsequentis & formalis pœnitentiæ demonstratione, aut absque eâ; rursum, alia magis hic & nunc scandalosa; denique alia in doctrina & religione, alia in moribus.

Communio itidem & societas varia est: *alia Politica, alia Ecclesiastica, alia domestica, alia simplicis benevolentiæ & pacis, alia insuper amicitiæ.* Adhæc tolerantia est *vel perpetua, vel ad tempus:* vel *lege, aut decreto aut stipulatione stabilita*, vel *arbitraria solum conniventiæ atque indulgentiæ:* vel circa retentionem in eadem. Ex his distinctionibus enucleatio variarum quæstionum & casuum, cum quibus peccatis, & quâ in communione, nec non quamdiu, & quomodo tolerandi sint peccantes; quæ hic studio prætereo. Interim lucem aliquam huic materiæ inferri arbitror à dissertationibus nostris de moderatione, tolerantia, syncretismo part. 3. Polit. nostræ Ecclesiasticæ, inserendis.

Medium inserviens tolerantiæ, est dissimulatio & præteritio peccati: ut videntes non videamus, de quâ comment. ad 1 *Petr.* 4. *v.* 18. & 1 *Cor.* 13. *v.* 7. Adde *æquitatem*, longanimitatem, χρηστότητα, moderationem suspicionum, facilitatem, benignius judicium.

Opponuntur tolerantiæ *directè* magis *remotio & rejectio peccantium:* magis indirectè seu reductivè fuga & evitatio peccantium.

Rejectio est, ex & à publicâ societate & communione sive Politicâ, sive Ecclesiasticâ (de quâ 1 *Cor.* 5. *v.* 13.): vel ex & à privatâ societate amicitiæ, & familiaris conversationis.

Fuga & evitatio præcipitur *Tit.* 3. *v.* 10. *Joh.* 2. *v.* 10. *Rom.* 16. *v.* 17. 18. 19. Et de peccante in moribus 2 *Thess.* 3. *v.* 6. Distingui debet evitatio & fuga peccantis licita ab illicitâ. Quam distinctionem nostri adhibent, & ex verbo Dei determinant, contra Anabaptistas in controversiâ de Excommunicatione.

Remissio, & veniæ largitio circa proximum peccantem quid sit & in quo §.12. consistat docent commentatores ad 5. petit. orat. dominicæ, & ad 6. decalog.

decalog. præcept., ut etiam ad Matth. 18. Rom. 12. Ephes. 4. Coloss. 3.

Media huic inservientia sunt virtutes misericordiæ, placabilitatis, patientiæ, clementiæ, longanimitatis, cognitionis nostri ipsius & infirmitatis propriæ. *Galat.* 6. *v.* 1. 2.

Motivæ ab exemplo Dei, ejusdemque mandato, & ab effectis utilibus aut damnosis desumuntur. Est autem remissio vel generalis, abstrahens à latente & non latente: vel specialis, quæ *reconciliatio* dicitur, remissio scil. mutua & non latens, in casu injuriæ, offensionis, rixæ, contentionis, &c. Rursum utraque & remissio & reconciliatio est vel publica, eaque aut Politica, aut Ecclesiastica; vel privata. Ecclesiastica rursum duplex est; vel cum intercedente & dirigente Ecclesiâ reconciliatio inter partes dissidentes instituitur: vel cum aliquis ipsi Ecclesiæ reconciliatur in casu scandali & lapsus & veniam ab illa consequitur. De quâ 2 *Cor.* 2. *v.* 7. 10. Confer de hac diatriben de clavibus regni cœlorum 3. *part. Politicæ Eccles.* inserendam.

Media reconciliationis sunt.

1. *Agnitio & confessio peccati*, de quâ Jac. 5. v. 2. *satisfactio* tum verbalis tum realis, seu restitutio & compensatio damni dati: de quâ alibi.

2. Læsæ ac turbatæ pacis, aut etiam amicitiæ *restitutio ac renovatio* per verba & signa externa. Est autem hæc confessio, satisfactio & pacis renovatio, vel privata, vel publica seu Ecclesiastica, quam *Canonicam* vocant. Occasione & detorsione hujus methodi ac disciplinæ in antiquâ Ecclesiâ usitatæ, Pontificii suam confessionem auricularem, suas satisfactiones, & indulgentias procuderunt. De quo videndus *Chemnitius in Exam. Concil. Tridentini*, *Chamierus in Panstratiâ*, &c. aliique autores nostri in disp. de indulgentiis, & de Purgatorio cit.

Opponuntur remissioni & reconciliationi Vindicta, retaliatio, πταγμὸς gemitus *Jac.* 5. *v.* 7. μόμφη querelæ *Col.* 3. *v.* 13.

Problemata sunt.

I. *Probl. An ulla retaliatio sit licita. Resp.* De privatâ *Neg.* ex *Rom.* 12. de publicâ Magistratuum Aff. uti supra ostensum est: ubi de punitione.

II. *Probl. An in casu injuriæ à proximo illatæ, nunquam gemere liceat; nunquam conqueri, idque innuatur. Jacob.* 5. *v.* 7. *Coloss.* 3. *v.* 13. *Resp.*

1. *Concl.* Gemitus & querelæ sunt laudabiles, quæ tacitè ad Deum submittuntur idque duplici respectu: mali tristis, seu passionis scil. nostræ, (vide *Psal.* 12. & 55. & 145. 19. & 102. *v.* 20): & respectu mali turpis, sive peccati & vitiosæ actionis proximi (vide supra, ubi de dolore super peccatis proximi).

2. *Concl.* Gemitus, dolor, ex sensu mali, molestiæ & afflictionis, est

in

in se adiaphorus: quippe proprium & consequens naturæ à Deo creatæ, & fuit in ipso Christo secundum humanam naturam. Ne tamen exorbitet, in gyrum rectæ rationis coërcendus, & voluntati divinæ submittendus: quomodo Apostolus de moderatione luctus super mortuis 1 Thessal. 4. v. 13. Huc facit dictum Bernardi: *Non est stupor, sed amor; non amittitur sensus, sed Deo submittitur.*

3. *Concl.* Contra proximum peccantem & injuriâ nos afficientem, siquidem privata sit injuria, gemere, & querelas ad Deum deferre non licet, siquidem ex odio, malevolentiâ, vindictæ cupiditate hoc fiat: sed potius pro eo orandum est *Matth.* 5. *v.* 44. Injuriæ ab hostibus Dei, ipsi Deo, verbo ejus, & Ecclesiæ illatæ, alia est ratio. Vide preces & gemitus adversus illos *Psal.* 68. & 69. & 35. & 83. 137.

4. *Concl.* Querelas ad Magistratus deferre contra injurias à proximo illatas, non est omnino illicitum; quidquid hic objiciant nonnulli 1 *Cor.* 6. *v.* 1. 2. 3. Vide & Confer exemplum Pauli *Act.* 23. & 24. & *comment. ad loca cit.* & *ad* 6. & 9. *præceptum*, & 5. *petit. orat. domin.* Injuriæ factum remitti potest proximo, & vindictæ studium ac malevolentia abesse aut deponi; nihilominus sereno animo, consequentis effecti, damni scil., ablatio & ablati restitutio, & impeditio ulterioris aut repetitæ injuriæ, à Magistratu, aliquo in casu, postulari.

Problemata de Reconciliatione.

I. An omnis reconciliatio super offensâ & injuriâ semper fieri debeat ad amicitiam honestam, aut utilem, aut jucundam, aut quamcunque aliam propiorem correspondentiam, aut societatem aut familiaritatem, &c. *Resp. Neg.* Aliquando etiam satisfacit quis officio suo, si condonatâ injuriâ præteritâ tantum ad restitutionem benevolentiæ & beneficentiæ communis ac omnibus debitæ revertitur, præsertim in casu necessitatis.

II. An reconciliatio semper sit cum mutuâ remissione offensæ, & confessione culpæ ac petitione veniæ, ab utrâque parte. *Resp.*

1. *Concl.* Ubi ab utrâque parte peccatum est, quamvis inæqualiter Aff. *Jac.* 5. Confitemini vobis invicem peccata.

2. *Concl.* Ubi tantum ab unâ parte peccatum est, & altera pars cum Paulo 2 *Cor.* 7. *v.* 2. dicere possit, οὐδένα ἠδικήσαμεν. *Neg.* Sic exempla in Scripturâ, & sic Christus 1 *Petr.* 2. *v.* 23. λοιδορούμενος, &c.

III. An quis possit ac debeat pacis causâ, ubi nullâ injuriâ offendentem affecit, sive offendendo sive defendendo, talem formulam conciliationis admittere, quę ipsum aut æque aut aliquâ ratione culpabilem faciat? *Resp. Neg.* Non sunt facienda mala, ut eveniant, &c. *Rom.* 3. Jam vero magnum malum est seipsum falso accusare, aut accusationem falsam approbare.

IV. Unde æstimanda (ubi ab utrâque parte injuria illata) gravitas offensæ unius partis præ alterius. *Resp.* 1. Vel ex prioritate, si quis prior offendit, alter autem posterior in defensione. 2. Vel ex multiplicitate & magnitudine injuriæ, sive prius, sive posterius: e. gr. ut si quis prior verbulo offenderit, ille multis & longè asperioribus verbis contra offendat, per reconventionem & retorsionem, excedens moderamen tutelæ; aut cum quis pugno cæsus, gladio se defendit sine necessitate, & offendentem graviter vulnerat.

V. An aliqua retorsio sit licita; seu medium ullum in defensione adhiberi possit, quod mediate sit offensivum; quamvis ex necessitate inevitabili ordinetur & tendat ad defensionem. *Resp. Aff.* Tum in verbali tum in reali defensione: haut aliter ac in privatâ inculpatâ tutelâ, aut in publico bello defensivo: modo non fiat ex vindictâ privatâ, aut ex intentione offensionis.

Sed { ex purâ intentione defensionis justæ. Et ex necessitate medii simpliciter necessarii ad illum finem, defensionem scil.

VI. An in reconciliatione uti possimus amnestiâ, & viâ accommodationis. *Resp. Aff.* His conditionibus. 1. Ut directè nihil fiat contra causam bonam & justitiam. 2. Ut quidquid exsertè non explicatur, non determinatur, parti utrique aut alterutri proponendum atque oggerendum, simpliciter prætereatur, & qualecunque sit absque speciali commemoratione prætereatur, ac silentio & caritatis igni sepeliatur, nunquam refodiendum; ac si nunquam dictum aut factum fuisset.

VII. An semper definitè ab utrâque parte debeat fieri confessio peccati (si quod commissum sit magis aut minus) & petitio veniæ, &c. *Resp. Neg.* Aliquando sufficit in genere & implicite dicere. *Quodcunque à me commissum est*, &c. *Condona aut boni consule.*

Imo aliquando sufficit, tantum conditionaliter dicere. *Si quod commissum sit*, &c. Quin & aliquando sufficit sola restitutio & declaratio

restitutionis { aut *benevolentiæ.* aut *pacis.* aut *amicitiæ:*

Omnibus aliis prætéritis, & in medio relictis. Et hæc specialiter dicitur *amnestia.*

VIII. An aliquo in casu reconciliatio aut pacificatio, sive formalis sive virtualis fieri possit, per solam injuriæ condonationem: reservatâ tamen satisfactione pro damno, seu restitutione bonorum, aut famæ, aut alterius

rius cujuscunque ablati: reservatâ, inquam, { aut *transactioni.* / aut *arbitrio aliorum.* / aut *sententiæ judicum.*

Resp. Aff. Sed de hoc propriè & pluribus infrà agendum in disp. de Restitutione.

Sequuntur officia caritatis circa proximum peccantem quod ad nos ipsos, quæ nomine usuum peccati designamus. De usu & abusu peccati tum Dei tum hominum in genere quomodo intelligi possit, explicuimus in disp. de Usibus peccati per accidens, quæ primæ parti selectar. dispp. inserta est. Usus ille quod ad nos est geminus: unus spiritualis, ad cautelam, prudentiam, respipiscentiam, gratiarum actionem, &c. *Alter symbioticus* in negotiis hujus vitæ. De priori nemo, quod sciam, dubitat. De posteriori queritur. An quis uti possit alieno peccato. *Resp.* Breviter respondemus. §. 13.

1. Illud esse per accidens.

2. *Directè & per se* nos uti bono, quod aut malo substratum est, aut malo conjunctum, aut ex eo proveniens seu potius ad illud consequens: indirectè autem & per accidens ipso malo; non quâ tali, sed ut ordinabile est ad bonum & in bonum.

3. Utendo non debemus peccatum indebite tolerare; nedum illud procurare, promovere consilio, suasione, exemplo, mandato, laudatione, &c. Sic e. gr. uti possumus ebrietate alicujus ad arcana aliqua in bonum publicum aut privatum expiscanda; sed nullo modo possumus ebrietatem procurare, aut aliquem inebriare. Et sic judicandum de aliis vitiis per singula decalogi præcepta, ut jure patronatus, juramento idololatrico, ambitione, audaciâ temerariâ, rebellione, rixâ, odio, discordia, fœnore, avaritiâ, mendacio, perjurio, perfidiâ, proditione, &c. Nec obstat quod illo usu videamur allicere homines ad talia peccata, aut in iis confirmare. Modo enim absit cooperatio, & tolerantia non sit affectata seu illicita, propter malum per accidens bono conjunctum aut ad illud consequens, non est bonum per se debitum omittendum. Alioquin fas non esset fideles hortari ad bona opera, quæ per accidens corruptionis semper vitio aliquo inquinata sunt, nec infideles ad officia erga Deum & proximum, quę per accidens & in illo subjecto (quamdiu tale manet) male fiunt & in splendida peccata evadunt.

DE COECA OBEDIENTIA PAPISTARUM

PARS PRIOR.

Resp. SIMONE van HAMERSTEDE, Bergopzomâ-Brab. 18. *Dec.* 1661.

§. 1. *Obedientia consideratur vel ut virtus generalis, vel ut virtus specialis. Prior est* executio cujusque actus virtutis sub præcepto cadentis. *Posterior est* virtus inclinans subditum ad exequenda superiorum præcepta, ut præcepta sunt. *Cujus oppositum est inobedientia, vitium scil. speciale*, inclinans ad omittenda præcepta, eo quod præcepta sunt. *Vide Thomam 22. qu. 104. art. 2. Obedientia considerata ut virtus specialis, distingui potest in divinam & humanam. De obedientiâ divinâ seu erga Deum agitur ad 1. decalogi præceptum; de humanâ seu erga hominem ad 5. præc. Humanæ obedientiæ opponitur in excessu absoluta seu cœca obedientia: in defectu inobedientia modo descripta; quæ vel negativa seu privativa, vel positiva, dicta resistentia, rebellio. Nos in præsenti de vitio illo in excessu, quod cœca obedientia dicitur nonnulla delineaturi, præmonemus, non tam consideranda à nobis facta hominum, qui aliorum mandatis, consiliis, & exemplis se mancipant, & cœco brutoque impetu in quævis illicita ruunt, quique ideo merito serva pecora Poëtæ dicuntur: quam regulas, dogmata, dictata, & præsumtæ religionis formam.*

§. 2. COecam obedientiam in Papatu traditam & exercitam, juxta religionem ejusdem, observamus triplicem, generalem, specialem, specialissimam.

I. *Generalis* seu communis est, quæ in scholis Papisticis ecclesiæ Romanæ, seu mavis Pontifici Romano tanquam ecclesiæ virtuali, & Synodum generalem facienti, unumque tribunal cum Christo habenti, ideoque dispensanti contra jus de jure, atque adeo ex peccato non peccatum facienti (uti *Bellarminus* in controversiis, & contra Barclayum, imprimis & Canonistæ passim determinant), & consequenter episcopis & confessariis præstanda imponitur.

Probatur hæc cœca universalis obedientia Papatus.

1. *Ex theologiâ Papali* de fide implicitâ & carbonariâ: quæ alibi excutitur. Interim consulant studiosi nostri *Chamieri panstratiam*, aliosque Papatus Antagonistas & inter ipsos Pontificios *Espenceum in* 2 *Tim.* 3. *v.* 15. *lect.*

sect.17. p.119. ubi fidem carbonariam *inter catholicos* (uti loquitur) *iactatam*, haut obscure perstringit ; & historiæ hujus relationes indicat apud *Erasmum, Pighium, Hosium.*

2. *Ex obedientiâ* episcopis præstanda : adeo ut non tantum non sit peccatum, si quis in virtute illius obedientiæ episcopum suum hæreses docentem sequatur, sed etiam opus meritorium. Cardinalis Toletus lib.4. instruct. sacerdotum cap.3. *Si rusticus circa articulos fidei credat suo episcopo proponenti aliquod dogma hæreticum, meretur in credendo, licet sit error, qui tenetur credere donec ei constet esse contra ecclesiam.* Confer Thomæ 22.qu.2. *art.6. Si à virtute divinâ aliqui majorum* (h. e. præpositi in ecclesiâ) *deficiant, non præjudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt* Contrarium docet Servator Matth. 15. v. 14. *si cæcus cæcum ducit, ambo cadunt in foveam.*

3. *Ex obedientiâ* omnibus confessariis præstandâ, in resolutione & judiciali determinatione casunm conscientiæ, circa factorum quorumcunque confitentis (exceptis casibus reservatis) qualitatem, & quantitatem ; & impositam, pro ratione eorum, satisfactionum qualitatem ac quantitatem. Huic jurisdictioni interiori ipsum Pontificem tanquam pœnitentem subjectum docent duo ipsorum dicti *Divi*, hoc est, canonizati doctores *Thomas Angelicus & Bonaventura Seraphicus in 4.dist.19.* & ex recentioribus *Fillucius tr.7.n.130. Zwarez in 3. Thomæ disp.27. sect.2.*

4. *Ex absolutâ* obedientiâ Pontifici debitâ, juxta Extravag. Bonifacii 8. quæ omnes animas subjicit Pontifici & quidem de necessitate salutis. Subjectionis hujus modus & gradus explicatur in *Jure canonico, dist.40. c. Si* „ *Papa.* Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur, &c. ni„ hilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo manci„ pio gehennæ, cum ipso multis plagis in æternum vapulaturos. Hujus „culpas istic redarguere præsumat mortalium nullus : quia cunctos ipse „ judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius. Ubi notæ jussu Gregorii XIII. emendato juris canonici corpori adjectæ, ex Bonifacii Martyris verbis antecedentibus & consequentibus caput hoc illustrant. „Et revera tantâ reverentiâ apicem præfatæ sedis Apostolicæ „omnes suspiciunt, ut nonnullam sanctorum canonum disciplinam & an„tiquam Christianæ Religionis institutionem magis ab ore prædecessoris „ejus, quam à sacris paginis & paternis traditionibus expetant: illius velle „illius nolle tantum explorant, ut ad ejus arbitrium suam conversationem „& ipsi remittant aut intendant. Adde Bellarminum lib. 4. de Pontifice cap. 5. *Si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona, & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam*

ſcientiam peccare. Tenetur enim in rebus dubiis Eccleſia acquieſcere judicio ſummi Pontificis, & facere quod ille præcipit, non facere quod ille prohibet; ac ne fortè contra conſcientiam agat, tenetur credere bonum eſſe quod ille præcipit: malum quod ille prohibet. Cum aſinina non minus ac blaſphemâ hâc theologiâ convenit celebre & celebrandum illud dictum quod Cardinali *Nicolao de Cuſa* tribuitur: quo laicos ferè ad inſtar pecudum in rebus fidei ſubjectos facit: alludens fortè ad *Job. 1. v. 14.* ubi juxta ſenſum allegoricum aſinos *Gregorius M.* & *Thomas* interpretantur ſimpliciores aut laicos; *quia minores: qui ſignificantur per aſinos, debent in credendis cohærere majoribus, qui per boves ſignificantur*: ut loquitur Thomas. *22. qu. 2. art. 6.* A quo non abludit dictum abbatis celebris monaſterii Neuhuſani in Vangionibus (referente Sculteto in decade 1. annal. Euangelii, &c. renovati ad ann. 1517. pag. 15.) *Si*, inquiebat, *Lutherus non veniſſet, ſe perſuaſuros fuiſſe populo, ut fœnum comediſſent.*

Conſectar. *Hinc conſiderandum, quantum laicis & clericis ſæcularibus*, fidelitatem promittentibus & jurantibus, Reſpublicæ reformatæ fidere poſſint. De quo in 2. *part. ſel. diſpp. tit. de Sede Romanâ incompatibili*, &c.

§. 3. II. *Obedientia cœca ſpecialis* eſt regularium ſeu monachorum; qui ſolenne votum emittunt de eâ ſuperioribus præſtandâ. De quo voto alibi agitur: ubi de monachatu. Hæc obedientia ſpeciali titulo indigitatur *ſancta*: & hinc ſuperiores regularium peculiari ratione & juriſdictione aliquid præcipere poſſunt ac ſolent *in virtute ſpiritus ſancti, & in virtute ſanctæ obedientiæ.* Quomodo autem, quibus, quo ordine, quouſque, & in quibus regulares teneantur obedire, faſtidioſè diſquirunt *Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 13.* & imprimis *Thomas Zanchez. tom. 2. operis moralis lib. 6. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* Quas operoſas nugas huc non adducimus; ſed ex iis propoſito noſtro ſufficiunt indicanda ipſis ibid. laudata præcepta veterum ſanctorum abbatum, qui monachis ſibi ſubditis præcipiebant *difficillima, ridicula, & per naturam impoſſibilia, immo quandoque etiam juri naturæ contraria*: uti loquitur *Zanchez cap. 2. §. 4.* Exempla habet *Caſſianus lib. 4. de Inſtit. Monachor. cap. 24. - 28.* & ex iis aliqua refert *Hoſpinianus de Monachis cap. 9. pag. 60.* & *Zanchez* loco modo cit. ubi ea defendere conatur, ſed conſcientiâ trepidante. Unum ſolummodo ſpeciminis gratiâ hic refero, de patris cum filiolo octenni monaſterii & religionis ingreſſum poſtulantis exploratâ ante admiſſionem abſolutâ obedientiâ, & quidem contra jura naturæ. Præcipiebat Abbas ut pater filiolum projiceret in flumen, & ut monachi eundem ante oculos patris colaphizarent. Pater deportando eum ad flumen cœcam obedientiam, & æquo animo ſpectando ac ferendo ejuſdem colaphizationem, perfectionis monachalis patientiam oſtendit. Sed quid de ejuſmodi ex-

explorationibus & probationibus particularibus recensendis laboro ? Universalis regula, religio, institutio monastica cœcam hanc obedientiam iis dictat, & vitæ contemplativæ substernit. Debent enim renuntiare (in ordine scil. ad superiores suos) *propriæ voluntati, proprio judicio, sui ipsius regimini.* Sic *Petrus à S. Andomaro Benedictinus*, in tabellâ subjectâ Institutionibus monasticis secundum Trident. concilii decreta, & tribus concionibus ad monasticem professos anno 1584. Coloniæ apud Cholinum editis, & ab A. Masio decano Namurcensi non sine elogio approbatis. Constituit ibi religionis monasticæ partes quinque, *abnegationem, paupertatem, castitatem, obedientiam, contemplationem.* Per obedientiam dicit renuntiari *proprio judicio* : quod nihil aliud est quam cœcam & brutalem obedientiam, ex vi voti, professionis, & religionis monachalis, iis imponere : quippe cujus finis sit (ut ibid. loquitur) *unio cum Deo, seu divinæ caritatis perfectio.*

III. *Cœca obedientia specialissima* est Lojolitica. *Maffejus* in vitâ Ignatii lib. 3. cap. 7. refert Ignatium ad *sapientem sanctamque cœcæ obedientiæ stultitiam*, suos instruxisse. Ipse *Ignatius in epistolâ de virtute Obedientiæ* ad socios & filios Lusitaniæ *sect.* 10. vocat *obedientiæ cœcæ simplicitatem.* Et *sect.* 18. „hortatur eos, ut sicuti ad credenda, quę catholica fides proponit, toto „animo assensuque suo statim incumbebant, sic ad ea facienda quæ superior dixerit *cœco quodam impetu voluntatis* parendi cupidæ sine ullâ prorsus disquisitione ferrentur. *Ibid. sect.* 3. vult societatis *suam germanam sobolem verâ perfectâque obedientiâ, & abdicatione voluntatis ac judicii* quasi notâ distingui. Vide quid dicat Apostolus *Rom.* 1. *v.* 24. de ἀδοκίμῳ νοῖ, id est, mente judicii experte. Mapheus loc. cit. refert Ignatium docuisse suos, *prudentiam non esse obedientis, sed imperantis.* Hæc scil. *prudentia justorum* Luc. 1. v. 17. & imperata *prudentia serpentum* Math. 10. & præceptum Apostoli Ephes. 5. v. 15. Μὴ ὡς ἄφρονες ἀλλ' ὡς σοφοί. Et ipse Ignatius epist. cit. sect. 7. Tunc *liberum arbitrium nostrum à quo accepimus, eidem* (Deo scil.) *per obedientiam plenam reddimus.* „Ibid. sect. 10. Non esse ambigendum, „expediat nec ne facere quod jubemur; quia perit illa *obedientiæ cœcæ simplicitas*, cum apud nos ipsos in quæstionem vocamus, rectene præcipian„tur an secus. Ibid. sect. 10. credendum esse, quod tali cœcâ obedientiâ & cœco impetu *egerit Abrahamus filium Isaac mactare jussus.* Ibid. sect. 5. *Infirmam valde & imperfectam esse illam obedientiæ formam, quæ mandata duntaxat opere exequitur; nec virtutis nomine dignam nisi ad alterum gradum ascendit, qui voluntatem superioris suam efficiat & cum eâ ita concordet, ut non solum in affectu executio appareat, verum etiam in effectu consensio; sicque idem velit uterque, idem nolit.* Adeo ut cum Jesuita ordini Ignatia-

no adscribitur, ilico in virtute illius sanctæ obedientiæ in bestiam transformari videatur, illique aptari illud de Lycaone cantatum Ovidio 1. Metamorphos.

In villos abeunt vestes, in crura lacerti:
Fit lupus & veteris servat vestigia formæ, &c.

Et uti de *assistentibus* ita dictis & *patribus professis* (quos descriptos vide in *hist. Jesuiticâ Hasenmulleri*) illud vulgatum: *Jesuita est omnis homo;* sic de Jesuitis novitiis aliisque minorum gentium mystis non immerito suo modo dici posset, *Jesuita est omnis bestia.* Ratio hujus metamorphosios apud Ignatium sect. 8. quia *superiorum voluntatem pro divinâ ducere debent.* Ibid. sect. 3. iisque non *obtemperandum esse propterea, quod prudentiâ, bonitate cæterisve quibuslibet donis ornati instructique sint: sed ob id solum, quod vices gerant Dei, ejusdemque autoritate fungantur, qui dicit, Qui vos audit me audit.* Ibid. sect. 17. & quia in personâ superioris cognoscere debent *ipsum Christum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere.* Et sect. 11. Statuere debent secum, *quidquid superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem.* Mapheus lib. 2. cap. 9. refert Ignatium cum sociis judicasse deligendum esse, *cui omnes in terris tanquam Christo parerent, cujus in verba jurarent, denique cujus sibi nutum & voluntatem, instar divini cujusdam oraculi ducerent.*

Horrenda hæc sua dictata excusare nequeunt per exceptionem, quâ semper excipitur aut excipi subintelligitur peccatum contra Dei legem, si forte illud à superioribus præcipi contingeret: uti *Gretserus in stigmate Misenico* seu in *scripto c. Stenium* Græcæ linguæ professorem Heidelbergensem, citat hanc regulæ à Stenio objectæ limitationem: *In omnibus obtemperandum esse, ubi peccatum non cernitur.* Nulli enim inferiori licet cernere, discernere, judicare supra aut contra superiorem suum aliquid mandantem, hoc quod mandatur esse peccatum. *Cæca obedientiæ simplicitas, cæcus voluntatis impetus, cæca obedientiæ stultitia, vacuitas omnis prudentiæ, abdicatio voluntatis & judicii, præjudicium de omni præcepto superioris, quod sit Dei præceptum,* planè ἀσύστατα sunt cum judicio discretionis circa actus imperati bonitatem aut malitiam moralem. Ne quidem suspicio aut dubitatio ulla de peccato in exequendo mandato Dei *Genes.* 22. cum *Hebr.* 11. *v.* 8. 17. Abrahamo erat licita; nedum, ut peremtoria judicii practici determinatio: similiter nec Jesuitis in exequendo superiorum mandato, qualecunque illud sit. Hoc ex citatis Jesuiticæ religionis dictatis nimis liquidum est. Nec minus ex regulis societatis part. 3. cap. 1. *quod qui sub obedientiâ vivunt se ferri & regi à divinâ providentiâ per superiores suos sinere debent, perinde ac si* CADAVER *essent,* &c. *vel similiter ac senis* BACULUS, &c. Quibus adde

ante-

antecedentia : *quod ſanctam obedientiam omnes obſervare & in eâ excellere ſtudent, nec ſolum in rebus obligatoriis, ſed etiam in aliis, licet* NIHIL QUAM SIGNUM VOLUNTATIS SUPERIORIS SINE ULLO PRÆCEPTO VIDERETUR. Ibidem : *ut ſancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu ſit nobis omni ex parte perfecta*, &c. *omnia iuſta eſſe nobis perſuadendo, omnem ſententiam ac judicium noſtrum contrarium cœcâ quâdam obedientia abnegando.* Gloſſa ad hanc regulam : *Et eſt imperfecta ea obedientia, in quâ præter executionem non eſt hæc ejuſdem voluntatis & ſententiæ conſenſio.* Et quid quæſo cernet aut diſcernet, qui oculum mentis ac judicii hâc ratione eruit aut obtegit? Videat, cui placet, impiæ hujus obedientiæ Jeſuitas ſimulantes in quâdam petitione ad Regem, manifeſtè convictos *lib. 2. catechiſmi Jeſuitici cap. 17.* & 18. Conferri poſſunt ſcriptores de Jeſuitis Haſenmullerus, *Hoſpinianus, Ludov. Lucius, Myſteria patrum Jeſuitarum, Anonymi acutus libellus de Monarchia Soli-ipſorum*, & alterius eruditi *anonymi Conclave Ignatii*, &c. & ex ipſis Pontificiis *Arnaldus, Martelrie*, Anonymi theologia moralis Jeſuitarum. Vivum omnium iſtorum commentarium præſtat quotidiana Jeſuitarum praxis.

Nos ſpecimen unum atque alterum progymnaſmatum ad dictam obedientiam hic indicamus. Mapheus lib. 3. cap. 7. Ignatius *ad ſapientem hanc ſanctamque ſtultitiam cœcæ, ut ipſe appellabat, obedientiæ : ſuos ut eſſent ad ſeria & ſubita promptiores, interdum etiam fictis in rebus erudiebat. Sacerdos quidam edito ſigno paratus ad ſacrificium & calicem tenens*, &c. *per nuntium ab Ignatio, qui totam rem è propinquo obſervabat, repente jubetur, ſacro depoſito ornatu, pallium ſumere prodeundi causâ*, &c. Ille cum è veſtigio pareret, dixit ei Ignatius, *ſe in præſenti illo opus non habuiſſe, ſed periclitandi obſequii gratiâ, id feciſſe de induſtriâ.* Addebat, *& ſic habeto, plus te ſacrificio deferendo eſſe meritum, quam ſi id ipſum, ut deſtinaveras, ilico peregiſſes*, &c. *ut ſcriptum legimus, Melior eſt obedientia, quam victima. Haſenmullerus in hiſtor. Jeſuiticâ cap. 6. p. 139.* refert aliquot exempla, quibus Jeſuitæ præceptores ſuis declarare ſolent cœcam obedientiam, ut palum ſcil. ficcum juſſus quis riget per integrum annum, ut ſolus rupem conetur tollere, quam centum boves non potuiſſent loco movere, ut aquam profundiſſimam ingrediatur, ut ſævam leænam adducat. *Ibid.* refert ex lib. de obedientiâ, Ignatium obedientiam depinxiſſe ſimilibus *cæci, ſtatuæ, cadaveris, cereæ, baculi, mortui. Ibid. pag. 145.* narrat Jac. Cruſium Lanſpergenſium novitiorum Rectorem anno 1584. 14. Febr. in explicatione regularum ſic eos docuiſſe, *Noſter*, inquit, *decalogus eſt regula votorum ab Ignatio Lojolâ tradita.* Turſellinus in vitâ Xaverii lib. 6. cap. 25. refert eum juſſiſſe

ſuos, *ut ſe totos hominum Dei perſonam gerentium arbitrio permitterent, ratos* OMNIBUS *in rebus præcipiendis eam iis mentem divinam datum iri, quæ plus & Deo honoris, & ipſis commodi eſſet paritura.* In pompatico illo volumine tit. *Imago primi ſæculi ſocietatis Jeſu edito anno* 1640. *lib.* 6. *p.* 919. obedientia hæc comparatur *primo mobili*, & lib. 1. p. 190. obediens *ſphæræ, quæ facile in omnem partem movetur.*

Sed ne ſtudioſos noſtros hæc referendo nauſeâ nimis torqueam, ablego iſtorum curioſos ad dictam imaginem primi ſæculi *lib.* 3. *p.* 405. *lib.* 6. *p.* 915. *lib.* 1. *c.* 9. Rivos claudam ſi modo unicum exemplum adjecero, quo ſupererogatoriæ perfectionis ſupererogationem oſtendebat Ignatius, cum aliquando (referente *Maphæo*, *lib.* 3. *cap.* 7.) ab imperito medico pene ſiti & calore exſtingueretur, ex præcepto tamen ſe intra fomenta calida contineret, & cum arderet ſiti, nihil tamen peteret, & cum diſcruciaretur doloribus acerbiſſimis, nullam vocem ederet, atque ita ſuffocatus fuiſſet, ni alius medicus à ſodalibus accitus, contraria ratione eum curaſſet, *poſtquam obedientiæ meritis auctus fuiſſet.* En tibi miracula meritorum virtute ſupererogatoriæ obedientiæ, & ſanctæ cœcitatis ac ſtultitiæ, non tantum patri Rectori, aut patri aſſiſtenti, aut patri profeſſo, aut generali, aut Jovi Romano, ſed & cuivis infeliciſſimo Hippocratis pullo præſtandæ. Sed huic auſteri tortoris tragico-comœdiæ, addamus hanc lætioris obedientiæ comœdiam, à mitiori Medico actam; qui eidem Ignatio præſcribebat ut tempore quadrageſimę ipſa feriâ ſanctioris hebdomadæ (id eſt, bono die Veneris) pullo gallinaceo ſe reficeret: quod in virtute obedientię ſive medicæ ſive ſtomachi & palati, faciebat, dicendo, *Atqui obediendum eſt*; referente *Maphæo.* Quantam tranſgrediendi tantum eccleſiæ præceptum, ut potius medico, ſtomacho, palato obediret, neceſſitatem, morbi gravitas illi attulerit, dicere nequeo. Hoc ſaltem ſcio millenos pauperes, & tenuioris fortunæ homines talem obedientiæ perfectionem, etiam abſque præcepto medici imitaturos, ſi modo pullus gallinaceus loco jentaculi ipſis apponeretur.

§. 5. Indicemus nunc breviter rationes, abſque prolixâ explicatione & deductione, ut chartæ & rationi theſium conſulamus: omnibus argumentorum copiis, quibus monſtrum hoc obedientiæ oppugnetur, quaſi in unum argumentum generale, quod ſit inſtar rubricæ, & archetypi, contractis; Unde illud in particularia facile diſpeſci poſſit.

Sit ergo hoc argumentum generale: Illicita eſt cœca obedientia & poſtulanti eam, & promittenti ac præſtanti eandem: Quia repugnat doctrinæ communi ex jure divino & ratione naturali ab omnibus philoſophis & theologis, cujuſcunque ętatis & profeſſionis hactenus traditæ & receptæ

in

in libris de casibus conscientiæ, & in commentariis ad *Thomæ* 1. 2. & in *Aristot. Ethica ad Nicomach. lib.* 3. ubi agitur de bonitate & malitiâ morali, de discrimine honesti & turpis, liciti & illiciti, de actionum humanarum moralitate, principiis & regulis, rectâ scil. ratione, libero arbitrio seu libertate voluntatis, syntereſi, conscientiâ, ejusque examine, ad hæc de prudentiâ circa τὰ πρακτά, de consilio, de lege divinâ, naturali, humanâ. Adde hic peculiares tractatus de legibus, de conscientiâ. Dispescamus nunc in particularia argumenta: quorum alia ducuntur ex parte obedientium, alia ex parte imperantium, alia ex absurdis consequentibus.

Primi generis sunt ista. I. *Argum.* Omnes actiones rationales seu humanæ debent subjacere rectæ rationi, eique conformes esse; & consequenter non sine judicio practico, sine consilio, sine attentione ad facta sua, eorumque ad syntereſim, conscientiam, legem reductione. Vide *Psal.* 119. *v.* 6. 9. 59. Rectè communis & quasi autenticus ipsorum magister *Thomas in quæst. disputatis tit. de Veritate subtit. de conscientiâ artic.* 5. ubi probat conscientiam in indifferentibus plus ligare quam præceptum prælati: & ad 3. object. sic respondet: *Quamvis prælatus sit superior subdito, tamen Deus, sub cujus præcepti specie ligat conscientia, est major quam prælatus.* Ibid. in resp. ad 4. object. *Subditus non habet judicare de præcepto prælati, sed de impletione præcepti, quæ ad ipsum spectat. Unusquisque enim tenetur actus suos examinare (N. B.) ad scientiam quam à Deo habet, sive sit naturalis, sive acquisita, sive infusa: omnis enim homo debet secundum rationem agere.* Huc facit argumentum ad hominem desumtum ex determinatione Casuistarum *Pesantii, Malderi, Sylvii, Bassei*, cum quibus ex Jesuitis faciunt *Vasquez in* 1. 2. *disp.* 60. *c.* 1. Et *Bresserus lib.* 5. *de conscientiâ cap.* 21. qui vocat hanc sententiam communem, & ex professo pro eâ disputat: quod conscientia invincibiliter erronea circa legem aliquam naturalem magis obliget, quam mandatum superioris. Quin & nostras *Hadrianus Florentius* (postea Papa) *in quodlibetis quodl.* 2. *puncto* 3. statuit, subditum non posse obedire superiori contra propriam opinionem, Idem puncto 2. cum Jesuitis *Vasquez ad* 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 9. *num.* 51. & *Joh. de Salas à Bresero lib.* 4. *cap.* 14. citatis negantem superioribus obediendum esse, in dubio ex parte rei præceptæ, an scil. excedat potestatem præcipientis & sit licita. Quæ omnia quomodo cum sacrâ Ignatii stultitiâ & cœcitate conciliari possint, ipsi viderint.

II. *Argum.* Obedientes debent in istis & omnibus aliis actionibus suis videre, quomodo ἀκριβῶς ambulent, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλὰ ὡς σόφοι. *Eph.* 5. *v.* 16. debent esse prudentes ut serpentes *Matth.* 10. Debent omnia probare, & discernere τὰ διαφέροντα. 1 *Thess.* 5. *Rom.* 2. Debent magis magisque

crescere in spirituali cognitione, judicio, discretione *Philipp.* 1. *Coloss.* 1. Debent precari ut Deus ipsis, aliisque det intelligentiam in omnibus 2 *Tim.* 2. *Eccles.* 2. *v.* 14. Debent oculos habere in capite, & sapientia passim in proverbiis laudatur. *Prov.* 2. &c. contra stultitia, hebetudo, simplicitas, vituperatur *Deuter.* 32. *v.* 6. 28. 29. *Prov.* 22. & 24. Atqui omnia hæc cum obedientiâ sanctâque Ignatii stultitia sunt ἀσύμβατα.

III. *Argum.* Homines omnia debent facere quę faciunt, ad gloriam Dei, juxta 1 *Cor.* 10. non *materialiter* tantum, uti omnes aliæ creaturæ irrationales, quæ agunt propter finem & ad ultimum finem à Deo diriguntur uti sagitta à sagittario ad scopum, Deus enim omnia operatus est propter seipsum *Prov.* 16. *v.* 4.; hinc etiam dicuntur, cœli enarrare gloriam Dei *Psal.* 19. *sed formaliter*, quippe qui rationales sunt & non tantum ab alio moventur, sed à se. De quo *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 1. *art.* 2.

IV. *Argum.* Homines non debent esse servi hominum 1 *Cor.* 7. *v.* 23. Quod de obedientiâ & ministeriis ex justitia aut charitate sive superiori, sive æquali, sive inferiori præstandis intelligi nequit; cum Apostolus contrarium præscribat *Ephes.* 6. *v.* 5. *Galat.* 5. *v.* 13.: sed de subjectione animæ & conscientię ad ullum hominem.

V. *Argum.* Quia debent sibi ipsis attendere *Actor.* 20. *v.* 28. sibi cavere ab hominibus *Math.* 10. *v.* 17. nec amicis ac necessariis credere aut fidere *Mich.* 7. *v.* 5.

VI. *Argum.* Quia abnegatio nostri ipsius infert renuntiationem & resignationem propriæ nostræ voluntatis; non in ordine ad voluntatem aliorum hominum, quamvis superiorum; sed in ordine ad voluntatem Dei. Math. 6. *fiat voluntas tua*, &c. & 10. vers. 37. *Qui patrem aut matrem diligit*, &c. Luc. 14. v. 26. *Si quis ad me veniat, & non odit patrem suum*, &c. Deut. 35. v. 9. *Qui patri suo & matri dicebat*, &c. Addi debent laudata exempla eorum qui superioribus non obedierunt, *Dan.* 3. & 6. 1 *Sam.* 22. *v.* 17. *Actor.* 4. & 5. Huic abnegationi & resignationi Ignatiana obedientia directè repugnat.

VII. *Argum.* Homines non debent esse sicut mulus *Psal.* 32. *v.* 9. aut sicut canis, qui ad nutum aut vocem possessoris currit, & quærit atque affert quod perditum dicitur & cœco impetu involat in quemcunque ab eodem possessore suo concitatur, &c. Nec est quod *excipiant*, singulas actiones omnium cœco impetu superiores suos sequentium esse rationales & spontaneas cum prælectione, si non actualiter saltem virtualiter: quia semel rationaliter & per spontaneam prælectionem votum absolutę & cœcæ obedientiæ emiserunt. Nam singulæ actiones humanæ, ex objecto, fine, circumstantiis sunt moraliter bonæ aut malæ. Ad illa ergo cuilibet humanas

manas actiones elicituro aut imperaturo, sigillatim attendendum, & judicio practico determinandum est. Uti ex sequenti ratione evidentius constabit.

VIII. *Argum.* Quia Deus non approbat cœcum obsequium, si quę mala imperentur, nec absolvit mala illa patrantem: quasi culpa tunc esset penes solum imperantem, & non penes obedientem. Quasique exemplo Adami *Genes. 3. v. 12.* & Ethnicorum (dicentium ἐγω δε σε αὐθις εἰμι ἀλλα ζευς σῳ μοίρα) culpa in Deum conjici posset, qui tales superiores nobis dedit, nec à seductione præservavit. Uti hoc non obscurè sequi videtur ex regulâ Ignatianâ (*Summ. constitut. Jesuit. Reg. 36.*) quę dictat: Debere eos apud animum suum statuere *se moveri ac dirigi à divinâ voluntate & providentiâ, quoquo versus moventur ac diriguntur à suo superiore.* Audi contra *Apoc. 18. v. 4.* Exite ex eâ, &c. Math. 15. v. 15. *Si cœcus cœcum ducit*, &c. Ezech. 3. v. 18. *Impius in suâ injustitiâ morietur, sed sanguinem ejus*, &c. Videndum igitur quomodo audiamus *Luc. 8. v. 18.* nec oculi per affectatam cœcitatem claudendi. Concedo seductos excusari in tantum, nunquam vero in totum *Joh. 19. v. 11.*

IX. *Argum.* Quia nemo debet se exponere periculo factorum otiosorum, gravium peccatorum, immo & horrendorum flagitiorum: atqui qui voto talis obedientiæ se obstringit, tali periculo se exponit: uti experientia hoc docuit. Consulantur scriptores de Jesuitis. Quod est contra 1 Thessal. 5. v. 22. *ab omni specie mali*, &c. Judę v. 25. *odio habentes tunicam* Ephes. 5. v. 15. &c. Confer supra argum. 2. & 5. Gerson in regulis moral. *Qui sciens se exponit discrimini peccati mortalis, peccat mortaliter.*

Sequuntur nunc argumenta desumta ex parte superiorum seu imperantium.

X. *Argum.* Omnes superiores possunt errare, male judicare, peccare; quippe homines viatores: teste scripturâ & experientiâ. Quod hic non probatur, sed præsupponitur tanquam utrimque in confesso. Nunc applica illud ad superiores Jesuitarum. Quid? quod ipsi Pontificii concedunt Papam posse errare, alii in negotio fidei, alii saltem in præmissis licet non in conclusione, plerique in quæstionibus facti, omnes in moribus. Et cum omnes hoc fateri cogantur, contra conscientiam faciunt, qui hoc votum obedientiæ suadent, defendunt, eamque præstandam exigunt aut admittunt; nec minus pessime faciunt, qui eandem promittunt aut præstant.

XI. *Argum.* Quia absolutum imperium in hominis intellectum & voluntatem, nullus hominum cujuscunque conditionis aut status habet aut habere potest: sed solus Deus; & consequenter sine sacrilegio illud sibi arrogare

rogare atque usurpare nequit; aut quisquam per absolutæ & cœcæ obedientiæ votum aut subjectionem eidem deferre. *Unus enim est legislator, qui potest servare & perdere*, Jacob. 4. v. 12. Unicus est, cui competit illud, *Quis tu es, qui respondes Deo*, &c. Rom. 9. v. 20. 21. 22. *An lutum dicet plasmatori, quid facis*, &c. Jesa. 45. v. 9.

XII. *Argum.* Quia Prophetæ, Apostoli, quamvis doctores & superiores in rebus fidei infallibiles & θεόπνευστοι, talem obedientiam, absque intercedente proprio obedientis judicio & examine, nec in fide, nec in moribus sibi tribui, & deferri voluerunt. 1 Cor. 11. v. 1. *Estote imitatores mei, sicut ego*, &c. 1 Cor. 10. v. 16. *tanquam prudentibus vobis loquor, judicate vos, quod dico.* 1 Thessal. 5. 21. *Omnia probate*, &c. Beroënses eo nomine laudantur *Actor.* 17. v. 11. Et hæc quidem in communi doctrinâ fidei, ubi erant infallibiles. Quanto magis judicium & discretio adhibenda in particularibus dictis, consiliis, mandatis eorundem in quotidianâ conversatione & hujus vitæ negotiis. Jam vero neminem puto esse superiorem in familiâ, in ecclesiâ, in politiâ, cujus mandatis major obedientia debeatur, quam Propheticis & Apostolicis.

XIII. *Argum.* Ductum à multis absurdis consequentibus: ex quibus nunc aliquot notamus. Si absoluta & cœca hęc obedientia tantopere probanda esset, sequeretur.

1. *Omnes* martyres & confessores sub V. T. inter eos Mosen scil. Jeremiam, Eliam, Zachariam filium Jojadæ, Michamam filium Jemla, aliosque Prophetas (*Matth. 23. v. 37.*), & sub N. T. Joh. Baptistam, Stephanum, Apostolos, & Ignatium, Justinum, Irenæum, Cyprianum, Chrysostomum, Athanasium, Hilarium, &c. aliosque innumeros usque in hunc diem virtute obedientię destitutos fuisse; quippe qui à superioribus prohibita omittere, præcepta implere detrectârunt.

2. *Non tantum* Pontifici juxta dictatum *Juris Canonici dist. 4. c. Si Papa*, etiam plaustra animarum secum ad gehennam ducenti, obloquendum non esse: sed nec ullis superioribus, imprimis ecclesiasticis, & inter eos κατ' ἐξοχὴν regularibus, ut e. gr. mundanis episcopis, Epicureis Abbatibus, Machiavellicis patribus Jesuitarum Rectoribus, professis, assistentibus. Quandoquidem & in illis ac eorum mandatis debent videre Christum ejusque mandatum.

3. *Etiam medicos* quosvis quamvis imperitissimos, quamvis Ethnicos Galenos, Muhammedicos Avicennas, Judæos Maymonidas in mandatis suis repræsentare Christum; iisque tanquam Christo in ipsis mandanti absolutè obediendum esse, usque ad nostri suffocationem? siquidem vivam obedientiæ imaginem, h. e. Ignatium, imitari velimus.

4. Ean-

4. Eandem aut æqualem obedientiam deberi superioribus, quæ Deo. Huic enim debetur obedientia absoluta, absque ullâ dubitatione, aut disceptatione, tanquam primæ ac perfectæ veritati & bonitati. Talem obedientiam ostendit Abraham *Gen.* 22. cum *Rom.* 4. Et si eadem aut æqualis obedientia præstanda superiori, quia Christum in eo videre debemus; sequitur eidem parem honorem, timorem, amorem simul deferendum. Qualis enim & quanta obedientia, talis & tantus honor, timor, amor. Atqui hoc absurdum.

5. In ordine ad superiores, præsertim regulares, eorumque mandata, omnes actus rectæ rationis, judicii practici, syntereseos, conscientiæ, consilii, prudentiæ, sapientiæ Theologicæ, Ethicæ, Politicæ & jurisprudentiæ, etiam canonisticæ, tantisper debere cessare; illisque substituendum solum illud asininum Pythagoreorum principium principiorum: αὐτὸς ἔφα.

6. *Regimen hominum non esse artem artium & scientiam scientiarum*; quod tamen docet experientia, & quævis scripta politica, etiam pseudo-politica Machiavellica. Nazianzenus autor celebris dicti modo citati in suo apologetico, hanc rationem adducit, quod homo sit *animantium omnium versutissimus & maximè varius.* Sed hæc ratio nulla est, siquidem qui regitur non differat à stipite, aut bruto, (saltem in actu secundo & in exercitio) & à superiori se agi ac duci sinat, quocunque voluerit, secundum Theologiam Ignatianam.

7. *Nihil* certi, nihil tuti fore in societate politicâ, ubi subditi aliqui juxta regulas hujus obedientiæ & votum à se emissum, duci aut agi se patiuntur à superioribus regularibus instar stipitis, canis, equi, &c. A quibus enim proditionibus, paricidiis, flagitiis perpetrandis per jus divinum, naturale, civile, per juramentum fidelitatis absterrebuntur; si modo superiores regulares aliter voluerint. Eos autem talia voluisse, & velle posse clamat experientia, & tot collectanea de Jesuitis publice edita: quorum aliqua supra indicavimus. Concludo decantato illo districho Æneę Sylvii, postea Papę Pii II.

Non audet stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachos, plenaque fraudis anus.

Paucula quæ restant cum problematis aliquot huic controversiæ affinibus sequenti parti reservamus.

DE COECA OBEDIENTIA PAPISTARUM.

PARS ALTERA.

Resp. JOHANNE de BRAEY, Sattwico Britanno. *19. Febr.* 1662.

Refutatâ obedientiâ Papisticâ, præsertim Monachali & Lojoliticâ; restant aliquot problemata ex iisdem hypothesibus & rationibus contra cœcitatem hanc allatis analogicè determinanda.

I. *Probl. An cuiquam homini viatori erroribus & peccatis obnoxio in omnibus, quæ mandaturus est, absoluta obedientia sit promittenda, deferenda, præstanda? Resp. Neg. Quia* malum, cujus prestationem præcipere posset, nullo modo est eligendum. Nec homo per mandatum quorumcunque hominum, etiam superiorum à peccato magis excusari potest, quam Adamus prætexendo culpæ suę: *Mulier quam dedisti, ut esset mecum, ipsa dedit mihi*, &c. Gen. 3. v. 12. Semper ergo universales seu indefinitæ promissiones & juramenta de obedientiâ hominibus præstandâ conditionem & exceptionem hanc sive expressam sive subintellectam habent & habere debent. *Si quidem factum mihi impositum Deo aut divinæ legi non repugnet.* Idque nititur duobus axiomatis, certissimæ veritatis principiis, quorum prius, *Non est enim homo, qui non peccet*, 1 Reg. 8. v. 46. *posterius, obedire oportet Deo magis, quam hominibus*, Actor. 5. v. 29. Rationes plures suppeditabit *seqq.* quæstionum particularium determinatio.

II. *Probl. An absolutâ & cœcâ in omnibus obedientiâ, obedire quis teneatur parentibus suis aut iis qui sunt loco parentum? Resp. Neg. quia* additur restrictio: Ephes. 6. v. 1. *Filii obedite parentibus vestris in domino.* Et Deut. 33. v. 9. laudatur Levita, *qui dicit patri suo, & matri suæ, non vidi eum, & fratres suos non agnovit, & filios suos non cognovit*, &c. Et Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem, & uxorem, & filios & fratres, & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Matth. 10. v. 37. *Qui diligit patrem & matrem supra me, non est me dignus.* Adde laudata exempla Abrahami, qui domum paternam deseruit in cultu idololatrico, & Timothei qui patri Gentili, & Jonathanis qui patri Sauli non obedivit.

III. *Probl. An talem obedientiam teneatur quis præstare præceptoribus? Resp. Neg.*

Neg. Laudatum est exemplum Pauli, qui conversus non obedivit Gamalieli & præceptoribus in Judaismo, contra Christum. Huc referri possunt exempla Nazianzeni & Basilii, qui præceptore usi Libanio Sophistâ, in defensione Gentilismi eum non sectabantur. Peccabant in excessu discipuli Pythagoræ, quibus τὸ αὐτὸς ἔφα demonstrationem præstabat. Sed in defectu peccant, qui cum vix ex tyrociniis theologiæ emerserunt, aut simulac sine cortice natare se posse putant, præceptorum suorum quævis dictata, bene & convenienter scripturis tradita, contemnunt & explodunt: eo ipso quod antehac tradita, & à se primum inventa aut dicta non sint: aut quod præsenti foro & mutatis rerum vicibus minus inserviant. Quales indoctos & instabiles, verbum Dei cauponantes, describi puto 2. *Petr.* 3. *v.* 16. & 2. *v.* 14. *Eph.* 4. *v.* 14. 2 *Cor.* 2. *v.* 17. & 3. *v.* 2. *Rom.* 16. *v.* 17. 18.

IV. *Probl. An possit eam præstare & promittere amicis ac necessariis? Resp. Neg.* Quia hic limitationes illæ addi aut subintelligi debent: *Amicus sed usque ad aras.* Et, *tuus omni officio, & in omnibus, quamdiu tu Dei.* Et hoc ostendit Paulus, cum Petro co-Apostolo resisteret in faciem *Galat.* 2.

V. *Probl. An superioribus regularibus? Resp. Neg. primo*, ob rationes supra *part.* 1. allatas, & huc applicandas. *Deinde*, quia non entis nulla est affectio. Tales votivi superiores non sunt, saltem non debent esse (uti in *quæst. de Monachatu*, alibi probatum est): consequenter, si non sunt, nulla obedientia illis debetur; nedum ut obedientia cœca aut absoluta deberetur.

VI. *Probl. An superioribus ecclesiasticis? Resp.* Superiores illi aut jure seu more humano ecclesiis & ministris ecclesiasticis præsunt, ut episcopi & archiepiscopi; aut jure divino, quales sigillatim considerati sunt cujusque ecclesiæ pastores, presbyteri, Doctores; & collectim presbyteria & synodi. De cœcâ obedientia *illis* præstandâ, absolute Neg. de conditionatâ & rationali obedientiâ, seu potius subjectione ac passivâ subordinatione, siquidem quod mandatur, non repugnet juri divino aut naturali, conceditur. Quia ita habet jus divinum Hebr. 13. v. 17. *obedite ductoribus vestris*, &c. Matth. 23. v. 3. *omnia quæ dixerint vobis, ut servetis*, &c. Peccant ergo in excessu laici (ita dicti), & clerici in Papatu, si qui fide implicitâ, & absolutâ, cœca obedientiâ subjiciunt se superioribus eccelesiasticis, & conciliis. Ab alterâ parte, in defectu peccant multi, qui reformatæ religionis professione hominibus magis student placere quam Deo, præsertim illi; qui plura domi vident, quam fideles tenuioris conditionis in hoc sæculo, quique hoc unicè verbis, consiliis, factis agere videntur, ne in quoquam adstudium bonæ conscientiæ & pru-

dentiam juſtorum maximè utili, præpoſitis ſuis obedire videantur: immo qui omni modo eos deprimere, infra viliſſimos terræ filios detrudere & omni autoritate ac poteſtate divinitus ipſis conceſsâ exuere ſatagunt; idque non pudet eos apertè profiteri, de eo gloriari, alios ad ſimile peccatum quaſi factâ conſpiratione incitare. Hinc eſt quod inſtar Jeroboami viliſſimos, hoc eſt ignariſſimos, ignaviſſimos promotos malint; quo iiſdem tantò facilius tanquam morionibus, aut mancipiis, aut famelicis paraſitis ſuis inequitare poſſint. Tales ſectatores Corah, Dathan, & Abiram, amandandi eſſent ad Deut. 33. v. 11. *Benedic domine ſubſtantiæ* ejus (Levi), &c. *transfige lumbos inimicorum ejus*, &c. Et ſententiam ſummi judicis, Matth. 10. v. 40. *Qui vos recipit, me recipit*, &c. Qui enim ſpernit legatum, ſpernit principem: jam vero paſtores legatione funguntur 2 *Cor.* 5. *v.* 20. ſunt miniſtri Chriſti & diſpenſatores, &c. 1 *Cor.* 4. *v.* 1. ſunt Angeli *Apoc.* 2. & 3. Serius aut citius vindicat Deus contemtum ſervorum ſuorum; non minus, ac David vindicabat ignominiam, quâ legati ipſius à rege Ammonitarum affecti erant 2 *Sam.* 10. *v.* 3. 5. 7. Vide plagas, quas Deus comminatur *Jerem.* 44. *v.* 27. 28. Judæis illis qui dixerant prophetæ ibid. v. 16. 17. *In verbo quod locutus es ad nos in nomine domini, haut paremus tibi. Sed faciendo faciemus omne verbum, quod egreſsum eſt de ore noſtro.* Quas vero plagas putabimus iis paratas, qui non modo audire & obedire nolunt, ſed inſuper legatis Dei ſilentium imponunt, aut illis regulas hoc aut illud prædicandi, aut non prædicandi præcribunt?

Prioris exemplum dabat Rex Amaſia 2 *Paral.* 25. *v.* 16. Quod certiſſimum ſignum perditionis illi fuiſſe ibid. *v.* 16. denuntiatur.

Poſterioris exempla dabat Rex Achab, qui Prophetas, etiam Micham non ſuſtinebat audire, niſi cum reſtrictione, ne mala illi prænuntiaret 1 *Reg.* 22. *v.* 8. Et Herodes, qui non renuebat audire Johannem Baptiſtam, ſed hâc cum reſtrictione, ne taxaret inceſtum, raptum, & adulterium ſuum, dicendo. *Non licet tibi habere eam, ſcil. uxorem fratris tui.* Matth. 14. v. 4. Et Judæi, qui à Jeremiæ Prophetia abſciſſam volebant taxationem peccati perfidiæ & violati fœderis, & ſuaſionem ut ſe dederent regi Chaldæorum. Exempla non pauca ſuppeditat hiſtoria eccleſiaſtica. Sic tempore Arrianorum frenum limitationis orthodoxæ confeſſioni & prædicationi juxta formulam eccleſiaſticè à *Concilio Niceno* decretam, & politica autoritate munitam ac confirmatam, ſpecie ac prætextu moderationis & pacis injicere conabantur. Tempore reformationis Carolus V. ꝛc. celebrato *Interim*, proteſtantium ac reformatorum confeſſionem, prædicationem, religionem circumſcriptam volebat. Remonſtrantium factio anno 1612. 1614. 1617. brachio ſeculari abuſa ſimili limitatione, contra omnem Ordinem eccleſiaſticum,

sticum, ecclesias cum orthodoxis ministris vexabat & premebat: sed quo eventu & quo bono suo, dies postea docuit. Sed de his forte alibi. Interim expendatur, plerumque eo quem puniri, quo peccavit, & ut spoliari ab aliis, qui alios spoliavit *Jesa.* 33. *v.* 1. ita peccata peccatis puniendo; & permisso scelere rebellionis, seditionis, &c. à domesticis aut subditis perpetrando ulciscitur rebellionem sacram, & contemtum præpositorum seu ductorum in ecclesiâ. *Quâ enim mensurâ metimini, contra metietur vobis* Math. 7. Hæc lex talionis divinæ, quam agnoscebat Adonibezek *Jud.* 1. *v.* 7. & docent tragica exempla regum Cananeorum, de quibus Ps. 105. v. 14. *corripuit propter eos reges. Ne tangatis unctos meos, & Prophetis meis ne male faciatis*; Et exempla regum Joas 2 *Paral.* 24. *v.* 25. cum 2 *Reg.* 12. *v.* 21. 22. Nadab 1 *Reg.* 15. *v.* 27. Ela 1 *Reg.* 16. *v.* 9. Zimri ibid. *vers.* 18. 19. Idem Deus qui præcepit, *obedite parentibus vestris* Ephes. 6. v. 1. &, *Omnis anima potestatibus præcellentibus subdita sit* Rom. 13. v. 1. etiam præcepit, *Obedite ductoribus vestris*, &c. Hebr. 13. v. 17. additis ibidem gravissimis hujus præcepti rationibus. Idem præscripsit 1 Thessal. 5. v. 12. 13. Ut agnoscant *eos qui laborant inter* ipsos, & *qui præsunt* ipsis *in domino*, & *admonent* eos, *ut habeant illos in existimatione per charitatem propter opus illorum*, &c. Uti nubes judiciorum Dei & exemplorum tragicorum ex omni ævo cogi potest contra rebellionem in parentes, dominos, Magistratus: ita etiam non minor, sed forte major contra rebellionem in legatos & ministros Christi.

VII. *Probl. Si antecessores ecclesiastici etiam coëuntes in synodum, contra Dei præceptum quid imponant, quid tali in casu agendum? Resp.* 1. *Concl.* Si quid imponitur tibi dicendum, aut faciendum, aut promittendum sive vivâ voce sive scripto, forte etiam interposito juramento, contra doctrinam, seu contra dogmata fidei aut morum: resistendum est negativè, dicendo, non faciam, aut *nolo*, aut *absit ut hoc faciam*, aut *non possum per conscientiam*: Sive synedria, sive concilia, sive comitia politica, sive reges & principes hoc imponant. Perpetua & invicta est regula, *obediendum esse Deo magis quam hominibus.* Pone e. gr. casum, si synodus aliqua doctrinam de præsentiâ & manducatione Christi corporali in cœnâ, aut de peccato aleæ, chorearum & ballettarum, profanationis Sabbathi, tanquam non-peccata & adiaphora profitenda & prædicanda ministris aut ministro alicui imponeret, aut receptionem scandalosi & impœnitentis peccatoris (e. gr. sacrilegi, peculatoris, blasphemi, concubinarii, usurarii manifesti) ad cœnæ communionem mandaret: an parendum? Minimè. *Nihil enim possumus contra veritatem* 2 Cor. 13. v. 8. Et inhærendum aureo & pervulgato illi dicto Panormitani (quod alii etiam Gersoni attribuunt.) Potius credendum esse uni laico veritatem dicenti cum Euangelio, quam toti concilio contra Euangelium determinan-

ti. Ita orthodoxi tempore Arrianorum decretis & actis concilii Tyrii, Syrmiensis, Antiocheni, Seleucienſis, &c. non obtemperârunt. Vide Antagoniſtas Papatus, in controverſiis, de Conciliis, & de judicecontroverſiarum. Quod ad receptionem ad cœnam, imitanda eſt fortitudo Ambroſii, qui Imperatorem Theodoſium à communione arcebat; & Calvini, qui, teſte *Bezâ in ejus vitâ*, cum quidam ſcandaloſus à Magiſtratu obtinuerat decretum de admiſſione ſui ad cœnam, pro concione proteſtabatur, ſe potius paſſurum ut dextera abſcinderetur, quam ut eâ panem indigno illi porrigeret.

2. *Concl.* An vero errore aliquo in dogmatis ab anteceſſoribus, ſive ſeorſim ſive collectim ſynodaliter aut potioribus ſuffragiis recepto & publicè impoſito, à talibus eccleſiis privato cuilibet fideli ſecedentium, aut ſaltem miniſtro miniſterium deſerendum, ſiquidem libertas publicè privatimque veritatem profitendi plane ademta non ſit, alibi ex profeſſo diſquiritur, in quæſtionibus de moderatione, tolerantia, ſyncretiſmo, ſeceſſione.

3. *Concl.* Silentium veritatis aut dogmatis, quamvis non κανονικὸν & fundamentalis, verbis, aut nutu, aut ſubſignatione, aut juramento promittere non licet: quamvis eccleſiæ aut integræ ſynodi in errorem pertractæ, hoc decernerent. Aliud eſt ſimplicem veritatem textu & occaſione ita ferente proponere: & aliud, oppoſitum errorem & ἀναλόγως ἐλέγχειν. Rurſum aliud eſt ſubinde & aliquo καιρῷ liberè & prudenter abſque ullo præjudicio ædificationis abſtinere ab errore, aut peccato in theſi aut hypotheſi taxando: & aliud perpetuum ſilentium promittere, præſertim ſolemni ſubſcriptione. Illud per prudentiam juſtorum aliquando licitum eſt: iſtud nunquam.

4. *Concl.* Quod ad rituum obſervationem, ſiquidem abſolutè aut certo reſpectu ſint adiaphori, quamvis nos malimus eos abeſſe, & in conſcientiâ ſentiamus eos nullum majus momentum ad eccleſiæ in fide & pietate ædificationem allaturos, poteſt quis conſcientiâ manente liberâ, ordini ſine neceſſitate ſtatuto ſe ſubjicere, eumque obſervare potius; quam ſtationem in eccleſiâ deſerere, aut ſciſmati occaſionem dare. Sed ſi ritus ſpeciem mali habeant, aut ſymbolizent cum ſuperſtitione; nemo, quidquid urgeant inſpectores eccleſiarum & ſynodi, eos obſervando contra conſcientiam parere debet. Ex. gr. Imponantur ritus exorciſmi, genuflexionis ad conſpectum menſæ, & ſi qui ſint ejuſdem commatis. Minime omnium licet obſervationem eorundem ſeu conformitatem (uti appellant) ſubſcriptione aut juramento promittere. Quo tamen nolumus dicere, privato fideli ab eccleſiæ illius communione, in quâ hactenus perſtitit, aut miniſtro à functione miniſterii in illâ eccleſiâ diſcedendum: ſi quidem & quamdiu illi liceat immuni eſſe à rituum illorum obſervatione.

5.

5. *Concl.* Quod ad regimen aut modum regiminis, e. gr. hierarchicum, quod quis ex sacris literis convictus est, non esse juris divini, sed eidem repugnare: non potest huc usque ei obedire, ut approbet; aut ut subscriptione aut juramento promittat, se nec directè nec indirectè, nec publicè nec privatim quidquam facturum ad illius regiminis reformationem, sed contra omnia fideliter contributurum ad ejusdem stabiliendi aut jam stabiliti conservationem. Nihil agendum contra conscientiam Dei. Licitum tamen est; ut fideles in communione talis ecclesiæ viventes tantisper ministerio orthodoxorum ministrorum utantur, & ἤττημα illud tolerent, quod tolli non potest. Præstat enim veram ecclesiam (quod ad dogmatum veritatem,) & exercitia pietatis in communione ejus habere, quam nulla. Ab alterâ parte non culpandum, si quis, absque schismate, ad ecclesiam in regimine & disciplinâ puriorem & magis reformatam transeat. Quod colligi posse videtur ex Philipp. 4. v. 8. *Quod reliquum est fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia,* &c. De ministris difficilior est quæstio.

An tali in casu relictâ sibi conscientiæ & necessariæ ac prudentis professionis libertate, matrem ecclesiam nationalem aut provincialem, & propriam suam fidei suæ commissam, potius deserere debeant, quam regimini illi obedientiâ tolerantiæ, donec Deus meliora, se subjicere. Ego inclinarem in Neg. præsertim si metuendum sit, post discessum fidelium ministrorum, lupos aut mercenarios ingressuros; aut per pontem regiminis ac rituum ex Papatu relictorum heterodoxa dogmata cum tempore sensim sine sensu traducenda: uti in antiquæ ecclesiæ, & aliquarum orthodoxarum post reformationem prolapsu, experientia docuit. Vix enim immoderata contentio pro ceremoniis, aut pro regimine nunc possidente subsistit in parvo illo hiatu inter istam & alias ecclesias firmato.

Objicitur à Pontificiis pro autoritate conciliorum, Papæ, Episcoporum, capitulorum, aliorumque, si qui sunt, clericorum gubernantium, *Deuter.* 17. *v.* 10. *Hebr.* 13. *v.* 17. *Matth.* 10. *v.* 14. & 18. *v.* 17. & 23. *v.* 2. *Malach.* 2. *v.* 7. *Resp.* sed abunde à nostris in controversiis de fide implicita, de Papâ, de Conciliis, &c. ex collatis locis scripturæ, *Matth.* 15. *v.* 14. & 16. *v.* 6. *Malach.* 2. *v.* 8. *Hos.* 2. *v.* 1. &c. ostensum est, absolutam & cœcam obedientiam, pastoribus & doctoribus minime deberi: ne quidem θεοπνεύστοις stultam cœcitatem deberi, tum in exemplis faciendorum, tum in doctrinâ credendorum. De illis vide 1 *Cor.* 11. *v.* 1. coll. cum *Philipp.* 3. *v.* 12. 13. & exemplum Petri *Galat.* 2. *v.* 14. & mala exempla Prophetarum Abrahami, Jacobi, Mosis, Davidis, Salomonis. De istâ vide 1 *Cor.* 10. *v.* 16. 1 *Thessal.* 5. *v.* 21. *Actor.* 17. *v.* 21.

VIII.

VIII. *Probl. An servis, subditis, munerariis, inferioribus, Magistratibus & judicibus, absque limitatione statuere convenit, Deum superioribus suis imperii autoritatem dedisse, solius obsequii gloriâ sibi relicta? Resp. Neg.* servilem enim hæc nimis assentationem, & hyperbolicam humilitatis speciem præ se ferre, ac cum refutatâ à nobis cœcâ absolutâque obedientiâ haut obscurè videntur συμβολίζειν. Quoscunque illud dedeceat, maximè omnium eos, qui audiunt antecessores, ductores, patres, dispensatores, legati Christi, à quorum ore lex postulanda est. Neque enim officia pietatis, & caritatis erga Deum & proximum ob arbitrium aut mandatum aut postulatum honoratorum, fautorum, amicorum, optimatum, Magistratuum omittenda; nec quidquam scandalosi, periculosi, sanctæ vocationi indecori committendum, dum illis parere & placere studemus. Josephus non credebat *solius obsequii gloriam sibi relictam* respectu heræ suæ *Gen. 39. v. 9.* nec satellites Saulis respectu Regis sui *1 Sam. 22. v. 17.* Nec Apostoli respectu sanhedrim seu concilii *Actor. 5. v. 21. 29.* Nec antiqui Christiani usque ad Constantinum respectu Imperatorum, Senatus, proconsulum; nec Waldenses respectu regum Galliæ, nec Hussitæ respectu Regum Bohemiæ, nec ulli reformati ministri respectu Imperatoris Caroli V. Philippi II. Belgarum tunc principis, &c. Quin contra viris Dei in rebus ad religionem, doctrinam fidei & morum, conscientiarum dextram informationem, ecclesiarum ædificationem, scandalorum præventionem, veritatis confessionem, ejusdemque opportunam & necessariam apologiam, disciplinæ ecclesiasticę administrationem concernentibus, competit antecessores agere, Christi nomine mandata divina proponere, explicare, denuntiare, clavi scientiæ & regni cœlorum sibi servatâ, relictâ omnibus aliis, etiam optimatibus etiam magnatibus in hoc mundo, obedientię & obsequii gloriâ juxta Hebr. 13. v. 17. *Obedite ductoribus vestris & obsecundate: excubant enim ipsi pro animabus vestri* 2 Cor. 10. v. 4. 5. *Arma enim militiæ nostræ*, &c. *ratiocinationes evertendo, omnemque sublimitatem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei; & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo.* Quod si hujus obsequii gloriæ portionem aliquam Gnatonibus applicare quis dignaretur, ilico cogitaret de hujus præsumti axiomatis restrictione.

IX. *Probl. An absoluta & cœca obedientia debeatur quibusvis principibus, & superioribus, sive potestatem illam usurpantibus, sive eâ tyrannicè abutentibus; quales e. gr. Nero, Domitianus*, &c. *Resp.* De cœcâ & absolutâ, Neg. ex regulâ *Actor. 5.* laudatis exemplis *Danielis* 3. & 6. Sed de limitatâ & conditionatâ conceditur: Quandoquidem privatus fidelis & civis (qualis inter alios ecclesiæ minister in Republicâ;) quamvis in ecclesiâ publicus antecessor

ceſſor & præfectus) poteſtatem politicam, aut judicium publicum ſibi non ſumit: ſed utitur poteſtate & potentiâ, quæ publicè & cum victoriâ obtinet; ab eâ defenſionem contra injurias quorumcunque, & judicium contra litigantes & adverſarios neceſſario petit & exſpectat, ita ferente occaſione. Quamvis enim ipſe privato ſuo judicio coram Deo in conſcieniâ ſtatuat, aliquem uſurpare & tyrannicè vindicare poteſtatem minimè ſibi competentem, & injuriâ tum principes aut proceres, tum populum & totam Rempublicam afficere: quia tamen Deus ipſum non conſtituit judicem in foro ſoli, qui publico & anteceſſorio judicio hoc determinet; tutiſſimè neutralem & ἀπρόγμονα ſe præſtat, potentiæ vincenti locum dat, poteſtatem in tali perſonâ nunc locatam agnoſcit, uſum & executionem poteſtatis videt, tolerat, admittit: ſalvis & relictis ſuis cuique juribus.

X. *Probl. An contra eccleſiæ canones ſanctione cenſurarum munitos, aut contra magiſtratus leges pœnales unquam in foro conſcientiæ quidquam committere, aut omittere liceat? Reſp. Aff.* Hic præmittendæ definitiones legis humanæ, pœnæ, & legis pœnalis. *Lex humana eſt recta voluntas ejus, qui vicem populi gerit, voce aut ſcripto promulgata, cum intentione obligandi ſubditos ad parendum illi.* Pœna *eſt paſſio inferens nocumentum illam ſuſtinenti, aut ſaltem apta ad inferendum, niſi aliunde inferatur, inflicta & contracta propter peccatum præteritum.* Lex pœnalis *eſt lex, quæ ſtatuit pœnam alicui infligendam propter culpam commiſſam.* Has definitiones fusè explicuit & vindicavit, collatis ſcholaſticorum opinionibus & rationibus, *Alphonſus à Caſtro* Minorita *in tract. de poteſtate legis pœnalis anno* 1550. *edito lib.* 1. *capp.* 1. 2. 3.

His præmiſſis ſententiam noſtram explicamus *ſeqq.* concluſionibus.

1. *Concl.* Ex probatis exemplis omnium confeſſorum & martyrum tum in ſcripturâ tum in hiſtoriâ eccleſiaſticâ memoratorum conſtat potuiſſe fideles, immo debuiſſe in negotio religionis leges pœnales Imperatorum, Regum, Principum, judicum, ad hæc Pontificum, conciliorum, præfectorum eccleſiaſticorum tranſgredi. *Lex pœnalis prohibens* erat, ne quis Chriſtum confiteretur, ſub pœna ἀποσυναγωγίας. *Joh.* 9. *v.* 22. ſic interdictum fuit Apoſtolis, ne Chriſtum prędicarent: cui illi apertè reſtiterunt, reſiſtentia ſcil. negativa, *Actor.* 5. *v.* 28. 29. Et omnibus ſubditis monarchiæ Perſicę, inter eos etiam Danieli, interdicta fuit ad tempus petitio ab ullo, &c. ſub pœna injectionis in caveam leonum: cui Daniel ipſo facto ſuo volens ſciens reſtitit, *Daniel.* 6. *v.* 8. 11. *Lex pœnalis præcipiens* erat, ut omnes adorarent imaginem, ſub pœnâ injectionis in caminum ignis *Dan.* 3. *v.* 6. cui ſe reſiſtentiâ negativâ oppoſuerunt ſocii Danielis dicendo v. 18. *notum ſit tibi, ô Rex, nos Deos tuos non honoraturos, nec auream ſtatuam,*

quam erexisti, adoraturos. Adde nunc resistentiam negativam omnium, quotquot unquam Deum & conscientiam potius, quam impios aut iniquas leges, ductus, decreta, judicia hominum peccatorum, suo quocunque periculo & damno, sequi voluerunt. Longum esset recensere praxim ecclesiæ Apostolicæ, & antiquæ post Apostolicam usque ad Constantinum; & inde per tempora Arrianorum, Antichristi Romani surgentis, inthronizati, in ἀκμῇ constituti, usque ad pertendentem reformationem; inde rursum vexatæ per *Interim* adultero-Germanicum, per edicta & executiones in territoriis Imperii Germanici, Regum Galliæ, Hispanię, Principum Belgarum, &c. usque in hunc diem. Ut nihil nunc dicam de ecclesiis magis minusve clandestinis in Belgio fœderato, præsertim in Hollandiâ, quæ turbis Remonstranticis compulsæ segreges cœtus ad exercitia religionis orthodoxæ instituebant: non obstantibus decretis & edictis Magistratuum. Adeo ut plus quam stupidi buccones, aut orthodoxę religionis ac veræ pietatis hostes sint, qui indefinitè & in genere, causę examine posthabito, contra viros nunquam auditos, forte nec visos, quos venenatæ linguę spiculis & famosis libellis ex latibulis suis petunt, rebelliones, perduelliones, seditiones, contemtus autoritatis publicæ (& cur non crimina lęsæ utriusque majestatis) crepare consueverunt. Sic olim solent Remonstrantes, cum ministri orthodoxæ & ex scripturis receptę doctrinæ inhærentes, Ordinum Hollandiæ decreto sanctione pœnali armato (cujus ant-ambulonem agebat ordo ecclesiasticus Ultrajectinus anno 1612.) a. 1614. & 1617. subscribere detrectarent. Moribus scil. antiquis res stat Romana, Libertinica, Sceptica, Epicureo-Athea, ventriloqua: ita catachresticè loqui liceat. Certe Hadrianus VI. cum principes ad exscindendam pestem Lutheranam per nuntium suum & literas animaret distinctione aliqua adhibitâ, agnoscebat *æquum esse, ut Lutherus* ante *audiatur in rebus facti, an concionatus sit, an hoc aut illud scripserit, nec ne. In rebus vero fidei, ac materiâ sacramentorum, id non esse consentaneum, quod dogmata generalium conciliorum & ecclesiæ autoritate semel approbata, nunquam sint revocanda in dubium.* Ex histor. Concil. Trident. lib. 1. pag. 23. edit. secundæ in 4. Qui sane civili honestate, & humanâ prudentiâ atque æquitate longè superabat aliquos quamvis externâ professione reformatos, qui *in rebus facti* ne semel quidem audiunt, nec audire volunt pios & fideles suos Doctores ac patres spirituales. An scil. *hoc illudve concionati sint*, &c. Sed delationibus & susurris improbi alicujus hominis, aut propriis suis phantasmatis, aut ἀκρίσεις, &c. stupidis suis auditibus atque intellectionibus confisi peremptoriè condemnant & ejiciunt. Ita ut requisitis qualificationibus testium ac testimoniorum, & auditioni alterius partis, & interpretationi propriorum verborum nullus in cœco & Cyclopico tali processu locus sit futurus.

2.

2. *Concl.* Lege pœnali principum immediatè, primò & antecedenter præscribenti externum ordinem in religione, nemo in conscientia coram Deo seu in foro poli obedire tenetur: ita ut, quod alibi vulgò perperam usurpatur, hic rectè usurpari possit: si possim contra facere aut omittere sine damno, potero facere aut omittere sine peccato. Ratio generalis est, quia non sunt principi datæ claves regni cœlorum, claves, tam doctrinæ, quam regiminis & disciplinæ. Quod si materia legis sit erronea, aut periculosa, aut scandalosa, aut frivola (quamvis dicatur adiaphora): tanto minus conscientia nostra obligaretur. Non possumus non hic prœmonere juniores contra horridam illam dissertationem viri alioquin eruditissimi *Joh. Cameronis*, *tom.* 1. *pag.* 370. 372. & *tom.* 2. *pag.* 41. ubi ait principes posse pro autoritate in talibus statuere; & prohibere petitionem ullius rationis, præter majestatem suæ autoritatis. Et si dura, frivola, iniqua respectu nostri mandaret, conscientias tamen nostras illis mandatis obligari. Sed hunc Cæsareo-Papatum, ad modulum Canonistarum efformatum, (*c. Si Papa dist.* 40.) indoctè, imprudenter, injustè Principibus tributum, alibi ex professo ad regulam verbi divini examinatur.

3. *Concl.* In negotiis ad vitam communem spectantibus nemo in foro conscientiæ obligatur ad observationem legis purè pœnalis: e. gr. ut quis ex civibus electus ad munus aliquod onerosum illud suscipiat, aut summam e.gr. 50. 70. 100. flor. &c. in publicum usum pendat. Et tales sunt leges analogicę seu conventionales omnium collegiorum & statutorum conventuum quæ multam absentibus, aut serò venientibus imponunt. Tales enim leges pœnales per se & ordinariè secundum intentionem legislatoris obligant tantum ad pœnam, & non ad culpam. Sed cum lex pœnalis est mixta e. gr. ut mercium illarum aut istarum importatio, aut venditio, item bonorum immobilium emtio, constituti vectigalis publici exsolutio sub pœnâ, &c. jam tenetur quis in foro poli eam servare; quia obligat non tantum ad pœnam, sed etiam ad culpam: ita ut non tantum metu pœnæ cogantur subditi ad officium. Ratio ejus est, quia ante obligati erant lege aliquâ priori, divinâ scil. aut naturali *Rom.* 13. *v.* 6. 7. *Propter hoc enim etiam tributa solvitis*, &c. *Reddite igitur omnibus, quod debetis, cui tributum*, &c. Obligari dico conscientiam per legem illam humanam; non per se & vi propriâ illius legis; sed per aliud, vi scil. obligationis præcedaneę ex anterioris alicujus legis præceptione enatæ. Hæc ita determinata convenire puto cum iis, quæ strictim attinguntur ab *Amesio in Casibus*, & pluribus ac distinctè explicantur à *Sanderſono* Theologo Oxoniensi *in prælectionibus de Obligatione conscientiæ*, *lect.* 8. Quę faciunt, ut sobriè philosophantes & ad alia festinantes prolixis illis Canonistarum & Scholasticorum (inter quos *Zwarez*

lib. 5. de legibus cap. 3. - 13. & Alphonsus à Castro tract. peculiari de potestate legis pœnalis anno 1568. denuo recognito & Antwerpiæ apud hæredes Joh. Stelsii in 8. excuso) disceptationibus tantisper carere queant. Sed addenda est circa casus tolerandi, & patiendi, determinatio. Sit ergo.

4. *Concl.* Leges pœnales, decreta, judicia, latæ sententiæ, præcepta, prohibitiones quæ iniqua sunt, in conscientiâ non obligant; quidquid autores eorum intenderint aut non intenderint: quia vi obligationis præcedaneę ex anterioris alicujus legis divinæ, aut naturalis, aut etiam civilis pręceptione enatæ, ad culpam obligare non possunt. e.gr. aliquis Christianus ob fidem Christi secundum edicta Imperatorum aut Senatus Romani, deportatus est in insulam, aut missus in exilium, aut prohibitus domo aut civitate exire, aut damnatus ad metalla; aut ad perpetuos carceres: edicto illi pœnali, aut latæ sententiæ, aut prohibitioni, propriè obedientiam in conscientiâ nec præstat nec debet præstare Christianus (quin contra eam ex lege divinâ condemnat, vituperat, detestatur): sed tantum tolerando, cum aliter non possit pręstat *subjectionem* ὑποταγήν, Phrasis hæc occurrit. *Rom. 13. v. 1. 1 Petr. 2. v. 13.* Ob metum ergo majoris mali pœnalis, patienter se subjicit iniquitati, injurię, damno ab iniquis illato, tolerat in domino, quod tolli non potest: breviter habet se purè passivè, non activè, & consquenter in conscientiâ non obedit (obedientia est actio, & obedire est agere): quod ad damnum, injuriam, injustitiam, & quod ad superiorem & judicem potestate suâ injustè hic & nunc abutentem. Quin contra, positis ponendis, quamvis non cesset precari pro illis, ut Deus eos convertat, potest nihilominus precari contra illos, ut Deus eos confundat *Psal.* 35. & 68. & 55. &c. immo potest in conscientia dicere eum Psal. 139. v. 21. 22. *Nonne odio habentes te odio habebo*, &c. *perfecto odio odi illos* &c. Et ne quis imperitus δικησιοφῶν excipiat, Hoc dictum & factum Davidis non convenire quibusvis fidelibus; indico conferendum Psal. 15. v. 1. *Domine quis commorabitur in tabernaculo tuo*, &c. *malignus*, vel *rejectus* (reprobatus) *in oculis ejus contemtus est.* Interim sine peccato à talibus iniquis legibus, interdictis, sententiis, executionibus expedire, iisque se subducere potest, si modo sine majori damno.

Detur & alius casus, ubi tyrannus, aut prędo quis usurpans exercitu suo terram invadit, & edicto pœnali prohibet discessum aut fugam incolarum, ut eorum operâ in curando commeatu & perpetuo victu harpyis illis dapinando, in fossis fodiendis, in vallis exstruendis, in oppugnandis concivibus & amicis suis uti queat: quis quęso culparet, fugâ contra legem pœnalem sibi consulentes? Ponatur & alius casus: Belgæ tempore præfecturæ ducis Albani proscripti aut exilio multati, Lutherus à Carolo V.

in

in comitiis Wormatiensibus proscriptus, non tenebantur in conscientiâ iniquę illi proscriptioni obedire, nec executionem ejus in se perpetuare. Belgæ illi datâ occasione subinde excurrere ad suos, aut meliori spe affulgente redire poterant; quod & fecerunt: immo non obstantibus edictis Philippi Belgarum Principis prohibitos conventus & prohibita sacra clam celebrârunt, quandocunque poterant. Lutherus, non obstante proscriptione, pedem ex Germaniâ non movebat; quin vix exactis septem mensibus, ad ministeria in ecclesiâ & scholâ Wittebergensi redibat. Quis eum propterea inobedientiæ & rebellionis in foro conscientiæ accusabit? nisi Christo & Apostolis, eandem culpam aspergere velit. Detur & hic casus: Anno 1612. 1614. 1617. in hâc & Hollandicâ provinciâ per Remonstranticum ordinem, & decretum Cæsareo-Papale (utor termino *Lutheri*) restringebantur conciones concionatorum, ne totum consilium Dei *Actor.* 20. *vers.* 20.) ex scripturis proponerent: & aliqui per imperitiam aut infirmitatem volentes nolentes jam se submiserant. At Capys & quorum melior sententia menti, strenuè & constanter renuebant, causantes aut Danaos (Remonstrantes) occultari hoc ligno, aut aliquem latere errorem. Vide dum scriptum anonymi, decreto Ordinum Hollandiæ pro pace ecclesiarum oppositum, & autoritatibus scripturæ, patrum, confessionum, reformatorum theologorum munitum. Jam quęro an melioris sententiæ ministros, aut cereos & immoderatè moderatos miserè tunc circumventos, tanquam bonæ conscientiæ securos condemnandos putarent; si *illi* antiquum obtinentes, *isti* ex cespitatione & lapsu denuò surgentes, conciones suas ex verbo Dei ultra limites dictis decretis superiorum præfixos extendissent? Non arbitror. Ponatur & hic casus: postremis annis belli Belgici, ab hostibus Hispanicis salvi conductus concedebantur non tantum civibus privatis, sed & optimatibus, prętoribus, & quibusvis civitatum rectoribus, immo & nonnullis concionatoribus (inter quos & ego), hâc tamen conditione & clausulâ, *Ne quid agerent contra servitium Regis Hispaniarum*, qui & Princeps Belgarum. An quis sanus crederet, conscientiam illorum qui fœderato Belgio juramento fidelitatis tanquam cives, & quod majus est, tanquam Rectores obstricti erant, non potuisse permittere, ut si stratagemata, aut insidiæ in civitatis suæ, aut Provinciæ, aut fœderati Belgii pernitiem ipsis innotuissent, ea maturè aperirent, & quidem contra servitium Regis Hispaniæ. Quis crederet, me & alium quemcunque concionatorum salvo conductu gaudentem, suo periculo collegas, Magistratus, concives suos salvo conductu destitutos, absque peccato in foro poli, de intentato aut imminente à copiis Hispanicis periculo non potuisse præmonere? Bonâ conscientiâ imbri, procellæ, incendio, morbo, de-

prædationi, quis se subducere potest, & alios monere ut se subducant; nec tenetur malis illis sponte se induere, aut dutius tolerare, cum tolli possunt. *Quomodo sterilitas & imbres, & cætera naturæ mala, ita luxus vel avaritia dominantium toleranda.* Ita *Grotius in notis ad Rom.* 13. *v.* 3. *Beza in notis ibid. ad vers.* 5. monet τὸ *oportet subjici* intelligendum esse additâ exceptione, *usque ad aras:* valere enim illud Apostolicum, *præstat obedire Deo*, &c. Ibidem distinguit inter vim intentare Magistratui impia præcipienti, vel iniqua etiam per subjectos exequi volenti; & inter non obsequi. Istud, inquit *nobis faciendum est*; illud vero nefas est: homini scil. privato. Superioribus ergo obedientia debetur, vel agendo omnia si modo Deo & legi divinæ non repugnent: vel si repugnent, negativè exemplo sociorum Danielis (*Dan.* 3.) resistendo: vel si ab aliis fiant, & tu tantum malum triste patiaris simpliciter tolerando, quamdiu tolli non possunt; sic tamen ne fuga, aliaque licita media, quibus à malis illis liberari possemus, prohibita intelligantur. Obedire debemus superioribus, eosdem revereri, amare, honorare, quamvis Nabales, duros, iniquos, impios (*1 Petr.* 2. *v.* 18.); non tamen quâ tales, quales seipsos fecerunt; sed quâ superiores, quales Deus ipsos fecit. Obedimus ergo ordini divinitus constituto: non ἀξίᾳ, non abusui, non vitio hominum: quod contra damnamus, odio habemus, contemnimus, & nudè toleramus; non ipso facto tollimus: quia potestatis & vocationis nostræ non est illud è medio tollere. Nec tamen directè aut indirectè iniquis decretis eorumque executionibus in se aut in aliis cooperari debent fideles; iis scil. subscribendo, ad eorum observationem se obligando, aut iniquæ pœnæ executionem in se aut in aliis continuando; siquidem honestis & licitis abrumpere possint.

DE MAGISTRATU POLITICO.

Resp. THEODORO VERHOEVEN, Amisfurtio-Traj. 4. *Julii* 1635.

In Theologia agendum esse de Magistratu constat ex commentatoribus ad Scripturam imprimis in libros Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, in Proverbia, & Rom. 13. &c. *præterea ex omnibus locor. commun. scriptorib. ex* Harmoniâ Confession. artic. 12. *&* Confession. Belgic. artic. 36. *Quorum omnium vestigiis insistentes breviter istis aphorismis sententiam nostram pro more Scholarum publico examini subjicimus.*

§. 1. POtestas Magistratus à Deo constituta, per se bona ac legitima est, ita ut bonâ conscientiâ quis eâ defungi possit, etiam in Novo Testamento *Rom.* 13. 1. 2. 3. 4. 5. *Johan.* 19. 38. cum *Jesa.* 49. 22. &

& 60. 2. 3. Rejicimus ergo opinionem Anabaptiſtarum huic veritati adverſantem, quidquid nunc incruſtent in Confeſſ. ſuâ, anno 1618. ejuſque uberiori declaratione per *Cl. Cl.*, id eſt, *Nicolaum Nicolai, art.* 21.

Poteſtas illa immediatè à Deo eſt, & conſequenter ab aliâ poteſtate aut §. 2.
ordine in hoc mundo independens *Prov.* 8. 15. *Pſal.* 82. 6. 1 *Sam.* 24. 7.

Rejicimus Canoniſtas & Theologos Papales, quorum illi directè, iſti indirectè ab Eccleſiâ aut Papâ poteſtatem illam derivant ac ſuſpendunt. Bonifac. VIII. *Extravag. de Major. & obed. c.* 1. *Epiſt. Gregor.* IX. *apud Baron. Tom.* XI. *ad an.* 1053. *n.* 14. *Bellarmin. lib.* 5. *de Pontif. c.* 6. 7. *Cardinal. Perronus in Oratione à Jacobo Mag. Britann. Rege refutatâ.*

Poteſtas hæc quamvis maxima ſit inter humanas *Rom.* 13. 1. non tamen §. 3.
eſt abſoluta, ſed limitata à voluntate Dei, cujus eſt miniſter *Deuter.* 17. 18. *Rom.* 13. 4. 2 *Paral.* 19. 6. *Pſal.* 82. 6. 7. etiam in regnis, &c. principatibus pactionatis, à voluntate hominum, declaratà ſcil. conditionibus & legibus Reipublicæ fundamentalibus, in quibus Imperii poteſtas fundatur. 2 *Sam.* 5. 3. An autem illimitata & abſoluta poteſtas in primâ Reipublicæ conſtitutione Magiſtratui Monarchico ſemper committatur aut committi debeat, nos hic non diſputamus: ſufficit nobis, certum eſſe Principibus Belgarum talem nunquam fuiſſe tributam; & conſequenter bellum Belgicum & præſentem Reipubl. noſtræ ſtatum, accedentibus cauſis legitimis, ab injuſtitiâ, & rebellione poſſe vindicari. Porro de hâc quæſtione vide ex noſtris *Melanthonem in loc. comm. & Althuſium in Politicâ cap.* 9. 18. 19. 24. 30. 37. 38. Et *Magdeburgenſes in tract. de Jure Magiſtratus in ſubditos. Aretium in problemat. Martyr. in Judic.* 3. *Pareum in Rom.* 13. ejuſdemque filium *Philippum Pareum in vindiciis propoſitionum paternarum de poteſtat. politicâ & eccleſiaſticâ* anno 1633. Ex Pontificiis *Zwarez in defenſ. fid. Cathol. lib.* 3. *c.* 3. Et Cardinalem *Fr. Zabarellis in tract. de ſciſmate* v. 26. *Ficklerum* JC. cujus peculiaris de hâc quæſtione tract. à theologis Ingolſtadienſibus approbatus eſt, idemque laudatus à *Joh. Molano lib.* 4. *de fide hæreticis ſervandâ cap.* 12.

Poteſtas hęc ad judicia capitalia, ad bella tum offenſiva tum defenſiva ſe §. 4.
extendit, etiam ſub Novo Teſtamento *Rom.* 13. 5. *Luc.* 3. 14. *Actor.* 10. 22. 1. 2. 3. & 23. 12. *Math.* 8. 13. 11. 12. cum *Jeſa.* 49. 22. & *Geneſ.* 9. 6. *Num.* 35. 31. 32. Sunt autem legitima bella quæ à legitimo Magiſtratu juſtis de cauſis ad pacem Reipubl. ſuſcepta, cum juſtitiâ & æquitate, adhibito omni moderamine adminiſtrantur.

Rejicimus *primò* cum Marcionitis & Anabaptiſtis Socinianos, qui negant bella gerenda, aut ſanguinis effuſione in facinoroſos animadvertendum. *Oſtorod. Inſtitut. c.* 28. *n.* 2. 3. 4. Adde *Smalcium* contra *Franzium*,

&

& *Socinum contra Paleologum*, & in epistolis *epist. ad Eliam Arcißevium pag.* 437. Quamvis subinde tergiversentur, etiam pro illis laborent Remonstrantes in *Apologia c.* 12., à luto tamen hujus opinionis nondum loti sunt. *Deinde* Pontificios qui bella ab Episcopis & Clericis quà talibus suscipi & geri posse exemplo suo satis superque docuerunt, & etiamnum doctrinâ suâ hodie defendunt. *Mariana in Institut. Princip. lib.* 1. *c.* 8. 10.; & *Henric. Ludov. Castanæus* Pictavorum Episcopus, in Apologiâ Gallicè editâ, quâ defendit licitum esse Episcopo arma sumere in casu necessitatis.

§. 5. Potestas hæc Magistratus, ad religionem & sacra se etiam extendit *Jud.* 17. 5. 6. & 18. 1. 1 *Reg.* 15. 14. & 22. 14. & 2 *Reg.* 18. 4. 5. 2 *Paralip.* 29. 11. & 29. 5. 21. *Jes.* 49. 23. *Psal.* 2. 10. 11. 12.

Ex patribus videatur inter alios Augustin. in epistol. ad Bonifacium Comitem. Non tollit autem hæc potestas, potestatem Ecclesię tum ordinis tum jurisdictionis (quæ utraque ministerialis est): quia propriè & formaliter non est Ecclesiastica sed Politica circa res Ecclesiæ, ut optimè distinguebat Constantinus teste *Euseb. in ejus vitâ lib.* 4. *c.* 24. *Vos Episcopi estis eorum quæ intus sunt in Ecclesiâ, ego autem eorum quæ extra sunt.* Non ergo aut ministerium usurpant, aut primo, ἡγεμονικῷ ac directivo judicio judicant pro autoritate de dogmatis, negotiis causis Ecclesiasticis; sed judicia Ecclesiastica ex verbo Dei fieri procurant, ea ex verbo Dei in conscientiâ approbata ut & totum ministerium, Ecclesiæ disciplinam, sanæ doctrinę professionem & propagationem ritè & piè tuentur.

Rejicimus ergo Remonstrantes, quia ab unâ parte omnem Ecclesiasticam potestatem circa sacra Magistratui tribuere videntur & quidem in præjudicium Ecclesiæ, *Apolog. Remonstr. c.* 25. *fol.* 289. ab alterâ parte omnem potestatem circa hæreses & quælibet religionis exercitia privata, & privato-publica ipsi eripiunt. *Apolog. c.* 24. *p.* 263. 303. 304. 305.

§. 6. Hæc sunt ergo officia Magistratus 1. subditos paterno affectu amplecti *Deuter.* 17. 20. *Jesa.* 22. 21. 2. Directione eminenti iis procurare media omnia ad bene beateque tam spirituali quam animali vitâ vivendum necessaria *Psal.* 71. 6. 7. 3. Eos protegere, leges iis ferre, judicia constituere, eaque executioni mandare 1 *Timoth.* 2. 2. *Psal.* 101. 8. *Prov.* 28. 15. 16. *Jes.* 10. 1. *Jerem.* 5. 1. *Deuter.* 1. 16. 17. 2 *Paralip.* 19. 4. 4. Exemplo suo eminentiori quâdam ratione ad pietatem & virtutem iis prælucere *Psal.* 101. 1.

§. 7. Nemo hominum sive Clericus ille dicatur sive laicus potestati huic se subducere potest quocunque prætextu 1 *Petr.* 2. 13. *Joh.* 19. 11. *Matth.* 17. 27. *Actor.* 25. 10. *Tit.* 3. 1. *Rom.* 13. *v.* 1. ubi videantur commentaria Patrum, inter alios *Chrysostomi*, *Theophylacti*, & *Bernardi epistol.* 42. *ad Archiepisc. Senonens.*

Sub-

Subditorum officia erga Magistratum sunt ista. 1. affectu filiali eos pro- §. 8.
sequi. 2. honorem & reverentiam singularem iis exhibere *Proverb.* 24. 21. *Rom.* 13. 7. 3. illis subjici atque obedire *Rom.* 13. 25. *Tit.* 3. 1. 4. Omnia fidelitatis officia libenter præstare, in specie tributa solvere *Rom.* 13. 6. 7. *Math.* 22. 21. 5. Reverenter & honorifice de regimine & laboribus eorum sentire ac loqui, nec temere de iis judicare aut conqueri *Exod.* 21. 28. *Eccles.* 10. 20. 2 *Petr.* 2. 10. *Judæ v.* 8. Itaque Magistratui obediendum est in omnibus quæ quidem Deo & bonæ conscientiæ non repugnant: Nec ulli privato licet ei resistere.

Rejicimus ergo *Thomæ Muntzeri* & assectarum, itidem Anabaptistarum Monasterienssium seditiosas opiniones ac machinationes, atque unà extenuationem illam Mennonis: *Fratres nostri dilecti* (Monasterienses scil.) *parum contra Dominum deliquerunt, quia armis fidem suam tutati sunt. In fundamento Christ. Relig. in conclusion. ad sectas edit. anni* 1539.

Tyrannis & injusta dominatio coërceri potest & Respublica ab interitu §. 9.
conservari, non quidem à privatis, sed ab iis quibus jure illud competit, 2 *Paralip.* 23. 1. 2. 3. cum *Rom.* 13. 4. 6. Quod in Belgio factum est, non per quoslibet promiscuè aut per tumultum popularem, sed per Proceres, Ordines, & Magistratus: quibus per leges fundamentales pactionati principatus id competit. Exempla aliorum Populorum & Rerumpublicarum in Christianismo, tum ante tempora reformationis tum post, vidente id Papatu & approbante, saltem non improbante, Belgis hic præiverunt. Non est ergo, quod Theologi & emissarii Papales seditiosis scriptis suis Belgarum conscientiis rebellionis & tumultuum crimina amplius intonent; magis quam Principatibus & Civitatibus Italiæ, Cantonibus Helvetiis, aliisque, qui à prioribus Dominis in libertatem se vindicârunt. Quales indicamus in 2. *part. sel. dispp. tit. de potestate temporali Papæ.*

Infidelitas, hæresis, excommunicatio, aut quodcunque intercedens Eccle- §. 10.
siæ & Papæ judicium non tollit jus Electionis & successionis, nec potestatem regiminis, nec absolvit subditos à juramento fidelitatis, nec ad alios regna & dominia transfert; nedum ut cuiquam licentiam tribuat tales Principes & Magistratus obtruncandi.

Rejicimus ergo Cyclopicam & Hildebrandicam doctrinam Papatus omnium proditionum, rebellionum, & Regicidiorum officinam, quâ contrarium huic assertioni nostræ statuitur. Vide horribiles dictatus Hildebrandi seu Gregorii VII. apud *Baron. in annalib. anno* 1076. *n.* 31. Episcopum Simancham in *Instit. Cathol. tit.* 46. *sect.* 75. & *tit.* 23. *sect.* 11. 12. 13. & *tit.* 33. *sect.* 11. *Toletum in Instruct. sacerd. lib.* 1. *c.* 13. *Gregor. de Valentiâ tom.* 3. *disp.* 1. *qu.* 11. *punct.* 2. & *qu.* 2. *art.* 2. *Bannes in* 22. *qu.* 12. *art.* 2.

Bellarmin. lib. 5. de Pontif. c. 6. 7. & de Potestate temporali Papæ contra Barclayum. Orationem Sixti V. de morte Henrici III. Regis Galliæ. Costeri apolog. pro part. 1. Enchirid. p. 64. Brevia Papæ Pauli V. ad Papistas in Angliâ, & Bellarmin. epistolam ad Archipresbyterum Blacvellum, cum apologiâ Jacobi Magn. Britann. Regis pro juramento fidelitatis, Actionem Anglicanam in Garnetum & reliquos proditores; Scripta omnia de Excommunicatione Venetorum; *Baronii annales* passim cum Goldasti replica pro Imperio; Actiones Arnoldi & Martelrie in Jesuitas, & similia scripta Sorbonico-Gallicana; Eudæmon-Johannis Apologiam pro Garneto, Marianam de *Institut. Principis lib. 1. c. 10.* aliaque in *2. part. select. disp. tit. de sede Romana incompatibili*, &c. *indicata.*

COROLLARIA.

I. AN 1 Sam. 8. v. 9. 11. *Jura Principum divinitus ipsis concessa, an verò usus tunc ut plurimum receptus & passiva consuetudo describatur? Poster. A.*

II. *An jure divino forma regiminis monarchica aut polyarchica, aut alia quæcunque ejusque fundamentum electio aut successio præcisè præscripta sit?* N.

III. *An monarchica absolutè aut universaliter sit præstantissima, ut vult* Bellarmin. lib. 1. de Roman. Pontif. c. 1. 2.? N.

IV. *An monarchia universalis seu Catholica totius orbis (saltem Christiani) esset præstantiss., ut vult Barchinonensis author Cancellariæ Apostolicæ.* ? N.

V. *An Magistratus seu Princeps legibus subjectus sit?* Dist.

VI. *An Magistratus & Respublicæ in N. T. teneantur lege forensi Mosaicâ?* N.

VII. *An gladius Principum debeat stringi ad nutum sacerdotis, juxta Extravagant. Bonifac. VIII. hoc est, an Magistratus, quà talis, ratione officii sui subjiciatur dominio aut imperio Pastorum?* N.

VIII. *An maximè faciat ad ædificationem Ecclesiæ, si uni homini & ministerium sacrum, & officium Magistratus committatur?* N.

IX. *An infideli aut apostatæ absque conscientiâ Dei Magistratum gerenti, in conscientiâ subjici teneamur tanquam legitimo possessori?* A.

X. *An tamen benignè explicari & excusari possit* Augustinus lib. 19. de Civit. Dei c. 21. *ubi disputat. apud Gentiles non fuisse jura, justitiam, Rempublicam?* A.

XI. *An Papa Alexander VI. aliquo jure divino, aut humano Ecclesiastico novum orbem inter Lusitanos & Castilianos distribuerit?* N.

XII. *An donatio Constantini & prætensum patrimonium Petri aliquâfide humanâ credi possit?* N.

XIII.

XIII. *An cum jure divino aut humano sive politico sive Ecclesiastico, aut cum decoro, honestate, & morum civilitate satis conveniat, quod Reges omnes & Principes osculantur pedes Papæ, juxta præscriptum Gregorii VII.? N.*

XIV. *An translatio Imperii à Græcis ad Francos fundet jus aliquod Papale in Imperatorem & Imperium? N.*

XV. *An reformati rigidis & Curialibus (quos vocant) Romano-Papistis, qui à Politico-Catholicis seu Sorbonico-Gallicanis distinguuntur, etiam jurantibus fidem tuto habere possint? Gravissimæ rationes cogunt nos negativam tueri, quas datâ occasione in disputatione proferemus.*

XVI. *An leges humanæ obligent conscientiam? Dist.*

XVII. *An Magistratus propriè dicatur caput Ecclesiæ, eique recte tribuatur Primatus ecclesiasticus?* Resp. *Utraque phrasis ambigua est & periculosa. Vide de ea* Polit. Eccles. part. 1. lib. 1. tr. 2.

XVIII. *An Magistratus Clericos à potestate suâ, quæ juris divini est, planè eximere possit? N.*

XIX. *An quia spiritualia præstant temporalibus; ideoque quilibet pastor in hoc mundo Reges & Principes honore ac dignitate antecedit? N.*

XX. *An in constitutione & Electione Magistratuum præter pietatem, honestatem, sapientiam, prudentiam, fortitudinem, etiam bona corporis & fortunæ spectari possint? A. cum dist.*

Disquisitio Textualis ad 1 *Samuel* VIII. *v.* 11-19.

DE JURE REGIO HEBRÆORUM.

Resp. ERICO VIANEN Ultrajectino 26. *Octobr.* 1653.

Cum Textus hic frequenter à theologis & politicis, sed variante interpretatione, allegari soleat: operæ pretium facturi videmur, si in genuinum ejus sensum accuratius inquiramus: quod compendio fiet, si duo capitalia hæc dubia dissolvamus. Sunt autem ista,

1. *An verba Samuelis contineant legem moralem atque immutabilem, in qua jus divinum & naturale omnium regum immutabiliter fundetur, cui omnes omnium hominum conscientiæ se subjicere debeant.*

11. *An si verba hac in hypothesi tantum spectent populum & politiam Israëlis, contineant legem regiam Israëlitarum divinitus præscriptam, quæ in populo illo fundaret jus divinum, quo conscientiæ omnium in ista politia absque exceptione obligarentur.*

Prius dubium *est circa doctrinam & legem Dei universalem, quâ conscientia omnium tenentur, atque adeo longe majoris momenti.*

Posterius est *hypotheticum circa historiam sacram, & factum particulare regis & subditorum in Israële, an conscientia eorum ad tale quid tenerentur, nec ne?*

§. 1. QUod ad prius dubium, sunt multi qui partim tacite præsupponunt, partim exserte determinant omnium regum perpetuam & illimitatam potestatem in subditorum corpora & bona, seu circa onera subditorum à Deo immediate hic præscribi. Sed hanc sententiam ex analogia tum hujus textus tum scripturæ non rite educi, quin potius ei repugnare istis rationibus evincimus 1. *Rat.* Quia textus dicit, populum Israëliticum, occasione arrepta ex præfectura & administratione filiorum Samuelis petiisse sibi regem, qui secundum morem aliarum gentium ipsis præesset *v.* 4. hocque ipsorum consilium & postulatum displicuisse Samueli & Deo *v.* 6. 7. 8. eoque nomine Israelitas reprehensos culpam agnovisse *cap.* 12. *v.* 17. 19. Concessum tamen regem in Dei indignatione *v.* 8. 9. cum *Hoseæ* 13. *v.* 11. eumque non sine aliquo pacto conventionali constitutum & inthronizatum 1 Sam. 10. v. 25. *& locutus est Samuel ad omnem populum legem Regni, & scripsit.* Quæ omnia arguunt, non agi in thesi de quovis rege aut regno, sed tantum de Israelitico.

Excipiat forte quis, quæ divinitus de rege & regno Israelitis præscripta sunt pariter ad omnes Reges & Principes applicanda. *Resp.* dato non concesso, esse divinitus constituta (de quo ad 2. *quæst.* agendum) nihil aliud tamen hinc inferretur quam jus divinum speciale quo iste populus, cui lex illa posita & in quem talis regiminis forma introducta, teneretur. Quod alios quoscunque populos & reges in forma & specie non magis obligat, quam reliquæ omnes leges forenses Mosaicæ, (de quarum abrogatione alibi agendum); aut immediata designatio & electio regis per extraordinariam Dei revelationem, & per sortem; aut regis institutio & unctio per Prophetam & populi judicem; aut prohibitio multiplicandi equitatus *Deut.* 17. *v.* 16. aut prohibitio eligendi regis ex alienigenis, *ibid. v.* 15. aut prohibitio transitus de regimine aristocratico-democratico in regium. 1 *Sam.* 8. *v.* 7. 8. 9. 1. *Rat.* Quia specialis modus seu species & forma regiminis huic aut illi populo, regioni, civitati, pro ratione circumstantiarum aptanda, est κτίσις ἀνθρωπίνη. 1 *Petr.* 2. *v.* 13. atque adeo non est directe & immediate juris divini moralis sive naturalis sive positivi, seu non est juris uni-

universalis, immutabilis ac perpetui; sed tantum est juris divini permissivi, secundum quod jus positivum humanum constituitur à lege regia seu fundamentali Principatus; & hæc à pacto conventionali communitatis. Probatur, quia jus divinum morale & perpetuum, si quod hic esset, dicendum esset fundare aut quamvis regiminis formam tum monarchicam tum polyarchicam, eamque aristocraticam aut democraticam; aut solummodo regimen monarchicum ac regium. Si prius dicatur, jam habeo quod volo; indifferens scil. esse jus divinum ad quamvis regiminis formam consensu & pacto conventionali communitatis, sive eorum ad quos hoc pertinet, libere & rite hic & nunc instituendam; & consequenter quodlibet regimen politicum quod ad speciem & formam esse in se & sua naturâ indifferens, moraliter nec malum nec bonum, lege divinâ immediatè nec prohibitum nec præceptum. Sin posterius dicatur, ex tabulis juris divini probanda esset lex illa moralis de regimine regio seu monarchico, omnibus populis, omnibus conscientiis cœlitus imposita. Interea dum hoc nondum præstitum est, uti in æternum non præstabitur, consideranda duo maxima absurda hujus opinionis consequentia: 1. Omnem formam regiminis politici, quæ non sit regia & monarchica, directe adversari juri divino; & consequenter esse in foro conscientiæ illicitam tum constituentibus, tum capessentibus, tum defendentibus eandem. 2. Formam Israelitici regiminis à Mose usque ad Samuelem hactenus malam, illicitam, juri divino repugnantem, & Deo displicuisse; ac consequenter placuisse illam mutationem seu emendationem in melius scil. quam populus moliebatur. Quod consequens absurdissimum est, & aperte repugnat. 1 *Sam.* 8. *v.* 6. 7. 8. & 12. *v.* 17. 18. coll. cum *Hose.* 13. *v.* 11.

Objicitur vulgo ab illis qui monarchiam ita extollunt, ut omnes alias legitimas & optimè convenientes regiminis formas condemnent aut saltem contemnant, *Proverb.* 8. *v.* 14. 15. *Resp.* textus loquitur de majoritate, & potestate Magistratus, non de hâc aut illâ forma Magistratus: quarum illa directe est juris divini & quidem moralis ac perpetui; ista vero, Deo hominibus hoc permittente, est juris merè humani ac positivi, quod ad specialem pro necessitatibus rerum ac personarum, earumque circumstantiis determinationem atque applicationem. Haud aliter ac conjugium Caji & Sejæ est juris divini in genere: sed est juris humani, quod ad liberum Caji cum Sejâ, non vero aliâ, & vice-versa Sejæ cum Cajo in societatem conjugalem consensum. Sicuti hic Consul alicujus urbis potest dici à Deo esse jure positivo divino quoad potestatem & majoritatem in genere; non tamen quod ad specificationem talis ac tantæ in hac urbe potestatis, aut quod ad applicationem potestatis consularis ad talem per-

sonam, & non ad aliam. In duobus enim illis intercedit statutum & arbitrium humanum. Hanc solutionem suppeditat ipse textus *Prov.* 8. *v.* 15. 16. cum adduntur hæc verba: *omnes judices terræ.* Unde nullus theologus inferet judices, consiliarios, omnes immediatè à Deo solo constitui & dependere, eorumque potestatem quod ad quantitatem, qualitatem & modum immediatè à jure divino positivo in specie determinatam esse. Distinctionem necessariam hanc suggerunt loca inter se collata *Rom.* 13. *v.* 1. 2. & *Prov.* 1. *v.* 15. 16. cum 1 *Petr.* 2. *v.* 13. 14. Ubi omnis potestas dicitur esse à Deo, & creatura seu ordinatio humana: quod utrumque æque regibus ac præfectis, & vice versa applicatur.

Consectar. Ex dubio hoc expedito sequitur perperam & frustra textum 1 Sam. 8. ad regnum omnium, qua talium, plenissimam, indefinitam, potestatem probandam à Barclajo *in tract. de regno & regali potestate*, ut etiam à Waremundo ab Eerenberch. *tract. de regni subsidiis ac oneribus subditorum*, &c. *contra Bartolum*, *Bodinum*, *Rossæum*, *Brutum*, *Zepperum & alios*; ad probandam onerum impositionem. Quidquid enim sit de jure majestatis absoluto aut limitato, magis aut minus, deque coërcitione aut non coërcitione regum sive omnium, sive aliquorum, aut quorumvis dominorum supremorum, quocunque titulo insigniantur, (de quibus omnibus Politici & Jureconsulti disceptare solent, & nos in præsentiarum non disquirimus); nos hoc solum contendimus, legem quam putant regiam divino atque immutabili jure hic omnibus in universum Principibus & subditis fixam non esse: ideoque ab allegatione hujus præsumtæ legis non satis lectæ aut non intellectæ in tanti momenti controversiis decidendis, abstinendum esse, tanquam plane alienâ; & aliunde ex jure divino & naturali argumenta conquirenda, quibus conscientiæ satisfieri queat.

§. 2. *Alterum dubium*, *An hæc verba præscribant jus divinum particulare regibus & subditis Israelitis necessario observandum, non minus quam aliæ quæcunque leges forenses Mosaicæ.* Nos negamus ducti istis rationibus.

1. *Rat.* Quia prædicitur tanquam plaga divinitus infligenda, & tanquam malum humanitus exspectandum ac metuendum, & quod ut plurimum tali in casu accidere solet, & apud gentes vicinas ita accidebat: quo allegato inconvenienti, eos absterrere voluit à regio Gentium imperio, & à malo hoc consilio, quod Deo summopere displicebat, abducere. Vide *v.* 6. 7. 9. 18. Quod ergo tanquam inconveniens, & consequens damnosum prædicitur atque allegatur; illud non est moraliter ac honeste bonum, nec talis prædictio aut allegatio prophetæ Samuelis habet rationem statuti aut mandati Dei divinitus ipsi revelati, ut regibus & subditis Israëlis tanquam legem fundamentalem ac perpetuam præscriberet. Haut aliter ac prædictio,

dictio, præmonitio, ac ratio dissuasoria Christi *Luc. 22. v. 34.*, de abnegatione Petri, non est mandatum Christi, nec Petro jus tribuit abnegandi. Et sic de aliis quam plurimis malis per prophetas passim prædictis judicandum: ubi Dei justa malorum gubernatio atque immissio, eorundemque prædictio, hominibus jus peccandi aut immunitatem non tribuit.

11. *Rat.* Propter quod ad Deum clamabunt, ut ab eo liberentur tanquam malo, illud non est lex divina à Deo summo & sanctissimo legislatore lata atque imposita; nec consequenter fundat jus divinum. Sed propter illud factum regis, quod hic refert Samuel, clamabunt ad Deum, &c. *vers. 18.* Ergo. Consequentia probatur. Quia omnes leges divinæ morales, politicæ, ceremoniales, erant summâ cum sapientiâ, justitiâ, benignitate, æquitate illi populo latæ; & consequenter non debebant conqueri de iis legibus, nec ad Deum clamare, ut ab iis atque effectu & executione earum liberarentur: hæc enim aperta fuisset θεομαχία & rebellio: sed contra in talibus statutis tanquam eximia prærogativâ & peculiari peculio ac privilegio unice gaudere & exultare cum gratiarum actione. Vide *Psal. 19. v. 8. & 119. v. 14. & 147. 19. 20.*

111. *Rat.* Mos, Consuetudo, & præsumta lex seu potius usurpatio regum Gentilium, præsertim in vicinis nationibus, erat ut plurimum dura, iniqua, & tyrannica; si non in totum, saltem ex parte: atqui lex regia Israelitarum ut & omnes reliquæ leges politicæ à Deo latæ erant justæ, nullibi divino juri aut naturali æquitati repugnantes, *Psal. 19. & 119.* modo cit. Jam vero relatio Samuelis continet consuetudinem & usurpationem regum Gentilium, quales postulabant Israelitæ & Deus ipsis in irâ suâ concessit vers. 5. *nunc constitue nobis regem, ad judicandum nos, sicut omnes gentes.* Atqui tales sive leges sive consuetudines regum Gentilium erant injustæ, iniquę, à jure honestatis divino ac morali longe recedentes: uti constat ex historiis. Quas notatas vide apud *Bodinum lib. 2. Politicæ cap. 2.* Cum ergo mores, consuetudines, facta, usurpationes regum Gentilium relata à Samuele, repugnent juri divino morali, & naturali legi caritatis, justitiæ, æquitatis consequenter illis κοιναῖς ἐννοίαις (*Neminem lædere, suum cuique*, &c.) non potest dici lege divinâ particulari seu politicâ hæc præscribi: nulla enim lex divina Israelitis lata est, quæ repugnet legi ęternæ morali immutabili. Antecedens probatur, quia lex moralis prȩcipit, ut quisque justus ac pius, imprimis & peculiari ratione Magistratus tueatur vitam, libertatem, & bona proximi sibi commissi *Rom. 13. v. 3. 8.* cum *Philipp. 2. 3. & 1 Cor. 13. v. 4. 5.* Et faciat omnia quæ sibi fieri velit *Math. 7. 12.*

1v. *Rat.* Quia factum hoc regum à Samuele relatum repugnat speciali legi politicæ à Deo Israelitis latæ *Deuter. 17. v. 16. 17. 18.* &c. ubi prohibentur

bentur efferre se supra fratres, eosque gravare, &c. Ergo non est lex politica à Deo Israelitis lata & in conscientiâ obligans. Neque enim repugnare potest lex politica Israelitarum à Deo lata, uti pręsumitur, alteri legi politicæ, quæ à Deo eidem populo circa eandem materiam, hoc est circa potestatem regiam, in primâ constitutione Reipublicæ Israeliticæ lata erat. Jam vero *Deuter.* 17. legem Regibus istius populi latam esse utrimque in confesso est: sed de præsenti textu non est in confesso: est ergo hic textus qui præmonitionem Samuelis continet ad legem primigeniam à Deo per Mosem promulgatam reducendus atque ex eo explicandus; non vice versa. Vidit hoc Barclayus, qui distinctione adhibitâ τὰ ἐναντία conciliare studet. Quam distinctionem mox excutiemus.

v. *Rat.* Quia si jus regum Israelis divinitus ipsis concessum & per os Samuelis propositum hoc textu continetur: sequeretur regum illorum absolutam & illimitatam fuisse potestatem, talemque in ipsis in primâ electione & regni susceptione à populo fuisse agnitam, & præsuppositam; absque ullâ conditione, sub quâ reges aut primum eligerentur aut per successionem quasi electi & designati admitterentur. Sed posterius est absurdum: Ergo & prius, Veritas consequentiæ patet, quia omnis conditio per legem regiam seu fundamentalem regi à populo aut proceribus fixa, cui astringere se debeat & sub quâ sola ad regnum admittatur, infert mutuam pactionem seu conventionem seu capitulationem initam inter regem & populum, seu contractum mandati (uti vocat *Althusius cap.* 19. *politic.* 12); consequenter è diametro repugnat regiæ potestati independenti, absolutæ, illimitatæ in subditos. Nam qui per dictam pactionem seu conventionem legi illi subjicitur, eâque conditione non impletâ ab alterâ parte subjectionem & obedientiam tantum sub conditione promissam à subditis jure postulare nequit: illius potestas non est simpliciter absoluta, illimitata, arbitraria. Vide consensum politicorum de lege regia, deque pactione, & mutua conventione, apud *Reinkingh lib.* 1. *de regim. sæculari class.* 3. *cap.* 9. *Bodinum lib.* 1. *de Republ. cap.* 8. *Besoldum lib.* 1. *Politic. c.* 8. §. 2. *Althusium Polit. cap.* 19. *Tholosanum lib.* 7. *de Republ. cap. ult. Nucleum discursuum.* &c. *Giessæ ab Hampelio ænno* 1621. editum, & ibi priores quinque discursus, inter eos *Joachimi Cluteni* tit. *De statu Imperii Romani sylloge*, &c. §. 16. Jam vero reges Israelis non sine capitulatione & mutua pactione fuisse admissos, regnumque illud fuisse pactionatum non absolutum, constat ex 1 Sam. 10. v. 25. *Et proposuit Samuel populo judicium*, seu *legem regni & illam scripsit in libro.* Et 2 Sam. 5. v. 3. *Veneruntque omnes seniores Israelis ad regem in Hebron, quibuscum pepigit Rex David fœdus in Hebron coram Jehova*, &c. 2 Reg. 11. v. 17. *& fecit Jojada pactum inter Deum & regem & populum, etiam inter regem & populum.*

VI.

VI. *Rat.* Quia arbitraria illa agrorum à legitimo possessore ad alienos translatio, qualis inter gentes, imprimis in Asiâ & Africâ, tunc & etiam hodiè usitata, præjudicat & repugnat juri divino forensi Israelitarum, de non absolute alienandis agris *Levitic.* 25. *v.* 23. deque vindicatione eorundem per proximos cognatos. *v.* 25. 26. & restitutione tempore Jubilæi *v.* 28. Istis legibus immediatè à Deo Israeli latis omnes obtemperare tenebantur, reges æque ac subditi. Non potest ergo arbitraria illa alienæ possessionis invasio & alienatio (quæ regum moribus tribuitur 1 *Sam.* 8. *v.* 14. qualemque stolidè ac præfractè ex contentione, contra Samuelis prænonitionem, petebat populus vers. 20. *& erimus etiam nos sicut omnes gentes,* cum Deuter. 17. v. 14. *ut omnes gentes quæ circum me)* ad jus divinum revocari; cum ei tam exsertè repugnet.

Quod si quis *excipiat* agros, domos, possessiones civium ad bonum publicum aliquando aut per modum pœnæ, aut extremæ necessitatis causâ juste alienari: *respondeo,* talem alienationem non esse arbitrariam aut ad privatam regum ac magistratuum utilitatem; consequenter non esse oppressionem & violentum jugum, à quo populus in communi per Deum liberari vellet. Atqui talis est illa ablatio & alienatio, de quâ loquitur Samuel. *cap. cit. v.* 14. 17.

VII. *Rat.* Quia exemplo Nabothi regi Achabo postulanti agrum ipsius (& quidem non sine emtione, aut æquivalente compensatione ac permutatione) recusantis juxta legem *Levitic.* 25. 23. approbato à Deo cum improbatione injustitiæ Jezebelis arbitrariam illam invasionem improbè suadentis & Achabi eam exequentis; valide evincitur jus divinum Regum sive generale sive particulare, non extendere se ad bona subditorum pro arbitrio & ad privatam utilitatem invadenda; uti 1 *Sam.* 8. *v.* 12. 14. 16. factum seu mos eorum refertur. Vide 1 *Reg.* 21. *v.* 15. 16. cum *v.* 19. 23. 25. Ubi Nabothi negantis causa justificatur, & Achabi condemnatur: quod fieri non posset si juris regum fuisset agrum Nabothi pro arbitrio & gratis sibi sumere: hoc enim in casu Nabothus gravissime in jus regium & divinum peccasset, & meritò punitus fuisset. Audiatur *Melanthon in consiliis part.* 1. *pag.* 139.

DE QUÆSTIONE.

„ *An licitè recusarit Naboth vineam Regi vendere, cum textus imponat populo ser-*
„ *vitutem, & dicat, hoc esse jus Regis tollere agros? Philipp. Melanth.* 1532.

„ PRimùm locus ille in historia Samuelis videtur Regibus tribuere domi-
„ nium facultatum omnium, quas possident subditi, quia disertè dicit:

„ *Hoc est jus Regis, tollere agros.* Idem addit de servitute: *Iritis servi.* Li-
„cet autem domino rursus ad se transferre possessiones, quibus servi fruun-
„tur.

„ Sed contrarium sensit fortissimus Propheta Elias, qui Regem objurga-
„vit, eique pœnam minatus est: Et Deus concionem Eliæ confirmavit
„eventu.

„ Deinde hæc ratio facit contra Regem. Dictum in Samuele non tollit
„jus naturale, nec decalogum. Distinctio dominiorum & proprietas jure
„gentium & in decalogo instituta est. Ergo non tollitur per dictum Sa-
„muelis, nec voluit Samuel populum, qui mandato Dei erat liber, subjicere
„servituti.

„ Item lex ipsa divina distribuit possessiones, & approbavit proprietatem,
„confirmando hæreditates & successiones. *Necesse est igitur dictum Samue-*
„*lis intelligi de stipendiis, Reges posse, ex facultatibus subditorum stipendia su-*
„*mere, ad communem defensionem, non ad privatas cupiditates.* Et extra hunc
„casum ab alieno abstinere debent, sicut Johannes concionatus est: *Conten-*
„*ti estote stipendiis vestris.*

„ Quare non est laudanda oratio illorum, qui nunc quoque augent ty-
„rannidem. Affirmant Principes esse Dominos privatarum facultatum
„multorum, ut facilius in aliena involent, tanquam sint Domini. At jura
„divina & humana nobis libertatem & proprietatem attribuunt. Quare
„privati, verè sunt domini suarum facultatum. Nec licet inde regibus au-
„ferre pro ipsorum libidine, quantum & quandocunque volunt. Absit hæc
„Tyrannis à populis, qui jure, legibus, religione (quibus rebus munita est
„libertas) reguntur.

VIII. *Rat.* Accedat consensus autorum, qui in verbis Samuelis non *præceptum* aut præscriptionem nomine Dei promulgatam agnoscunt, sed tantum *relationem* & *præmonitionem*; non de jure, aut lege divinâ, sed de facto; aut non de jure divino, sed de consuetudine, aut moribus regum juxta morem & exemplum aliarum Gentium, quæ jus politicum divinum & regiam libertatis ac caritatis legem per Mosem Israelitis traditam ignorabant. Et sunt translatores, notarum scriptores, commentatores, locor. comm. scriptores, &c. qui vocem משפט exponunt *morem* aut *consuetudinem*, aut *rationem ac modum* agendi, aut *jus usurpatum.* Translatores sunt *Junius* ac *Tremellius*, *Arias Montanus*, Translatio Gallica, Anglica, Belgica, Italica *Deodati. Notæ*, *Johannis Benedicti*, *Johannis Harei*, *Joh. Marianæ*, *Andr. Osiandri*, *Piscatoris*, *Deodati*, *Anglicæ*, *Belgicæ*, *Joh. Drusii*, *Varabli*; qui postremus nostram expositionem proponit tanquam convenientem, sed pro ea ut unicâ & necessario amplectendâ non determinat. Munsterus

ſterus cum Hebræis quibuſdam exponit, *decretum*, *ſtatutum*, ſcil. regis: quod non eſt *jus* niſi uſurpatum & arbitrarium. *Commentatores ſunt Abulenſis*, *Petrus Martyr.*, *Gaſpar Sanctius*, *Nicol. Serrarius ad loc.* Quibus adde *Zepperum in legum Moſaic. forenſ. expl. lib. 3. cap. 8. Pinedam in Eccleſiaſt. 2. v. 7. §. 3.* Et de rebus Salomonis *lib. 2. cap. 8.* ubi pro eadem ſententiâ adducit *Gregor. Magnum*, *Abulenſem*, *Hugonem*, *Dionyſ. Carthuſ.* Adde & ex hiſtoricis ſacris & Chronologicis *Torniellum in annal. ad ann. mundi 2959. Bullingerum in epitome temporum*, & *Sulpitium Severum.* Adde & nonnullos Rabbinos: de quibus theſi ſequ. Et *Locor. commun. & controverſiar. ſcriptores*, *Muſculum tit. de lege*, *ad primum præc. Daneum Iſagog. part. 1. lib. 4. cap. 49.* Huc refer *Thomam* cum ſcholaſticis *ad 1. 2. qu. 105. art. 1. & 2.* ubi conferendi *Caietanus*, *Valentia*, *Medina*, *Malderus:* qui poſtremus de virtutibus theolog. *tract. 5. cap. 6. dub. 4. ut jus regis idem ſit quod judicium vel ſtatutum regis: ut non ſit conceſſio juris habendi à rege, ſed prædictio injuriæ à rege ſtulte à populo expetito inferendæ.* Et *Becanum in analogiâ V. & N. T. c. 16. qu. 8.* ubi in terminis ſic loquitur: *fuit jus tyrannicæ poteſtatis, quod reges Gentilium ſolent ſibi uſurpare.* Quod fuſius ibi explicat. Inter *Caſuiſtas* ſunt Ameſius lib. 5. c. 5. *Balduinus l. 4. c. 12. caſu 4. Azorius part. 2. theol. moral. lib. 11. c. 4. Baptiſta Fragoſus in regimin. reipubl. Chriſtianæ part. 1. lib. 1. diſp. 1. num. 48.* Quibus adde interpretes decalogicos, *Danhauwerum colleg. decalog. diſp. 10. §. 5.* Inter *Politicos* ſunt, *Adamus Contzen. lib. 1. c. 15. Beſoldus lib. 1. part. 1. c. 1. §. 40. Ribadenira l. 2. de principe Chriſt. c. 4. Daneus lib. 1. Polit. Chriſt. p. 57. Althuſius c. 17.* qui imprimis hoc agit. Particulares tract. & quæſt., qualis Magdeburgenſium de Jure Magiſtratus in ſubditos, Et an Princeps legibus ſit ſolutus, & de Juribus Majeſtatis, de regimine, de Juriſdictione, de tyrannide, &c. ſtudio hic prætereo. Ex *antiquis Gregor. M. lib. 4. expoſit. in libros regum c. 1.* Clemens Alexandr. l. 3. pædagogi cap. 4. *Petenti regem populo non humanum* (φιλάνθρωπον) *pollicetur dominum, ſed quendam ſe inſolentem daturum ipſis minatur tyrannum, voluptuarium* (τρυφητικόν), &c. Cyprianus epiſt. 65. ad Rogatianum: *Iratus dominus & dixit, non te ſpreverunt. Et ut hoc ulciſceretur excitavit ipſis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas ſuperbus populum calcaret & premeret.* Populum autem peccaſſe petendo regem, conſtat ex v. 7. 8. *Dixitque dominus ad Samuel*, &c. *Non enim te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt, ut non regnem ſuper eos. Juxta omnia opera, quæ fecerunt à die, quo aſcendere feci eos ex Ægypto uſque ad diem hanc, dereliquerunt me, & ſervierunt diis alienis, ſic ipſi faciunt etiam tibi.* Cum quo conferri poteſt Hoſ. 13. v. 10. 11. *De quibus dixiſti, da mihi regem & principes. Dedi tibi regem in furore meo.* Et peccatum agnoſcunt plerique in-

terpres: Inter recentiores ex *cap.* 8. *v.* 6. - 10. coll. cum 1 *Sam.* 12. *v.* 19. 20. hoc probant *Caſpar Sanctius*, & *Petrus Martyr.* „Hujus verba ſunt: Eâ „enim causâ iraſcebatur, quod illi animo malo regem poſtularent; quod „ipſius autoritatem in eâ re non exſpectaſſent; quodque Samueli feciſſent „injuriam. *Idem ad v.* 11. Tantum monet quid ſit eventurum. Ita Deus, „cum homines deterret à peccatis, proponit ſupplicia. *Et paulo poſt:* Sim- „plicius reſponderi poteſt, verum jus regis deſcriptum eſſe in Deutorono- „mio (*cap.* 17.); hic autem non verum jus proponi, ſed tantum uſurpa- „tum, &c. Tantum putat ſe habere juris, quantum libet, &c. ſed in exi- „gendo adhibendus eſt modus. Aulam tueri debet, & aliquam pompam, „ſed ad uſum Reipublicę, non ad luxum. Tributa cum ratione & modo „exigere licet: verum per vim & oppreſſionem, ipſam animam miſeris „ſubditis, &c. auferre, intolerabilis tyrannis eſt. Tales erant aliarum gen- „tium reges, &c. talem iſti ſibi dari poſtulant, &c. Sanctius in com- „mentar. ad 1 *Sam.* 8. *v.* 6. Non tam dolebat Samuel, ut apparet, quod „ipſe aut filii depellerentur, &c. quam quod regia induceretur gubernan- „di ratio: quæ cum aliquid videretur importare ſupremum, non poterat „non eſſe communibus rebus importuna. Hoc indicat ipſa litera, &c. *paulo poſt ad v.* 7. contra Abulenſem multis modis diſceptantem an pecca- verint Iſraelitę, ſic determinat, *peccaſſe certum eſt*: quod ibidem declarat ac probat, citatis etiam verbis Abulenſis: „Cum enim, inquit, regem non „habebant, Deus erat immediatus rex & dominus eorum; cum autem „acciperent regem, haberent præter Deum, alium, quem vocarent re- „gem & dominum. In quo licet non poſſent auferre Deo ſupremam pote- „ſtatem, quæ eſt ſibi naturalis in omnes res, auferebant tamen ſibi imme- „diationem dominii, cum alium immediatum dominum, & regem co- „gnoſceret. Et ita ipſe dixit ad Samuelem, *Non te abjecerunt, ſed me*, &c. *Citat ibid. verba Theodoreti qu.* 17. *Dominus Deus domini & regis implevit mu- nus. Propheta autem* (Samuel ſcil.) *erat adminiſter, & veluti quidam præfe- ctus, aut dux & imperator.* Exhibet ibidem ex commentariis ſuis in *Jeſa.* 1. accuratam & perſpicuam ejuſdem rei explicationem. Paulo ante ad verſ. 6. adduxerat Flav. Joſephum lib. 6. antiquit. cap. 4. ubi ait, Samuelem val- de contriſtatum fuiſſe, *quod valde optimatum gubernatione delectaretur, non aliam ad felicitatem populi conducibiliorem exiſtimans.* Eandem ſententiam compendio expreſſit ex Pontificiis Fr. Haræus Ultrajectinus in ſcholiis ad biblia anno 1630. editis. Inter Auguſtanæ confeſſionis theologos eandem ſententiam cum *Hier. Wellero in commentariis*, proponit *Andreas Oſiander in notis ad biblia anno* 1611. Sulpitius Severus 1. hiſtor. cap. 51. peccatum Iſraelis hunc in modum deſcribit: „Sed hoſtili, inquit, metu remoto,

„moto, secundis tranquillisque rebus, corruptis consiliis more vulgi, cui „præsentiâ fastidio, insueta desiderio sunt, regium nomen cunctis fere li„beris gentibus invisum populus desiderabat, planeque non sine exemplo „amentiæ prœoptabat libertatem servitio mutare. *Et paulo post*: postremo „divinam eis iram denuntiare, siquidem homines mente corrupti, *Deum „regem habentes*, regem sibi ex hominibus flagitarent. Grotius in notis ad 1 Sam. 8. ab hâc sententiâ non longè abire videtur. Sed quod addit, *Alio tempore regem sibi facere sine culpâ potuissent*; non sine limitatione accipiendum. Nunquam enim regem petere potuerunt, *ad judicandum nos, sicut omnes Gentes* 1 Sam. 8. v. 5. *Et erimus etiam nos sicut omnes gentes, judicabitque nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra. v.* 20. Breviter talem regem, tali potestate armatum, qualis describitur. v. 11.-19. sine culpâ nec petere nec constituere unquam potuerunt: Hæc ego hoc a. 1666. addere volui: ne quis paradoxus opponens ex profundo cerebri sui puteo quasi abditam hactenus veritatem hausturus, explicationem nostram 1 *Sam.* 8. *v.* 11. a. 1653. publicâ disputatione propositam, tanquam novam aut insolentem, moribus antiquis, improbè calumnietur. Notatur quis à nobilissimo literatissimo & πολικωπάτῳ viro *Rabodo Hermanno Schelio* in libro nuperrimè edito tit. *Libertatis publicæ p.* 58. & seqq. quod satis indoctè & profanè textum Samuelis perverterit, ut eum hypothesi suæ inservire cogeret. Sed absque hoc, aliis argumentis causa, quam susceperat, felicius à notato illo agi potuisset ac debuisset: uti memini ab istarum rerum quaris judicatum, etiam causæ illi, quam agebat, quam maximè faventibus: eum causam non satis feliciter atq; accuratè contra adversarios egisse. Præstaret tales viros in philologiâ sæpe magnos, forte & dictatores, cum ad scripturaria & theologica, aut ad medica, aut ad juridica, aut ad politica, aut ad philosophica, data occasione divertunt, aut ea inspicere cupiunt, dictatorium spiritum deponere, nec quibusque in suâ arte sapientibus atque exercitatis tanquam mulis aut asinis inequitare. Fateor præjudicia omnia deponenda & ex rei veritate secundum scripturas in talibus judicandum: nec tamen improbandum illud Apostoli *Prophetias ne contemnite.* Omnia probate, quod bonum est tenete 1 *Thess. 5. v.* 20. ne vitia in contraria, ἰδιογνωμόνων, μωροσόφων, & *soli-ipsorum* curramus. Hieronymus in Epitaphio Paulæ *tom.* 1. *fol.* 86. a. *Ut docerem quod didiceram, non à meipso, id est, à præsumtione pessimo præceptore, sed ab illustribus ecclesiæ viris*, &c.

§. 3. Atque hactenus genuinum hujus loci sensum confirmavimus. Restat excutiamus dissentientes aliorum interpretationes: quæ sunt quatuor sequentes; quarum duæ extremæ, duæ quasi mediæ. *Prima* est *Barclaji lib.* 3. *de regno & regali potestate cap.* 6. *Alberici Gentilis disp. regia.* 3. Et anonymi, de jure liberæ monarchiæ, qui notatur à *Contzen loc. cit.* qui contendunt

hoc loco jus divinum regibus Israelis à Deo tributum proponi: addit insuper non nemo esse jus exemplare, ad quod omnes bene constitutæ respublicæ debeant conformari. Sed postremum illud in solutione prioris dubii resecavimus.

Studet autem *Barclayus* distinctione adhibitâ locum *Deuter.* 17. cum hoc præsenti conciliare. Quod ibi agatur de officio regis, deque jure imperandi, & quid rex facere debeat: hic vero de potestate regis absolutâ nullis legibus alligatâ, ejusque impunitate (quod scil. à nemine hic coërceri aut puniri possit) & consequenter de jure parendi subditorum, deque eorum obsequio & patientiâ siquidem rex potestate suâ tyrannice abutatur. *Resp.* 1. frustra divellit officium regis à potestate imperandi: ubi enim illud à Deo præscribitur, etiam ista præscribi dicenda est; & vice versa. Probet posterius sine priori in loco 1 *Sam.* 8. præscribi à Deo, potestatem scil. regiam absque officio regio, & prius *Deuter.* 17. præscribi, officium scil. regis sine potestate regiâ. Deinde probet jus imperandi divelli posse à jure parendi, jus majoritatis à jure subjectionis: hoc est, relatum esse sine suo correlato, & uno posito aut sublato, non poni aut tolli alterum. *Resp.* 2. Male & tyrannicè facere, & quidem cum impunitate, non est jus, nec fundat aliquod jus, nec fundatur in jure divino aut naturali, aut gentium, aut etiam civili. Nam ea quæ turpia sunt, non existimandum est nos posse facere, ut habet. *l.* 15. *de cond. & demonstr.* Joab occidit Abner & Amasa, & quidem impune, pro illo tempore: Et sic Banditarum cohortes, manipuli furum, &c. multa in agris & casis rusticorum impune faciunt, quia ibi nulla est potentia, quâ coërceantur. Multi etiam alii tum Magistratus, tum subditi impune aliquoties peccant, vel quod de delicto non constet, vel quod potentia puniendi non adsit, vel quod legibus permissio & tolerantia istius mali statuta sit. Sed quo stylo scripturæ, quo codicis, quo stylo Philosophico (sive Stoico, sive Aristotelico, sive Platonico) jus peccandi regi aut populo tribuetur? An nefas, scelus, flagitium, peccatum clamans, dicetur esse juris divini, juris regii, juris fundamentalis regnorum & politiarum divinitus statuti, præscripti, collati, atque adeo ab omnibus, ubique & semper, examussim imitandi, juxta regulam: perfectissimum in unoquoque genere est mensura & exemplar reliquorum? Jam vero omnem tyrannidem imprimis abutentem esse ἀθεμιτον, nefas, flagitium, peccatum clamans communi theologorum & politicorum calculo comprobatum est. Videant ne Deum faciant autorem scelerum, siquidem tyrannidem fundent in jure divino 1 *Sam.* 8. (uti perperam opinantur) præscripto.

Quod si *excipiant* Deum tantum permittere hoc malum in pœnam, & promulgare illam suam permissionem: respondemus, ex permissione & ju-

sta

stà atque efficaci providentiâ Dei circa malum, nullum jus peccato, aut peccatori nasci aut tribui. Alioquin dicendum esset Judæ proditionem, Pilati & Judęorum injustam condemnationem, & occisionem innocentis Christi fuisse juris divini. Quod si rursum *excipiant*, Jus illud dici ratione populi, qui ex ordinatione & mandato divino debeat hanc oppressionem ferre, nec possit jugum illud excutere. *Resp.* Jam populus erit subjectum juris regii, & non rex; itaque non erit dicendum jus regis, sed populi aut subditorum tum collectim tum distributim. Adhæc, malum, damnum, cruciatus, passio, malum non impedire, non coërcere scripturariâ phrasi vocabitur jus, potestas, facultas, potentia: cum sit & debeat dici juris & potestatis oppositum, ejus scil. carentia ac privatio, & sic mera impotentia. *Resp.* 3. quidquid hic dicitur de impunitate facti divinitus per justam Dei providentiam hoc peccatum comitante, est extra oleas: quia agitur & quæritur hic de ipso facto regis in se & formaliter considerato; non vero de accidentario aliquo facti concomitante aut consequente, quale est impunitas, quod scil. nemo illud punire debeat aut possit. Hoc enim totum est extra essentiam facti, quod in se inhonestum, injustum, illicitum, & moraliter malum est ac manet; consequenter nullius juris, nedum divini juris; quidquid sequatur aut non sequatur. Rabbini aliqui injustitiam hanc regum Israelis hic probant: R. Jose: in gemara *Sanhedrin* c. *cohen. Quidquid hic dicitur licebat ei facere. Maymonides* eodem fere tendit, quamvis paulo aliter. Alii tamen contrarium asserunt; uti fatetur R. *David Kimchi in comment. ad locum.* Ibidem R. Sel. Jarchi ait, hoc dixisse Samuelem *ut eos absterreret*, iisdemque *indicaret, quid facturus esset rex in regno suo confirmatus*, &c. Plerique ergo improbant & sunt R. Juda, R. Levi ben Gerson, &c. quorum verba exhibet *Schichardus cap.* 1. *de Jure regio Hebr. theor.* 1. *& c.* 2. *theor.* 7. *p.* 64. Rabbini aliter sentientes, ex οἰκείοις & τῆς ἰδίας argui possunt; quę tradunt regis potestatem varie limitatam, & non omnino legibus solutam fuisse, quippe qui omnibus divinis legibus stricte esset adstrictus (excepta lege fratriandi), & qui in jus vocari potuerit immo & vapulare: uti constat ex *Sanhedrim c.* 2., unde, aliisque ex locis contra Casaubonum hoc evincere conatur *Schichardus cap.* 2. *theor.* 7. *& c.* 4. *theor.* 14. Cum quo conferri possunt quæ de potestate magni istius concilii ex Rabbinorum placitis referuntur apud *Cunæum lib.* 1. *de Republ. Hebræor. c.* 12. Et apud *Buxtorf. in lexico rabbin.* Sed valeant opiniones Rabbinorum: quas ut & *Schichardum* refutat *Joh. Frischmuth* in discursu de regis, &c. §. 50. *& seqq.*

Videamus, quas rationes pro assertione juris divini communiter adferre solent.

1. *Rat.*

1. *Rat.* Ex voce *miſchphat*, in textu, quam gr. interpres per δικαίωμα, Vulgatus, Tigurinus, Munſterus, per *ius*, Chaldęus & Syrus per *nomouſa* Arabs per *ſunnat*. 1. *legem* exponunt. *Reſp.* Sed nihil coëgit interpretes hanc vocem ſic transferre: cum 1 *Sam.* 2. *v.* 13. & 27. *v.* 11. *Eccl.* 8. *v.* 5. *Joſ.* 6. *v.* 15. &c. *miſchphat* ſignificet *morem*, aut *conſuetudinem*, aut *rationem*, aut *modum* agendi. Quidni & hic? nulla enim analogia contextus, aut ſcripturæ hoc vetat: quin contra (uti ſupra oſtenſum), à voce juris nos abducit; quod aut ſubjectæ materiæ non conveniat, aut ſaltem ambiguitatem hic pariat. Addo, ſiquidem hæc tranſlatio non ſapiat, cum Druſio in notis ad hunc locum, ex Hebræo potius reddendum fuiſſe *ſtatutum*, *decretum*, *inſtitutum*, quod ipſi formabant, & unde ipſis jus uſurpatum. *R. Sel. ben Melech* in *michlol Jophi miſchpat* exponens per *chock* & *dat*, confert 1 *Sam.* 2. *v.* 12.

2. *Rat.* Ex nomine *regis*; ac ſi illud, ubicunque vere alicui tribuitur, de ratione ſuâ formali diceret abſolutam, & illimitatam poteſtatem in corpora & bona ſubditorum, in quæ ipſis liceret, quidquid liberet. Cui laciniæ quędam ſententiarum partim ex Ethnicis ſcriptoribus, partim ex patribus adduntur: quaſi tales amplificationes conſtituerent nobis definitiones, & axiomata theologica & politica. *Reſp.* 1. In theologiâ & ſcripturâ nihil ipſis præſidii: ex uſu ergo ipſius vocis *regis* (מֶלֶךְ βασιλεὺς) tale quid inferri nequit. Herodes, Archelaus, Agrippa, *Matth.* 2. & 14. *Actor.* 12. & 26. ſalutantur nomine *regum*; qui tamen ſuberant imperatori Romano, tanquam ſupremo domino. Similiter in libris Joſuæ in diſtrictu non tam amplo terræ Canaan 31. reges numerantur: præter Og regem Baſan, & Sihon regem Hesbon. Inter quos, qui prętерquam quod uni tantum oppido aut civitati præeſſent, non omnes potiebantur ſuprema & independente poteſtate. Tales erant reges illi *Jerem.* 52. *v.* 32. Et Philiſtæorum ſatrapæ aliquando reges nominantur: ut Abimelech *Geneſ.* 20. & 26. Talmai 2 *Sam.* 13. *v.* 37. Quin & judices Iſraelitarum *Judic.* 17. *v.* 1. & exſertè Moſes rex in Jeſchurun *Deuter.* 33. *v.* 5. *Reſp.* 2. Quod ad politicos τὸ *rex* apud illos hanc definitionem non admittit: alioquin ex cenſu regum ſubmovendi eſſent illi reges, qui aut per electionem tales, & conſequenter non gaudent arbitraria poteſtate: aut quamvis per ſucceſſionem, non admittuntur ad regni commiſſionem niſi intercedente conventione, pacto, ſtipulatione, capitulatione. De quo vide Politicos, inter eos *Althuſium c.* 17. & 19. *Beſoldum loc. cit.* Confer *Bodinum lib.* 2. *c.* 2. ubi ait poteſtate, qualis olim & hodie apud infideles aut gentes Barbaras obtinebat, paucos reges Europeos frui. *Reſp.* 5. Quod ſi uſus illius vocis tantum ſupremam poteſtatem inferret ſecundum explicationem juris divini, aut naturalis, aut gentium,

aut

aut civilis: utique actum esset de supremâ potestate, & jure Majestatis Imperatoris seu Chami Tartarici, Imperatoris Turcici, Magni ducis aut Imperatoris Russiæ, Principis Arausonienſis. Principum Italiæ, Ducis Brabantiæ, Comitis Flandriæ, &c. qui nomine *regis* non utuntur; adde antiquos duces Poloniæ, & Bohemiæ. Quæ omnia absurda sunt. Referatur ergo argumentum ad idealem Reipublicæ Platonicæ speculationem.

3. *Rat.* Quia Deus dedit hunc regem cum tali jure, & in utrumque consensit. *Resp.* Dedit quidem, sed in irâ 1 *Sam.* 8. coll. cum *Hos.* 13. *v.* 11. additâ comminatione & denuntiatione gravissimi incommodi. Vide commentar. *Martyris*, & *Sanctii*. Breviter divinæ providentiæ justissima administratio, non fundat jus agendi ea, circa quæ providentia versatur. Vide 2 *Sam.* 16. *v.* 16. ubi Deus dicitur jussisse aut dixisse Simei, &c. Confer. *Jesa.* 10. de Assur. Et *Luc.* 22. *v.* 22. de Juda, & *Exod.* 7. coll. cum *Rom.* 9. de induratione Pharaonis.

4. *Rat.* Quia onera subditorum sunt juris divini & naturalis: ergo locus hic non agit de malo more & usurpatione regum potestate suâ abutentium. *Resp. Neg.* consequentia. Neque enim omnia illa, qualia hic recensentur, ad propriam utilitatem pro arbitrio imposita, sunt divini aut naturalis juris, sed mali moris. Hactenus genuini sensus vindicatio. Quæ Politici quidam disquirunt de jure populi eligendi regem, & si abutatur potestate, ipsi non parendi, immo & in extremo necessitatis casu eidem resistendi, quia ad nostram hanc disquisitionem textualem nihil faciunt, ipsis relinquimus: cum hic textus regibus in genere, aut etiam populo, nec hoc nec quidquam aliud præscribat: sed tantum prænuntiet quid ipsorum reges, si qui mores regum Gentilium imitarentur, facturi essent; aut quid Saul primus rex facturus sit: uti Piscator aliique nonnulli hoc accipiunt.

Secunda sententia est eorum, qui hinc omnem regum & regiminis mo- §. 4.
narchici potestatem illicitam & in se malam esse contendunt. Sed ex hoc textu nihil tale exsculpi potest: siquidem nulla regiminis forma aut species jure divino hic improbatur aut approbatur, sed tantum prænuntiatur quid eventurum sit per justam Dei indignationem populo Israelitico petenti regem. *Object.* Atqui Samueli & Deo displicuit talis forma regiminis: ergo mala. *Resp.* Displicuit, non quidem ista specialis forma regiminis: sed importunitas populi, & modus hanc mutationem regiminis aristocratico-democratici in regium postulandi, cum fastidio rerum præsentium, & cum ingratitudine in Samuelem: imprimis, quod non simpliciter regem peterent, sed talem, qualem haberent Gentiles, pompaticum scil. & fastuosum: quod Deus absolutè prohibuerat *Deuter.* 17. Accedit quod cum essent Dei respublica peculiari quâdam ratione, & Deus ipsorum rex, penes quem solum *jus majesta-*

tis, 1 *Sam.* 8. *v.* 7. coll. cum *Judic.* 8. *v.* 23.; & illi, סגלה. 1. peculium, seu peculiaris Dei populus *Exod.* 19. *v.* 5. *Deuter.* 7. *v.* 6. sicuti terra ipsorum Dei terra, ipsique Dei emphyteutæ *Levitic.* 25. *v.* 23. hanc regiminis formam, & hanc terræ possessionem, contra peculiarem legem & jus ipsis concessum, imprudenter & pertinaciter mutari voluerint, & Gentilium regum potestatem in terram Dei introduci.

Tertia sententia est Melanthonis in locis comm. tit. de Magistratu in fine, hic divinitus præscribi stipendia regibus debita. Quam adoptat Waremundus de Eerenberch in tractatu cui tit. *Verisimilia theologica, juridica, ac politica: de regni subsidiis ac oneribus subditorum, libro* 1 *Samuelis cap.* 8. *traditis: per Melanthonem theologorum & politicorum coryphæum proposita: reperta & defensa discursim, contra Bartolum, Bodinum, Rossæum, Brutum, Zepperum, & alios.* Sed quidquid promittat hic titulus, nihil totus liber efficit. Neque enim stipendia regum, & onera subditorum jure divino, naturali, gentium justissimè debita (de quibus *Waremundus*, & passim omnes politici ac Theologi) in propriam & domesticam regis utilitatem convertuntur, nec dominium omne subditis eripiunt, nec absoluto arbitrio regum imponuntur, & quidem summâ cum inæqualitate, ut uni præstantissimos agros pro libitu auferat, & purpuratis atque officiariis suis tradat. Talia autem sunt onera, quibus recensitis Samuel eos à regum Imperio, secundum morem vicinarum Gentium, absterret. Adde quod super oneribus illis tanquam super injuriâ, oppressione, & jugo tyrannico clamaturi sint ad dominum. Quid autem notet phrasis *clamare ad dominum* collige ex *Exod.* 3. *Jud.* 10. *Hab.* 1. &c. Atqui super legitimis regni subsidiis, & regum stipendiis nemo sanus clamat ad dominum, aut apud Deum & homines de iis conqueritur; sed potius pro divino illo ordine & εὐχαριστία Deo gratias agit, eamque ubique celebrat. Denique sequeretur injustè fecisse Nabothum, negando regi jus suum: quod absurdum. Vide supra §. 2.

Quarta sententia est *Hugonis Grotii lib.* 1. *de Jure belli & pacis cap.* 4. „ Non esse locum Samuelis de jure vero intelligendum, id est, de facultate „ honeste & juste aliquid agendi (longè enim aliter *Deut.* 17. *v.* 14. præ„scribi), neque nudum factum indicari: nihil enim esset in eo eximium, „ cum injurias facere etiam privati privatis soleant: sed factum, quod effe„ctum aliquem juris habeat, id est, non resistendi obligationem. Ideo ad„ditur populum pressum istis injuriis Dei opem imploraturum, quia scil. „ humana remedia nulla exstarent. In quâ sententiâ omnia non æque solida esse video. Nam *primo*, illi, contra quos hic disputat, cum factum dicunt, non excludunt omne jus: sed facile concedunt indicari & includi huic facto jus regum usurpatum ac præsumtum, & fere commune aliis omnibus regi-

regibus Gentilium; quin & legem regiam non scriptam & consuetudine firmatam, immo & scriptam consensu procerum & Magistratuum inferiorum, saltem tacito, immo etiam expresso, si non planè spontaneo, saltem mixto (quomodo periclitantes in mari merces ejiciunt) cum progressu temporis introductam aut receptam, non negabunt: Sed tantum negant jus divinum aut naturale regibus Israelis, nedum omnibus aliis regibus, hic præscribi. *Secundo*, Omnino eximium quid sapit factum regum, longè diversum ab injuriis privatorum. Potestas, & potentia publica & arcana regum ac regnorum, siquidem convertantur ad oppressionem subditorum, nec vulgares nec particulares effectus generant, sed totius reipubl. gravissimam quassationem aut subversionem: uti docent politici & Historici in descriptione tyrannidis & tyrannorum; sed longè aliter se habet injuria à privatis invicem illata: uti notum est. *Tertio*; effectum juris, quo dicit populum obligari, non *est jus regis*, de quo hic controvertitur: quia rex deberet eos majoritate & potestate sua ex Dei mandato particulari obligare (siquidem *mischphat regis*, jus regis hic exponendum esset) & sic illi divinitus ad subjectionem & obedientiam regi nomine talis potestatis præstandam. Ubi est effectum juris, ibi est jus. Jam vero jus secundum Jureconsultos constituitur in re vel persona aliqua. Persona illa hoc loco non esset subditus, qui patitur; sed rex qui sic & sic acturus dicitur, unde denominatio ☞ *mischphat regis*. Quidquid sit de obligatione juris, quam *Calvinus lib. 4. Instit. c. 6. §. 26.* hic ferè ut *Grotius* agnoscere videtur, saltem, *Quarto*, minime solidum est quod *Grotius* non resistentiam concludit, ex verbis & *clamabis*, &c. Aliunde & melius hoc probat *J. Frischmuth tr. cit. §. 73 & seqq.* Nam cum bella domini gesserunt Israelitæ sub judicibus, & regibus, utique clamârunt ad dominum, nec tamen omiserunt resistentiam. *Judic. 2. v. 18. & 3. v. 9. 15. & 4. v. 3.* &c. Sed uti supra diximus, resistentia est quid extrinsecum & per accidens; nec hoc loco mandatur aut prohibetur populo; multo minus omnibus magistratibus & politicis communis ac perpetua regula tali in casu observanda divinitus præscribitur.

ADDENDA.

Disquisitioni huic nostræ oppugnandæ hypothesis ex *Deut. 17.* opponi posset. Quod non peccârint Israelitæ petendo regem, nec Samuel prædictione suâ de aggravatione jugi regii, imprudentiam & temeritatem eorum notâverit: quia *Deut. 17. v. 14. 15.* Deus mandavit iis, ut cum in terram promissionis perveniissent, regem sibi constituerent. Hæc fuit sententia *Maymonidæ*; & nonnullorum ex Doctoribus Christianis, *Schickhardi scil.*

de jure regio Hebræorum pag. 6. Sed rectè pro ſententiâ communiori, quæ eos peccaſſe ſtatuit, uti ſupra ex textu, & teſtimoniis autorum probatum eſt, reſpondetur cum *Franc. Junio*, *Auguſtino*, *Toſtato*, *in Deuter.* 17. mandatum illud non eſſe abſolutum, ſed hypotheticum, ſeu ὑποθετικὸν καὶ συγχωρητικόν. „Poſtquam, inquit *Junius in analyſi*, Deus ſuppoſuit de regno „inſtituendo, ſive ex principio bono ſive malo, ſive mixto (hæc enim „quæſtio hoc in loco minimè agitur) præcipit primum de electione, &c. Qualia ſunt præcepta illa ordinem aliquem præſcribentia circa malum permiſſum, *Deut.* 21. *v.* 10. & de libello repudii, propter duritiem cordis. Fuiſſe autem peccatum peculiare Iſraelitarum, non ita aliorum populorum, petitionem & conſtitutionem regis, ſupra probatum eſt: nec hic repeto; præſertim cum poſt diſquiſitionis meæ conſcriptionem, nactus ſim diſcurſum Johannis Eriſchmuth profeſſoris Jenenſis anno 1653. in 4. de rege eligendo & deponendo: ubi hæc cauſa ex ſententiâ Abarvaneelis eruditè agitur, & omnes adverſantium objectiones ſolvuntur. Ubi egregium hoc ſcriptum lectori iſtarum rerum avido commendavero, hâc vice quieſcam.

Reſponſio ad caſum 19. Febr. 1652. ab amico propoſitum,

An Principe aut Magiſtratu mutato, privati cives aut incolæ, priori perpetuam obedientiam & fidelitatem debeant.

I. CHriſtiani quâ tales, imprimis miniſtri conſcientiam, vocationem, miniſterium ſuum, à publicis Principum, regnorum, politiarum mutabilibus negotiis & cauſis ſuſpendere, aut iis alligare non tenentur. Ratio eſt, quia talia negotia & tales cauſæ non ſunt in ipſorum poteſtate, nec ea judicio ἡγεμονικῷ, publico, autoritativo determinant: ſed tanquam privati cives judicia publica & autoritativa, quibus determinantur, ſubſequente, diſcretivo, & approbativo ſuo privato judicio approbant ac ſequuntur, ſiquidem legitimè & rectè lata ſint; aut ſaltem cum tolerantiâ iis & ordinationi publicæ ſe ſubjiciunt, cum aliter fieri non poteſt, ſiquidem malè & illegitimè lata in conſcientiâ ſuâ ſentiant.

II. Certum eſt cauſas publicas Regum, Principum, Politiarum & formarum regiminis debere determinari ab illis, penes quos eſt publica poteſtas: idque aut judicio ſpontaneo ac præcedente cum adhuc integræ ſunt; aut ſaltem ſubſequente, cum vulneratæ ſunt: quod plerumque fieri ſolet jure belli, gladio & potentiâ victrice viam aperiente. Hinc fit, ut quod in primâ origine & conſtitutione erat illegitimum, poſtea accedente & ſubſequente ſive tranſactione, ſive conſenſu, approbatione, acceptatione (expreſsâ

preſsâ aut tacitâ) eorum, quorum intereſt, & penes quos poteſtas eſt, legitimetur & rectificetur.

Sic omnia majora imperia & regna (pauciſſimis exceptis, forte nullis) aut conſtituta aut amplificata fuerunt: ex. gr. Quatuor primæ κατ' ἐξοχὴν dictæ *monarchiæ*, Danielis viſionibus explicatæ; adhæc Imperia Romanum, Turcicum, Perſicum, Mogulicum, Tartaricum, Japonicum, &c.; & Regna Gallica, Britannica, Hiſpanica, Principatus Italici, quæ Imperio Romano ſe ſubtraxerunt.

III. Juramentum quo quis aut in confœderationem aliquam jurat, aut fidelitatem promittit regi, & familiæ ac poſteris ejus, aut politiæ alicui & regiminis formę, ſive monarchicę, ſive ariſtocraticę, ſive democraticæ, ſive mixtæ, (quæ omnes ſunt creaturæ humanæ, ſecundum jus divinum permiſſivum pro arbitrio hominum in hâc aut illâ gente formatæ atque introductæ) non tam abſolutum eſt aut eſſe poteſt, quin ſemper adjunctam aut ſubintellectam habeat iſtam limitationem, *quamdiu poteſtas & potentia adeſt:* ad illegitimum enim, injuſtum, & impoſſibile nemo obligari debet.

Poteſtas judicatur deeſſe & ceſſare, quando poteſtas publica & jus transfertur ad alios; quod fit aut per victoriam, armorumque ſubjectionem, & ſubſequentem tranſactionem; aut per ſubſequentem acceptationem & approbationem ſivè tacitam ſive expreſſam: aut per ſpontaneam ſententiam propter rationes neceſſarias (ſive verè ſive ſecundum opinionem) latam ab illis, penes quos publica poteſtas; quâ ſubditi à priori juramento fidelitatis abſolvuntur. Et huic publico judicio, ordini, & autoritati; privati ſubditi, prætextu prioris juramenti, non debent, ſaltem non tenentur reſiſtere. Conſidera exempla Danorum in depoſitione Chriſtierni, Suecorum in depoſitione Sigiſmundi, Helvetiorum in ejectione Auſtriacorum, Luſitanorum in mutatione regis ſui, & ſubſtitutione ducis Braganſani, Fœderatorum Belgarum in exauctoratione Philippi II., Anglorum in tranſactione cum Wilhelmo Conqueſtore & in acceptatione Eduardi, 3. uſurpatoris, extra legitimam ſucceſſionem regnum capeſſentis. Eorundem Anglorum ut & Gallorum, Hiſpanorum, aliorumque in ſeparatione ab Imperio Romano.

Potentia judicatur deeſſe, cum potentia ſuperveniens & major ſive domeſtica ſive extranea vincit ordinariam potentiam publicam, aut vincit eum aut eos, penes quem aut quos in præſentia illa potentia reſidet. Sic regna, regiones, provinciæ, civitates, ab antagoniſtis occupatæ aut ad deditionem coactæ, per religionem prioris juramenti fidelitatis, non impediuntur, quò minus novo domino aut dominio ſe ſubjiciant, & juramentum præſtent. Addo privatos ſubditos tum miniſtros tum auditores

in ecclesiâ, in casu, cum regna, provinciæ, civitates sponte regimen suum mutant, aut in dominium imperiumve alienum transeunt, ex vi prioris juramenti non teneri amplius ad resistendum novo regimini, domino, imperio: sed posse, immo & debere, aut se fideliter subjicere, aut inde migrare. Considera quid suaserit Jeremias Judæis per Chaldæos oppugnatis & expugnatis, & Christus Judæis à Romano Imperatore subjugatis. *Math.* 22. *v.* 21. Quid in casu formæ regiminis, aut familiæ regentis positivè & exsertè abjurandæ faciendum sit, in 1. *part. polit. eccles. lib.* 2. *tract.* 1. *pag.* 506. cœpi monere.

IV. Nunquam antiquæ ecclesiæ martyres, doctores, patres, concilia generalia, Nationalia in translatione regni Italici ad Longobardos, & imperii occidentalis ad Francos, adhæc in mutatione variorum imperatorum, totalium, Orientalium, Occidentalium (sæpe per violentas intrusiones usurpationes, immo & paricidia), insuper in constitutione novorum regnorum & avulsione Britanniæ, Galliæ, Hispaniæ, principatuum quorundam Italiæ ab Imperio Romano, publicum aliquod judicium suum ecclesiasticum interposuerunt & publico judicio politico opposuerunt; aut prætextu juramenti fidelitatis, quo prioribus dominis & imperiis antehac obstringebantur, novis dominis & imperiis restiterunt aut subditos iis resistere docuerunt, resistentiâ positivâ aut negativa: nedum ut ad extrema quæque ferenda, ad martyrium subeundum, ad ecclesias & familias suas per spontaneam fugam atque exilium, deserendas, & seipsos obtulissent, & auditores suos cohortati fuissent.

LECTORI S.

Benigne lector, occasione ita suadente *Disquisitionem* de *autore Vindiciarum contra Tyrannos* Amstelodami a. 1662. typis *Ægidii Valckenier* in 12. publicavi. Eandem non ineptè 4. parti select. disp. inseri & proximè præcedentibus disp. subjungi posse putavi. *Kal Junii* cIↃ IↃ c LXVI.

DIS-

DISQUISITIO
DE
AUTORE VINDICIARUM
Contra
TYRANNOS,

Quæ sub nomine
STEPHANI JUNII BRUTI *Celta aliquoties typis editæ sunt.*

NUlla ætas, nulla gens literis exculta, quæ inter complu- §. 1.
res libros non viderit aliquos suppresso autorum nomine publicatos: sive temporum iniquitas, hominumque res & causas ex personis æstimantium præjudicia necessariam hanc prudentiam suaserint illis, qui publico prodesse cupiunt: sive atrocium calumniarum & infandorum dogmatum asylum in tenebris illis quæsiverint sibi, qui publicè privatimque impunè satagunt nocere. Hinc etiam factum, ut de anonymis ejusmodi scriptis variæ variorum conjecturæ pro genio & curiositate cujusque per ora hominum volitare soleant: aliæ quidem veræ aut maximè vero similes, saltem verecundæ: aliæ calidæ & audaces; ne dicam ab omni verisimilitudine longissimè remotæ; quæ tantò deteriores, quantò honestis viris non tantùm, sed & publico majus inde periculum ac damnum, siquidem fidem aliquam invenerint, creari posset. Ne longè abeam, prodiit anno 1660. celebris satis libellus aliquoties excusus, hoc titulo recusus: *Vindiciæ contra Tyrannos*, &c.

STEPHANO JUNIO BRUTO
Celta sive, ut putatur
THEODORO BEZA
Auctore

Amstelodami,
Apud *ÆGIDIUM VALCKENIER*, M. D. C. LX.

Tituli hujus insolentiam & indicii novitatem non potui non satis mirari: tum

tum quod certiori indicio jam præoccupatus essem, in quo tutissimè acquiescere possem: tum quod hactenus nullas editiones (sunt autem variæ), *Bezæ* nomen præscripsisse, aut à maximis librorum helluonibus & cognitoribus, quorum quidem familiaritate mihi frui licuit, tale quid conjectatum meminissem: tum denique quod epistolas, præfationes, conciones, aliaque scripta *Bezæ* sive elenctica sive apologetica legentibus, persuaderi minimè possit, illius libelli stylum, materiam, methodum & modum tractandi *Bezam* theologum redolere.

Ut incipiam à certiori genuini autoris indicio orbi Europeo demum facto anno 1628. velim æquus lector mecum cognoscat paucula hæc excerpta ex *Oratione funebri* Clariss. theologi Genevensis *Theod. Tronchini* in obitum *Simonis Goulartii* Genevæ habitâ, & ibid. excusâ apud Petrum Aubertum Reipubl. & Academiæ Typographum in 4.

Sic ergo Tronchinus; *Nihil illi apud Authores inpervium: quicquid veteris historiæ, quicquid recentis, omnium gentium omnes annales pervolutavit. Atque hæc memoria tam feliciter est complexus, ut Bibliothecam instructissimam omni genere librorum cùm omnes vellent videre, ad ipsum accederent, magis tamen eum audientes mirarentur ipsum Bibliothecam viventem. Si quid quem fugeret vel ignotum vel memoria lapsum, ad hunc statorem memoriæ institoremque perpetuum certò confluebatur. Vix ille quidquam legerat, cujus non meminisset probè: plures libros legerat quàm librorum nomina multi audierint qui eruditorum nomen sustinent: ingenio adeò prompto, oculis tam pernicibus libros integros citiùs perlegerat quàm multi librorum indicem inspicerent. Facilè fidem invenio apud vos qui experti estis; fidem facient apud exteros scripta ipsius quibus tam multos authores Græcos, Latinos, Gallicos illustravit, & genti suæ communicavit verè sæculi nostri polyhistor. Quàm impleverit orbem fama latissimæ eruditionis, quâ pollebat, vel uno hoc argumento constabit. Henricus tertius Rex Francorum, curiosius omnia noße quæ toto regno dicebantur & scribebantur, ut eâ ratione cogitationibus & consiliis omnium interesset: cùm legisset librum qui Stephani Junii Bruti nomine vindicias habet contra Tyrannos & quis sub eo nomine lateret author avidissimè cuperet scire: post delusas omnes explorationes non putavit compendiosiore via pervenire posse ad ejus rei, quam inquirebat, notitiam, quàm indicio nostri Goulartii, quem nihil latere credebat eorum quæ typis evulgabantur. Ad Goulartium mittit qui ab eo rem edoceretur. Authographum authoris viderat noster & sciebat opus esse Huberti Langueti viri à singulari pietate, doctrina, prudentia celeberrimi, quod vir illustris & literatæ nobilitatis decus Philippus Mornæus Thomæ Guarino Typographo tradidit excudendum & publico dedit, cùm post auctoris obitum in suam potestatem venisset. Quod tamen distulit indicare noster, ne sanctissimi viri manes immeritò sollicitarentur.*

Quod

Quod ad varias editiones, nulla earum unquam meminit nominis alicujus, nisi adscititii illius *Stephani Junii Bruti.* Primus editor opusculi, qui nomen *Cononis Superantii Vasconis* sibi tribuit, in præfixâ præfatione *Junium Stephanum* ita dictum, describit, tanquam *virum eruditum, prudentem, nobilem*; cum quo ante biennium sermones de hâc materiâ miscuerat, & à quo libellum hunc scriptum postea acceperat, quo eum legeret & sententiam de eo suam significaret. Editio illa incidisse videtur in annum 1587. In præfatione dicti *Cononis* edit. anni 1589. in 8. annus notatur 1577. Sed hoc vel paroramati typographi, vel studiosæ fictioni tribuendum est. Neque enim in catalogis Francofurtensibus à *Clessio* ab anno 1500. usque ad 1602. & *Draudio* usque 1610. exhaustis, nec in *supplemento Bibliothecæ Gesneri ab Ant. Verdier* usque ad annum 1585. producto, hujus tam celebris scripti fit mentio, nisi quod Draudius pag. 913. hæc notat: *Stephani Junii Vindiciæ contra tyrannos*, &c. *Edemberga* 80. & 81. *in* 8. *Latinè & Gall.* Editiones illas, quia nunquam vidi, non possum ex iisdem de primâ editione post obitum Langueti, qui incidit in Kal. Octobr. ann. 1581., per *Plesseum* procuratâ certi quid statuere. Vix enim credibile est post *Langueti* è vivis discessum Antwerpiæ, ante finem anni 1581. opusculum hoc typis descriptum fuisse. Saltem, si propter rationes minimè leves, ut tempora tunc erant, vivente *Langueto* editionem distulit *Plesseus*, utique anno 1580. ad nundinas Francofurtenses exemplaria Edimburgensia (an nomen loci ex rei veritate adscriptum sit haut immeritò dubitari possit) allata, & nomen libri catalogo illatum non est. Sed fortè in numero 1580. à *Draudio* aut typographo erratum aliquod commissum est. *Gul. Barclayus in præfat. libri de Regno*, &c. contra Monarchomachos ubi dicit se usum fuisse exemplari Edimburgi excuso anno 1579. hęc verba subjicit: *sed ementitum à librario locum esse suspicor, ne tam nefarii autoris nomen proderet.* Quidquid sit, nullæ usque ad annum 1660. prodiere editiones, nulli Scriptores politici, à quibus libellus hic frequenter citatur, qui præter Stephani Junii Bruti nomen, sive Bezę sive alterius cujuscunque indicârunt.

Sereniss. & Potentiss. magnæ Britanniæ Rex Jacobus in declaratione oppositâ orationi Cardinalis Perroni anno 1615. ad objectum hunc anonymum libellum, conjicit: potuisse *libellum illum scribi ab aliquo Romanæ Ecclesiæ subdito, hunc in finem, ut homines reformatæ religionis apud principes redderet exosos.* Quod nunquam scripsisset, siquidem per theologos suos rerum superiori sæculo gestarum, & librorum editorum, præsertim de Principum potestate, perquam gnaros, informari potuisset de libelli tam celebris genuino autore, *Theodoro scil. Beza.*

Adversarii Bezæ, quos habuit in Papatu, & in sectis à Genevensium sive

doctrinâ, ſive diſciplinâ, ſive doctoribus Calvino & Beza maxime alienis, Bezæ tam diu non peperciſſent; *Carpentarius* (ſcil., *Balduinus*, *Caſtellio*, *Eraſtus*, *Morellus*, & quidam contra Genevenſem diſciplinam ſcribentes, quales *Hadr. Saravia*, *Rich. Montacutius*, *Daniel Tilenus*, *Wilhelmus Ladus*, *Doctor Bramble*, aliique, qui ut Genevenſis doctrinæ & diſciplinæ ſectatores odioſos redderent, neſcio quam ἀντιπαθίαν cum regiâ monarchiâ eidem imponere conati. Non eſt operæ pretium, ut omnia ex omnibus in ſcenam producantur: ſufficerit hic indicari, in Belgio alicubi habitam concionem ab epiſcopo (ni fallor) eandemque paulo poſt typis editam, quâ presbyterianis h. e. diſciplinæ Genevenſis ſectatoribus tale ſtigma inuritur, quod ſicuti Chriſtus inter duos latrones, ſic ſereniſſ. magnæ Britanniæ Rex Carolus I. inter presbyterianos & independentes paſſus ſit. Legi & aliam quam concionem Doctoris *Henr. Valentini* in Angliâ in ęde Pauli Londinenſi 27. Martii 1639. habitam & typis editam; in quâ dicitur, *conclave* ſcil. Papale, & *conſiſtorium capitales inimicos*, factos eſſe juratos fratres in perſequendo uncto domini, h. e. ſereniſſ. magnę Britanniæ rege: quos ibidem comparat Herodi & Pilato. Sic ille pag. 10. 11. Qui ibid. pag. 26. ſic pergit: „Velim hanc eſſe doctri-„nam Jeſuitarum tantum, &c. ſed hoc fermentum latius ſe ſparſit, & fer-„mentavit eos, qui ſe faciunt *reformatores eccleſiæ reformatæ*. Ubi enim „Mariana ait, fieri poſſe cum *laude* (ut ſcil. reges occidantur), *Buchana-*„*nus* ulterius progreditur, & vult fieri cum præmio. Virulentas & calumnioſas hujus viri ineptias punctim non examinabo: ſed ſolummodo ſereniſſ. Regis Jacobi reſponſum ad objectum à Cardinale Perrono Buchananum, ipſi aliiſque eccleſiæ & religionis reformatæ calumniatoribus indico, & antehac indicavi in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de fede Romana incompatibili*, &c. pag. 850. & ſeqq. Certe ſi presbyterianę diſciplinæ adverſarii colorem aliquem dicere potuiſſent, hunc ſanè de Bezâ autore illius libri non prętereriiſſent. Ne quid dicam de *Davide Owen* Monenſi, deque perſonatis *Chriſtiano Godtlieb à Friedberg*, & *Chriſtophoro ab Ungerſdorf*, qui tanto molimine veterani theologi Heidelbergenſis *Davidis Parei commentar. in Rom.* 13. neſcio cujus damnoſæ adverſus monarchicum regimen doctrinæ inſimulabant: quorum inſtituto opinio de Bezâ autore contra tyrannos, aliquam partem inſerviiſſet: Ibi ſaltem, ubi modo memoratus libelli ſui p. 112. feralem hanc calumniam vomebat: *Deum ſanctè teſtor, me adhuc neminem inveniſſe idolo addictum presbyteriano, qui non fuerit regiæ majeſtati æque iniquus, ac dignitati epiſcopali infeſtus. Presbyterii ſectatores Jeſuitis potius (quorum imitantur mores) quam Proteſtantibus annumero.* Nec prętereundus *Barclayus*, qui *lib.* 3. *c.* 11. qui *Wicleſo*, *Huſſo*, Lutheranæ & Calvinianæ peſti tale quid tribuit: ut nec *Mart. Becanus* qui in aphoriſmis Calviniſtarum aphor. 11. probaturus Calviniſtas

nistas & Calvinum ac Bezam regibus fuisse infensissimos, adducit aliqua illius verba ex comment. ad *Dan.*6. hujus ex *epist.*41. ubi regem Francorum appellet *Satanam:* minime omissurus citationem vindiciarum contra tyrannos, siquidem aliquâ verisimili conjecturâ, aut figmento Bezæ eas adscribere potuisset. Idem in *Responso ad aphorismos Jesuitarum aphor.* 9. ubi nostris ex Mariana *libr.* 1. *de rege cap.* 6. exprobrantibus Jesuiticam doctrinam de principibus tyrannis oppugnandis & ejiciendis, reponit quidem quidquid potest: sed de *Vindiciarum*, &c. autore Beza altum silentium. Idem videre est in tract. de privilegiis Calvinistar. §. 12. quod possint *reges suos occidere, ejicere*, &c. *quando ipsis visum est*, ubi citat Bezæ epist.41.

Quod ergo inimici, & amici Bezę, quod vehementiores quidam hierarchici à Calvino & Beza ob disciplinam Genevensem maximè alieni, quod editores Vindiciarum contra tyrannos, quod scriptores politici, quibus in quęst. de resistentiâ tyranni frequenter citatur hic libellus, quod *Perronus*, *Becanus*, *Gretserus*, *Eudæmon*, *Johannes*, totaque Jesuitarum natio, tot emissitiis oculis omnia arcana perrimantes, specialiter in apologiis & retorsionibus de rege tyranno; Quod *Barclayus* scribens in *Junium Brutum*, *Buchananum*, &c. hactenus nullis conjecturis assecuti, nullo verisimilis commenti fuco Bezæ imposuere; cujus avis indicio id demum innotuit nupero hujus libelli editori Amstelodamensi?

Sed his missis, ad partes vocemus Remonstrantes in Belgio, hic tacentes: quos tamen historiam Poltroticam, supplicium Serveti, & nescio quæ refodere non piguit, ad odium Genevensibus, & nominatim Bezæ, qui supplicium de Serveto sumtum defendit, ubique terrarum conflandum. *Grotius* cum *in appendice ad commentar. de Antichristo*, in eo totus esset ut reformatos theologos quam odiosissimos redderet tanquam hujus sæculi bellorum incitores, p.65. de Junio Bruto sic loquitur: *Quis sit sat scio; sed quia latere voluit, lateat.* Siquidem sat sciviset Bezam libelli illius esse autorem, nomini Bezę in odiosis illis non peperciset, qui ibid. pag. 95. & 85. non parcit reformatis & protestantibus tum politicis, inter quos Principes non pauci, tum ecclesiasticis in Gallià, Scotià, Germaniâ, ubicunque dissensiones inter Principes & subditos sæculum hoc nostrum exortas vidit. Nec *Martyri*, *Pareo*, *Daneo in notis ad lib.* 1. *de jure belli & pacis cap.* 4. §. 6. ubi eos Junio Bruto associat: nec Calvino, Riveto, Lubberto, aliisque theologis reformatis in Belgio & extra Belgium, in Pietate Ordd. & passim in scriptis apologeticis pro notis ad Cassandri consultationem, usque ad scripta posthuma inclusę.

Cum ergo nulli editores, nulli amici & inimici tum Langueti tum Bezæ usque ad annum 1660. Bezam autorem prodiderint, ne quidem conjecturam de eo fecerint: non video cur ἀπροβατήτῳ σχάσματι τὸν Δᾶνα tantum tri-

buendum sit, ut conjecturali novi tituli epiſagmate libellus hâc tempeſtate oneretur; & omnis ordo theologorum, qui innovandi pruritu à Genevenſibus non divortiunt, quamdiu nec illi à verbo Dei, regibus ſuſpectus redderetur. Satis odii & invidiæ ſuſtinent reformati theologi, ſi fidei & morum integritatem, atque ordinem à Chriſto capite, eccleſiis præſcriptum ex conſcientiâ vocationis cœcutienti mundo ἐυκαίρως ἀκαίρως inculcare ſatagant: ut minime opus ſit eos ob aliena Jureconſultorum & politicorum ſcripta ſibi perperam ſuppoſita, majores moleſtias ſubire: aurem interim vellente proteſtatione Principis Poëtarum,

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores:
Sic vos non vobis, &c.

Interim abs re non fecero, ſi *Grotii* quædam verba ex *notis ad Matth. 14. v. 3.* hic adſcripſero: διὰ Ἡρωδιάδα.] „In ejus gratiam, quanquam Joſe„phus alteram cauſam refert, quod metuerit Herodes defectionem populi, „non arbitror, quod Johannem hominem ſeditioſum crederet, cujus tota „vita ad pietatem erat compoſita, ſed quia oderunt & metuunt mali prin„cipes quidquid vitiis inimicum eſt. Boni, inquit ille, quam mali ſuſpe„ctiores ſunt, ſemperque aliena virtus formidoloſa eſt. Ita videmus à peſ„ſimis quibuſque Imperatorum pulſos urbe Judæos, Chriſtianos, etiam„que ſapientiæ profeſſores, ne quid uſquam honeſtum oculis occurreret. „Nam ut viri boni quam maximè taceant, quod tamen non ſemper fas „eſt, tamen ipſa illorum vita tyrannis ſua flagitia exprobrat. Cui rei non „aliud inveniunt remedium, quam ut magna odia magno metu compeſcant.

§. 2. Hactenus πολυΐστορ *Simonis Goulartii* indicio, conjecturas aliquot nuperâ illâ noviſſimi editoris anno 1660. haut paulo veriſimiliores ſuccenturiavimus. Reſtat una non contemnenda, ex ſtylo, methodo & ratione diſſerendi deſumta; quæ nec ingenium nec ſtudia Bezæ, ſed potius alicujus eruditi Juriſconſulti, atque unâ exercitati expertique politici, qui *mores hominum multorum vidit & urbes*, ſapere judicanda ſunt. De ſtylo mittam, quem vulgaris criticus ex collatâ lectione epiſtolarum Bezæ & Langueti facile deprehendet. Quod ad rationem diſſerendi, illa Bezæ quamvis diffuſæ lectionis & eruditionis theologo, ſpartam quam in ſcholâ & eccleſiâ nactus erat, gnaviter exornanti, totque conſiliis domi & foris dandis, tot ſcriptionibus contra varios & complures adverſarios adornandis, occupatiſſimo, nullâ vel umbrâ veriſimilitudinis, adſcribi poteſt. Præter juris Romani & JCCtorum citationes, allegantur hiſtoriæ, jura, ſtatuta & mores politiarum quarumcunque ſpecialium in Europâ; quæ à nemine proficiſci potuerunt, niſi cui per peregrinationes, multorum politicorum familiaritates, aſſiduas ſcriptiones communicatorias, proprias inſuper negotiationes

tiones ac pragmatias arcana Rerumpublicarum & aularum perſpecta erant. Talem vero fuiſſe *Languetum* & elogia præſtantiſſimorum virorum, & quæ proſtant epiſtolæ ipſius ad *Sidnejum*, & *Camerarium* abundè teſtari poſſunt: Bezæ autem agrum hic non fuiſſe, vita ipſius & ſcripta evincunt. Præterquam enim quod omnia non poſſimus omnes, tantum illi otii à potiori parte quam elegerat, hoc eſt, à meditatione ſacrorum & curâ animarum nec erat nec eſſe debebat, ut tam altè in τὰ βιωτικὰ & politica ſe demitteret; quo multorum, præſerrim adverſariorum ſuſpicionem de curioſitate, πολυπραγμοσύνῃ, ἀλλοτριεπισκοπῇ non effugiſſet. Atque hæc ſufficere arbitramur ad venerandum theologum regibus & principibus reformatis gratiſſimum, à libro novè & paradoxè nomini ipſius impacto, & regibus ac principibus, quorum cauſa in Germaniâ, Galliâ, Belgio, &c. inter ipſos & populos armis diſceptata illo libello haut obſcurè videbatur tangi, non ita accepto, provirili ſimul & ſemel liberandum; ſaltem hoc agendum, ne novella conjectura latius ſparſa, nemine contra monente, cum tempore ad alias editiones & in rem judicatam tranſiret.

Velim tamen præmonitum lectorem, me cum hoc ago, minimè mihi partes ſumere de libelli illius ſummâ, aut ullâ principali quæſtione judicandi, nedum ulli ſpeciali politiæ aut cauſæ applicandi, aut ulli ſcriptori politico, qui hunc libellum citârunt, quidquam prejudicandi. Ut enim hoc mei fori non eſt, ſic nec preſentis inſtituti: ubi veritas hiſtoriæ ſeu facti, & juſtitia ſuum cuique tribuens ſolummodo ſpectatur. Si quid in ipsâ materiâ libelli ingratum, importunum, odioſum, periculoſum alicujus judicio occurrat; illud in juris ſacerdotibus, quales *Hotomannus*, *Gentiletus*, *Sleidanus*, *Carolus Molineus*, *Camerarius*, &c. ex legibus, ſtatutis, moribus populorum de caſibus & cauſis ſibi propoſitis, judicare, & conſilia formare ſuetis, à cujuſcunque religionis Principibus, minori religionis reformatæ præjudicio toleraretur, quam in Beza Theologo Genevenſi, & inter reformatos juris divini interpretes ſuâ ætate poſt Calvinum celeberrimo.

Quod imprimis intelligi velim, de Pontificiis & Reformatis, qui hoc præſenti ſeculo in Galliâ, Angliâ, Venetiis deſtructâ Pontificum poteſtate temporali, regibus, & principibus eandem in ſolidum vindicare aggreſſi ſunt. Si quis ipſam controverſiam penitius introſpicere cupiat, illi adeundus *Barclajus*, qui peculiari tractatu Buchananum, Junium Brutum, Boucherium, alioſque monarchomachos (uti eos appellat) oppugnavit. In quibus autem & quouſque alii Politici & Juriſconſulti diſſentiant, aut potius per diſtinctiones quaſdam, mediam inter extremas ſententias eligant, docebit te lectio *librorum politicorum*, *Canonhieri*, *Keckermanni*, *Althuſii*, *Koenigh*, *Alſtedii*, *Obrechti*, *Liebenthael*, *Gul. Prynne*, *Politica anonyma a.* 1617. *Francof.*

in 4. qui omnes Junii Bruti Vindicias citant. Si quem hæc cura tangit, poterit conferre libellum à Magdeburgenſibus anno 1550. de jure Magiſtratus in ſubditos editum, ejuſdemque refutationem autore *Joanne Beccariâ* anno 1590. in 8. ſed ſine nomine loci & typographi. Dubito an autoris nomen verum ſit an fictum. Speciales apologias procerum, & populorum, qui ſe armis contra ſupremos Dominos tutati ſunt, non indico: quod illis, quos hoc concernit, ignotæ eſſe nequeant.

§. 3. Reſtat in tranſitu expendenda ratio novellæ conjecturę, quæ nuperæ editionis Amſtelodamenſis ephorum commovit titulo libri adſcribere; *ſive, ut putatur, Theodoro Beza Auctore.* Nullam aliam in præfatione ſub nomine typographi aſſignatam video rationem niſi iſtam: *Ecce amicus copiam facit exemplaris, cui doctiſſimus vir, in celebri Academiâ quondam Profeſſor manu propriâ inſcripſerat, non Stephanum Junium, ſed Theodorum Bezam ejus auctorem eſſe.* Non indicatur, quis ille fuerit Profeſſor, quantus librorum, imprimis iſtiuſmodi politicorum, cognitor, unde & per quos hoc tam multis annis occultum ipſi demum innotuerit, quibus ſive argumentis ſive ſuſpicionibus criticis hoc ex collatâ libelli anonymi & ſcriptorum Bezæ lectione collegerit. Ut non magis certi nunc ſimus poſt hoc indicium anno 1660. factum, ac ante illud. Tribuatur ergo illud in poſterum *Langueto*, ex indicio à me facto; aut ſiquidem quis malit ἐπίχδ', tantiſper in anonymo Junio Bruto acquieſcat, donec dies certiora.

„ *Thuanus Hiſtor. libr.* 74. Hubertus Languetus, Vitellii in Æduis na-
„tus, vir doctiſſimus, & humaniſſimus, ac rerum Germaniç, in quâ ferè
„totam vitam contrivit, & ubi mihi arcta cum eo amicitia fuit, peritiſſi-
„mus, & ſummus Joachimi Camerarii amicus, cum Auguſto Saxoni Se-
„ptemviro operam ſuam addixiſſet, & præcipui Conſiliarii in officio apud
„eum diu defunctus, in ſuſpicionem veniſſet, quaſi epexegeſis de Cœnâ
„Domini à Gaſpare Peucero, & aliis, juxta Helveticam Confeſſionem
„diſleminatæ conſilio participaſſet, ab eâ aulâ diſceſſit, & ſe ad Arauſio-
„nenſem contulit, apud quem dum graviſſimis negotiis explicandis, qui-
„bus par illius animus erat, ſedulò incumbit, morbo correptus, Anno
„Domini 1581. climacterico ſuo, prid. Kal. VIII. Br. Antwerpiæ de-
„ceſſit.

Epitaphium Huberto Langueto Antwerpiæ ſepulto poſitum. *Huberto Langueto. viro. nobili. ac. diſerto. nato. vitelli. Hedvor. oppido. egregiam. laudem. in. omni. doctrinæ. genere. juriſq. civilis. ſcientia. propter. excellens. ingenium. promptam. memoriam. &. peracre. judicium. conſecuto. prudentia. vero. quam. ex. diligenti. hiſtoriarum. perſcrutatione. &. plurimorum. celebrium. hominum. ſedulo. quæſitis. undecumq. amicitiis. ac variis. ad. quaſlibet. Europæ. natio-*

nationes. gentes. urbes. &. Principes. missus. etiam. ad. præcipuos. nonnullos. peregrinationibus. atque. longo. rerum. & annorum. usu. naturæ. quadam. vi. non. mediocrem. est. adeptus. valde. præstanti. viro. conditione. cælibi. morum. elegantia. comitate. gravitateque. perinsigni. fide. porro. animique. magnitudine. sapientia. &. pietate. qui. eas. virtutes. non. solum. vita. verum. etiam. quod. caput. est. moriens. intestatus. ipse. sufis. ad. Deum. toto. morbi. quo. decubuit. tempore. gemitibus. &. ardentissimis. in extremum. usq. vitæ. spiritum. precibus. habitis. insuper. ad. familiares. ultro. citroque. de. divinis. humanis. publicis. privatisq. reb. & de nostri. seculi. perfidia. variis. sermonibus. expressit. ob. quæ. scilicet. universus. civitatis. aduaticorum. Senatus. mortuo. funebres. honores. legitime. decrevit. req. ipsa. exhibuit. longe. clarissimo. amici. superstites. memoriæ. causa. bene. merenti. Vixit annis. LXIII. Obiit. Kalend. Octobr. M. Io. LXXXI.

Philippus Mornæus Pleßæus in præfat. libri de veritate religionis Christianæ.

„Huberti Langueti V. C. toto orbe Christiano inprimis noti, obitum do-
„luerunt, qui noverant, omnes. Ego, quem unice venerabar, parentis
„loco, unice deflevi. Ut vero animum recolligere licuit, subibat subinde
„mentem illud *Esaiæ*, *cap.* 57. Justus obiit, nec est qui animum advertat:
„sublatus est pius, nec est, qui intelligat, ereptum esse eum malo, ut in-
„troducatur in pacem. Languetus hic noster; quis fuerit, pauci nostrâ
„ætate rogabunt; quia plerique norunt: at nosse debent omnes, qui
„omnium utilitati, si quis unquam, consulvit: debent præsertim posteri
„quorum nemo studiosior vixit. Dicam quod sentio, & vero quod res est:
„Certavit in hoc viro cum pietate doctrina, cum conscientiâ scientia,
„cum naturâ ars, cum disciplinâ rerum usus: nemini mundus melius co-
„gnitus, ex mundi perlustratione, unum didicerat mundi contemptum:
„nemini etiam mores hominum magis pervii: in tam multiplici interim
„cognitione, tantam morum simplicitatem nemo non mirabatur. Ne
„pluribus: is fuit Languetus, quem plerique videri volunt: is vixit, quem
„optimi mori cupiunt, & porro vitam optime actam, mors optima, pla-
„cidissima, mors in Christo beatissima, & beatissimę vitæ proxima, lau-
„de & gloria coronavit. Ego certe, quod mihi unum supereſt, hominis me-
„moriam, colam, dum vivam.

Bodinus in Methodo Historiarum, cap. 5. pag. 83. edit. in 8. *Languetus Gallus, literis æque ac totius Europæ peregrinatione nobilis.*

Philippus Melanthon epistolar. lib. 1. ep. 63. ad Cardinalem Bellajum episcopum Parisiensem, pag. 166. edit. in 8. „Cum igitur hic Hubertus Lan-
„guetus Burgundus in Italiam rediret, ut Bibliothecas inspiceret, potissi-
„mum ei literas ad te dedi, quem sciebam viros bonos, doctos & modera-

tos

„tos libenter complecti. Nec verò plus ei meum teſtimonium, quàm „ſuam virtutem apud te virum excellentem ſapientia prodeſſe volo, ubi „audies, ſtatim intelliges & πολιτικὸν eſſe, & virum prudentem, mode„ſtum, pacis & concordiæ publicæ amantem, integrum, ac dignum bene„volentia bonorum virorum. Quare tuo eum judicio tueberis & ornabis. „Alienus eſt à factionibus, nec circumfert negocia periculoſa paci: Sed „hiſtoriarum monumenta in Bibliothecis quærit, quâ in re ipſi non defu„tura eſſe doctorum officia ſpero. Tuam verò benevolentiam non ſolùm „propter cauſam peregrinationis, ſed propter ipſius prudentiam, inte„gritatem, morum ſuavitatem, & eruditiſſimos ſermones ſpero erga „ipſum fore eximiam. Bene & feliciter vale. Calend. Junii, anno 1555.

Joachimus Camerarius Papebergenſis in vitâ Melanthonis pag. 333. 334. *edit. in* 12. „Gallicæ autem nationis Hubertus Languetus Heduus (Bur„gundi nunc nominantur) multis annis vixit verſatuſque eſt apud Philip„pum Melanchthonem cum Wittenbergam veniſſet anno Chriſti M. D. „XLIX. Neque ab ipſo diſceſſit niſi interdum ob intervalla quædam pere„grinationum, quibus mirificè delectabatur, donec Philippi Melanchtho„nis vita in terris duravit. Ut horum conſuetudo annum attingat XII. „Erat autem Philippo grata atque jucunda multarum magnarumque re„rum, quas ille tenebat, commemoratio, & oratio de Regibus Principi„buſque gubernationum, & aliis ſapientia, virtute, doctrina præſtantibus „Viris horum temporum. Neque ego audivi ullum alterum, qui tam pru„denter & certò, & planè, dilucidè, diſertè exponeret, quicquid narrare in„ſtituiſſet. Non ille in hominum nominibus falli, non indiciis temporum „errare, non confundere rerum negotiorumque ſeriem. Erat autem in eo „ſingularis ſagacitas in notandis naturis hominum, & conjiciendo, quo „quiſque ſuopte ingenio deferretur, & quæ eſſet voluntatis inclinatio. Con„ſiliorum etiam ſolertiſſimus æſtimator, & eventuum futurorum proviſio„ne admirabilis. Hunc lectio libri cujuſdam in Italiâ, ubi tunc ipſe dege„ret, à Philippo Melanchthone compoſiti cupiditate incenderat videndi „autorem illius, & ea ſtimulos perpetuò admovens perpulerat tandem, ut „in Germaniam veniret & Wittenbergam ſe conferret. Ubi more conſue„tudineque ſuâ accepit eum Philippus Melanchthon humaniſſimè, & „perſpectâ virtute integritateque ejus, ſecum eſſe libenter paſſus quoad „vixit, Et obſervantiam fidemque ipſius eſt expertus, ſummam benevo„lentiam erga illum perpetuo retinens. Suntque ſæpe auditi ſermones Phi„lippi Melanchthonis prædicantes accuratè Huberti probitatem & ſtu„dium veritatis, & prudentiam, & explicatam cognitionem atque ſcien„tiam earum rerum, quarum periti & ſibi laudem & aliis utilitatem ac-

quirere

„quirere conciliareque consueverunt. Hubertus verò eam grati animi si-
„gnificationem honoremque Philippo vivo, & mortuo meritorum re-
„cordationem, pietatemque præstare semper studuit, ut perspicuè declare-
„tur animi ipsius singularis erga illum affectio, quem omnibus officiis prę-
„sentem coluisset, & cujus erepti nomen honore venerationeque perpetua,
„& memoriam desiderio ac lacrymis prosequeretur. Cum his conferenda, quæ de Langueto habentur in scripto à Scholasticis Wittebergensibus pro Melanchthone contra Illyricum edito, quater. I. 1. 2. 3. & G. p. 1. 2.

Ludovicus Camerarius Joach. F. Joach. N. Consiliarius Regius Suecicus & exlegatus, in Epist. Dedicator. Illustri Burchgravio & Baroni à Dona, &c. *inscriptâ & epistolis Langueti ad Joach. patrem & Joach. fil. Camerarios*, à se editis anno 1646. præfixâ. „Quantus autem vir fuerit Languetus, etsi
„omnibus qui & literas coluerunt & superioris sæculi res compertas ha-
„bent, notum sit, tamen nomen ejus & memoriam veris testimoniis ipsius
„virtutis, doctrinæ, sapientiæ & multiplicis experientiæ ad omnem æterni-
„tatem consecrarunt, imprimis Philippus Melanchthon in multis scriptis
„suis, Joachimus Camerarius in narratione de Philippi vitâ, tenerrimo ve-
„rò cum affectu Nobilissimus Vir Philippus Mornæus Plessiacus in præfa-
„tione libri sui de Veritate religionis Christianæ, & Amplissimus Præses
„Dn. Jacobus Augustus Thuanus in libro Hist. 74. Natione Gallus, sed ani-
„mi candore, fide, cultu & moribus verè Germanus fuit; & cum majorem
„partem vitæ suæ provectioris apud Melanchthonem Witebergæ, aut
„Lipsiæ apud Camerarium, nisi quando in peregrinationibus fuit, transege-
„rit, omnium in ore illis locis fuit vulgatus versiculus,

„ *Optimus Hubertus, melior quo nemo repertus.*

„Perlustravit autem totam ferè Europam, imprimis Italiam, Galliam, Hispa-
„niam, Hungariam, Sueciam & Poloniam; & verè

„ Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστε καὶ νοῦν ἔγνω.

„Quâ autem occasione ex Italiâ in Germaniam ad Melanchthonem vene-
„rit, ipse recenset Epistola XV. hujus libelli priori parti inserta; & plura etiam
„de illâ avus meus p. m. antedictæ narrationi inseruit. Illa profecto me-
„morabilis est, & clarum pietatis in eo viro singularis & veritatem cœle-
„stem percipiendi flagrantis desiderii indicium exhibet; cum in mediis
„Regni Pontificii tenebris, atque adeo in ipsâ Italiâ, de cunctis fidei Chri-
„stianæ capitibus, imprimis verò de S. Eucharistiâ tum ferventibus in Ger-
„maniâ certaminibus adeò fuit sollicitus. Verum de illis omnibus Philip-
„pus Langueto intima sui pectoris sensa aperuit, ut uterque in simplicitate
„sinceræ fidei cum Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ doctrina consentien-
„te acquieverit.

Et postea: „Hic igitur *(Languetus)* ob turbas istas tum à Theologis in „Misnia excitatas & ex illis, dissipatâ Academiâ Witebergensi, objecta „amicis suis pericula, magnum dolorem percepit; cum quidem illo tem„pore esset unus ex Principis Saxoniæ Augusti Semptemviri Consiliariis: „quorum non minus quam Professorum Witebergensium, saluti struebantur insidiæ. Amplissimus certè Præses Dn. Thuanus in sua Historia com„memorat, ac si Languetus in suspicionem venisset, quasi Epexegesis de „Cœnâ Domini à Casparo Peucero & aliis juxta Helveticam Confessio„nem dissleminatæ consilio participasset, atque eam ob causam ab aulâ Sa„xonicâ discessisset. Facilè hoc crediderim, cum in multos etiam alios, „quamvis innocentes omnes, suspicio ista grassata fuerit; cum tamen ne„que Peucerus, neque alius quisquam ex illis, sed quantum ex viris fide „dignis, qui eo tempore vixerunt, intellexi, Joachimus Curæus Silesius, „Medicus & Philosophus insignis, Exegesêos illius, quæ oleum camino „jam ardenti infudit, quamque cum Turbatores refutare non possent, „omnibus modis abolere voluerunt, autor fuerit. Quidquid sit, ut nihil „hic pro certo affirmo, ex Langueti Epistolis hoc tamen apparet, non pro„pterea illum Ducis Augusti gratiâ excidisse; sed hunc potius cùm in aulâ „Imperatoris tùm aliis in locis sæpiùs adhuc ejus consilio & operâ usum „fuisse, donec tandem ab eo benignam dimissionem impetravit, quam ipse „etiam honorificè prædicat.

Paulo post: „At, his omissis, ad ipsum Languetum potius & ejus lau„des nunc redibo. Possem ego illas multis documentis in notitiam homi„num producere; verum ejus singulares virtutes & candidissimi animi „egregias dotes, quasi compendio quodam accuratè comprehensas ad „omnem posteritatem, ære perennius monumentum, posteriorum ocu„lis & considerationi hodieque objicit & demonstrat, post ipsius beatam „ex hâc mortali vitâ migrationem in cœlos, Antwerpiæ erectum Epita„phium. Nam in magnâ etiam æstimatione fuit apud optimum & æter„nâ laude dignissimum Principem Gulielmum Arausionensem, ad quem „postremis annis suis se contulerat; qui ipsius fideliss imis consiliis in me„diis Belgicæ tempestatis procellis sæpiùs usus fuit. In plerisque Impera„torum Regum & Principum aulis in Germaniâ, Galliâ & Belgio gratus „acceptusque, in arduis negotiis fidem suam, prudentiam & dexteritatem „conspicuam reddidit. Cum illustribus verò & magnis Viris Lazaro Suen„dio, Christophoro Carolevitzio, Andrea Duditio, Johanne Cratone, „& aliis innumeris amicitiam coluit; ut de plerisque eo ævo doctis & cla„ris Viris aliis nunc mentionem nullam faciam, ne de Adriano Turnebo „quidem, qui ipsum inter carissimos habuit. Sed inter præcipuos etiam

Illu-

„Illustris ac Generosi Domini Burggravii & Baronis Fabiani à Dona, pa-
„trui tui, tum Juvenis, honores & incrementa magna eum cura & solli-
„citudine promovere studuit; non tantum in Aulâ optimi Imperatoris
„Maximiliani II. sed in Stephani quoque Poloniæ Regis, ut ejus Epistо-
„læ quędam, quæ etiam penes me sunt, luculenter demonstrant.

Pag. proximè sequ. „Sed Languetus ingenui pectoris & erga liberalia
„ingenia intrinseci affectus propensa sua studia inprimis effudit in Philip-
„pum Sydnæum Equitem Anglum, tandem Vlissingensem Gubernatorem;
„ad quem complures Epistolas scripsit tantâ doctrinæ copiâ & tot honestæ
„institutionis præceptis refertas, ut vix putem in eo genere aliquid extare
„simile. Scribit Cicero se Cyripædiam & contrivisse legendo, & Scipio-
„nem Africanum nunquam deposuisse de manibus, non ad historiæ fi-
„dem, sed ad effigiem justi Imperii compositam. Ego hanc pædiam quâ
„Languetus Sydnæum, tam piè, eruditè & paterno prorsus affectu ad vir-
„tutis & honoris gradus instruxit, ferè ausim comparare cum Pythagoræ
„aut Socratis sinceritate & sollicitudine, quâ discipulos suos ad veram
„Philosophiam & beatam vitam, ut illi putabant, duxerunt. Illas, memini,
„*Illustris Domine*, quod magna cum diligentia describi ante complures an-
„nos tibi curaveris in Anglia; sed postea anno 1633. Francofurti editæ
„fuerunt & inscriptæ Nobilissimo Domino Stephano Lesieuro, Equiti
„& Consiliario Serenissimæ Reginæ Elisabethæ & Jacobi Regio M. Bri-
„tanniæ.

Et postea: „Sane etiam non pauca in Langueti Epistolis observare licet
„vaticinia nostro hoc infausto sęculo tristi eventu impleta; ut non frustra
„in eo animadverterit avus meus, quod fuerit eventuum futurorum pro vi-
„sione admirabilis.

Caspar Peucerus in præfat. ad lib. 5. chronici Carionis à se expolitum & auctum.

„Sunt tamen ex his aliqui, quorum quanquam absentium, fidelis, opera
„& liberalis multarum rerum communicatio plurimum me adjuvit. Inter
„hos à Philippo proximè colloco Georgium Sigismundum Seldium, &c. &
„Hubertum Languetum Burgundum.

Et postea: „à Philippo itaque & Seldio & Langueto me præcipuè ac plu-
„rimum adjutum esse, in hac parte chronici profiteor & glorior.

Ibid. paulo post: „De rebus externis me prolixè docuit Languetus; &
„quantum recentioribus scriptoribus singulis tribuendum sit, accuratè mo-
„nuit. Judicium hujus viri maximi facio, propter dexteritatem, rectitu-
„dinem, & plurimum rerum usum. Non enim cognovi hactenus quen-
„quam, cui cum historiis veteribus omnibus ac recentibus, *ipsa regna Europæ*
„*sæculo nostro notiora sint.*

Joh. Amos Comenius in Hiſtoriâ ordinis eccleſiaſtico Bohemorum anno 1660. præmiſsâ pag. 54. *Hubertus Languetus, (cujus ante facta mentio) fuit electorum Saxoniæ in aulâ Cæſaris Viennæ legatus, magnæ autoritatis vir. Aliquot ejus ad Andream Stephanum (*fratrum Bohemicorum antiſtitem*), inque illarum unâ hæc verba,* &c.

Hiſtoire de la vie de Meſſire Philippes Mornay Seigneur du Pleſſis, &c. à Leyden chez Bonav. & Abrah. Elzevier 1647. pag. 56. 57. *A ſon arrivée a Anvers M. du Pleſſis trouve femme & enfans malades; Un fils meſme que Dieu luy avoit donné, en ſon abſence auſſi toſt retiré a luy; Mais outre cela M. Languet ſon ſingulier ami decede, lequel Madame du Pleſſis, bien que malade elle meſme, avoit aſſiſté juſques aux derniers ſoupirs. Ses derniers propos furent:* Qu'il n'avoir peu revoir M. du Pleſſis premier que mourir, auquel il euſt laiſſé ſon cœur s'il euſt peu. Qu'il avoit deſiré de vivre pour voir le ſiecle amender; mais puis qu'il alloit touſiours s'empirant, il n'y avoit plus que faire. Que les Princes de ce temps eſtoyent d'eſtrange gens; Que la vertu y avoit beaucoup a ſouffrir, & peu à gagner; Qu'il plaignoit bien M. du Pleſſis, qui auroit a en ſentir ſa bonne part & de mauvais temps a paſſer; Mais qu'il priſt courage, que Dieu l'aſſiſteroit. Au reſte l'adjura de requirir de luy, en luy diſant a Dieu de ſa part, une choſe; Qu'au premier livre qu'il mettoit en lumiere il feit mention de leur amitié. *Cela feit M. du Pleſſis non long temps apres par une petite preface a l'entrée de la verſion latine de ſon livre* de la verité de la religion Chreſtienne.

Qui ingenium, intentionem, ſtudia, & conatus Langueti penitius perſpectos velit, is legat epiſtolas ad Sidnejum editas Francofurti anno 1633. Et epiſtolas ad Camerarios editas anno 1646. His adde lectionem epiſtolæ Langueti, anno 1563. quæ inſerta eſt lib. 2. epiſtolarum Zanchii pag. 198.

DE HOMICIDIO ET LÆSIONE SUIIPSIUS NEC NON SPONTANEA FLAGELLATIONE, &c.

Reſp. JACOBO WILLICHIO Clivo-Weſalio 5. *Maji* 1638.

Homicidium ſexto præcepto vetitum duplex eſt, 1. *alterius*, 2. *ſui ipſius*, 3. *cujus cognatum eſt immanitas erga beſtias. Nos hoc tempore de homicidio ſui ipſius tantum acturi.* 1. Præcognita quædam præmittemus. 11. controverſias explicabimus.

Homi-



Omicidium hoc vulgo dicitur αὐτοχειρία & αὐτοφονία, §.1. & tales homicidæ αὐτοχέρες, αὐτοφόνοι, αὐτοφονεῖς, αὐτοθάνατοι, Virg. Æn. 6. eleganti periphrasi eos describit:

Qui sibi letum,
Insontes pepere manu, lucemque perosi
Projecêre animas.

Stoici illud genus αὐτοφονίας, quod ipsorum opinione justè ac honestè fiebat, vocabant εὔλογον ἐξαγωγὴν, quod opportunè & justâ ratione educeret & liberaret quis animam; cum scil. *causam exeundi nactus est, aut potius cum Deus justam causam dederit*, ut loquitur *Cicero lib.* 1. *Tusculan.* & Catoni ac Socrati ibidem applicat. Hinc Varro librum inscripsit περὶ ἐξαγωγῆς & *Laërtius in Zenone* εὐλόγως τε φάσιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σόφον, &c. *Chrysippus* apud *Stobæum in Eclogis*, καθηκόντως ἐξαγωγὴν hanc fieri asserit. Cum *Epicteto* apud *Arrianum dissert.* 1. *cap.* 9. & 24. januam apertam dicere posses: ἡ θύρα, inquit, ἤνοικται.

Causas αὐτοφονίας *impellentes* recensere operæ pretium erit. *Externæ* sunt §.2. minæ, pericula, encomia aut extenuationes hujus sceleris, aliorum exempla, atque adeo carnifex ille mos aut consuetudo, impunitas, Diaboli suggestiones (de quibus in loco, de *Tentationibus*), hominum improborum instigationes, inter quos excellunt Timon μισάνθρωπος, qui homines ad suspendium invitabat. *Causæ internæ* ad tres classes reduci possunt, & sunt 1. falsa persuasio seu opinio. 2. vana & stolida ambitio. 3 Affectus metus & doloris.

I. Ad falsam persuasionem referimus 1. Pseudo philosophemata Stoicorum, aliorumque Gentilium (de quibus infra) de honesta & decoro hujus mortis. 2. Præjudicia opinionum, quas prætextu religionis imbibunt homines, ut Patricianorum & Circumcellionum, de quibus mox dicendum. Quibus non absimiles Indi illi apud Plinium lib. 6. c. 19. *Quintum*, inquit, *genus celebratæ illic & prope in religionem versæ sapientiæ deditum, voluntariâ semper morte vitam accenso prius rogo finit.* Conferat, cui vacat, *Dalecampii notas ad Plinii lib.* 4. *cap.* 12. 3. Opiniones à nonnullis minime impiis prætextu pietatis ac virtutis conceptæ, ut αὐτοφονία Sophroniæ & Pelagiæ, aliarumque de quibus *August. lib.* 1. *de Civit. Dei c.* 26. Et *Eusebius lib.* 6. *cap.* 5. & *lib.* 8. *cap.* 15. & *Ambros. serm.* 19. Quibus adde fæminas Antiochenas sub Cosroë, apud *Procopium Persicorum* 2. *Hieronymus in Jonæ* 1. casu periclitantis castitatis, licitam facit αὐτοφονίαν. 4. Opinio perversa quam quis per malam consequentiam, ex doctrinâ de immortalitate animorum & vitâ meliori post hanc viam hausit, e. gr. Cleombroti Ambrosiotæ,

brosiotæ, qui ex lectione Platonis de Immortalitate animorum seipsum in mare præcipitem dedit. Eodem libri istius male lecti errore seductus Cato. Quibus non absimilis Empedocles, qui audiens poëtas esse immortales, ardentem frigidus Ætnam insiliit, ut de eo *Horatius in arte poëticâ. Lactantius lib. 3. cap. 18.* accenset iis *Chrysippum*, *Zenonem*, *Cleanthem*, Catonem. Ubi vide eruditiss. Gallæi amici nostri comment.

II. *Vanæ ambitionis* superstitione subnixa fuit ἀυτοφονία Marci Curtii. Quo refer & Empedoclis, de quo Lactant. loc. cit. *In ardentis Ætnæ specum intempestâ nocte se dejecit, ut cum repente non apparuisset abiisse ad Deos crederetur.* De Catone similia egregiè, quæ ibi videnda. Plura exempla ambitiosorum collegit *Alciat. paterg. lib. 4. c. 4.*

III. *Dolor & metus* est 1. *absque manifesta causa*, hoc est melancolicus. Et hæc causa videtur fuisse in virginibus Milesiis (de quibus Agellius lib. 15. c. 10.) quas, ait, *repente sine ulla evidenti causa voluntatem cepisse obeundæ mortis.* Eadem fuit non paucis anachoretis & monachis, quos ex solitudine aliisque causis melancoliam sibi contrahere non mirum. Cum Nobiliss. & Magnificus Eques Berckius Fœderati Belgii ad Venetos Legatus v. Eid. Septembr. anno 1625. cum suis lustraret cœnobium Carthusianorum, didicerunt illic Monachos non pancos istius ordinis diætâ suâ piscariâ, silentio, & solitudine (festis enim diebus, & binis hebdomadatim tantum colloquuntur ac una edunt) in melancoliam actos, quotannis sibi manus inferre: adeo ut Generalis eorum more solito de statu ordinis sui referens ad Papam dixerit: *Deo gratias, tantum quinquaginta hoc anno seipsos suspenderunt.* Hæc ita descripsi ex diario istius legationis; cujus lectio mihi ab amico Ill. D. legati tum concionatore concessa fuit. 2. *Dolor & metus ex manifestâ causâ* est ex sollicitudine vel circa æternam animæ salutem, vel circa salutem corporis & status externi. Prior est, vel *desperationis*, ut Judæ Iscariotæ: vel *spiritualis desertionis & tentationis*; quo refer conatum Franciscí Spiræ, quamvis impeditus fuerit; præterea conatum primum, ac deinde consummatam ἀυτοφονίαν Arnoldi Bommelii Theologiæ studiosi in Academia Lovaniensi, cujus tristem exitum & causas retulit ex ore Joh. Diasii Claudius Senarcleus in præfat. ad Vitam ejusdem Diasii editam a. 1564. Malo enim ex judicio caritatis ad vehementem paroxysmum tentationis cum Melancolico delirio mixtum hunc tristem casum referre, quam ad formalem Desperationem. Idem judicium esto de nonnemine, qui Lugduni Batavor. ante paucos annos occasione contentionum de prædestinatione (quas Remonstrantes illic moverant) mortem sibi dicitur conscivisse in Satyra *Petri Cunæi* tunc literarum, postea jurisprudentiæ professoris in Acad. Leidensi, cui tit. *Sardi Venales.* Vide Exercitia pietatis cap. 20. p. 553. ubi pluribus judi-

judicium noſtrum de ſalute ἀυτοφόνων quorundam, ſeu potius de non-damnatione omnium proponimus. Nunc luſtraus *Philippi Haenen Kirchenbuch. tract.* 8. *pag.* 114. *& ſeqq. edit.* 1650. *in* 4. comperio judicium noſtrum conforme eſſe judiciis *Melanthonis*, *Conradi Portæ*, Huberini, quæ ibidem exhibentur: imprimis & *Lutheri tom.* 4. *Jenenſ. fol.* 407. ubi conſolatur viduam mariti ἀυτοφόνου. Idem ſentit *Alſtedius in ſummâ Caſ. Conſc. cap.* 21. *qu.* 5. 3. Dolor & metus circa ſalutem externam & corporalem, eſt, vel *ex conſcientiâ* ſceleris, ut Achitopel, Clymeni regis Arcadię & Cinyræ regis Aſſyriorum (qui uterque cum filia concubuerant): vel *ex ſenſu præſentis* aut metu futuri mali, ut captivitatis, ſervitutis, ſtragis, infamię, contumeliæ, &c. ut Didonis, Sardanapali, Saulis, Cleopatræ, Mithridatis, Saguntinorum, Numantinorum, Judæorum apud Fl. Joſephum lib. 3. cap. 18. 19. vel *denique ex onere & moleſtiâ* morborum, dolorum, corporis, immo & ſenectutis ut Zenonis, Cleanthis, Speuſippi, &c. & in hoc ac proximè præcedenti in caſu Stoici concedebant ἔυλογον ἐξαγωγὴν (*Seneca epiſt.* 58. *Zeno apud Laërtium*, *Muſonius* apud *Stobæum ſerm.* 1. *Epictetus apud Arrianum*); quin & magnates ac Reges multi ſolent in omnes illos caſus venenum in promptu habere, teſte Livio. *Regio more adincerta fortunæ venenum ſub cuſtode promptum.* Lipſ. Manud. ad philoſophiam Stoicam lib. 3. diſſ. 22.

Cauſæ inſtrumentales hujus mali ſunt pænè infinitæ, nec omnes enume- §. 3.
rari poſſunt: quo enim vitam ſibi non adimit ingenioſa in propriam pernitiem miſerorum hominum ſolertia. Suffecerit ergo inſtrumenta diviſiſſe in animata & inanimata. Illa in rationalia & irrationlia. Per rationalia, id eſt, per homines committit quis ἀυτοφονίαν cum illis mandat aut perſuadet ut faciant. Per irrationalia cum quis eorum rictum & dentes incurrit, aut in ſe concitat, aut venenatos afflatus aut morſus aut tactus corpori ſuo applicat. Inanimata ſunt vel *naturalia*, ut ignis, aqua, præcipitium, &c. vel *artificialia*, ut gladius, ſclopus, laqueus, poculum venenatum, &c. Huc refer voluntaria & mixta; ut venę ſectionem, inſpirationem continuam donec homo ſuffocetur, cujus exemplum refert Galenus in ſervo quodam. Sed his omiſſis præſtat melioris doctrinæ causâ omnes modos ἀυτοφονίας per certas ſpecies diſtribuere. Præmittimus diſtinctionem vocis.

Significat ergo ἀυτοφονία. 1. latè materialem quamcunque ſui ipſius aut læſionem aut mutilationem aut homicidium, quamvis ſine crimine, quæ formaliter & propriè non poteſt dici ἀυτοφονία. Eſtque ea vel *coacta*, ut cum in aliquem propria manus aut malleus aut culter, quem manu tenet, violenter adigitur: vel *caſualis*, ut cum quis abſque ulla intentione, etiam adhibita diligente circumſpectione, ſeipſum pulvere pyrio tollit: vel per *ignoran-*

tiam

tiam & rationis defectum, ut in maniacis, phreneticis, infantibus, epilepticis, &c. vel *debitâ ratione* necessitatis, ut cum quis in casu gangrænæ, aut detentionis in carcere, seu laqueo, &c. membrum aliquot sibi abscindit aut avellit, ut vitam præsenti periculo eximat. 11. homicidium aut læsionem sui ipsius formalem & propriè sic dictam. Talem ἀυτοφονίαν dividimus 1. in internam & externam. Illa est motus primo primus, deliberatio, desiderium, propositum. Ista est *primaria* cum quis mortem sibi infert; aut *secundaria*, cum quis tantummodo læsionem sui intendit. 2. Primaria dividitur in voluntariam in causa & voluntariam in se. *Prior* est cum quis ebrius præcipitem se dat, aut in aquam insilit. *Posterior* est vel aperta seu *directa*, vel implicita & *interpretativa*. 3. *Directa* fit aut *omittendo*, ut cum quis sive inedia sive remota vulneris sui curatione se tollit: aut *committendo* seu agendo, idque vel tanquam *causa moralis*, ut cum quis seipsum intempestivè accusat & prodit ut è medio tollatur; cum quis famulo suo imperat exemplo Saulis 1 *Sam.* 29. & Abimelechi *Jud.* 9. 54. 55. vel *tanquam causa physica*. Et hæc rursum dividitur in *crassam* & *palliatam*, seu subtiliorem. *Illa* quæ tædio vitæ aut conscientiâ sceleris fit ex directa intentione, & sponte idque per gladium, laqueum, præcipitium, &c. *Ista* quæ fit ex directa intentione, non tamen sponte aut motu proprio, sed ex hypothesi & prætextu Imperii superiorum, aut publici boni, qualis ἀυτοφονία est Socratis, Japonensium condemnatorum, nautarum & sociorum navalium Belgicorum, qui antehac accenso pulvere pyrio se una cum hostibus sustulerunt. De quo casu infra disceptabitur. 4. *Interpretativa est*, cum quis non quidem ex directa intentione sibi mortem infert; ea tamen indebitè aut absque rationabili causa facit, per quę mors ejus acceleretur. Fit autem illud vel omittendo, vel committendo. *Prior est*, cum quis in judicio capitali innocentiam suam non tuetur; aut cum inculpata tutela vitam contra aggressorem non conservat; aut fuga sibi non consulit, ubi debet & potest; aut justo bello vim illatam non propulsat, sive id fiat ignavia sive errore & prætextu religionis (ut Judęi 1 *Machabæor.* 2. 38. & hodie Anabaptistæ, & qui illos sequuntur); denique cum quis omnem medicinæ usum negligit ex avaritia, si non fastidit ex μαροσοφία, &c. *Posterior* est, cum quis intemperantia vitam sibi adimit, (quales proh dolor nimis quam multi Bacchi martyres!) aut absque necessitate & rationabili causa in pericula se conjicit, ubi mortem sæpius accersi novit, dum versatur in rebus ludicris aut illicitis utscansione, natatione & urinatione temeraria, saltatione in funibus, μελομαχία, hastiludiis seu torneamentis, aliisque ejusmodi spectaculis imprimis denuntiatione aut susceptione detestabilis duelli seu monomachiæ. Ad hanc classem ἀυτοφόνων refer etiam omnes pseudo-Martyres, qui perversè & pervicaciter

caciter ad mortem se offerunt, sed non ad gloriam Dei aut bonum publicum.

5. *Sequitur* nunc *secundario* sic dicta ἀυτοφονία, quando quis lædit seipsum: quod fieri potest tribus potissimum modis, *vel* mutilatione membri, ut castratione, oculi effossione, &c. *vel* contusione, illisione, verberatione, laceratione carnis aut cutis, &c. ex. gr. spontanea flagellatione: *vel* infirmatione corporis, vires ejus indebitè & intempestivè exhauriendo, per jejunia, vigilias & quemcunque ejus neglectum & ἀφειδίαν (de qua *Coloss.* 2. 23.) Atque hæ divisiones sufficiant. Si quas alias ex causis deducere libeat, ex thesi præcedenti petendę sunt.

Probl. *An diabolicæ injectiones & tentationes ad ἀυτοφονίαν per se interna sint* ἀυτοφονία; *& an semper illis consentiat, qui eas patitur? Neg.* utrumque.

Adjuncta & effecta hujus mali non recensebimus; magnam partem §. 4.
peti possunt ex controversiis infra tractandis. Accedimus ergo ad opposita, & quidem ea quæ rationem habeant impedimenti. Sunt autem 1. prophylactica. 11. antidota. 1. Illa sunt vel privata, vel publica. *Privata* sunt amor vitæ & nostræ & proximi; arcta ejusdem cura & custodia, quę quidem fortitudini Christianæ, & præcepto Apostolico *Roman.* 13. 14. non repugnet. Inter *publica* excellunt imprimis pœnæ in ἀυτόχειρας statutæ. Milesii voluerunt, ut virgines illæ, quæ corporibus suspensis demortuæ forent, nudę cum eodem laqueo, quâ essent prævinctę, efferrentur. Quo facto suo furorem istum stiterunt, teste *Agellio lib.* 15. *c.* 10. Apud vetustissimos Romanos justa illis non faciebant, nec in charistiis & parentalibus nomina eorum ciebant *Artemidor. l.* 1. *c.* 5. Tarquinius Superbus, cum cloacas populum facere coëgisset, & multi propter hanc injuriam se suspenderent, jussit corpora eorum cruci affigi, ut refertur in Servio Petri Danielis ad Æneid. 6. & à *Plinio lib.* 16. *cap.* 15. qui tamen illud improbat. Plato de legibus lib. 9. vult *sepulcra iis seorsim esse, neminemque cum ipsis consepeliri*; deinde *inglorios sepeliri in duodecim partium terminis incultis illis & nomine carentibus, ut neque columnis impositis, neque nominibus inscriptis sepulcra indicentur.* Sed nullos alios istic intelligit, quam qui ex ignaviâ & parum virili timiditate injustam pœnam sibi intulerint. Jure civili si qui conscientiâ sceleris sibi mortem intulerunt, hodie communiter cadavera eorum in furcam tolluntur, aut sub eâ sepeliuntur, saltem sepulturâ & luctu carent. Apud Judæos idem obtinuisse testis est *Josephus lib.* 3. *bellor. Judaicor. cap.* 23. Et in Græciâ, uti ex Aristotele 5. Eth. Nicom. cap. 11. colligimus. *Itaque, & mulctat eum civitas, & ignominia afficit, quia seipsum exanimavit, ut, qui civitatem injuriâ afficiat.* An bona in fiscum redigenda sint ambigitur. De iis qui

conſcientiâ ſceleris ſibi manus intulerunt affirmatur illud L. 3. D. *de bonis eorum qui ante*, &c. ſi ſcil. eo crimine nexus fuerit, ut ſi convinceretur, bonis careat. *Menoch. caſ.* 284. *n.* 21. *&* 285. *n.* 7. *Farinacius & Menochius loc. cit.* Clarius quæſt. 68. *Gregor. Tholoſan. lib.* 36. *c.* 22. *Althuſius lib.* 1. *c.* 128. *n.* 13 In ἀνυποφόρους ob tædium vitæ, furorem, æs alienum, doloris impatientiam, magnitudinem morbi aut luctus, nihil quidem *d. tit. D.* videtur ſtatui: nihilominus pœnam arbitrariam decernunt autores modo cit. & ſic uſus hodie obtinet; ſpecialiter apud Belgas, ni fallor, ut ignominiosè per plateas tracti ſub furca lepeliantur, aut ſaltem communi honore ſepulturæ careant. Ludovicus Pius in Capitulari anno 822. cap. 59. *Nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur. Alciatus Parergon lib.* 6. *c.* 27. ratiocinatur ex antiquo jure ſeu conſuetudine Romana memoriam eorum fuiſſe damnatam, ut videri non poſſint, moriendo confirmaſſe donationem aut uxori aliquid reliquiſſe. Ibidem, cum rationem exceptionum *Ulpiani L. cum hic ſtatus. ff. de don. inter vir. ab L. rex Uxoris C. de donat. inter vir.* hanc adfert *Bartolus*, propter gravitatem criminum: hanc ἐπίκρισιν adjicit: *Atqui poteſt quis ſibi ipſi manus injicere, etiamſi non adeò gravis criminis ſit inſimulatus ſed tamen hoc ipſum, quod quis ſibi manus injiciat, graviſſimum crimen eſt, &c. Concil. Braccarenſe*, & cum eo Capitulare Ludovici modo cit. ut & Jus canonicum 23. qu. 5. c. *placuit*, communem honorem ſepulturæ (ut quidem more tunc obtinebat) ipſis denegat. Excipit tamen eos, qui per furorem ſeipſos occiderunt, 15. *qu.* 1. *c. ſi quis inſaniens*, &c. *illa.* Porro ſepulturæ, quam *Concil. Bracarenſe* videtur illis concedere, gloſſa Juris Canonici interpretatur de *ſepultura canina. Carpzovius lib.* 2. *Juriſprud. conſiſtorialis tit.* 24. *definit.* 376. in pœnam iis imponendam dicit ſepulturam *caninam* ſeu *aſininam*: quę fiat per dejectionem cadaveris à carnifice per feneſtras, vel ſubtractionem ſub domus limine in locum infamem & cadaveribus deſtinatum, vel ſaltem locum peculiarem extra cœmeterium. Ubi alios Doctores pro hâc ſententiâ adducit. *Philippus Haenen in conſiliis & judiciis Theologicis* Germanicè *Kirchenbuch* tract. 8. cum theologis ibidem cit. cenſet eos à communi loco & conſueto ſepulturæ honore excludendos. In legibus Criminalibus Caroli V. anno 1532. cap. 135. apud *Goldaſt. Conſtitut. Imper. tom.* 3. hæredes à bonis damnati tantummodo excluduntur, cum manus ſibi infert captus ob crimen, de quo convictus vitam & bona ſua amittat.

II. *Antidota* contra tentationes, deliberationes & conatus ἀνυποφοριας ſunt 1. fuga ſilentii, ſolitudinis, 2. conſortium, cuſtodia, conſolatio & adhortatio piorum. 3. Frequens lectio, auditio & meditatio *tum* rationum quæ infra huic flagitio, *tum* conſolationum quæ vitæ tædio, nimio dolori

ex

ex adversis; impatientiæ, desertionibus & tentationibus in genere & in specie opponuntur: quæ suis quęque locis quærendæ. *Balduinus lib. 3. cap. 4. casu 13. p. 696.* refert inter causas ἀνυπομονησίας metum reprobationis, & exemplum adfert ludimagistri cujusdam anno 1562. qui seipsum interemerat relicto chirographo: *Se ab æterno reprobatum & ex numero salvandorum excluſum esse.* Sed perperam facit quod innoxiæ doctrinæ Calvini & Bezę malum hoc impingit ibidem p. 700. quasi homines tali tentationi obnoxios omni consolatione destitueret & ad desperationem adigeret: & quod primum antidotum ac lenitivum hujus metus suggerit hanc opinionem: *Deum neminem ex absoluto quodam decreto reprobasse*, &c. Quid sit de absolutâ reprobatione, & quomodo illâ ex verbo Dei tenenda, abunde à nostris declaratum fuit, & nuperrimè à *Twisso contra Arminii Anti-Perkinsum. Quantum* vero absoluta electio consolationis affluxum suppeditet, & qualia contra metum reprobationis antidota sint depromenda nemo melius ostendit post Bezam ad *Acta Colloq. Mompelgard.* quam præstantissimus practicus *Perkinsus*, & populares ipsius, quorum scripta practica ex illo tanquam fonte perenni rigata magno numero prostant. Nos ante annos aliquot (anno scil. 1627.) contra Judæ laqueum ab acerrimo Tileno & Remonstrantibus doctrinæ Synodi Dordracenę objectum, antidotarium vernacula lingua instruximus. Et ostendit quotidiana praxis nostrorum circa languentes aut perturbatas ejusmodi conscientias, solidam consolationem, non obstante doctrina nostra, immo & vi ejusdem abunde subministrari posse. Sed adversarii nostri praxim dextrè & opportunè eam applicandi ignorant, aut pervertunt.

His pręcognitis, accedamus ad controversias. Quę sunt vel principales §. 5. seu magis celebres, vel minus principales. Illæ sunt tres: Una generalis, duę speciales seu hypotheticæ.

Generalis est, An ἀνυπομονησία aliqua sit licita. Nos negantem istis argumentis astruimus.

1. *Arg.* Ex *Genes. 9. 5. 7.* & sexto pręcepto, *Non occides.* Et urget hoc inter alios Aug. lib. 1. de Civ. Dei c. 20. 21. ubi concludit: *His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum occiderit, homicidii crimine innectitur.*

11. *Arg.* Ex Ephes. 5. 29. *Nemo propriam carnem odio habuit*, &c. Est hæc lex naturæ ab ipso Spir. S. per Apostolum confirmata & sanctissimo exemplo Christi expressa (*Matth. 26. v. 39.* de quo in 2. *part. sel. Disput. tit. de Agonia & desertione Christi*) ut unumquodque ens creatum, inclinetur & feratur in bonum & conservationem suiipsius; & quidem tanto magis evidenter, quanto perfectiorem essentię gradum obtinet. Hoc ergo im-

primis omnia animalia appetunt, & homo rationale animal appetere debet. Rationem hanc urget *Fl. Josephus lib. 3. de bello Judaico c. 19.* Necipse Seneca diffiteri potuit epistol. 82. *Sui cuique amor est, & conservandi se permanendique insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis.* Argumentum hoc habet etiam *Thomas 22. qu. 63. art. 5.* idemque theologicè & philosophicè pluribus amplificari potest. Quisque est sibi proximus, maximè propinquus & familiaris (ut *Plato* loquitur *dial. 9. de legibus*) & caritas incipit à seipso: si quis in seipsum ἀπάρχου & crudelis sit, qualem se exhibebit aliis? *tanquam nihil non in alium ausurus, qui hæc adversus se ausus esset, L. 23. §. Excipitur D. de ædilit. edict.*

Contra hoc *Argum.* forte quis excipiat. *Except.* Licet aliquo in casu abjicere & abolere inclinationem ad vitæ conservationem, ut in casu martyrii; & *Lucæ 14* jubemur odisse vitam. *Resp. Non est iste stupor, sed amor: non amittitur sensus, sed Deo submittitur.* Non abjicitur ergo illa inclinatio, sed tantum subjicitur altiori amori gloriæ divinæ, voluntas hominis voluntati divinę conformatur: uti hoc fusius explicatur in *disp.* modo cit. *de agoniâ & desertione Christi.* Deinde, non committitur tali in casu homicidium sui ipsius, sed tantum aliis permittitur, & cessatur ab usu quorumcunque mediorum defensionis.

111. *Argum.* Immanis est injustitia & intensivè & extensivè: Nam injurius est non tantum in 1. seipsum & caritatem qua se diligere debet: 2. in naturam & inclinationem ejus (ut jam dictum) sed & 3. in Deum. 4. in Rempublicam & Magistratum. 5. in Ecclesiam. 6. in familiam & cognatos, affines, &c. *In Deum*, seu in ipsius potestatem, bonitatem, justitiam, providentiam, &c. Ille enim est supremus vitæ, necisque dominus, qui in hanc vitam te introduxit, & à quo solo ἐξαγωγὴ exspectanda *Psal. 68. 21. Actor. 13. v. 36. & 17. v. 26.* & homo neutiquam est ἀνυπεύθυνος, aut vitæ suæ dominus. Hinc sancti exitum suum Deo deferunt *Luc. 2. 29. Phil. 1. 23.* Urgent hanc rationem *Lactant. lib. 3. c. 18. Thom. 22. qu. 64. a. 5. Plato in Phœdone*, & ex illo Platonici *Plotinus*, *Cicero in somnio Scipionis* & ex *Pythagora in libr. de Senectute*, & egregiè *Macrobius lib. 1. c. 13. In Rempublicam & Magistratum*, quia illius civis perimitur (est enim pars communitatis, ut *Thomas loc. cit.*) & in hujus autoritatem (penes quam jus vitæ & necis *Rom. 13. 4.*) ac jus publicum à privato involatur, qui in propria causa munus actoris, testis, consiliarii, judicis, prætoris, & tandem carnificis (siquidem apud Romanos carnificis loco habebatur, qui se vulnerasset ut moreretur, teste Festo) sibi usurpat: addo & Imperatoris aut præfecti militaris. Quæ si sigillatim ex scriptura, philosophia, Politicis & Jurisprudentia deducantur; quamplurima argumenta suppeditabunt. Postremum illud &

uni-

unicum ἀνθρώπους ex jure suo non inconcinnè opponit Alciatus parerg. lib. 4. c. 4. *Etenim non licet militi præsidium, cui impositus est, injussu Imperatoris sui deserere* L. 3. §. *qui stationis*, de *Re militari*. De injuriâ Reipubl. illata Aristotel. libr. 5. *Ethic. Nicom. cap.* 11. Ubi aliud peculiari argumentum indicat, quod seipsum non occidere, sit ex justis illis, quæ & omni virtuti congruunt, & lege constituta sunt. *In Ecclesiam*, quia si ejus aut civis aut fautor sit tali quali saltem professione, & ipsi ac doctrinæ disciplinęque Christianę non parvam ignonimiæ notam inurit, quantum in se est; bonis omnibus dolorem, infirmis scandalum, hostibus risus & insultationis occasionem præbet. *In Familiam*, quia membrum, forte & primarium, visceribus ejus violenter eripit, suos omnes ignominia, dolore & luctu implet, atque adeo maximè crudelem & immisericordem se adversus eos ostendit, quos refocillare debebat, 1 *Tim.* 5. 4 8. cum *Ephes.* 5. 28. 29.

IV. *Argum.* Quia est infidelitatis, pusillanimitatis, impatientiæ, ingratitudinis erga Deum & proximum, ignavi metus; & repugnat fidei, spei, caritati, justitiæ, fortitudini, prudentiæ; breviter omnibus actibus religionis, honestatis & justitiæ, &c. quanta autem hæc sint vitia alibi ex scriptura traditur. *Augustin. tract.* 52. *in Johann. ex Math* 4. 6. 7. & *Johan.* 21. 18. docet esse abusum scripturæ, tentationem Dei, declinationem à vestigiis Christi, si quis etiam odio hujus mundi & desiderio melioris vitæ mortem sibi inferat. Postremum illud de timiditate inter Ethnicos urget *Aristoteles Ethicor. Nicomach. lib.* 3. *cap.* 7. *Mortem autem obire fugientem inopiam, vel amorem vel molestum quid non fortis est, sed potius timidi. Mollitia enim est laboriosa fugere, nec quia honestum est, id facere, sed ne malum habeas.* Ubi paraphrastes Andronicus Rhodius: *Fugere molesta mollitiei est, & ignaviæ. Neque enim quisquam propterea ejusmodi mortem eligit, quia honesta est, sed ut iis defungi malis possit, quibus ferendis amplius par non est.* Et refert *August. cap.* 23. amicos quosdam Catonis etiam doctos viros censuisse facinus illud imbecillioris fuisse quam fortioris animi.

V. *Argum.* Quia est stultitiæ; nec enim tam consilio quam furore & insano impetu ad facinus hoc devenitur: quod bene notatum à Quintiliano declamat. 344. *Non fiunt ista, nisi subito: nec quisquam (præsertim nullâ gravi præcedente causâ) spiritum ratione deposuit.* Adeo ut sapientiæ & consilii singularis laudem nemo hinc sibi tribuere debeat, cum plerosque qui sibi manus inferunt videamus esse furiosos, maniacos, melancolicos, consilii expertes, panico terrore, aut desperatione, aut opprimente dolore perturbatos, & exanimatos, &c. *Magis enim*, inquit Augustin. tract. in Johann. 52. *mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest vel duram corporis sui sanitatem, vel stultam vulgi opinionem.*

VI. *Argum.* Ad hominem apud *Aphrodiseum in 2. Topic. & lib. 2.* de Anima ubi titulus disput. est: ὅτι οὐκ αὐταρκὴς ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Ubi proprio gladio sic jugulat Stoicos: Si sola virtus efficit hominem beatum, ergo nunquam sapienti causa datur abrumpendi vitam, nec unquam erit εὔλογος ἐξαγωγή. Consequentiam probat, Πῶς γὰρ εὔλογον τὴν τοῦθ' ὑποβάλλειν τῷ σόφῳ: οὐ δὲ γὰρ ὥσπερ ἐπὶ τοῦ ἄλλου τινος, οὕτως δὲ καὶ ἐπὶ εὐδαιμονίας εὔλογον ἅλις ἔχειν: οὐδεὶς γὰρ κόρος εὐδαιμονίας καὶ ἀρετῆς.

VII. *Argum.* Alterum arg. ad hominem contra eosdem Stoicos sic instruit Augustin. lib. 19. de Civit. Dei c. 4. *Quæ mala Stoici philosophi miror quâ fronte mala non esse contendant*, &c. *O vitam beatam, quæ ut finiatur mortis quærit auxilium. Si beata est, maneatur in eâ: si vero propter ista mala fugitur ab eâ, quomodo est beata, aut quomodo ista non sunt mala?*

VIII. *Argum.* Accedit consensus sapientum, quem in gratiam juniorum indicare non pigebit. Agmen ducant, qui ex professo pro veritate hâc disputant, quales *Augustinus de civitat. Dei libr. 1. cap. 19. 27. Lactantius, Chrysostomus, Thomas locis jam citatis. Sarisburiensis Polycratici libr. 2. c. 27. Petrus Martyr. comment. ad Judic. 16. & 1 Samuel. 31. Lavaterus in 1. Paralipomen. 10. Abotus lectionibus in Jonæ cap. 1. Rivetus in Decalogum. Balduinus in Casibus loc. cit. Lipsius in Manuduct. ad philosoph. Stoic. libr. 3. dissertat. 23. Alciatus in Parergis iuris loc. cit. Adde ex Judæis Flav. Josephum lib. 3. c. 19. & prolixè apud Egesippum lib. 3. Excid. Hierosolymit. c. 17.* Ex Gentilibus *Plutarchum in vitâ Cleonis; Platonem in Phædone*, imprimis *Macrobium in sæmnium Scipionis lib. 1. c. 14.* Platoni contrariam opinonem adscibit *Victorius var. lect. lib. 6. c. 23.* sed excusavit illum *Macrobius* allata distinctione mortis. Nisi forte *Victorius* respexerit illud quod *Lipsius innuit libr. cit. dissert. 22.* de quo mox dicemus. Autores qui saltem veritati huic testimonium perhibent, sunt innumeri, Recentiores Theologos, philosophos, Jurisconsultos, Canonistas non est quod indicemus: Sunt ergo ex antiquis *Hieronymus epist. ad Marcellum & in Jonæ 1.* (ubi tamen excipit casum, *nisi forte castitas periclitetur*, in quo etiam hæsitat *Ambrosius lib. 3. de virginibus* & *Baronius* ad a. 309. §. 9.) *Origen. libr. 2. in Jobum, Tertullian. ad Martyras c. 4.* Ex Gentilibus *Platonici* præceptorem suum secuti, ut *Plotinus, Apulejus de doctrin. Platonis, Virgilius Æneid. 6. Cicero in somnio Scipionis & libro de Senectute, ubi & Pythagoram* allegat. Peripatetici cum suo Aristotele Ethicor. Nicomach. *lib. 3. c. 7. & lib. 5. c. 11.* Cui miror contrariam opinionem tribui à *Danæo Ethic. Christ. lib. 2. c. 13.* Adhæc Euripides in Hercule Furente *Q. Curtius libr. 5.* Callimachus in epigrammate de Cleombroto, quod latinè exhibet *Ludov. Vives ad Augustin. lib. 1. c. 22.* Denique leges & consuetudines Gentium, nominatim antiquorum Græcorum (quas re-

spicere

ſpicere puto *Ariſtotelem. 5. Ethic. Nicomach. c. 11.*) per quas infamia aliiſque pœnis facinus hoc vindicari ſolitum. De pœnis hodiernis & jure canonico ac civili ſupra diximus.

Adverſa tamen ſententia à non paucis olim defenſa fuit, inter quos facile eminent Stoici, ut videre eſt apud *Laertium in Zenone*; & *Senecam epiſtol. 11. 17. 24. 58. 59. 70. 71. 78. & de Ira lib. 3. c. 15.*; *& Arriani Epictetum diſſert. 1. c. 9. 24. & 2. c. 16.* Idem ſenſiſſe Epicurum colligimus ex *Ciceronis lib. 1. & 3. de Finibus, & Lucretii, lib. 3. Plinius lib. 2. c. 63.* apprime commendat hoc genus ἐξαγωγῆς. Ejus nepos lib. 1. epiſtol. 22. nimis honorificè de eo loqui videtur; ſed melius tamen epiſtol. 12. Indi olim laudarunt & frequentarunt teſte *Curtio lib. 8.* Plato, quamvis in genere mortem talem improbet, tamen aliquo in caſu admittit, quod non obſcurè arguit exceptio ejus dial. 9. de legibus: *Eum dico qui ſeipſum occiderit*, &c. *quum neque civitas pœnam injunxerit, neque triſti & inevitabili fortunâ allapsâ coactus, neque ad ignominiam aliquam deſperatam*, &c. *ſed & ex ignaviâ & parum virili timiditate injuſtam pœnam ſibi intulerit.* Nec immunes plane fuerunt Judæi ſequioribus ſæculis nimis Gentilizantes, ut conſtat ex dictis & factis eorum apud Joſeph. & Egeſipp. modo cit. & ex hiſtoriâ Raziæ *lib. 2. Machabæor. 14.* Antiquum etiam Gentiliſmum ſeu morem veterum Romanorum (apud quos frequens fuiſſe hoc mortis genus notat Alciatus loc. cit.) nimis redolet illud Ulpiani *L. 9. D. de peculio: Si ipſe*, inquit, *ſervus ſeſe vulneraverit, non debet hoc damnum deducere non magis quam ſi ſe occiderit vel præcipitaverit: licet enim ſervis naturaliter in ſuum corpus ſævire.* Sed aliter loquitur L. 23. D. *de ædilit. ed.* Rurſum tamen impunitatem haut obſcurè ſpondet illa exceptione L. 3. §. *ſic autem D. de bon. eor. qui ante ſent mat. ſibi conſc.* & L. 1. §. 23. D. de SC. Silan. Sed militem cum ignominiâ mittendum vult, qui ex impatientiâ doloris aut morbi luctuſve cauſa, &c. manus ſibi intulerit, nec factum tamen peregerit L. 38. §. ult. D. de Pœnis & L. 6. D. *De re militari.* Nec prætereundi hæretici Circumcelliones, & Patriciani (de quibus *Auguſtin. lib. de Hæreſib. capp. 69. & 61.*) quorum *illi* putabant mortem conſciſcendam ad vitandum peccatum, abuſi loco *Rom. 7. 24.* quos refutant *Chryſoſt. ad Galat. 1. & Auguſtin. tract. in Johannem citat.* *Iſti* vero, quod ſentirent, corpus eſſe à diabolo. Oſtendit etiam praxis inprimis eorum, qui ſapientes audiebant apud Indos, Græcos, Romanos, multis perverſam hanc opinionem inſediſſe. Exempla quorundam ἀνθρώπων collecta vide apud *Tertullian. loc. cit. & Alciat. l. 4. c. 4.* generalem catalogum habet *Zwingerus in Theatro*; philoſophorum vero *Faber Semeſtr. l. 1. c. 12.* Ἀθλίων ſeu mavis Fabuloſorum (ut ego quidem opinor) *Hyginus c. 252. 243.*

§. 6.

Ad rationum pro hâc opinione ſolutionem notentur hi fontes ſolutionum.

I. Distinguendum est casuale homicidium, ab αὐτοφονίᾳ propriè dicta. Illud committi potest à viro etiam prudentissimo & fortissimo. Eadem distinctio locum habet in infantibus, furiosis. *Quæritur an etiam in quibusdam melancolicis?* Distinguendæ sunt species, gradus, intervalla & paroxysmi melancoliæ: de quocunque casu absolutè negare nolim. Et video in hanc partem determinari à *Carpzovio*, *Philippo Haenen*, *Alstedio* locis cit.

II. Aliud est pati mortem, permittere sui homicidium, immo & fortiter ad illud se offerre: & aliud se ipsum occidere. Illud aliquo in casu licitum est, & fecit tale quid Christus, ut & martyres, heroês, &c.

III. Aliud est actus præcedaneos agere sine quibus quis non occiditur; seu qui illic & tunc ducunt ad patiendum homicidium, ex. gr. ad locum supplicii ire, cervicem, manus, linguam amputandas extendere, scalas ascendere, &c. & aliud est tales actus peragere qui ex se per se & sua natura seu in specie & formaliter semper faciant ad vitæ ablationem aut corporis læsionem, & ad quos directè (saltem ordinariò) mors seu vulnus sequitur, tanquam ad causam per se & directam sive proximam sive remotam: & ad quos mortem sequi, nôrunt αὐτόχειρες, atque ideo ad tales actus confugiunt.

IV. Justa causa nunquam est faciendi aliquod malum turpe; nam illud nunquam est eligibile: Nec inter mala istius generis minimum est eligendum: Nec sunt facienda mala, ut fugiamus aliud malum, aut ut eveniat bonum.

V. Ad exempla Simsonis, Raziæ, &c. satis responsum ab *Augustino*, *Martyre*, *Riveto loc. cit.*

Corollar. Quod Theologi nonnulli apud *Zepperum lib. 5. de legib. Mosaicis c. 7.* putant cadavera hominum in furca non esse relinquenda, præterquam quod rariones eorum ex *Deuter.* 21. &c. absurdæ sunt; id liquidò ex pœna αὐτοφόνων refutatur; qui in corpore pœnas alias viventibus infligi solitas subire non possunt: quin immo ex generali ratione pœnæ, quæ inducta est ad disciplinæ publicæ emendationem, & ut exemplo cæteri deterreantur; non tantum quia peccatum est; sed etiam ne peccetur, juxta dictum Platonis cit. à Cujacio ad D. de Pœnis; οὐχ' ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι τὴν δίκην διδόσθαι οὐ γὰρ τὸ γέγονος ἀγένητον ἔσται πότε.

§. 7. Secunda controversia non tam thetica quam hypothetica est, *An liceat navem propriam atque adeo seipsum incenso pulvere pyrio tollere.* Occasionem controversiæ dederunt exempla aliquot nostratium nautarum & militum navalium, qui flagrante hoc bello (idque jubentibus ita legibus militaribus) cum desperatam putarent victoriam aut evasionem, navem suam incenderunt, tum ne illa cum tormentis & commeatu hostium potentiam auge-

augeret; siquidem in manus eorum deveniret: tum ut damnum inferrent hostibus, ipsos cum navi aut navibus una tollendo. Nos negantem sententiam amplectimur, eamque ita probamus.

1. *Argum.* Omnis αὐτοφονία verè & formaliter ita dicta est illicita, sed tale factum nautarum est αὐτοφονία, &c. Ergo. Major in confesso est & supra satis superque demonstrata. Minorem ex adversariis *quidam* concedunt, contra quos militat probatio majoris, quam hic non repetimus: *Alii* negant, in quâ sententiâ etiam puto fuisse legum militarium seu navalium in Belgio fœderato autores. Nam ut inter Christianos & quidem hoc tempore reformationis ἀυλοφονία propriè & formaliter sic dicta subditis imperata fuerit, mihi non fit verisimile. Probandum ergo, tale factum esse aut implicare ἀυλοφονίαν; quod facimus hoc argumento. Quicunque directè & voluntario mortem sibi inferunt tanquam causa physica & moralis, illi sunt ἀυλοφόνοι: Sed nautæ illi hoc faciunt, Ergo. Majoris consequentia verissima est, ex definitione ἀυλοφονίας: alioquin nulla esset ἀυλοφονία. Minor sic probatur. Quicunque illum actum partim imperant alteri alicui scil. ex militibus aut pueris, partim ipsi manu suâ exequuntur, per quem per se, directè & suâ naturâ mors infertur, illi directè mortem sibi inferunt. Sed verum prius, Ergo. Major in confesso est. Minor patet, quia incendium pulveris pyrii eundem ordinem & eandem efficaciam causalitatis habet ad effectum incendii navis & necessario inde sequentes conflagrationis, aut suffocationis, aut submersionis aut in frustra concisionis seu diruptionis hominum, quem habet explosio sclopi in proprium pectus, incendium conclavis aut domus ex quâ evadere non possis, præcipitatio in Ætnam, aut in aquam, haustus veneni, &c. Docuit experientia navi vectos ordinariò frustis carnium, in quæ discerpti sunt, intestinis, sanguine mare conspargere. Miraculi fere instar est, si quis ex omnibus primo ictu ex navi ejectus & procul inde in mare projectus unquam evaserit.

11. *Argum.* Quia factum hoc repugnat fiduciæ in providentiam Dei, prudentiæ Christianæ, fortitudini heroicæ & militari, caritati & clementiæ in proximum, imprimis in personas miserabiles, & pueros, qui in eâdem navi sunt; quibus hostes victores proculdubio parcerent.

Fiduciæ: quia limitant Dei providentiam, quasi penes ipsum non sint mille evadendi viæ, etiam cum nos fere conclamatum putamus. Hæc enim via Dei nostri, ut quasi ἀπὸ μηχανῆς auxilium suum præstet, cum cessat omne auxilium humannm.

Prudentiæ, quia certum ac præsens exitium cum incerto casu seu eventu librant, & illum huic præponderare volunt; quod certe non est judicii & *sapientiæ sanitas*, ut Augustinus loquitur. Poterant enim ipsi quamvis

jam pæne victi superiores evadere, poterant effugere, poterant hostes vitæ illorum parcere, poterant quamvis captivi terrâ vel mari ex captivitate erumpere, saltem poterant aliqui enatando aut aliâ ratione vitæ suæ consulere.

Fortitudini, quia hoc verè fortis est non turpiter ex desperatione victoriæ aut salutis stationem deserere & à pugnando cessare, sed ad extremum usque spiritum pugnare. Hoc fecerunt omnes illi sive duces sive milites, qui nomine fortitudinis celebrati tum in sacris literis, tum in historiis Gentilium & Christianorum pulcram petierunt per vulnera mortem. Infinitum esset exempla illa recensere, nec necesse est; præsertim cum nullum laudatum in contrarium adduci possit.

Caritati & clementiæ, in miserabiles personas: Quia immani crudelitate tollunt, ex. gr. senes imbelles, ægrotos, pueros, quibus ipsi hostes parcere possent, & plerumque parcere solent. Illis saltem injuriam faciunt; siquidem sibi à seipsis nullam fieri putarent.

III. *Arg. à pari.* Quia nunquam apud Israelitas aut Christianos in bellis, quæ terrâ geruntur aut olim aut hodie, licitum & decorum fuit, nunquam hoc militibus aut civibus obsessis in extrema necessitate legibus & consuetudine militari impositum, nunquam quod sciam, ita frequentatum aut tentatum: cum tamen non minus, in terrâ quam mari casus ejusmodi incidant, ut præsidiarii castri alicujus & suiipsius cum omni commeatu & apparatu bellico per pulverem pyrium subversione patriæ saluti magis prodesse, & hostibus magis obesse possint; quam nautæ incendio navis. Nemo rationem disparitatis aut dissimilitudinis assignare poterit, cur factum tale magis aut minus licitum sit nautis, quam præsidiariis; in elemento uno magis, quam in altero.

IV. *Argum.* Ex absurdis consequentibus. Multi enim laudandi essent aut saltem excusandi, quos alioquin pro ἀυτοφόνοις habent nobiscum adversarii; quales 1. Judæi illi apud Josephum libro tertio, capite decimonono, & Saguntini cum Numantinis. 2. Razias *Machab. 2. cap. 14.*; & si quis (quia aliter non posset) malit per se ipsum glandulâ plumbulâ petere hostem aut tyrannum, atque adeo secum tollere, quam vivum dimittere. 3. Qui sententiâ in se latâ, mortem sibi conscisçunt sive jussi à Magistratu ut in Japonia, sive injussi, inediâ aut veneno (ut *Socrates*,) aut venæ sectione (ut *Cornelius Merula* consularis apud Romanos & flamen Dialis). 4. Immo qui ob conscientiam delicti: ut tormenta & per ea stratagematis detectionem atque publicæ causæ aut patriæ, aut suorum proditionem, sententiam denique & acerbissimum atque ignominiosum mortis genus præveniant. 5. Circumcelliones, Donatistæ, Patriciani, qui majoris mali præveniendi,

veniendi, aut peccati evitandi, aut vitæ melioris causa ἀντοφονίαν committebant. Idem dicendum esset de fœminis illis: quæ ad evitandam castitatis violationem, manus sibi intulerunt. Nam & in his casibus æque prætendi potest extrema & certa moriendi necessitas, bonum publicum, inimicorum damnum, evitatio majoris mali. Nec ulla comparet ratio dissimilitudinis.

v. *Argum.* Consensum Theologorum ausim mihi spondere, siquidem in hunc casum specialem ex professo inquisiviissent. Qui solus (quod sciam) præter Amesium eum attingit, à nobis non dissentit Cl. *Rivetus in expos. decalogi.* De Pontificiis Theologis non dubito. Quamvis enim ad hypothesin hanc in terminis thesin suam non transferant: tamen inde apparet, quod nusquam compendio illo nostratium nautarum in prœliis navalibus adversus hostes suos usi, aut uti edocti sint nautę Hispani, Lusitani, Siculi, Veneti, Galli, &c. cum tamen illud ignotum ipsis esse non potuerit, & plerique ipsorum, imprimis Regis Hispaniæ milites, rigidiori disciplinâ teneantur in bello salutem suam negligere, & vitam publico impendere, quam nostri. Quin & nuper nautis ex India Occidentali thesauros & reditus regios vehentibus mandatum est, ut si in nostras naves inciderent, rebus desperatis, thesauros omnes in mare projicerent. Quæ autem causa quod compendio illo incendii navis suæ & nostrarum, tantum dispendium hostibus suis non inferant? Ego nullam arbitror esse quam præscriptionem doctrinæ Theologicæ de ἀντοφονία. Qui contrariam sententiam in hoc casu teneant, nulli (quod sciam publicè noti sunt) præter clariss. theologum *Amesium in Casibus lib.* 3. *c.* 31. & *Burgersdicium* philosophiæ in Acad. Leidensi, Professorem, & mihi, cum viveret, amicissimum in *compendio Ethicæ cap.* 14. Scepticè etiam aliquid differere voluit tenebrio quidam Remonstranticus: sed quia probatio ejus non subsistit intra factum hoc nautarum, non est cum eruditiss. illis viris nominandus. Ratiunculas ejus excussimus *Thersitis Heautontimor. sect.* 3. *p.* 251. Quæ præterea addi solent aut possint, ut excusentur ab ἀντοφονίᾳ, sunt ista.

I. *Object.* Quia sibi manus non inferunt. *Resp.* Ex dictis satis liquet eos manus sibi inferre, aut nullos fere ἀντοφόνους sibi inferre.

II. *Object.* Exemplum Simsonis; Quod ita applicat Amesius: *Similis fere est ratio navalium, ac Simsonis. Resp.* Fere non tangit. Si non est similis aut eadem ratio (ut quidem non est) jam consequentia non valet. Illum ut Nazareum Dei & publicum judicem ac vindicem populi extraordinario motu divino actum credimus, ita ut Deus subjecerit potestati ipsius vitam propriam. Adhæc victoriosâ morte suâ specialiter adumbrasse videtur Christum, *Judic.* 16. 30. *coll. cum Coloss.* 2. *v.* 15. *Hebr.* 2. *v.* 14.

Sed noſtri navales neſciunt cujus ſpiritus ſint *Luc. 9.* & non magis hoc exemplum communem ipſis facit legem ; quam Abrahami , Pinehas, Eliæ , Elizæi , &c.

III. *Object.* Non intendunt directè occidere ſe ipſos , ſed hoſti incommodare. *Reſp.* Quaſi quis excuſet *furem* aut adulterum , aut mendacem: non intendit directè proximum defraudare , ſed paupertatem ſuam ſublevare ; non intendit voluptatem & furtivam venerem cum uxore tyranni explere ; ſed ſecreta illius inde expiſcari & patriam liberare : non intendit mentiri aut veritati adverſari ; ſed ſibi aut proximo prodeſſe. Quinam ἀυτοχειρες dicere non poſſent, ſe directè non intendere mortem ſuam : ſed gloriam, immunitatem à malis, bonum familiæ & hæredum ſuorum, quod obtineri non poſſet , ſiquidem manu carnificis & latâ ſententiâ occiderentur : denique utequuleum declinent, atque hâc ratione *brevem hanc ad Deum eundi viam* ineant : quomodo tale quid a. 1618. Ægidius Ledenberch Ordd. Ultrajectinis à ſecretis, teſtamentariâ quaſi ſcedulâ poſteritati teſtatum voluit. Videant eam, quibus hoc tanti eſt, in *hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Joh. Wttenbogardi* , & *Jac. Triglandii.* Corrigenda eſt ergo hæc phraſis : Directè intendit & ſuæ & hoſtilis navis incendium, ſuum & hoſtium interitum ; ſed hoc primo, per ſe & ut finem, illud vero ſecundo, conſequenter & propter aliud ac in ordine ad aliud , tanquam cauſam ſine quâ non, ſeu medium & concomitans neceſſarium. Quomodo directè intendit fidelis fidem cum operibus, & vitam æternam ; & quomodo deſiderat mortem & vitam æternam *Philipp.* 1. 2 *Cor.* 5. *v.* 4. Licet quidem deſiderare mortem propter aliud, & bonum conſequens mortis propter ſe ; ſed non licet mortem ſibi accerſere aut inferre.

IV. *Obj.* Reliqua quæ à bono publico , vocatione & ſpeciali obligatione militum , damno hoſtium , extremâ neceſſitate , & quod tamen ipſis moriendum fuiſſet , &c. deſumuntur ; non magis licitam faciunt ἀυτοφονιαν , quam quęvis alia peccata contra legem Dei. Quid ſi aliquis phtiſicus aut letali aut plane incurabili morbo laborans, ſeipſum inediâ, aut ope medici, aut quocunque alio *ajuto di morire* liberet ab immanibus cruciatibus: hoc eſt ipſe aut medicus agat carnificem ? quod ſcil. illi tamen moriendum eſſet. Omnes illæ circumſtantię hoc tantum efficere debent , ut rectè permittant ſibi eripi vitam , non ut ipſi abjiciant ; ut morti ſe fortiter offerant , non ut eam ſibi inferant.

V. *Obj.* Non eſt ἀυτοφονια , quia directè non agunt illud , ad quod neceſſario mors ſequatur : aliquos enim incensâ navi ſalvos evaſiſſe compertum eſt : *Reſp.* 1. dato unum ac forte alterum miraculosè quaſi in vitâ ſervatum : inde nulla conſequentia duci poteſt. Una enim hirundo non facit ver. Quid ſi doſin veneni alicujus deleteriam centeni ſumerent , & unus ex illis Mithridates

thridates morti tunc non succumberet; an ideo reliqui, qui scientes & volentes talem dosin hauserant, non essent dicendi αὐτοφόνοι? *Resp.* 2. Non facile exempla superstitum aliquorum ex vectoribus commonstrabuntur, ubi tanta pulveris pyrii quantitas incenditur. Exempla duorum superstitum post incensam & frustulatim discissam ac disjectam navem, proferuntur ex itinerario navarchi Bontekoe typis edito. Nos itinerario illo attentè lecto & relecto, dicimus duos illos à fonte caloris, hoc est, à primo pulveris incendio remotiores stetisse; & sic prima illa aëris à pulvere pyrio factâ impulsione ex statione suâ excussos ac procul in mare projectos. Adhæc, non fuisse tantum pulveris incensum, quanto naves ordinariò instructæ sunt; quod compluria ejus vascula in mare jam projecta essent. Quę ergo hinc consequentia, à duobus tali in casu superstitibus quorum alter non sine lumbi fragio aut dorso pæne contuso, ægrè ab ἅδε πύλαις præservatus fuit?

VI. *Obj.* Aliquando, incenso pulvere, hostes repulsi fuerunt, & bona pars eorum vulnerati aut cæsi: vectoribus interim salvis. *Resp.* Hoc factum vasculis aliquot pulveris in supremo navis tabulato dispositis, quibus hostes in navem insilientes aduruntur, illæsis vectoribus, qui ad infima navis recesserunt. Tali pulveris incendio nemo quæstionem movet: nec est ibi ulla species αὐτοφονίας.

VII. *Obj.* Magistratus si mandet, non est αὐτοφονία: quia ille habet jus vitę & necis. *Resp.* 1. De absoluto jure, nondum probatum vidi. Deo hoc competere, indubium est. Factum concedo. Quod enim de Nebucadnezare dicitur *Daniel. 5. v.* 20. de multis Regibus & Principibus etiam aliquibus nomine Christianis negari non potest. Vide mihi Imperia Persicum, Ottomannicum, Japonicum, Siamicum, Tartaricum, Mogulicum, Chinense, Russicum, &c. *Resp.* 2. Decreta & statuta magistratuum ex peccato facere nequeunt non-peccatum; nec de jure contra jus dispensare. Confer supra *disp. de cæcâ obedientiâ. Resp.* 3. Quod olim per ignorantiam à belli maritimi præfectis illo statuto seu lege pœnali de incendio pulveris pyrii peccatum fuit; jam ante 63. aut 64. annos emendatum est, sive expressâ (de quo certus non sum) sive tacitâ sanctionis ejusdem abrogatione, & non-observatione. Ab illo enim tempore nulli puniti sunt, quod rebus pæne desperatis, pulverem pyrium non incendissent; sed quod ad extremum fortiter non pugnassent.

Restat tertia controversia principalis, de spontanea flagellatione? cui oc- §. 8.
casionem dedit ludicra Romanæ factionis hypocrisis, quę in Belgio nostro imprimis ostentari cœpit post luctuosum Hispanorum militum cum duce Albano adventum: illi enim ut sectæ Romano-Papisticæ propius adhęrent, ita & in hoc genere sanctitatis Romanæ alios omnes post se reliquerunt.

Iisdem illis temporibus Brugis Flandrorum erumpere & inclarescere cœpit illa *disciplina Gynopygica Corneliana* (ut eam appellat Eruditiss. *Vulcanius Brugensis* quondam Lugd. Batav. in græca literatura præceptor noster in epist. dedicator. ad Nilum Thessalonic. de Primatu Papæ) quæ nomen accepit à furioso illo Theologo & Minorita *Cornelio Adriano*. De qua vide Historiam peculiarem cum mellificio concionum ejus vernaculo idiomate editam, Et Nobiliss. *Sanct Aldegondii* toparcham in Alveario Ecclesiæ Romanæ. Lutetiæ an. 1583. eandem comœdiam actam refert & condemnat *Thuanus histor. libr.* 78. Romæ jam à sæculis aliquot videtur hic mos servatus, ut hebdomade, quæ præcedit pascha, pœnitentes magno numero publicè se diverberent. Ante paucos annos in Germania virgidemialem disciplinam blasphemè buccinare & omnibus commendare aggressi Jesuitæ, inter eos *Drexelius in Trismegisto Christiano part.* 1. *c.* 6. imprimis *Gretserus peculiari tractatu* Ingolstadii, qui in Germanicum conversus & editus Coloniæ, ac postea de novo Latinè & auctior Coloniæ editus 1606. Quin & in Belgio etiam fervere furores illos flagelliferorum, documento est Trajectum ad Mosam, ubi tamen postea sponte intermissi sunt. Illustr. DD. Ordd. hoc nomine non leviter indignatur *Libertus Froymundus* Doctor Lovaniensis in *Crisi Desp. Causæ Papatus* nuper editâ. Ut autem horrenda illa mysteria cognoscat lector, ex libro *Gretseri* breviter sententiam ejus, quam tuetur, proponimus. „ Flagellationem hanc publicè & in processionibus fieri „ debere, ut homines bonum opus videant, &c. (*lib.* 2. *c.* 10.) & quidem „ nudis pedibus, exemplo scil. Christi qui procul dubio nudis pedibus ad „ flagellationem & crucem deductus fuit: & convenire illis saccum, tum „ in tegumentum, ne quis agnoscatur, tum in argumentum pœnitentiæ. „ Posse disciplinam constare 200. aut 300. verberibus, & adhiberi nodosa „ & aculeatis stellulis exasperata flagella. *lib.* 2. *c.* 9. Posse aliquem constitui „ immo & munusculo induci qui se pro altero flagellet, suamque flagella„tionem & satisfactionem alteri applicet. *lib.* 2. *c.* 11. Disciplinam hanc „ esse sacramentalem & partem integralem sacramenti pœnitentiæ; adhęc „ à confessario posse imponi, & esse applicationem satisfactionis Christi, & „ ex opere operato meritoque Christi effectum suum producere (h. e. gra„ tiam & gloriam) idque ex justitiâ & de condigno, flagellatoremque Deum „ sibi facere debitorem. *Ibid.* & sanguinem illum in flagellatione effusum „ peccata expiare, regnum diaboli potenter destruere, vitam æternam me„ reri. *cap.* 8. Disciplinam quam quis facit extra statum gratiæ quamvis ex „ opere operantis neque ad meritum neque ad satisfactionem valeat, „ non carere tamen penitus omni fructu, &c. Vide reliquas blasphemias „ cap. 8.

Cum

Cum bimembris sit hęc controversia, duabus thesibus eam determinamus. *Prima*, flagellationem illam esse illicitam. *Secunda*, multo magis abominandam esse, cum pro alio præstatur.

Pro priori thesi adferimus ista argumenta. I. Arg. Quia est species αὐτοχειρίας & vetatur sexto præcepto, & *Ephes.* 5. &c. vide argumenta supra contra αὐτοφονίαν allata. II. Quia specialiter repugnat *Levitic.* 19. 28. carnis aut cutis scissio, & dilaceratio per flagella & aculeatas stellulas. III. Quia omnis membrorum mutilatio & sui ipsius læsio est prohibita, ut quidem nobiscum statuunt Casuistæ Papales: & merito culpatur ab illis Origenes, quod seipsum castraverit, quamvis illud ad gloriam Dei & studio continentiæ, fecerit. Nulla autem dispar ratio dari potest inter læsionem partis dissimilaris seu membri, & similaris, puta cutis. IV. Ex absurdo consequenti, quia sequeretur eâdem consequentiâ posse aliquem in signum pœnitentiæ & ad satisfactionem pro peccatis carnem suam ita crucifigere sive flagellis, sive ferris, sive aliis instrumentis, ut mortem sibi adferat, saltem inutilem se reddat rebus in ecclesia aut politia & familia gerendis. V. Quia quod ad materiale suum est superstitio & ἐθελοθρησκεία verbo Dei ignota; immo ei repugnans *Col.* 2. 23. cum 1 *Tim* 4. 8. in specie adversatur doctrinę de Resipiscentia: de quâ nostri suo loco. Neque enim inter actus ejus 2 *Cor.* 7. 11. cum *Joel* 2. 12. 13. *Psal.* 32. & reliquis pœnitentialibus comparet spontanea flagellatio. Adeo ut impudenter Regem Angliæ Henricum II. pœnitentem scil. jussu legati Pontificii, Episcopi ter, & singuli monachi (qui erant 80.) quinquies virgis percusserint, Vide *Baron. ad ann.* 1174. *n.* 5. Et perperam *Richardus* ejusdem Angliæ Rex *capitulo Monachorum verberibus se subdiderit, imitatus in eo redemptorem, qui dorsum suum dedit ad flagella*, ut loquitur continuator *Sigeberti Robertus de Monte ad annum* 1157. Et improbè *Baronius ad ann.* 1056. laudet Annonem Episc. Coloniensem, quod Imperatorem Henricum *durissimis verborum plagis afflixerit.* VI. Quia quod ad formale suum blasphema est in flagellationem & sanguinis effusionem Christi, in quâ plena expiatio & satisfactio *Jesa.* 53. 4. 5. 1 *Petr.* 2. 19. 20. 21. 1 *Joh.* 1. 7. VII. Quia originem habet omnis illa sanguinis effusio ex diabolo; qui nidore sanguinis humani in cultu suo semper delectatus fuit *Psal.* 106. 37. *Dæmones*, inquit Lyranus in 1 Reg. 18. *delectantur in sacrificiis sanguine hominis, qui est nobilissima creatura ad imaginem Dei facta.* Et specialiter talis sanguinis effusio exercita fuit à *Baalitis* 1 *Reg.* 18. Judæis idololatris, Hæreticis Circumcellionibus, &c. imprimis à Gentilibus, Lacedemoniis (de quorum διαμαστιγώσει *Tertull. ad martyr. c.* 4. & in *Apologetico sub finem*; *Lucianus dial.* περὶ γυμνασίων *Plutarch. de Lacedæmon. instit.*) & sacerdotibus Cybeles (de

qui-

quibus *Tertull. Apol. c. 25. & adv. Marcionem lib. 1. cap. 13.* & *Apul. lib. 8. Metamorphos.)* Denique à Turcicis Dervisiis, de quibus *Bellon. lib. 3. observat. c. 21.* Adeo ut lac lacti non sit magis simile, quam flagellatio Papistica Ethnicę: Quid? illa huic ortum suum debet; quod fatetur *B. Rhenanus in annotat. ad Tertullianum ad Martyr: Istius* Δαμαστιγώσεως *vestigium videas apud Italos in litaniis. Polydor. Virgil. de Inventor. lib. 7. c. 6.* ait, à Romanis Lupercis institutum hoc *societatis* seu *confraternitatis flagellantium* (qui *Ninivitæ* dicuntur) *esse acceptum.* Et si longius liceat hujusce verberationis originem quęrere, *ab Ægyptiis mutuo sumtum esse.*

VI. *Argum.* Quia nova est hæc δαιμονία antiquitati & patribus ignota, quæ sub sæculum undecimum privatim exerceri cœpit, à Petro Damiano epistolis decantata teste *Baronio ad ann.* 1056. quas epistolas cum tract. suo edidit *Gretserus.* Sæculo vero 13. publicâ grassata est secta flagellantium; sed ab ipso Papatu minime approbata: quin etiam per Papam Clementem v. suppressa & à celebri Doctore Joh. Gerson peculiari tractatu traducta: quem vide Oper. *part. 1. tract. 22.* Ex nostris superstitiosum illum furorem tangunt *Hospinian. de Festis Gentil. p.* 153. imprimis de Monachis *cap.* 30. & *Plessæi Myster. ad ann.* 1055. & 1282. *Rivetus in defensione Mysterii Plessiaci c. Couffetellum part. 2. sect.* 49. *pag.* 451. Idem *in Jesuita vapulante cap.* 17. *Molineus in Hyperaspiste c. Sylvëstrum de Petra sanctâ lib. 1. cap.* 29. Qui idem in Novitate Papismi. Quod autem *Gretserus libr. 2. cap.* 4. excipit non flagellationes publicas, sed sectas illas flagellantium prohibitas: ex eo refutari potest, quod Gerson tractatum suum direxerit non contra sectarios, sed contra omnes, qui se ipsos flagellant (ut notat idem *Gretser. c. 5.)* Quod non fecisset absque censurâ, siquidem disciplina hæc fuisset Catholico-Romana. Novitatem tacitè confitentur Pontificii, cum nulla ex antiquitate testimonia, nulla exempla ostentant. Antiquius exemplum non adfertur, illo Petri Damiani, quo autore vel propagatore, laudabilem hunc usum introductum scribit *Baronius ad ann.* 1056. §. 7. quin ipse *Gretserus* hujus causæ quasi Atlas, exemplis flagellationem suasurus incipit à Dominico, non quidem flagellante, sed loricato. Similis ferreæ & loricatæ satisfactionis non sine præconio meminit, ex *Henrici Sedulii* Minoritæ descriptione Mariæ Trajectensis ad Mosam *Augustinus Wichmans lib.* 1. Brabantiæ Marianæ cap. 8. „Multi (*ex religiosæ processionis circuitum consi-*
„*cientibus*) à capite usque ad genua, ferreis armis nuda corpora tecti, et-
„iam in genibus repentes, totum illud & quidem non breve iter proces-
„sionis, conficiunt, & ferreas subinde gravi pondere catenas pedibus illi-
„gatas trahentes. *Et paulo post pag.* 113. Recensiti anno 1608. octuaginta
„sex, pœne omnes faculas gestantes corpora nuda ferreis armis induti à

capite

„capite usque ad pedes. Capita ferreis galeis muniebantur: pectus & bra-
„chia ferreis thoracibus, & brachialibus; crura & tibiæ, ipsi quoque pedes
„panoplia militari, qualis esse solet æquitum in acie pugnantium: plerique
„dextro quoque pede catenam magni trahunt ponderis, quo procedant
„laboriosius. Subligacula linea, quæ naturam tegebant, fluentem largiter
„ostendebant sanguinem ex morsu armorum. Nec facile quis credat quam
„multis sanguineis guttis via, quâ processio tendebat, spargeretur. Alii her-
„bas, frondes, flores oculis & odori jucundos, Christo jaciebant & ejus
„matri: isti (quod habebant pretiosissimum) sanguine suo viam purpura-
„bant, quo peccata eluerent, & flammas igneasque gehennæ sopirent. Hos
„Lectissimos milites velut cohortem Prætoriam, Magistratus urbis sequi-
„tur, &c. *Ibid. paulo ante retulerat*, Esse Trajecti ad Mosam *sodalitium fla-*
„*gellantium*, qui saccis operti, tecta faciè, pedibus nudis magnâ pietate,
„pulcroque exemplo supplicationem cohonestant, viri, adolescentes,
„pueri.

VII. *Argum.* ad hominem 1. *quia* tria opera satisfactoria seu pœnalia olim solent numerare orationem scil., jejunium, eleemosynam. De quibus in 3. *part. select. disp. tit. de Indulgentiis.* Ubi ergo ἀναμαστίγωσις? 2. *quia* Clericis saltem debebat esse illicita; quibus interdictum est omni sanguinis effusione sub pœnâ irregularitatis: de quo Casuistę in voce *Irregularitas.* 3. *Quia* inter ipsos nondum constat de certitudine hujus disciplinæ: ut rursum videas Proteum Romanum, fidem non fidem, hoc est vertiginem. De *Gersonis tract.* qui exstat part. 1. jam diximus; cum quo conferri debet epistola ad quendam Vincentium Dominicanum dicto tractatui subjecta. Quamvis autem Gersonem refutare conetur Gretserus, nondum tamen vidimus decisionem Romanam.

Affinis est ἀνθομαστίγωσει, illa flagellatio, quâ quis sive volens & sponte, sive nolente animo ab alio ad expiationem peccatorum affligitur. Prioris exemplum habemus in monachis cœnobii Cassinensis, qui jubente *Petro Damiano* post expletum officium divinum mutuâ se scoparum purgatione purgabant (apud *Baronium an.* 1056. §. 7.); & in mulieribus ac virginibus Brugensibus, quæ non seipsas, sed quas plane nudas Cornelius Adriani Minorita domo Dordracenus, (inde toto Belgio dictus *flagellator*, vernaculè, Bruer Cornelis de Geeſſelaer) leniter flagellabat. Etiam in ordinibus flagellantium diverso colore distinctis, qui anno 1583. larvati per urbem Parisiensem procedentes terga flagellis sibi concidebant referente *Thuano histor. lib.* 78. ubi etiam novam illam superstitionem damnat, tanquam instantes regno calamitates portendentem. Denique in Jesuitis illis, qui ut homines à Bacchanalium insaniis & limphaticis grassationibus abducerent,

in media Corybantum agmina se conjiciebant, terga sua crudeliter flagellantes: uti refertur in Primo sæculo societatis Jesu lib. 3. cap. 9. Posterioris exempla dederunt Rex Angliæ Henricus 2., qui quinquies ab unoquoque episcopo, ter à singulis monachis (qui numero erant 80.) virgis cæsus fuit. *Baron. ad ann.* 1175. §. 5. Et Imperator Henricus 2. durissimis verberum plagis affectus. *Idem ad ann.* 1056. §. 7. Et Franciscani illi Parisienses quos nuntius Papæ anno 1582. non sine *aliquâ fustigationis specie*, ab excommunicatione solenniter absolvebat: quod tamen à Rege Henrico 3. & Senatu Parisiensi publicè improbatum fuit; referente *Riveto in Jesuitâ vapulante cap.* 17. ex *Pauli Foxii epistolis*, *lib.* 2. *epist.* 39. Adde, si placet, plagulas illas, quibus Clemens VIII. percutiebat, non percutiebat Henricum IV. in procuratore & mandatario ipsius *Perrono.*

§. 9. *Secunda thesis* negans flagellationem pro aliis ita probatur.

1. *Arg.* Quia pœnitentia pro alio, & satisfactio pro alio in foro conscientiæ tam ignota est sacris literis, quam fides pro alio.

11. *Arg. Quia* cum sit medicina spiritualis secundum ipsos, deberet applicari illi, cujus anima sananda est, hoc est ipse in proprio corpore castigari *Rom.* 2. 6. *Gal.* 6. 5. 2 *Cor.* 5. 10. *Psal.* 49. 8. 9.

111. *Arg. Quia* translatio illa & imputatio alienæ castigationis est injuria, in imputationem passionis & obedientiæ Christi; quam tamen nobis imputari in negotio justificationis maximè paradoxon & hæreticum ipsis videtur; quamque ideo sarcastice *justitiam* putatitiam appellare solent.

1v. *Arg. Quia* est crassa simonia, cum pauperem quendam pretio conducunt (quod Romæ hodie non infrequens) qui pro ipsis se flagellet. Exceptio autem per distinctionem *motivi* & *pretii* simoniam non tollit: Nam eodem halitu nulla diceretur simonia, nulla emptio & venditio: siquidem omne pretium ratione venditoris nihil aliud est quam motivum.

v. *Arg. Quia* omnis talis castigatio, pœnitentia, absolutio peracta in conductitio substituto, aut procuratore (quomodo Perronus pro Henrico 1v. à Papa Clemente v111. plagas accepit, ut illi objicit *Molineus in Novit. Papismi*) pœnitentiam in ludibrium & comœdiam transformat, non minus ac facinorosus ille dictus Adamus, qui Halberstadii die cinerum omnium peccata portare solet, & propterea templo aliquamdiu ejici, deinde absolvi: ita ut expiatio ejus & criminum purgatio in omnes cives redundare crederetur. De quo videndi *Volaterranus Geograph. lib.* 7. *Belleforestus lib.* 3. *historiæ Mundi*, *Beatus Rhenanus*, *Alciatus*, *Hospinian. de Festis Christian. pag.* 47. *Chemnitius Exam. Concil. Trid. part.* 4. *pag.* 120. in primis pag. 270. edit. in octavo.

v1. *Arg. Quia* incertæ autoritatis etiamnum inter ipsos est disciplina flagellifera.

Dispu-

Disputant *An aliena hæc satisfactio valeat ex opere operantis, an vero ex opere operato. An si mercenarius & vicarius ille flagellator non sit in gratiâ, flagellatio illa conductura sit conductori.* Et quomodo quæso conductor certus esse poterit conductum illum esse in gratiâ? Fr. Zwarez in 3. tom. 4. disput. 38. sect. 9. *Hunc modum satisfaciendi per alios*, ait, *non esse in Ecclesia adeo usitatum, nec ad finem sacramenti pœnitentiæ adeo expedientem, quia talis satisfactio deservire non potest per modum medecinæ, nec ipsa ratio satisfactionis satis certa est.* Et tamen glossa ad *c. presbyter* dist. 81. sic determinat: *denarium potest dare ut se redimat à jejunio, ergo multo fortius per alterius jejunium potest liberari.*

VI. *Arg.* Denique nullum mandatum spontaneæ flagellationis, nulla exempla Apostolorum, aliorumque sanctorum in scripturâ comparent. An ergo Christum, Apostolos, Euangelistas, *Ignatium*, *Polycarpum*, *Justinum*, *Irenæum*, *Cyprianum*, &c. similesque Christi martyres, etiam austeræ vitæ cultorem atque alterum Eliam Johannem Baptistam, zelo pietatis, & carnis cum affectibus crucifixione, flagellantes Papistici superabunt? *His non obstantibus Sylv. Petra sancta pag.* 158. vicarias has satisfactiones necessarias censet. *Exceptiones & rationes* ejusdem Jesuitæ, nec non Gretseri, & Drexelii pro flagellationis disciplinâ & pro vicariæ flagellationis imputatione partim stultæ, partim horribiliter blasphemæ sunt: inter eas eminet illa, quâ cum vicariis flagellantibus comparatur Christus, qui vulneratus est propter iniquitates nostras. Dictus enim *Jesuita Sylvester de Petrâ sanctâ* Molineum in epistolâ ad Balzacum eos qui Romæ pro aliis se flagellant, carpentem arguit, ac si per necessariam consequentiam negasset vim & efficaciam mortis Christi. Poterat simili consequentiâ probare, mortem pro alterius peccatis, aut ad reconciliationem aliorum cum Deo, sponte conscisendam: quia Christus loco nostro mortem pro peccatis nostris expiandis ab aliis violenter illatam ex caritate erga nos & ex religione absque obedientia erga Deum subiit ac passus est. Vide *Joh.* 15. *v.* 13. & *Philipp.* 2. *v.* 5. 9. Majoris enim fortitudinis & caritatis esset mortem pro aliis subire; quam plagas, vibices, vulnera. Et quidni factum Curtii in hiatum insilientis (apud *Livium lib.* 6.) & complurium aliorum, qui mortem ex præsumtâ religione sibi intulisse leguntur, magis laudetur, quam spontanea pro aliis flagellatio: siquidem mors πάντων τῶν φοβερῶν φοβερώτερος. *Majorem charitatem nullus habet, quam istam, ut quisquam animam suam deponat pro amicis suis* Joh. 15. *v.* 13. Novum ergo martyrum ἀνθολόγιον martyrologium, ex superioris & præsentis sæculi itinerariis consarcinandum esset. Apud Japonios in festi cujusdam annui celebratione & frequentissimo hominum ad templum concursu, quidam ex devotione se solent prosternere & pedibus concurrentium conculcandos

candos præbere. Apud eosdem dicti *Jamabuxi*, qui directi sunt cultores dæmonum, post multas vigilias, abstinentias, aliasque mortificationes, scaphâ conscensâ mari se committunt, eâque terebrata, aut ponderosis lapidibus sibi alligatis, ex scaphâ in mare insiliunt, & seipsos submergunt. Ibidem alii antro se inclusos fame enecant: alii ex altissima arce de præcipitant: In *Pegu*, *Narsinga*, *Negapaton*, *Chormandel*, aliqui voluntariò rotis curruum, quibus idolum vehitur, se conterendos subjiciunt. In *Munay* quæ insula est regni *Pegu*, dicto *Rolim*, hoc est, sacrorum Pontifici maximo defuncto, sex nobiles ex ordine sacerdotum, hausto publicè liquore venenato mortem sibi consciscentes, parentant. Iisdem in locis & in *Siam* & *Ghusuratte*, ex religiosis & anachoretis dictis *Jogys*, multi post vitam austeram se præcipites dant, aut per discipulos suos se necandos curant. Alterius ordinis religiosi sectarii idoli seu dæmonis dicti *Godomem*, assiduo in montibus inclamant suum *Godomem*, donec mortui concidant. Religiosi dicti *Taxilacons*, lustris seu antris undique arctissimè obturatis seipsos inclusos suffocant. Ex sacerdotibus dictis *Bramines*, in processionibus diabolicis saltantes se cultris certatim immaniter vulnerant. Alii uncis humero impactis, quasi tollenone in altum tolluntur, atque illic aliquamdiu detinentur. Alii frusta carnis ex corpore sibi exscindunt, & idolis suis projiciunt. Ne dicam de illis, qui ut defunctis suis dominis, maritis, &c. tanquam fidi Achates semper adsint, & in alterâ vitâ inserviant, in ignem insiliunt, aut ventrem sibi scindunt, aut pugionem in pectus adigunt, aut jugulum solvunt. Atqui hi ἰθελοθρησκείαι, & putatitiâ suâ devotione, fortitudine, caritate, omnes Pontificios flagellantes & mortificantes longè superant.

§. 10. Absolutis Controversiis principalibus, problemata aliquot hic exhibeo.

I. *Probl. An omnes ἀνλοφόνοι, nemine excepto, simpliciter sint damnati? Resp.* Videtur hoc affirmari ab *Origene lib. 2. in Jobum*, & est ea apud multos passim popularis opinio. Nos neg. Et ratio est, quia nec est peccatum in Spir. S., nec dici potest semper cum finali desperatione aut impœnitentiâ conjunctum esse. Fieri enim potest, ut resipiscant aut actuali resipiscentiâ post illud factum, aut saltem (siquidem temporis angustia obstet) ut non sint absque omni resipiscentiâ generali & habituali, & quod præcesserit resipiscentia actualis pro futuro, quam innuimus in *Therside* nostro & *Balduinus pag. 727.* Et hoc ita statuendum esse suadent inter alia, piarum fœminarum ἀνλοφονίαι apud *Niceph. lib. 7. c. 12. Ambros. lib. 3. de Virgin. Augustin. de Civit. Dei lib. 1. c. 16. & 26.* quæ Zelo Dei, sed non secundum scientiam, manus sibi intulerunt: adde & navales nostros, & si qui alii sint minimè

nimè mali, qui vehementiâ doloris aut melancoliæ aut tentationis abrepti, aut errore seducti culpæ huic affines sunt. Et est hæc sententia Augustini quamvis *c.* 26. videatur contrarium statuere. Sed dum Pelagiam aliasque virgines non condemnat, nec tamen peculiarem Dei afflatum illis tribuit, tacitè huic nostræ sententiæ subscribit. Est & eorum Theologorum, qui Simsonis factum ἀυτοφονίας condemnant, ipsum tamen à salute non excludunt juxta *Hebr.* 11. 32. Saltem de iis, qui in profundæ melancoliæ paroxismo sibi manus intulerunt, aliter judicare non possunt autores supra cit. qui in hoc casu melancolicos conjungunt cum phreneticis: quales *Melanthon*, *Phil. Haenen*, *Alstedius*, &c. Huic sententiæ accedit *Melanthon in epistolis à Manlio collectis pag.* 150. Et *Lutherus* olim in publicâ prælectione aperte eam defendit, teste *Mich. Rothardo Mulhusino in tract. cui tit. Crux Sauliticа pag.* 114. Adde *Balduinum lib.* 3. *cap.* 4. *casu* 14. Et *Georgium Abotum in lectioninibus ad Jonæ* 1. *Anglicè*. Confer *supra* §. 2. & nostra *Exercitia pietatis cap.* 20. *pag.* 553.

II. *Probl. An si Magistratus capitali sententiâ in nocentem latâ mandet ipsi executionem, parendum sit? Resp.* Ita quidem fieri solet in Japoniâ, ut Illustribus personis pugio mittatur, quo se perfodiant: & olim apud Romanos sub Tiberio, Nerone, Domitiano si quis mortem prævenisset, manebant testamenta, & justa funeris. Et Massiliæ venenum cicutæ publicè custodiebatur, &c. apud *Valer. Maxim. lib.* 2. *c.* 6. *Plato lib.* 9. *de legibus* non improbat; & defendit *Lipsius differt.* 23. ubi addit, se nescire quid Theologi (Pontificii scil.) statuant & audire se scholarum dissensionem. Nos contra negamus, rationibus contra ἀυτοφονίαν adductis subnixi: contra quas ut & contra ullum Dei præceptum, nullam facit exceptionem mandatum & potestas Magistratus: ut videre est *Act.* 4. 19. & 5. 29.

Nam quod objicit: lex & Magistratus occidit, *cur non tali & tali modo, vel manu. Resp.* Quid si mandet filio ut patrem, uxori ut maritum, matri ut proprium filium capite plectat? An parendum? Imprimis si injusta sit sententia in innocentem, aut specialiter propter fidem Christi lata. Jam vero homo sibi ipsi propior, quam filius patri, &c. Reliqua quæ addit, sunt meræ rhetoricationes, non rationes. Theologi Negant, posse aliquem parere, si condemnetur ut venenum ad bibendum sibi ministret, aut pugionem in ventrem adigat, aut seipsum suspendat, aut linguam sibi amputet, &c. Sic *Azor. tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 3. *ex Soto*, *Covarruvia*, &c. Sententiam eandem defendit ante annos aliquot Lugduni Batav. πλυμαθὴς J.C. *Petrus Cunæus in Corollar. Disput. alicui Politicæ* subjecto. Eandem habet eximius philosophus *Keckermann. Disput. pract.* 23. *quæst.* 30. ubi ex professo Lipsium oppugnat. Eandem sententiam *Joh. Aidius Scotus*, *Keckermani* in eadem

cathedrâ Philosophicâ successor defendit in *disp. de Magistratu* 8. *Aprilis* 1612. *thesi* 59.

III. *Probl. An* ἀυτοφονίαι *directæ aut indirectæ damnari possint pii & fideles illi, qui parentes, uxores, propinquos, cognatos, amicos peste laborantes, occasione & necessitate ita ferente, invisunt, & tum in spiritualibus tum in temporalibus auxilium ac ministerium iisdem præstant; atque inde peste correpti moriuntur? Resp. Neg.* Theophilus Raynaudus libri peculiaris de hac quæstione anno 1630. titulo tale quid præscribente contendit esse eos *verè, presse, non laxè Christi martyres. Philibertus Marchinus in bello divino part.* 1. *cap.* 7. idem multis probare conatur: quamvis non diffiteatur dissentire *Gabr. Biel, in sermone ad Domin.* 24. *post Pentecosten*; *Espencæum lib.* 3. *digress. cap.* 19. *Vasquez in* 3. *p. disp.* 153. *cap.* 3. Quęcunque autem à Raynaudo & Marchino adferuntur, non probant *presse, verè, strictè, propriè* dictum martyrium: uti iidem in terminis determinârant. Nos relictis illis, dicimus, eos, de quibus quæritur, non magis esse ἀυτοφόνους, quam sunt fortes ac pii sive cives sive milites, qui justissimo in bello defensivo honestè periculo, necessitate ita flagitante, se offerunt atque exponunt, in quo pereunt. Vide infra diatribam nostram de Peste.

IV. *Probl. An tempore pestis fugere liceat? Resp.* Hic distinguendum est inter eos, qui vocatione suâ ejusque executione obstricti tenentur (inter quos eminent ecclesiarum pastores); & inter homines liberos illic loci, aut alibi pro arbitrio commorantes. De ministris saltem negandum videtur, per analogicam consequentiam, ex *Joh.* 10. *v.* 22. *mercenarius*, &c. *spectans lupum venientem, & relinquit oves & fugit.* Confer, quæ alibi in 2. *part. polit. eccles. lib.* 1. ubi alios autores indico: inter quos *Augustinus in epist.* 180. *ad Honoratum*; cujus lectionem imprimis commendo determinaturis de fugâ in persecutione. Confer & *Diatribam* nostram de Peste: & appendicem sequentem.

* *Appendix* 1. *ad proximè præcedentia problemata.*

ANonymus quis Remonstranto-Socinianus anno 1634. tetigerat hanc quæstionem de fugâ pestis: cujus vanam loquentiam anno 1635. refutavi tract. cui tit. *Thersites Heautontimorumenos sect.* 3. *pag.* 283. Et annis aliquot post Kal. Julii anno 1637. disputationem de Pestis antidoto spirituali proposui *Resp.* Jacobo Migrodio; quæ anno 1641. recusa fuit, cum epistolicâ disceptatione de *Termino vitæ* in 8. Et tertio demum recusa unà cum *diatribis Bezæ, Riveti, Hoornbeek de Peste*, Lugd. Batav. anno 1655. editionem curante *Clariss. Joh. Hoornbeek* antehac Collegâ nostro. Quamvis autem

autem sententiam meam in dictâ diatribâ satis explicuerim & defenderim, visum tamen est anno hoc 1666. breviter examinare, quę a. 1649. in libro tit. *theologi paradoxi*, Groningæ edito, contra eam allata sunt; si quis forte in dicti libri pag. 227. & seqq. incidat, ubi de fugâ Pestis, & incendio navis disceptatur. Sic ergo opponens

„ Sanè vinculis Hippocratis constringendus videtur, qui & quotidianæ §. 1.
„ experientię & medicorum constanti sententiæ, &c. de triplici in Peste
„ contagio per contactum, per distans, & per fomitem tam proterviter au-
„ sit reluctari. *Resp.* 1. Quotiescunque censor ab opinione, quorundam philosophorum, aut medicorum, aut Jureconsultorum, aut theologorum divertit; an intentato proterviæ crimine, & vinculis Hippocratis, sibi occurri velit? *Resp.* 2. Audio quidem dici, sed nondum probari experientiâ constare per contagium illud per distans (absque fomite & contractu) Pestes e.gr. ex Japoniâ, aut Chinâ, aut extremo Americæ angulo, in Belgium & vicissim ex Belgio, in quasvis remotissimas mundi plagas transferri. Explicetur & probetur hoc contagium, & hoc distans quod ad maximum aut quod ad minimum tum *quod sic* tum *quod non*; atque unà, aliter nunquam in aliquâ orbis parte primum oriri, aut posse oriri Pestem. *Resp.* 3. Ego contagium per contactum minimè negavi. Nec etiam omne contagium per fomitem: quamvis omne non percipiam, aut recipiam, quod ab hoc aut illo scrupuloso tale dicitur. Neque enim tam præcisus aut curiosus aut subtilis sum, ut in aureo annulo, aut nummo, aut vitro, aut filo serico epistolium cingente, ex Indiâ, aut Græciâ, aut Italiâ (si tunc pestis illic grassaretur) Ultrajectum missio, pestiferum contagium me rimari & deprehendere debere arbitrer. De contagio per distans iterum dico, nulli solidæ aut cogenti demonstrationi, sed quorundam nudæ affirmationi, aut levi σχασμῷ subnixum esse. Quamdiu demonstrationem non videro, frustra medicorum quorundam autoritas prætenditur. *Nec enim medici alicujus imaginatio norma est indubitata fidei & morum*: uti ipse pag. 229. de me loqui amat.

„ Ibidem ad citatum à me *Sennertum* excipitur, falso disputator pro se §. 2.
„ citaverat in *Thersite*, ut ostensum ab autore Gymnasii Ultraject. cap. 52.
Resp. 1. An ipse *Sennertum* à me citatum inspexerit, non indicat: saltem colligo librum illum anonymi Remonstranto-Sociniani tit. *Gymnas. Ultraject.* ab ipso inspectum; quem dicit ostendisse, *Sennertum* falsò à me citatum. Sed unde novit illum hoc ostendisse, nisi ipse præter vanissimi illius tenebrionis calumniarum, obtrectationum, & ineptiarum centonem, etiam meam citationem in *Thersite pag.* 286. & *Sennertum* citatum legerit atque expenderit? Repeto ergo & repono, contagium illud per distans tanquam specie à contagio per fomitem distinctum à *Sennerto loco cit.* non obscurè

rejici.

rejici. Si enim ad contagium per fomitem reduci poteſt, non eſt ſpecie diſtinctum contagium. Et rationibus evincitur 1. *quia* ſemper aëre mediante communicatur, & omnis peſtis externa generatur; ita ut ſemper contactus phyſicus requiratur; uti diſputat Joh. Manelfus Medicus & Philoſophus Romanus, & totius ditionis eccleſiaſticæ protomedicus generalis., loco cit. Jam vero ſi venenum peſtilentiale à loco aut corpore infecto Romę defertur per aërem ad hominem quem in vicinâ civitate degentem, quidni dicatur contagium illud eſſe per fomitem ? 2. *quia* cum nulla certa diſtantiæ menſura determinatur: quid proderit fuga ? e. gr. ex totâ Hollandiâ, aut ex totâ Angliâ in Galliam, immo ex totâ Africâ in Europam, & vel ex toto orbe antiquo in Americam, aut viceverſâ ? quandoquidem venenum per contagium ad diſtans trans mare tranſvolare & longiſſimè fugientem afflare poſſet. Breviter, non video quomodo tutius à contagio ad diſtans quis præſervari poſſet, niſi ſupra omnem aërem in orbem lunæ ſe conferret. Quod cum poſſibile non ſit, non video hypotheſi huic de contagio ad diſtans, certiſſimum & promtiſſimum prophylacticon *τῶ cito, longè, tardè* ſuperſtrui poſſe. 3. *Quia* nondum determinatum eſt, an à quolibet puncto regionis, aut civitatis aut domus, aut corporis, aut aëris circumfuſi, tanquam termino à quo, per quodlibet interjecti aëris punctum, ad quodlibet regionis aut civitatis aut domus aut corporis humani punctum radiet contagium, & attingat aut attingere poſſit quodlibet corpus, in quo terminaretur tanquam in termino ad quem: ut ſciat fugiens, quam longè, & per quas medii lineas (ita loqui liceat) potiſſimum & tutiſſimè curſum capeſſeret. Maximum *quod fic* aut *quod non*, & minimum *quod fic*, aut *quod non* (exemplo phyſicorum de quantitate corporis cujuſque naturalis philoſophantium) diſtantiæ illius, & extenſionis ſeu ſparſionis contagii *ad diſtans*, primum explicandum eſſet: antequam ob dictum illud contagium *ad diſtans* evitandum, aliquò aut ultra Garamantas & Indos fugam capeſſamus. Si *venenum* & *inquinamentum* peſtiferum juxta medicos per aërem in vicinas, etiam remotiores terras aut aquas, ſeu naves in mari deferatur, per quæ & ad quæ loca fugiendum? Quod ſi peſtis ut reliqua (juxta Cardanum lib. 15. de rerum varietate cap. 78.) quaſi motu cœli diurno, ab oriente in occidentem procedit: quæ & quam longinqua erit fuga ad diſtans, ut quis contagio ad diſtans ſe ſubducat? *Hoc cuique*, inquit Lemnius lib. 4. de occultis naturæ miraculis cap. 17., *perſuaſum eſſe cupio, ubi regionem invaſit morbus peſtiferus, vel ex aëris contagione, qui omnes indiſcriminatim cum nobiles tum plebejos corripit. Julius Palmarius Conſtantinus lib. 1. de Peſte cap. 6.* „ Peſtilentiam ergo aliquando ſolo juſſu *Dei*, nullis ad eam inferio-
„ribus ac ſecundis cauſis comparatis aliquando *adhibitâ aëris pernicie* im-
mittere

„mittere poteſt. Alii à cœlo peſtilentiæ ſemina in aërem ſpargi literis pro-
„diderunt, non quidem à firmamento nec à motu primo, &c. non deni-
„que â ſolis obliquo circumactu, ſed à certâ permiſtione ſyderum. Si ut medici Paracelſici volunt, analogia eſt macrocoſmi & microcoſmi, aſtrales & ſpirituales ſunt antipatheticæ & ſympatheticæ influentiæ; & medicis in ſuâ arte credendum eſt: ſi ſenſus rerum ſit, & omnes res in aëre fiant, & aër rebus præſentibus & futuris afficiatur, atque à nobis hauſtus nos divinare faciat (juxta ſcriptum phanaticum nonnemini laudatum *Campanellæ lib. 3. de Senſu rerum & magiâ cap. 9.*) Quis terminus erit τῶ *cito*, longè, tardè? quis in aëre erit horizon? quis intergerinus paries, ultra quem non propagaretur? Ubi poterit deſignari aer, qui à vicino & tibi continuo aëre, peſtiferis venenis infecto, ſimul aut paulo poſt non inficiatur? Palmarius de morbis contagioſis, lib. 1. de Peſte cap. 4. *venenum in aëra cœlitus demiſſum*, morbos *Peſtilentes verè producit*, *eoſque maximè* univerſales *& multis regionibus communes*. Vide *infra cap. 10. diſp. de Peſte. 4. Quia*, videtur præſupponi à nonnullis hujus contagii aſſertoribus, quaſi nulla Peſtis alicubi de novo oriri poſſet, niſi per contagium, illudque vel per immediatum contactum, vel per mediatum, hoc eſt, aut *per fomitem*, aut *ad diſtans*. Sed hoc nondum probatum vidimus. Quin ex medicis *Sennertus*, *Manelfus*, locis ſupra, & infra in *Diſp. de Peſte cap. 10.* cit. imprimis & *Zachias in quæſt. medico-legalibus lib. 4. tit. 1. qu. 9. Bapt. Codronchius de morb. veneſ. lib. 1. cap. 7.* & 8. (ubi alii plures medici citantur), concedunt à Deo immediatè, aut ab Angelis, aut etiam à cacodæmonibus morbos & peſtem immitti poſſe. Nos de Angelis minimè dubitamus freti textu 2 *Sam.* 24. qui conferri poteſt cum *Exod.* 12. & 2 *Reg.* 19. Haut facile ergo terminum diſtantiæ & fugæ tali in caſu, homines invenirent. 5. *Quia*, ſi tam ſpiritualis contagii *ad diſtans* diſſeminatio & penetratio fit per ventorum & aëris communicationem (uti ſciſcunt *Sennertus loc. cit. & Folinus in Amuleto Antoniano ſeu tract. de Peſte cap.* 8.) videretur non abſimile fore aſtralibus, quæ finguntur, circa unguentum armarium, ſeu pulverem ſympatheticum, ſympathiis, influxibus, & communicationibus. Commentum hoc tanquam ſuperſtitionem & magiam interpretativam rejicimus, in 3. *part. ſel. diſpp. tit. de Magiâ pag.* 587.-597. ubi videat, cui vacat. *Athanaſius Kircherus libro* 3. *de Magnete*; ubi de *tarantulâ*, negat venenum tarantulæ inficere per contagium *ad diſtans*: addens hoc unicum opliatriæ defendendæ fundamentum ab Opliatricis aſſumi. Si ergo τὸ *ad diſtans* curationis opliatricæ, quamvis ab uno aut altero aſſertum, abſque crimine, abſque merito & metu vinculorum Hippocratis non admittere licet: quidni pariter Peſtis contagium *ad diſtans*? *Reſp.* 4. Dato non conceſſo, contagio per fomitem, omnia infecta

 oſſe

esse, usque ad insensibiles quarumvis rerum poros, usque ad minimas sive particulas sive atomos, usque ad minima & atomica effluvia inde ad nostrum orbem, nostram urbem, nostram domum, nostri corporis superficiem per aërem, per ventum, per astrales influxus deferenda.

Inde tamen non sequitur, quemlibet *cito longè* debere aut posse fugere; etiam pastores cujusvis ecclesiæ, etiam quosvis patres & matres familias, etiam munerarios publicos, etiam præfectos civitatum, etiam milites præsidiarios, etiam excubitores; etiam ex navibus nautas, socios navales, navarchos.

§. 3. „ Quod simul multis piis in Gallias (legendum arbitror in *Galliis*) adhæ-
„ rentibus hâc in parte, & quoad politiam externam prudentibus medico-
„ rum consiliis, quibus in suâ arte credendum, dicam scribere neglectæ ideo
„ fiduciæ in Deum & caritatis in proximum: ut sub augustis illis nomini-
„ bus feritas & barbaries Turcarum, qualis describitur à *Busbequio Turr. le-*
„ *gat. epist.* 4. Christianis obtrudatur. *Resp.* 1. Repono à me anno 1637. dicta *in disp. de pestis antidoto spirituali*, quæ eadem anno 1641. & a. 1655. denuo edita: ubi cap. 6. controversam quæst. sic propono: „ An ab omni-
„ bus prophylacticum illud fugæ juxta medicorum symbolum (quod pa-
„ rum Christianum appellat Lavaterus, ejusque interpres Latinus Joh. Pon-
„ tisella) *cito*, *longè*, *tarde*, simpliciter sit adhibendum, quippe quo nullum
„ auxilium præsentius certiusque. Hoc ipsum si à Medicis quibusdam extra
„ Dei, conscientiæ Christianæ, moralium virtutum respectum ita simplici-
„ ter affirmatum fuerit, aut affirmetur; nos cum omnibus, ut opinor theo-
„ logis & medicis Christianis, negamus.

Hujus assertionis antithesin in terminis si censor proposuisset, eamque rationibus firmasset, utique materiam examinis nobis exhibuisset. *Resp.* 2. Quæ de feritate & barbarie Turcarum à medico experientiss. in præfat. dedicator. anno 1636. Leidæ cocta, anno 1649. recocta apponit, ego Kal. Julii anni 1637. in disp. citata infra inserendâ, *de Pestis antidoto spirituali* satis superque excussi in consectario, quod incipit, *Si Ægyptii & Turcæ*, &c. Reliqua quæso lector inspiciat.

Quæ præmitto §. 6. dictæ disp. omnem ejusmodi cavillationum occasionem satis præscidisse videntur. Non est hic, ajebam, controversiæ status, nec ab adversariis disputandum: *An pestis sit mala? an sit morbus periculosus; an plerisque præsentissimum afferat exitium; An periculum sit fugiendum, an vero absque necessitate adeundum, non absque Dei tentatione; An sit aliquod contagium in rerum naturâ, & an sint morbi contagiosi, & inter eos pestis?*

Puderet multos apertè & directè sententiam nostram modo propositam op-

oppugnare, & antithesin tueri: itaque per fallaciam ἐπιζητήσεως aut aliam quam artem, aliquid fingendum est, quod sarcasmo, aut alio quovis colore, coram imperitis exagitari possit. *Henochus Clapham* concionator Londinensis conqueritur, *in libello* anno 1604. *Resp.* 2. Pios, si qui partibus & consiliis quorumcunque medicorum adhæreant, & uxores, maritos, parentes, liberos, ipsorum cura, auxilio, ministerio, in corporali, aut spirituali necessitate indigentes, insuper ipsorum præsentiam & assistentiam impensè desiderantes atque inclamantes (exempla nunquam non, præsertim inter meticulosos & dubitantes Pontificios, se offerunt): ego ideo pios denominandos, aut factum hoc ipsorum revera pietatem, caritatem, fiduciam in Deum esse pernego: quamvis cætera pii essent, aut audirent. Simili ratione, seu amplificatione, dici posset neglectæ ideo fidei, aut caritatis dicam à me & omnibus mihi ὁμοψήφους scribi multis piis in reformato jam ab a. 1530. Christianismo, qui sensu & praxi suâ non adhærent sententiæ nostræ de choreis gynæcandricis, de actionibus scenicis, de Christi manducatione corporali in cœnâ, de crucis signo in sacris adhibendo, de veste candidâ ministrorum in sacris, de altaribus, de diei unius ex septem & quidem primæ, quæ dominica dicitur, observatione, de lusu aleæ, de mendacio officioso: quod postremum una cum æquivocationibus & mentalibus reservationibus, idem ille Remonstranto Socinianus blatero ad cujus libri *cap.* 52. opponens hic provocat, ex scripturâ & rationibus defendere conatur *cap.* 35. *Resp.* 3. Si juxta Aristotelis regulam topicam (axioma enim aut principium aut κοινὴ ἔννοια non est) *artifici in suâ arte credendum est*, utique non medicis; sed theologis & Ethicis credendum est: ad quorum artem, non ad medicam, pertinet determinatio quæstionis moralis, seu casus conscientiæ, An viro honesto & forti, vel an pio Christiano, ut periculum & occasionem contagii pestiferi evitet, absolute & semper fugiendum sit, & quidem *citò ac longè*, & tardè revertendum sit: non obstante peculiari vocatione ac functione (e. gr. ministerii ecclesiastici aut præfecturæ urbis, dum illa ab hostibus obsidetur aut eidem obsidio paratur); aut communi caritatis lege, quâ ad auxilia & opera misericordiæ maritus uxori, & uxor marito, liberi parentibus, parentes liberis, fratres & sorores fratribus & sororibus, amici amicis peste infectis aut alia aliquâ in necessitate constitutis, sed in regione aut urbe, quam pestis intravit, degentibus, præstanda obligatur: præsertim cum ab aliis, etiam ab amicis deseruntur, aut improborum, infidorum, ebriosorum plerumque tum ministrantium (vernaculè dictorum Schrobsters & Pest-Schrobbers) tum crudeli pollinctorum misericordiæ & insidiis exponantur; à quibus tam multa tempore majorum patrata didicimus, quæ animus meminisse horret. Ne quid dicam de operibus misericordiæ

etiam ignoto, etiam inimico, tali necessitate ita ferente, juxta parabolam Samaritani *Luc.* 10., præstandis. Considerentur loca Scripturæ & argumenta in disp. meâ de pestis antidoto allata, ut *Math.* 25. 1 *Joh.* 3. &c. Quibus adde quæ de mutuâ caritate & fide maritali & uxoriâ *Genes.* 2. cum *Ephes.* 5. *v.* 21.-33. caritate parentum erga liberos 1 *Tim.* 5. *v.* 8. *Jesa.* 49. *v.* 15. Et liberorum erga parentes 1 *Tim.* 5. *v.* 5. 6. Dicant aliqui medici, aut potius empirici, si non stupidi mulo-medici, quales plerumque grassante peste in agris & oppidis adhiberi solent, inclament usque ad raucedinem, unâ cum mercenariis ministris aut ancillis laborantium, *procul ô procul este*; quia pessimus & periculosissimus ignis grassatur: non tamen efficere poterunt, ut à lege divinâ & naturali exempti simus, aut conservatio nostri ipsius omnis honesti & bonitatis moralis, principium, radix, ac mensura sit habenda. *Quod medicorum est, promittant medici, tractent fabrilia fabri.* Nautis, militibus, pictoribus in suâ arte non minus credendum est, quam medicis; in omnibus scil. in quibus limites suos non excedunt. Sed si miles præmissâ hypothesi, quod militia tutissime & prudentissimè hic & nunc taliter geri posset; una consulat, ut bellum hic & nunc extra justam causam & necessitatem suscipiatur: an artifici in suâ arte utrobique credendum esset? Non arbitror: quandoquidem determinatio posterioris ad theologiam & philosophiam practicam, seu ad doctores juris divini & naturalis, non ad artem militarem aut milites quà tales pertinere credendum est. Similiter artifici pictori in suâ arte credendum est, si instruat discipulum quomodo facies senis pingenda sit: sed illi minimè credendum est, si discipulo suaderet, Deum patrem formâ senis depingere. Hic enim artis pictoriæ limites excederet. Ne à medicorum arte recedam, si quem cœlibem à lento & periculosissimo morbo liberari posse judicarent per concubitum cum muliere; An remedio illo uti liceret, & cum Ignatio Lojola (de quo supra in disp. de Cœcâ obedientiâ) supererogatoriam obedientiæ aureolam decerpere? Posse autem tales casus in utroque sexu incidere, ut remedium morbi sit concubitus, docemur à Medicis. Videatur Hippocrates lib. de morbis virginum. *Joh. Tibaut* medicus Gallus in *thesauro remediorum pro morbis fœminarum*, Gallicè Paris. 1597. lib. 1. cap. 22. *Christoph. Wurtzungh* in *praxis universalis part.* 3. *cap.* 6. §. 3. legitime ineundum conjugum consulunt: non vero absolutè & simpliciter antidotum concubitus præscribunt. *Balduinus Ronseus* Medicus Goudanus in centonibus de humanæ vitæ primordiis *cap.* 30. „ Quare, inquit, præsentissimum fuerit remedium hu„ jusmodi malo obnoxias maritale jugum subire, &c. *Miscere mulieri quibusdam voluptas est, medicorum etiam pueri corporibus utile ferunt*; ait *Ambrosius epist.* 66. *ad Paternum.* Inter medicorum filios *Septalius ad Aristot. problem.*

blem. sect. 3. concubitus usum ejusmodi agnoscit. Medici Romani *Michaeli Verino*, editis distichis moralibus non incelebri, coitum suadebant: sed ille non admisso hoc antidoto post semestrem morbum anno ætatis decimo octavo obiit. Audi illum sub finem distichorum, ad Paulum Roncileonem de medicorum consilio:

Promittunt medici coitu mihi Paule salutem:
Non tanti vita sit mihi certa salus.

Et proximè præcedenti disticho ad Petrum hortantem, ut salutem recuperet, positâ virginitate

Cur Petre virgineum hortaris mihi ponere florem.
Non faciam: vel si hoc certa paranda salus.

Ejusdem Verini laudes in epigrammatibus decantat Politianus:

Verinus Michael Florentibus occidit annis:
Moribus, ambiguum, maior an ingenio. &c.
Sola Venus poterat lento succurrere morbo:
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Si qui medici Itali & Galli præscribendis prophylacticis, & methodo fugæ loquerentur cum Gulielmo Gratarolo medico Italo, qui relictâ Italiâ Basileæ sedes fixerat, & cum Joh. Antonio Saraceno, & cum præstantissimis nostris Medicis Ultrajectinis; utique verbum non faceremus.

„ Sic enim Gratarolus lib. de peste pag. 88. 4. Utilissima sunt illa adverbia, „ *cito, longè, tardè.* Quod qui facere non queunt, aut Christianâ caritate affecti nolunt, curent imprimis habitare loco perspirabili, &c.

Johannes Antonius Saracenus, qui praxin Genevæ exercuit in tract. de peste cap. 6. p. 1. 5. 6. „ Sed hæc adhibenda cautio, ne præsidium in fugâ totum „ statuatur, quasi salus inde tota penderet, &c. Sed in cavendo periculo iis „ rursum, hæc adhibenda cautio; ne dum sibi ipsis consulunt, eos quibus „ adesse, quosque charos habere tuerique debeant, desertos esse patiantur, „ veluti obliti vocationis, quæ publici quidem muneris ratione Magistratum, pastores ecclesiæ, stipendia publica merentes medicos & chirurgos, „ &c. propinquitatis vero ratione conjuges, cognatos, & affines merito retinere videtur, &c.

Medici Ultrajectini in antidoto a. 1636. edito, evitationem pestе infectorum suadent, sed cum hâc limitatione: *quantum Christiana misericordia seu sympathia permittit.* Optimè. Et probè memini primarium inter ipsos, qui hodie per Dei gratiam superstes est, exemplo suo consilium suum paulo post confirmasse; cum dilectum filium ex morbo illo decumbentem, & tandem defunctum neutiquam desereret, non obstante, πῦ *cito, longè, tardè*, & munere Academico, ac frequentissimâ praxi quotidianam & necessariam ejus

operam postulante. Adde & hoc ex arte medicâ quod vivorum hominum sectiones, absolutè & in se consideratæ plenius, certius, evidentius, philosophis & medicis non pauca naturę arcana perlustranda exhiberent: sed ut ideo à medicis peragatur, nemo sanus suadeat: nisi medici, carnificis partes circa justissimè damnatos obire velint; quę tamen ipsorum anatomia ab immani crudelitate absolvi non posset. *Scio*, inquit Laurentius lib. 1. anatom. cap. 9. *veteres quosdam, ut Herophilum & Erasistratum, damnatos regum permissione, vivos secuisse; quod etiam nostro sæculo fecerunt Carpus & Vesalius Sed impium hoc & plane inhumanum judico*, &c.

§. 4. „ Sed noster debuit & in hoc asserto paradoxo celeberrimorum nostra-
„ rum ecclesiarum theologorum sententiæ constanti *de fugâ in peste* refraga-
„ ri; quam defensam videbis in dissertatione *Theodori Bezæ de Pestis contagio &*
„ *fugâ*, eique annexâ Cel. *Riveti ejusd. argumenti epistola*, quæ prodierunt
„ Leidæ anno 1636. procurante experientissimo medico *DD. Vorstio*, eas-
„ que inscribente admodum *Reverendo Viro D. Abrahamo Heidano*, nunc in
„ illâ Academiâ S. Theologiæ professori dignissimo. *Resp.* 1. Quorsum illa amplificatio? Quid si similes reponantur alicui, qui in defensione fœnoris trapezitici & trapezitarum non tantum à Bezâ, Riveto, Professoribus Leidensibus in Synopsi, sed & à Synodis Belgicis, & universo Christianismo, ejusque Doctoribus discedit: dicendo, *sed noster debuit & in hoc asserto celeberrimorum*, &c. *sententiæ constanti adversari.* Ut non dicam jam de pluribus aliis assertis, ubi non à duobus theologis hic citatis, sed longe pluribus disceditur. Alibi, cum ita usu venit, dicere solet, se scripturæ in negotio religionis inniti, non huic aut illi Doctori. Rectè: idem & ego respondere possem: sed in præsenti minimè opus est. *Resp.* 2. tantum abest, ut Beza & Rivetus meę sententię à me in primâ disputatione anno 1634. propositæ, & a. 1653. contra Sociniano-Remonstranticum tenebrionem explicatæ ac defensæ, & rursum in disp. de Peste a. 1637. adversentur; ut illorum judicio totam hanc controversiam sistere ausim. Bezæ & Genevensium doctrina ac praxis ut etiam Riveti & Clariss. ipsius Collegarum Leidensium, è diametro fugæ à me taxatæ opponitur. Genevenses ministros & theologos, ob Pestem grassantem stationem nunquam deseruisse, nec muneri in afflictis consolandis defuisse; constat ex allegato scripto Bezę, & sortitione illâ Genevensium, simili fere illi Augustini, epist. 180. ad Honoratum sub finem: Quan-
„ quam si inter Dei ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant (*Peste*
„ *laborantes invisant*), ne fuga omnium; & qui eorum (*ordinario non invisant*
„ *Peste laborantes*), ne morte omnium deseratur ecclesia. Tale quippe cer-
„ tamen erit inter illos, ubi utrique ferveant caritate, & utrique placeant
„ caritati. Quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari, &c. Ideo sicut

scriptum est, contradictiones sedat sortitio, & inter potentes dividit. *Franciscus Portus in apologiâ pro Genevensibus contra Carpentarium* Juris Professorem, objicit eidem, quod cum grassante illic peste nullus professorum à statione & functione suâ discederet, ipse solus hac illac circumvagando se subduxisset. Cum Lugduni Batavorum anno 1620., & postea pestis aliquoties sæviret, nemo unquam vidit ecclesiæ ministros & theologiæ professores inde recessisse, aut omnes amicos, necessarios, consanguineos suos morbo isto afflictos, ob contagii periculum, instar sacerdotis & Levitæ (*Luc.* 10.) præteriisse. Insolens esset aliquem Belgii nostri concionatorem tali in casu, ex loco suo fugientem videre. Nec desunt, qui variis operam suam sponte obtulerunt, & non vocati præstiterunt. Et quinam essent, qui allocutionem & consolationem expetitam ovibus suis, præsertim parentibus, uxoribus, liberis, fratribus, cognatis, collegis, familiaribus, amicis denegarent? Quid dicam de *Oecolampadio*, *Fagio*, *Lavatero* aliisque theologis Germanis, Helvetiis, Belgis: quorum doctrina & praxis tum ex scriptis tum ex vitis eorum manifesta est. Vide de *Oecolampadio* orationem *Polani*, editam cum commentar. in *Malachiam*. De *Paulo Fagio*, *Melchiorem Adamum*; in vitis theologorum Germanorum; de ministris Tigurinis inter eos *Bullingero*, *Conradum Gesnerum* ex letali peste decumbentem invisentibus, in Vitâ Gesneri per *Josiam Simlerum*; De *Lavatero*, *tract.* ipsius *de Peste* ex Germanico in latinum sermonem traducto per *Pontisellam*, & inde in Belgicum per *Wilh. Baudartium* Pastorem, cum viveret, Zutphaniensem, theologicis, & linguarum atque historiarum studiis, & exantlatis pro fide & ecclesiâ Christi laboribus in Belgio nostro celeberrimum. Confer Vitam Lavateri à *Joh. Guil. Stuckio* descriptam, & commentario Lavateri in Nehemiam, præmissam: ubi prædicatur singularis ipsius caritas, *quâ vel vocatus vel non vocatus suâ sponte ægrotos quosvis morti præsertim vicinos libentissimè invisit.* Ex *Lavateri digressione de Peste*, insertâ commentar. ad 1 *Paralip.* 21. sequentia vilum est exhibere.

„ Plerique, inquit, nihil utilius putant fuga, ut ex pestilentibus locis in „ salubria se quamprimùm conferant: at videndum quid officii nostri ratio „ postulet. David & seniores non fuga sibi consulunt, sed saccis induti Dei „ manum patienter expectant: non debemus stationem nostram Dei injussu „ deserere, in quam ab ipso sumus collocati. An non Deus ubique præsens est? Lege *Psal.* 139. & *Amos* 3. *cap.* Peccatum quò aër inficitur, nobis inhæret. An non illis in locis in quibus pestis sævit, salubris aliquando aër „ fuit? Interim nemo se temere periculo debet exponere, Deumque tentare. Non tamen illi dicendi sunt Deum tentare, qui invisunt ægros, &c. „ Hoc enim Dominus à nobis postulat, qui non minus nos potest servare,

„re, quàm olim Israelitas inter Ægyptios, quos eodem morbo sustulit. Offi-
„cium verò tuum est curare peste infectos, qui domi tuæ sunt, ne fame vel
„siti pereant, item invisere vicinos, cognatos, affines, eis adesse, eos conso-
„lari: quòd si ipse commodè id non possis, debes vocare ministros verbi.
„Convictores etiam, famuli, & famulæ non ædibus exturbandi sunt, nisi
„in locis publicis commodè curari possint. Mortui item non sunt proji-
„ciendi in plateas, aut profluentem, sed honorificè sepeliendi, & lugendi.
„In luctu tamen modus est servandus. Honesta item defunctorum facien-
„da est mentio. Magna est barbaries, hospitium negare peregrinis venien-
„tibus ex locis pestilentibus, item cives peste infectos ex urbibus ejicere,
„atque ita eos fame necare & frigore: Item conjunctissimos homines dese-
„rere, & ne morientibus quidem adesse.

Paulo ante de nimio contagii metu sic pronuntiârat: *Miranda est illorum stultitia, qui literas & pecuniam ex locis in quibus pestis graßatur, accipere nolunt*, &c. *quasi pestis in illis resideat.* Hos omnes aliosque *celeberrimos nostrarum ecclesiarum theologos*, quorum aliqui infra in disp. de Peste citantur, non arbitror temeritatis & Barbariei Turcicæ accusandos, & ad Hippocratis vincula damnandos: ut nec Medicos Saracenum, Gratarolum, Lemnium, Mercurialem ibidem cit. Quod ad Bezam & Rivetum nihil in illis invenio, quod meæ thesios principalis aut ullius particularis sive hypothesios, sive consectarii antithesin faciat. Nec tam imprudens fuit *Cl. Joh. Hoornbeeck* ut meam disputationem de Peste uno in libro, cum suâ & *Bezæ* ac *Riveti diatribis* recudendam dedisset, siquidem intelligere potuisset eam esse paradoxam, & constanti sententiæ Bezę ac Riveti refragari. *Rivetus pag.* 102. *edit. Leid. in* 12. ait, se à theologorum cit. judicio non recedere. Sunt autem illi Calvinus, Urbanus Regius, Beza, Zanchius, Georgius Sohnius, Balduinus, Paulus Tarnovius, Perkinsus, Georgius Abotus, Joh. Gerardus, Lud. Lavaterus. Ab eorundem judicio nego meam thesin anno 1634. propositam, & contra Remonstranticum tenebrionem anno 1635. & postea anno 1637. peculiari disp. explicatam ac defensam recedere. Ergo mihi convenit cum *Riveto*, juxta illud: quicunque in uno tertio conveniunt, inter se conveniunt. *Hadrianum Florentium* ad Papalem sedem evectum, non probasse per omnia Romano-Italicam Pestis fugiendæ methodum colligimus ex *D. Jovii Historiarum lib.* 21.: „Exortaque,
„ait, est in urbe Pestilentiæ lues: quæ quin *severis legibus more nostro*, Pon-
„tifici minimè coercenda videretur, contactu ægrorum ita exarsit, ut mul-
„ta funera in compitis viserentur, appareretque vastari urbem, haud multo
„dierum spatio, nisi Græculus quidam nomine Demetrius Spartanus, se-
„dandæ pestilentiæ, favente ei turba hominum, negotium suscepisset,

nemine

„ nemine superstitionem vetare ausо. Nam ferum taurum, cui dimidium „ cornu dissecarat, magico carmine dextram in aurem prolato repentè ita „ mansuefactum reddiderat, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quò „ vellet perducens, pestilentiæ placando numini ad amphitheatrum immo- „ lasset. Nec credulæ multitudinis spem ex toto fefellit, cum ea inanis sacri- „ ficii prospera litatione, mitescere morbus cœpisset. *Resp.* 3. Dato, non concesso, duos illos theologos sententiam meæ adversam tenuisse: nihil hoc faceret pro opponentis exageratione: cum ego ad celeberrimos theologos Bezam & Rivetum, aut ad pios in Galliâ non respexerim, aut de iis cogitârim: sed ad rationem & methodum fugiendi pestis contagium in *Italiâ, Galliâ, & alibi* (ubi scil. ipsi concionatores aliquando desertâ urbe, & propriâ suâ ecclesiâ, quam vicario commendant, in agros aliquò profugiunt) observatam: qualem etiam fere observari noveram in patriæ meæ vicinis Hispano & Papę subjectis partibus, & partem aliquam in ipsâ patriâ meâ adolescens videram: ita ut non raro maritus uxorem, pater & mater liberos, frater sororem fratrem aut sororem, filius aut filia parentes cum morbo illo & morte luctantes, turpiter fugerent, ac desererent. Illam tunc dixi & etiamnum dico, *cum verâ Dei fiduciâ & charitate in proximum per omnia haut satis convenire.* Cum in primâ meâ disputatione 13. Septembr. anno 1634. propositâ illam methodum vitandi Pestis contagium negarem, *cum verâ Dei fiducia & charitate in proximum per omnia satis convenire*: non potui respicere ad Clariss. Rivetum, ut illi refragarer: quia ejus epistola demum scripta fuit 15. Kal. Februarii 1636. & postea typis edita. Sed, ut jam dictum, *Rivetus* rationem fugiendi contagium à me notatam minime asseruit, *cum verâ Dei fiduciâ & charitate erga proximum per omnia satis convenire.* Illius ergo *constanti sententiæ* hâc in parte non sum refragratus; nedum ut refragari debuerim aut voluerim. Atque hactenus hanc ab autore *theologi paradoxi*, ex Remonstrantico tenebrione mutuatam accusationem, examinavimus. Restat & altera ex eodem inepto declamatore mutuata, de propriæ navis incendio.

* *Appendix* 2. De propriæ navis incendio.

ANno 1634. mense Septembr. in primâ disputatione Ultrajecti propositâ, inter alia hoc corollarium adjeceram.

„ Ut quis pulvere nitrato navem incendat, quo seipsum cum hostibus si- „ mul præsentissimâ morte perdat, non putarem licere: saltem quia certâ „ fide ac conscientiâ hoc fieri posse non liquet, tantisper abstinendum est. In hoc corollarium tenebrio quis Remonstranticus incurrebat, sic tamen ut particulari studio & affectui se hic militare haut obscurè indicaret, con-

cludendo : *mondum dixi quid ipse de hoc argumento sentiam, sed tantum quid sentiam de Voetio.* Hujus blateronis ratiunculas cum futilibus amplificationibus, in *Therſite* anno 1635. edito *ſect.* 3. *cap.* 1. *pag.* 251. ita protrivi, ut theologis quibuſque, quantum quidem mihi conſtare potuit, abunde ſatisfactum fuerit : ſaltem à nullis mihi notis & amicis, unquam vel verbulo de hoc monitus fuerim. Anno 1637. *diſputatione de homicidio ſui ipſius & flagellatione ſpontanea*, eandem ſententiam meam pluribus, à quibuſvis objectionibus & exceptionibus vindicavi. Quia tamen ſcriptori *theologi paradoxi* anno 1649. contra me emiſſi, eandem ex tenebrione Remonſtrantico cramben reponere libuit, videor mihi non abs re facturus, ſi illius oppugnationes *pag.* 228. 229. quamvis ſatis ſuperque in *Therſite*, & *diſputatione præcedente de homicidio ſui ipſius*, &c. profligatas, denuo de verbo ad verbum excutiam : ut pii lectores ex hoc ſpecimine expendant quâ judicii ἀκριβείᾳ, quâ prudentiâ, quâ ἐπιεικείᾳ, quo veritatis & fratrum amore *paradoxus theologus* conſcriptus ſit.

§. 1. „ Facile condonem hâc in parte bonis & piis illis viris, qui pro animi ſui „ inſitâ teneritudine eminus hoc ſpectantes, vel ἐπέχειν, vel in mitiorem „ inclinant ſententiam ; ſed ut nobilis Belga, qualis diſputator publicè renun- „ tiatus eſt à filio, & qui ut alter Caligula in ipſis hybernis & inter tormen- „ torum fragores natus eſt, tam puſillanimiter pronuntiet de heroicâ for- „ titudine ſuorum Belgarum, &c. *id mihi videtur planè intolerandum, imo* „ *& publicâ cenſurâ digniſſimum. Reſp.* 1. In otioſis & odioſis amplificationibus Remonſtrantico tenebrioni cedere noluit : cui tunc in Therſite iſtis verbis reſpondebam : *Sic tamen de hoc problemate ſeu caſu profiteor, ut verecundè verbo* putamus, *&*, ſaltem quia certâ fide, &c. *Reſp.* 2. Cl. *Rivetus* veteranus theologus, editis anno 1632. prælect. in decalogum, in eandem ſententiam inclinare ſe oſtenderat, mihique præiverat : idque non ſimpliciter aſſerendo τὸ *putamus* (uti ego in *diſp.* Ultrajectinâ anno 1634. menſe Septembri) ; ſed rationibus probando, & *Ameſii* aliorumque exceptionem refutando. In illo ergo, qui libro publicè edito ſic diſputavit, mihique & aliis præivit hoc tolerandum erat : in me quaſi diſcipulo hâc in parte & aſſeclâ Riveti nudum atque innoxium corollarium, τὸ *putamus*, & τὸ *ſaltem quia certâ fide*, &c. proponente, intolerandum eſt, immo & publicâ cenſurâ digniſſimum. An & qualis ſit juſtitia προσωπολημψίᾳ, quærendum eſt ex Ethicis & theologis. Quod cenſuram publicam, ſive eccleſiaſticam, ſive politicam, ſive utramque præjudicio an poſtjudicio ſuo in me, meritò ſtringendam pronuntiat, neſcio quo ἐυλαβείᾳ decoro hanc confidentiam ſibi anno 1649. ſumſerit ? Oppoſitiones contra illud corollarium complures ex Ill. & Pot. DD. Ordd. collegio & ex urbico Senatu, nec non ex verbi miniſtris

niſtris audiebant; atque una Reſpondentis mei & meas reſponſiones, ſpecialiter ad objectum Magiſtratuum mandatum olim heroibus noſtris navalibus datum. Etiam ab anno 1634. uſque 1649. ἀγρυπνίοι hic ἀγρυπναι, & conventus eccleſiaſtici minores, majores, maximi celebrantur. Si tam grande & tam intolerandum nefas hâc meâ in benigniorem partem inclinatione, ejuſque ſubſecutis anno 1635. & 1638. contra Remonſtranto-Socinianum tenebrionem defenſionibus, commiſſum fuiſſet: utique non tacuiſſent, quibus ad hæc attendere conveniebat: ut opus non fuiſſet à ſcriptore *theologi paradoxi* anno 1649. eos tanquam reſides ſuſcitari.

Sed audiamus cur, in aliis tolerandum, in me non tolerandum; *Rat.* 1. §. 2. „ Quia ut ego nobilis Belga inter tormentorum fragores natus tam puſillanimiter pronuntiem de heroicâ fortitudine meorum Belgarum, &c. *Reſp.* 1. Ergone extraneo alicui ſive theologo ſive philoſopho ſic pronuntiare licebit, quamvis in Belgio habitanti, & publicum munus ſuſtinenti? Qualis *Rivetus in comment. ad 6. decalogi præceptum*; *Mathias Paſor* philoſ. & theolog. profeſſor Groninganus in corollario ſubjecto diſp. ejuſdem Ethicę problematicæ; *Berchringerus noſter in diſp. de fortitudine* 12. & 15. *Februar.* 1645. *Reſp.* 2. in civitate Heuſdanâ hoſtibus proximâ, parentibus ejuſdem civitatis tunc civibus, juxta cum omnibus aliis civibus in medio præſidiariorum militum, armorum, tumultuum & periculorum bellicorum degentibus anno 1589. natum me fateor; & quidem circa illud tempus, quo Comes Mansfeldius copiarum Hiſpanicarum præfectus, proximis omnibus caſtellis occupatis, civitatem illam obſideret: meque ibidem ab infantiâ educatum & in literis, fervente bello, inſtitutum, donec a. 1604. ad Academiam Lugduno Batavam mitterer: in eâdem etiam civitate ab a. 1617. uſque ad 1634. miniſterio functum, in Eccleſiâ partem aliquam ex viris militaribus conflata, quam ſtrepitus armorum poſt finitas inducias ab a. 1621. denuo circumſonabat: inſuper in caſtello Hemerthano eccleſiaſticè cum Eccleſiâ Heuſdanâ combinato, unâ cum collegis hebdomadatim coram præſidiariis ab a. 1621. uſque ad ann. 1634. concionatum. Præterea in exercitu Sylvamducis a. 1629. obſidente, vi miſſionis Synodi Zuyd Hollandicæ & claſſis Gorinchemenſis, aliquamdiu ſacro miniſterio functum: Adhæc Sylvâ-ducis jam occupatâ ibidem novem menſibus inter ſtrepitus, miſerias, & morbos militares operam meam commodaſſe; ut & poſtea a. 1632. ultra ſeſquimenſem in partę illâ copiarum, quam ad expeditionem Flandricam ducebat Illuſtris & generoſus Comes Gul. Naſſavius Fœderati Belgii Mareſchallus, & civitatis Heuſdanæ ac circumjacentium, & ad Moſam ſitorum caſtellorum præfectus, inter arma concionatum. Quid jam ex meâ educatione & tot annorum inter arma miniſterio concludis? intolerandam eſſe meæ ſententiæ pro-

nuntiationem, tam *pusillanimiter*, factam. Quid si pronuntiem, non esse à militibus ob titivillitium, aut imaginarium honoris punctum commilitones ad duellum provocandos, nec duello cum iis decertandum (moderamen inculpatæ tutelæ non tango): quod scil. arbitrer illud justitiæ, caritati prudentiæ, & fortitudini Christianæ non satis convenire. An jure quis dicere posset, me inter arma cum heroibus militaribus tam diu versatum nimis *pusillamiter de heroicâ fortitudine nostrorum Belgarum pronuntiare?*

Sed forte quis excipiet longè aliam incendii navis, & duelli esse rationem „ Respondeo & pergo ad examen *Rationis* 2. Quia eos zelus in Dei causâ, „ patriæ caritas, obedientia ex juramento præstanda supremo Magistratui ad „ generosum hoc facinus impulerunt. Quod terrori fuit hostibus, & ad- „ mirationi erit posteritati. *Resp.* Petitur, & sumitur, quod est in quæstione. An sit *heroica fortitudo.* & *generosum facinus*, Idem dicere possent, & dicunt patroni directæ & crassæ ἀνθροποίας. Sed negant omnes theologi & philosophi, qui agunt de fortitudine. Ejusdem furfuris sunt, quæ sequuntur, amplificationes: „ Absit à nobis, ut illos omni adoreâ hâc in parte dignos, „ ἀνθροποίας accusemus, & glorioſissimum facinus notemus nigro lapillo, „ &c. His dulce fuit pro Christo & patriâ mori, animamque ponere pro „ suis fratribus 1 *Joh.* 3. 16. longè glorioſius, quam olim Leonidas cum suis trecentis, &c. *Resp.* 1. Qualis & quanta sit accusatio in meo corollario, æquus lector judicet. *Resp.* 2. quid si hoc dicatur pro piis illis mulieribus, quę pro Christo & castitate mortem sibi consciverunt: (de quibus supra in *disp. de homicidio sui ipsius*) an contra *Augustinum lib.* 1. *de civ. Dei cap.* 16. omnesque hodiernos theologos cum Augustino factum earum improbantes, putaret concluſum esse? *Resp.* 3. Applica omnia hæc elogia iis, qui non obstante πῶ medicorum *cito*, *longè*, *tardè*, heroicâ fortitudine, zelo Dei, & fratrum caritate, ex obedientiâ Dei (*Math.* 25. *v.* 36. 1 *Joh.* 3. *v.* 16. 16. *Galat.* 5. *v.* 22. 1 *Corinth.* 13. *v.* 5.) dum peste laborantibus necessarium in spiritualibus & temporalibus ministerium præstant, contagii per contactum & fomitem periculo se exponunt, & peste correpti moriuntur. Illi enim directè in seipsos nihil agunt, ad quod mors per se & necessariò sequatur.

§. 3. „ Absit à nobis, ut supremos Magistratus, qui id ab ipsis exegerunt, com- „ municato proculdubio cum suis theologis consilio, injustitiæ evidentis „ hâc ratione accusemus. *Resp.* 1. Conferantur hujus exaggerationis lepidæ lexes, instar tesserularum compositæ ad odium conflandum, cum verbismei corollarii. *Resp.* 2. In ipso disputationis actu anno 1634. cum mandatum hoc Magistratuum objiceretur, respondebam audientibus plurimis ἐν ἀρχῇ constitutis, illam legem jam à multis annis non observatam esse; & postremum ex capitaneis navalibus, tali in casu pulverem suum pyrium imendisse

disse ante annos circiter 40. (nunc, cum hoc scribo ante annos circiter 62.): post illud tempus neminem ad tale incendium fuisse obligatum; neminemque ob omissionem dicti incendii fuisse punitum: sed capitaneum quem Roterodami capite plexum, quod contra hostes Duynkerckanos, ad extremum, navem suam non defendisset. Et hoc responso meo totàque dicti corollarii, contra alias quascunque objectiones, defensione, tum opponentibus tum quorumcunque ordinum auditoribus tunc satisfactum fuisse arbitror. Quod lucifuga Sociniano-Remonstrans postea de Magistratus mandato tinnire quid voluerit, ad id in *disp. de homicidio sui ipsius*, &c. a. 1638 responsum est: nec hic repeto. Interim conferat lector theologos & philosophos supra in *disp. cit.* qui negant, posse quem per sententiam legitimè & merito ad supplicium mortis condemnatum, sibi spontaneâ electione, aut mandato judicum mortem inferre. Adde nunc autoribus supra in disp. citatis, *Wendelinum lib. 1. philos. moralù c. 13. p. 494. Keckermannum* in dispp. practicis. *Loenium in synopsi Ethicæ sect. 2. aretalog. cap. 2. Maccovium in coroll.* subjecto collegii miscellan. quæst. a. 1643. Franekeræ editi disp. 25. super 6. decalogi præcepto. *Rivetus* negat licere vel ut ipse damnatus id procuret, vel ut id faciat per seipsum. Ibidem *Lipsio* objicienti, si *Magistratus & lex possunt, cur non tali modo vel manu; cum mihi jubent, cur non pæream?* „ Respondet Sententia non est justa: cum „ perinde sit, ac si quis condemnaretur, ut seipsum occideret. Ergo legi & „ magistratui modus etiam permittitur; sed non is qui legi Dei & naturæ „ repugnet. Confer quæ de Magistratus mandatis & decretis in foro con„ scientiæ probandis dicimus *cap. 24. Exercitior. Pietatis, pag. 760.* & seqq. & „ supra in *disp. de Cœcâ Obedientiâ. Resp.* 3. Dato Magistratum quem alicui justè condemnato mandari ἀυτοφονίαν, aut militibus navalibus pulveris pyrii incendium: an ideo mihi ex verbo Dei & rectâ ratione judicare non liceat hoc esse illicitum? An nihil unquam à Magistratibus factum fuit: de quo opponens judicare ausit; illud in foro poli & conscientiæ non bene, sed malè factum esse: sive ignorantes id fecerint, sive ex malitiâ? An ergo fidei implicitæ, & absolutè ac cœcæ obedientiæ (de quâ *supra*) hic locus concedendus? uti Pontifici, Episcopis, superioribus regularibus si hæresin doceat, si malum imperent, credendum & obediendum volunt Pontificii? Quod ad amplificationes de *supremis magistratibus, qui id ab ipsis exegerunt*, &c. *injustitiæ* evidentis (nota) *hâc in re non arguendis*: eas si multis aliis decretis & mandatis Magistratuum; ex ignorantiâ in simplicitate cordis & bono zelo factis, applicari velit, nos feremus. Unum hic amplificationi insertum non præteribo. „ Atqui Magistratus communicarunt procul dubio consilium suum „ cum theologis. *Resp.* Qui novit ingenium, sensum, morem multorum, si non plerorumque qui tunc temporis leges militiæ navalis condiderunt;

rectius dixisset: *non communicato procul dubio consilio cum suis theologis.* Plura non addo, ob rationes: & si adderem, quid proficerem apud eum, qui suis παραμυθίαις & imaginationibus adhæret: ut ut rerum & antiquitatum nostrarum ἄπειρος. Qui *Petri Bor*, *Reidii*, *Meterani*, *Grotii* historias, & apologias ecclesiarum nostrarum contra *Casp. Coolhaes* & *Hermannum Herberts* legerunt, & mores ac gesta hominum multorum annis aliquot usque ad annum 1618. viderunt; ii melius judicarent de aliquorum aut multorum Magistratuum Belgicorum, præsertim in Hollandiâ, sensu circa dogmata, ritus, regimen & disciplinam ecclesiæ reformatæ, præsertim Belgicæ: deque eorundem communicatione cum theologis in condendis bellicis & politicis statutis. Quid a. 1610. 1611. & 1614. & 17. in ecclesiasticis decreverint non communicato consilio, cum suis theologis (nisi forte cum heterodoxo aliquo Sinone) nobis ignotum non est, & loquuntur historiæ. Tantum abest, ut jam inde ab anno 1581. usque ad annum 1618. in rebus politicis & militaribus consilia cum theologis suis communicassent.

§. 4. „ Nec enim directè suum intenderunt interitum, quod faciunt αὐτόχειρες, „ sed instar Samsonis *Judic.* 16. *v.* 30. & Eleazari 1 *Machab.* 6. *v.* 43. da„ mnum hostium & patriæ securitatem, licet cum præsenti vitæ suæ pericu„ lo ac dispendio, & per illud. *Resp.* 1. Non est quæstio de directâ intentione facientis, sed de ipso facto: quia intentio bona non facit opus bonum. Vide conditiones bonorum operum explicatas ad *catechet. quæst.* 91. Directa & principalis intentio omnium αὐτοχείρων non est interitus; præsertim si qui specie religionis seipsos præcipitent, transfigant, submergant, comburant, rotis conterendos subjiciant, venena hauriant (quorum exempla supra in disp. attulimus): sed castitatis conservatio, à peccatis liberatio, benignitatis divinæ & vitæ melioris fruitio, honor Dei. Curtius directè non intendebat interitum, sed patriæ salutem per suum interitum. Quidquid piæ illæ mulieres, de quibus *Augustinus lib.* 1. *de civit. Dei cap.* 16. & 26. intenderent, directè tamen illud in se agebant, quo sibi interitum accersebant. *Resp.* 2. Ad exemplum Simsonis Ethici & theologi in quæst. de αὐτοφονία responderunt cum Augustino, peculiari instinctu & mandato divino id factum esse, aliis non imitandum. Inter quos cum sit ipse *Amesius lib.* 5. *Casuum cap.* 32. mirum est quod ibidem subjecerit, *similem fere rationem esse militum*, qui pulvere pyrio navem suam incendunt. De quo rectè *Rivetus*: „ Illud *fere*, quod ibid. addit ad cautionem, maximi est momenti. Quia „ quantumvis sit similitudo in facto & in scopo, an in spiritu quo ducuntur „ sit eadem ratio, merito dubitatur. Factum Eleazaris 1 *Machab.* 6. *v.* 43. nihil huc facere, rectè respondit *Rivetus loco cit.* quia directè in se non egit, ad quod ordinariò & per se mors sequitur. Et quidquid sit, illius factum non facit legem aut regulam.

Nec

„ Nec ideo *non liquet id certâ fide & conscientia fieri posse*, quod id non §. 5.
„ liquere suspicetur disputatio: Nec enim illius imaginatio norma est in-
„ dubitatæ fidei & morum. *Resp.* 1. Nec imaginatio censoris anno 1649.
in *theologo paradoxo* revelata, *Riveto anno* 1632. *commentar. decalog. edenti*,
& mihi anno 1635. contra objectiones Sociniano-Remonstrantici tene-
brionis defendenti indubitata fidei & morum norma esse poterat: nec et-
iam ab anno 1649. fuit aut in præsenti est; quamvis summariè ratiuncu-
las & exceptiones quasdam dicti tenebrionis repetitas indicârit.

„ Longè alitèr pronuntiant & *Burgersdicius Philosophus philosophiæ E-* §. 6.
„ *thic. cap.* 14. §. 17. & *Amesius theologus Cas. consc. lib.* 5. *cap.* 31. §. 34.
„ *Resp.* 1. Si quis ipsi vel nubem testium opponat in aliis quæstionibus,
respondet se esse discipulum Christi, & ex scripturâ probandum esse.
Et hic ad vincula Hippocratica, & publicam censuram mihi parandam in
aciem educuntur philosophus Burgersdicius amicus cum viveret, mihi per-
quam charus, & meus olim in collegio logico practico, & disputatorio di-
scipulus; & *theologus Amesius*, mihi itidem cum viveret, amicus, & ob
eximia in elenchticis, dogmaticis, practicis, edita scripta meritò πολλῶν
ἀνθρώπων. Sed de Burgersdicio eximio cætera philosopho, & orthodo-
xæ theologiæ assertori constantissimo, moneo, illam ipsius sententiam di-
splicuisse theologis tunc Leidensibus: uti ex uno eorum me audivisse me-
mini; & ex *Cl. Riveti dissertatione ad* 6. *decalogi præceptum*, satis deprehen-
ditur, quo in sensu fuerint theologi Leidenses. Quod ad Amesium, illius
sententiam, corollario meo è diametro opponi non posse, facile animad-
vertet lector, qui corollarium meum relegere, & τὸ *ferè* Amesii cum Ri-
veto expendere dignabitur; & alterum illud assertum Amesii supra cit.
conferre, de condemnato scil. à judice ad mortem sibi quocunque modo
inferendam. Quod si ibi parendum non sit justè ad mortem condemnatis;
cur magis parendum viris honestis ad mortem à tribunali justitiæ, ob fla-
gitia sua, minimè condemnatis? Et quodcunque παράδειγμα Amesii fuisset,
me tamen non constringeret vinculis Hippocraticis, nec censuræ publicæ
obnoxium faceret, magis quam Ethicos complures, quorum aliquos supra
indicavi; & theologos Leidenses cum *Riveto*, *Amesii* τὸ *ferè* explicante:
ut & *Danhauwerum in collegio decalog. ad* 6. *præc.*

„ Et lex ipsa caritatis Christianæ exigit, ut honestius judicemus de opti- §. 7.
„ mis illis patriotis, qui egregio hoc facinore tantum contulerunt ad liber-
„ tatem Belgio procurandam, quam ut eos annumeremus hominibus de-
„ speratis, & sui ipsius homicidis, quos disertè scriptura ex regno cœlorum
„ excludendos pronuntiat. *Resp.* 1. Est mera schiomachia, ἀπαγγὴ, &
mutatio status quæstionis. Legatur meum corollarium, ejusque defensio

contra

contra Therſitem tenebrionem, & diſputatio *de homicidio ſui ipſius*, &c. Quæſtiones diſtinguuntur. An pulvis pyrius ſit incendendus: An & qualis ſit ἀυτοφονία: Quid de ſalute ἀυτοφόνων ſtatuendum. Ad *illam* reſpondeo negando; haut aliter ac de choreis gynæcandricis, de fucandâ facie, de nudis pectoribus aliiſque vanitatibus ſeptimo præcepto repugnantibus, juxta catechet. noſtræ *quæſt.* 109 & Caſuiſtas atque interpretes decalogicos. Ad *iſtam* reſp. *diſp. cit.* §. 2., quod *Auguſtinus lib.* 1. *de Civit Dei cap.* 17. *& ſeqq.* & contra epiſtolas *Gaudentii lib.* 2. *cap.* 19. improbat factum Pelagiæ, aliarumque mulierum, quæ ſibi manus intulerunt: iis tamen vitam æternam non abjudicat. Nec ego, aut *Theod. Thummius in explicatione decalogi*, aut *Johannes Sym*, *qui peculiarem tract. de* ἀυτοφονίᾳ edidit anno 1637. ubi cap. 18. prolixè diſquirit de damnatione ἀυτοφόνων.

Auguſtinus lib. 1. *cap.* 16. „Ac per hoc & quæ ſe occiderunt ne quid-„quam hujuſmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignoſci. Et „quæ ſe occidere noluerunt, ne ſuo facinore alienum flagitium devitarent, „quiſquis eis hoc crimini dederit, ipſe crimine inſipientiæ non carebit.

Joh. Jacobus Grynæus diſp. theologic. part. 1. *tit.* de hominum ortu & ſtatu innocentiæ § 118. pag. 175. edit. in 4. „Pronuntiat, omnes qui „violentas manus ſibi inferunt, eodem non habendos loco. Alii enim „non ſine juſtâ cauſa commiſeratione digni ſunt, alii reprehenſione gravi, „alii execratione, & publico odio: qui & de jure infames ſunt & habentur.

„ Commiſeratione digni ſunt, qui poſt actam piè vitam, melancholico „morbo correpti, & mentis impotes, ſeſe præcipites dederunt vel ex alto, „vel in præterfluentes aquas. Aut qui per ætatem & judicii imbecillitatem, „ignari rerum & inſtrumentorum, caſu ſibiipſis exitium accerſiverunt: ut „cum pueri venenatas res deglutiunt, aut bombardas oneratas incautius „tractant. Utriuſque lugenda exempla hæc noſtra ætas vidit.

„ Reprehendendi ſunt, qui contra præceptum, Non ſunt facienda mala „ut eveniant bona: majorum malorum metu ducti, mortem, vitæ præla-„tam ſponte accerſiverunt, Refert Euſebius, Matronam nobilem Antio-„chenam, cum duabus filiabus, pudicitiæ conſervandæ ergò, in flumen „ſeſe præcipitem dediſſe. Item, duas ſorores virgines fideles in mare proſi-„liſſe, cum Diocletianus & ejus Collegæ perſecutionem moverunt ad-„verſus Chriſtianos. Etſi enim de his & ſimilibus nolim temerè, ne-„dum ſiniſtrè pronunciare: ac laude digna eſt caſtitatis cura: nec de-„ſunt nonnulla quæ commiſerationem merentur, ſexus imbecillior, con-„ſcientia fragilitatis, metus tormentorum, & alia, ut etiam dem non eſſe „factum planè damnandum, non tamen cuiquam pio imitandum ju-„dico. Sequenda enim nobis eſt regula de injuriis ferendis: Melius eſt ut

bene

„ bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm malè
„ agentes.

„ Gravissima reprehensione digni sunt, qui κενοδοξίᾳ, aut alio cœco affe-
„ ctu ducti in periculis quæ sponte adierunt, (nihil videlicet mali veriti, aut
„ nimium viribus aut industriæ suæ confisi) interierunt. Ut Glaucus ille,
„ proverbio nobilitatus, qui comesa herba habitat in mari. Item, Asahel
„ ille velocissimus, qui etiam admonitus ut sibi caveret, tamen Abnerum
„ persecutus est, & ab illo interemtus. Noti sunt versus.

„ ------ *Deusque videri*
„ *Dum cupit Empedocles, ardentem protinus Æthnam*
„ *Insiliit*, &c.

„ Execrationem autem omnium hominum ii merentur, qui ubi contra
„ conscientiam egissent sceleratè, furiis urgentibus surdóque conscientiæ
„ vulnere eos exagitante, αὐθέκτοις perierunt. Ut Saul, Achitophel & Judas
„ Iscariotes, qui ambo laqueis vitam finierunt. Item P. Pilatus, de quo ex-
„ stant versus Gregorii Turonensis.

„ *Tam tibi sit mitis Ponti Pilate Megæra,*
„ *Támque tuæ moveant lacrymæ Plutona ferocem,*
„ *Quàm merito periit fato, te judice, Christus.*

„ His adnumerandi sunt, qui malæ conscientiæ verbere, qui impatientia,
„ qui desperatione quadam tum rerum suarum, tum misericordiæ divinæ,
„ qui denique odio, livore, malevolentia, aut alia perturbatione vel conta-
„ bescunt, vel illis moti, laqueum sibiipsis non mandant solùm, sed etiam
„ injiciunt, séque ipsos conficiunt.

Quod ad navales nostros, qui mandato superiorum & intentione hostium vires bono publico atterendi, ad hoc factum inducti sunt, *uti non annumeravimus eos hominibus desperatis, & sui ipsius homicidis, quos disertè scriptura ex regno cœlorum excludendos pronuntiat* (uti opponens tale quid mihi imputare velle videtur); *ita nec omni adoreâ dignos quibus dulce fuit pro Christo & patriâ mori, animamque pro fratribus suis ponere* 1 Joh. 3. v. 16. nec *heroicam ipsorum fortitudinem*, nec *longè glorioſius ipsorum* factum, quam *Leonidæ cum trecentis suis Spartanis*, cum opponente pronuntiârem; ita ut martyres, aut quasi martyres habendi essent pro Christo: quippe qui seipsos incendio proprii pulveris tanquam combustos & in frustula discerptos sustulerunt. Longè aliter *Augustinus* supra cit. & *Grynæus* de piis illis fœminis. *Baronius* ad ann. 522. §. 61. Idemque in *Martyrolog. Rom.* 24. *Octobr. Corn. à Lapide in comment. ad Jerem.* 31. *v.* 16. martyrii coronas & cultum tribuunt puerulo quinquenni, qui apud Homeritas, *in ignem, ubi mater ardebat, se præcipitem dabat*: ut loquitur martyrologium. Sed nos his &

similibus zelo Dei, non tamen secundum scientiam, & intentione bonâ talia agentibus analogicè applicari velimus canonem 60. *Concil. Eliberini*: „ Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in euangelio scri-„ptum non est; neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in „numero eum non recipi martyrum. De quo in 3. *part. sel. disp. tit. de idolatriâ indir.* &c. *probl.* 9. *& seqq.*

Atque hactenus vindicatio mei corollarii. Sunt duę aliæ quæstiones à nostrâ hâc distinctæ de incendio navis. Quarum *unam* habet *Lessius de Justitiâ & jure lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *pag.* 91. quam ita determinat. Hoc modo „ excusari possunt nostri milites & socii navales, qui sæpe fortissimè cum „ hæreticis prælio navali dimicantes, cum jam vident navem in potestatem „ hostium venturam, communi consensu ignem pulveri injiciunt, & se „ mari committunt, ne ipsi & navis veniant in hostium potestatem: non „ enim intendunt sui interitum, sed ne hostis nam (lege *eâ*) cum publico „ damno potiatur, & ut se ipsi (si quâ ratione possint) morti certissimæ ab „ hoste inferendę eripiant: si enim potest quis desilire in mare ut salvet ami-„ cum, cur non ut evadat hostis crudelitatem.

Huic determinationi non repugno.

Altera quęstio ejusque determinatio exstat apud πολυμαθῆ & solidiss atque exercitatiss. philosophum *Arn. Senguerdium* amicum, & antehac in hac Academiâ collegam nostrum, in Collegio Ethico anno 1653. Amstelodami edito disp. 14. §. „ Cur his positis ita sentiam, ratio est, quia finis „ adest ad fortitudinem requisitus, & extremis malis extrema remedia „ sunt opponenda: deinde quia frequenter contingit, ut multi serventur „ hoc medio, qui alias in manus hostium incidentes perirent: cum enim „ in superiora præsertim pulvis tormentarius vim suam exerceat, sæpe fit, „ ut ablatâ superiori parte navis, ope scil. reliquarum partium inferiorum, „ vita ipsis concedatur, aversis & destructis hostium navibus, præsertim „ cum pulvis altiori loco ponitur. Accedit quod eâ ratione hostes non tan-„ tum priventur propriis bonis & speratis spoliis, sed etiam metus ipsis in-„ cutiatur, quo perterriti non ausint in posterum fortes ejusmodi aggredi. Huic sententiæ nihil habeo quod opponam: præsertim si considerem clariss. viri non-approbationem sententiæ Burgersdicii olim præceptoris ipsius per literas mihi significatam: conferam ejusdem verba dicti collegii disp. 9. §. 15. „ Si nos, inquit, aggrediatur nefariorum crudelitas viro bono „ omnia potius tormentorum genera subeunda sunt, quam scelera com-„ mittenda. Laudatur Zeno, qui ne sibi credita arcana enuntiaret, lin-„ guam sibi abscidit & in terram exspuit. Non puto tamen hoc factum „ omni ex parte laudandum esse. Laudanda quidem Zenonis taciturnitas,

non

„non tamen probanda linguæ exsectio, quæ propriis fiat manibus. In hujus casus decisione, & tali pulveris incendio, in illâ necessitate constitutis navalibus, difficultatem nunquam inveni; nec de tali cogitabam, cum anno 1634. in primâ disputatione Ultrajectinâ quæstionem de pulveris pyrii, & navis incendio proponerem; eandemque anno sequenti, contra tenebrionem Remonstranto Socinianum, & annis aliquot post, *disp. de homicidio suiipsius*, fusè explicarem ac defenderem. Incendium omnis pulveris pyrii & navis, quod olim mandatum fuit nostris navalibus, & aliquando ab eis factum, aliàs etiam per infortunium à nonnullis passum, tale erat; ut & navem propriam & vectores frustulatim discerperet, ustularet, per aërem & mare spargeret: uti antehac sæpe, & nuper in prælio navali anno 1665. mense Junio tristissima experientia nos docuit. Qui ergo totum pulveris pyrii πυρεῖον incendunt, directè illud agunt, quo seipsos tollunt: non minus ac Cleombrotus, Empedocles, aliique supra memorati, qui igni, aquâ, sicâ, veneno, &c. seipsos perdunt. Quæstionem hanc per collationes cum amicis coram aliquoties ventilatam, etiam epistolicis disceptationibus anno 1628. inter me & amicos agitatam memini: eoque occasionem mihi datam sæpe & seriò de eâ cogitandi: ut imparatus ad assertionem illam a. 1634. primâ meâ disputatione Ultrajectinâ proponendam non accesserim. Idem dico de quęstione circa fugam & contagium Pestis, super quâ cum altero eorum, qui medicus erat, ἀμφιβολίαις epistolis eodem anno 1628. amica collatio instituta fuit.

Inter alios sæpe & serio cogitandi, occasionem dedit ampliss. & Literatiss. *Joh. Beverovicius* Senator Dordrechtanus in suis ad me literis a. 1635. 20. Novembr. differens de ἀυτοφονίᾳ. „Unum, inquit, tantummodo addo, quod mihi „heri à C O S. relatum, & sæpius à nostris factum est. Navis ex Indiâ ad Oc„cidentem, argento & pretiosis mercibus onusta, nuper ab octo hostium na„vibus acerrimè oppugnatur. Dum nostri strenuè pugnantes nullum effu„gium vident, id unum agebant, ut hostilibus navibus affixi, accenso pyrio „pulvere, idem secum victores fatum sortirentur; quod liberiorem aërem „quærere appellant. Utilem nobis fuisse talem prœliandi modum affirmant: „an verò & pium sit, hostes ut prædâ fraudes, vitam in auras dispergere, „vel certum supplicium, ob allatas causas voluntariâ morte prævertere, „tui judicii facio.

Disp. de Pestis antidoto spirituali Kal. Julii 1637. Resp. Jacobo Migrodio propositam, & a. 1638. unà cum Epistola de termino vitæ recusam in 8. postea per decem capita distinctam, Leidæ a. 1654. apud Joh. Elzevirium una cum tract. theologicis Bezæ, Riveti, Hoornbeck denuo excusam, visum est hoc loco exhibere.

DE PESTE SEU PESTIS ANTIDOTO SPIRITUALI.

Alred. Cat. 493

Theologis Theologicè de Peste tractandum, docet omnium Ecclesiarum ac concionatorum consensus & praxis, quotiescunque malum hoc alicubi grassari contigerit: insuper tractatus de eâ conscripti à nostris Beza, Lavatero, Thoma Fabritio, Mollero medit. in Psal. 91. *Luca Trelcatio Juniore; à Pontificiis Hieron. Prævidello, Francisco Ripa, & nuper Philiberto Marchino* in satis magno volumine cui tit. *Bellum divinum: ut jam non dicam de epistolis Calvini, & Zanchii commentar. ad* Philip. 2. *& iis, quæ Casuistæ ac commentatores in Decalogum, & ad loca scripturæ* Psal. 91. Exod. 9. 2 Samuel 24. 1 Paralip. 21. Ezech. 5. & 14. *passim annotant. Quorum vestigiis insistentes, imprimis quia hoc studiosi nonnulli efflagitant, ea quæ in ordinariâ locorum communium explicatione ante hac de Peste commentati sumus, diatribe hâc comprehendimus:*

Ubi 1. causas hujus mali. II. Antidota indicabimus. III. Controversiam principalem de fugâ Pestis decidemus. IV. Ad problemata & casus quosdam respondebimus.

CAPUT I.

CAusam efficientem statuimus tum infligentem, tum meritoriam. Illa est vel prima vel secunda. *Prima*, est Deus ut omnium malorum tristium (*Amos* 3. 6.) ita & hujus author. Tria epidemica & communia Dei flagella plerumque numerantur; *fames*, *bellum*, *pestis* Levit. 26. *Deut.* 28. *Jerem.* 14. & 21 & 24. & 27. & 29. & 32. & 34. & 38. &c. *Ezech.* 6. Quartum *ferarum* scil. additur *Ezech.* 5. & 14. Non malè alioquin cum *Cardano de Varietate lib.* 8. *c.* 45. septem calamitatum humanarum genera communia enumeres; terræ motum, inundationem, Ventum, Animalia, Pestem, bellum, famem.

Pestis peculiari quâdam ratione Deo tribuitur, tanquam malum πάλαιον *tum ortu suo*, tum *eventu & effectu*, aliisque in eâ admirandis, de quibus infra.

Ortu quidem, quia magis immediatè est à Deo & minor mediorum in naturâ apparatus, saltem qui à nobis deprehendi possit. Hinc *manus Dei* vocatur

tur *Exod.* 9. 3. Et ad eam nihil confert miniſterium Moſis & Aaron, ut *ibid.* notant *Pererius*, *A Lapide*, *Rivetus*. Viderunt tale quid Ethnici, cum morbis nonnullis, ſpeciatim peſti, divini quid ſubeſſe dixerunt. Hinc *Homerus Iliad.* 1. peſtem πῆστιν Apollinis ſagittis immiſſam canit.

Eventu & effectu quia præſens exitium pleriſque affert, & in homines vindictam divinam exercet, unde Hebræis דבר à *rad.* דבר quæ in *pihel* etiam ſignificat perdidit, interfecit 2 *Paral.* 22. 10. coll. cum 2 *Reg.* 11. *v.* 1. & ſic peſtis *Pſal.* 91. 6. cum קטב, id eſt, *exterminio*, *exitio* conjungitur, & exitium *peſtis* dicitur *Hoſ.* 13. 14. Quo reſpectu & manus Dei, & ſagittæ volantes *Pſal.* 91. 5. cum *Deut.* 32. 24. *Ezech.* 5. 16. Appellatur etiam ſynecdochicè מגפה *maggepha*, id eſt, plaga 2 *Sam.* 24. *v.* 25. *Pſ.* 106. *v.* 29. 30. Chaldæis מותא *mota*, id eſt, mors *Exod.* 9. *v.* 15. 2 *Sam.* 24. *v.* 13. & מותנא *motana* *Pſ.* 106. *v.* 29. 30. 2 *Sam.* 24. *v.* 25. Syris מותנא *mautono* 2 *Sam.* 24. *v.* 13. 15. 25. & pluraliter *mautone* λοιμοὶ *Math.* 24. *v.* 7. Arabibus *mauto* 2 *Sam.* 24. *v.* 25. Et Græcè *Apoc.* 6. 8. dicitur quarta pars orbis occiſa eſſe ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν λιμῷ καὶ ἐν θανάτῳ 1. *peſte*: quomodo & Galli peſtem graſſantem vocant *mortalitè*; Belgæ de Sterfte. Rabbinis præterea dicitur אנדרלומוסיא *androlomoſia* &, דר לומוסיא, (quod ex Græco, ἀνδρὸς λοιμός.) R. Sel. Jarchi in *Gen.* 6. 13. & Bereſ. Rabba ſect. 32.

Cauſa ſecunda eſt vel ſupernaturalis, vel naturalis. Ille eſt *angelus bonus*, 2 *Samuel.* 24. 16. cum 1 *Paralip.* 21. 15. 16. & 2 *Paralip.* 32. 21. Percuſſorem primogenitorum Ægypti malum fuiſſe multi (*Lyranus*, *Abulenſis*, *Marchinus*, &c.) contendunt, collato *Pſal.* 78. *v.* 49. Non video tamen rationes eorum cogere. Etiam *angelus malus*, Quod analogicè colligimus ex *Job* 1. *v.* 7. 8. ſi enim ulcera potuit infligere, ſi per ſe aut per Magos venena miſcere & hominibus afflare; quidni & peſtem excitare, ejuſque contagio aliquos inficere? De Magis peſtis incentivis infra. Hic ſaltem notandum morbos juſtâ Dei permiſſione à diabolo hominibus infligi *Luc.* 13. 11. 12. 16. de quo in *Diſp.* noſtris tit. de *Dæmonibus*, de *Magiâ*, de *Energumenis*.

Cauſa naturalis & definita anxiè quæritur, nec tamen hactenus quid commonſtratur, quam indefinitè occulta qualitas, & quaſi venenum quoddam, quod tale & totuplex eſt ut exprimere illud vix valeant omnes Ἰατρῶν παῖδες; qui poſt omnium diſquiſitiones, poſt infinitas experientias, à morbis intemperiei ſe depulſos in morbis totius ſubſtantiæ ſeu occultarum qualitatum, ſacrum hunc ignem ponere coactos ultro fatentur. Inſtar omnium teſtes ſint nobis *Joh. Antonius Saracenus commentar. de Peſte cap.* 2. *Follinus in Amuleto lib.* 1. *cap.* 3. 4. 5. 6. *Sennertus Inſtitut. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 12. & *de Febribus lib.* 4. *cap.* 1. *Gulielm. Marquis Decad. Peſtifugæ probl.* 1. *Julius Palmerius de Morbis Contagioſis*, *de febri peſtil. c.* 5. 6. Adeo ut non ineptè

Philibertus Marchinus Theologus Pontificius rationem daturus cur Speculationi suę de peste titulum *Belli divini* prefixisset, ita ἀπολογίαν illam exorsus videatur Proleg. §§. *Ea viget apud vulgares homines stulta depravataque opinio, ut si urbs aliqua aut Provinciæ pestilentiâ quandoque afficiatur, ejus originem, terram potius quam cœlum aspicientes, vel in solas referunt naturales causas, vel in humanam aliam peculiaris eventus causam.* Hoc tamen non dicimus, nullas inferiores causas hic locum habere, sed eas earumque operandi modos plerumque nos latere: ut tantò magis admiratione, religione & metu judiciorum Dei abducti, dicamus quòd Magi Pharaonis de pediculis: *ecce digitus Dei.* Unde proclive est morbi hujus peculiare adjunctum colligere: Quod in se multa habeat admiranda, quæ ingenia Physicorum non lassent tantum sed & longè superent, de quibus ingenuè Sennertus lib. 4. c. 1. in fine: *Qualis tamen sit pestilentialis veneni natura, & quæ ejus in qualibet pestilenti constitutione differentia, nemo hactenus satis explicavit.* Talia sunt hæc, *ut J. C. Scaliger Exercit.* 218. *sect.* 8. ait, quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis.

Sed occulta ista naturæ miracula εἰς εὐτέλειαν ad admirationem operum Dei & gloriam ejus delineemus. Sunt autem ea in *Ortu*, in veneno seu maligna & occulta qualitate, in contagio, in concomitantibus, in effectis & antidotis.

I. *In Ortu*, quod occasionem illi aliquando det terræ motus, aliquando aëris siccitas & calor, aliquando humiditas, frigus, aliquando fames, aliquando aquarum constitutio, aliquando venenati, sive animalium, sive vegetabilium, sive fossilium halitus, aliquando aër incluſus (*Guliel. Marquis probl.* 1.) aliquando nulla talis occasio compareat.

II. *In veneno*, quod tam multiplex sit, ut analogicè omne ibi reperiatur quidquid in natura minerali, vegetabili, animali hactenus deprehendi potuit; & quotidie novæ pestis species exoriantur. Quod post alios omnes observavit, & dilucidè probavit *Gul. Marquis probl.* 1. Ubi præter venenum napellinum, aconitale, arsenicale (de quo *Follinus lib.* 1. *c.* 6.) indigitat hyoscyamicum, helleborinum, euphorbianum, cicuticum, Mandragoricum, cantharidicum, &c. *Kircherus in mundo subterraneo lib.* 9. § 2. *p.* 130. ait omnia venena per magnetismum operari.

III. *In contagio*, quod tam mirabile sit ejus seminium, ejus generatio, ejus vehiculum sive aër sive halitus, ejus vis & modus disseminandi, &c. de quibus vide *Sennertum lib.* 4. *c.* 2. & graphicè in peste tempore *Euagrii* historici grassante, ipse describit *lib.* 3. *c.* 28. Nobis hic imprimis mirari subit diversitatem applicationis ad objecta specie aut numero distincta. Est quod inficit pecudes non homines, & viceversa. Vide *Exod.* 9. est rursum quod inficit hos po-

populos, non alios; quod populos alios frequenter, alios rariſſimè, alios nunquam, ut de Nigris teſtatur *Scaliger Exercit.* 32. Eſt quod alicubi divites magis quam pauperes, & vice verſa; rurſum fœminas magis quam viros, & vice verſa (vide *Marchin. part.* 10. *prob.* 2.) juniores magis quam ſenes; eos qui nunquam aut raro ad peſte infectos accedunt, quam eos qui perpetuo illis adſunt; eos qui fugiunt magis quam eos qui in medio (ut loquuntur) incendio ſubſiſtunt; eos qui in domo infectâ verſantur magis quam alios ibidem commorantes; ad hæc robuſtos & ſanos magis quam afflictæ aut dubiæ valetudinis; Denique quod quoſdam ſolo aſpectu, aut per fomitem facile inficiat, alios verò vix per contactum quamvis etiam contrectent, cujus memorabile exemplum apud *Euagrium hiſtor. eccleſ. lib.* 3. *c.* 28. Plura docet experientia, & aliquâ ex parte notavit ex Scriptoribus de *Peſte Gul. Marquis prob.* 1. *p.* 13. 18. 21. 33.

IV. *In effectis*, quod tam multas orbis partes pervadat, (e.gr. anno 1382. & 1450.) & quod tantam ſtragem tam brevi tempore inferat, adeo ut eleganter & piè à Joh. Antonio Saraceno tract. cit. c. 1. *ultoris numinis ceu character*, dicatur. Athenis olim ita ſæviit, ut nullus ferè fuerit quem vel morbus, vel mors, vel luctus non attigerit; de quâ *Thucydid. lib.* 2. & *Lucretius lib.* 6. Talis fere univerſum orbem pervaſit anno 1030. Alia ſub Veſpaſiano Romæ quotidie 10000. hominum tollebat, teſte *Euſebio in Chronico*. Similis Conſtantinopolitana *Nicephor. lib.* 15. *c.* 10. *Procop. lib.* 2. *de bello Perſico*; & altera ſub Leone Iſaurio anno 1345. totos quinque annos per orbem graſſata dimidiam hominum partem abſtulit. Sub Benedicto VIII. (teſte *Platina*) plures ex peſte mortui fuerunt, quam ſuperſtites. Exempla alia quam plurima porro petantur ex Hiſtoricis, & Scriptoribus de Peſte, aut ſi quis compendio ſtudeat, ex Chronologis & eclogariis qui Hiſtoricos annotant; qualis inter alios *Sethus Calviſius in Chronolog.* & *Zwingerus in Theatro*. Imprimis in effectis hujus morbi ſtupendum eſt, quod tam ſubito & inopinato homines ſanos ſæpe vix ſentientes occupet & interimat. *Scaliger loc. cit.* teſtatur quorundam peſte infectorum urinam & pulſum à ſanorum non differre. *Dominic. Terillus tract.* de *Cauſis mortis repentinæ c.* 5. refert, a. 1576 peſte per annum graſſante, nonnullos horrendum ſpectaculum dediſſe, qui cum nocte ſomno & quieti ſe dediſſent, mane profundiſſimo ſomno immerſi reperiebantur, nec unquam poſtea experrecti ſunt. *Cardanus lib.* 8. *de Varietate rerum c.* 45. ex peſte Mediolani a. 1524. homines bene valentes intra ſex aut octo horas mortuos fuiſſe: ibidem refert Prothaſium Rovellum vidiſſe panem recentem nocte aëri expoſitum non ſolum mucidum factum, ſed totum ſcatuiſſe vermiculis; tantam tunc fuiſſe aëris putredinem. *Agricola lib.* 2. *de Peſte* ſcribit, octuaginta homines momento temporis ex multitudine ad oran-

orandum convocatâ interisse, sine ullâ notabili alteratione prævia. Idem de loquentibus, incedentibus, ex variis autoribus refert *Sennertus cap. 2. pag. 639.*

V. *In concomitantibus* & connexis hujus mali, hoc horrorem & stuporem adfert, quod tam varia morborum & symptomatum genera cum peste conjungi soleant, qualia sunt, oculorum privatio (*Nicephor. l. 15. c. 16.*) deliria, febres, vigiliæ, somnus profundus, aphtæ & oris ulcera, angina, pleuritis, vomitus, bubones, carbunculi, diarrhœa (quę enumerat *Sennert. lib. 4. cap. 1.* & ex parte *Lucret. de rerum naturâ lib. 6. Seneca in Oedipo chor. 1.*) Confer historiam *Euagrii loc. cit.* Et *Procopii de bello Persico lib. 2.* & *Thucydidis de bello Peloponnes. lib. 2.* ex tribus illis historicis imprimis admiranda pestis cognosces. Delirii phrenetici & immanis insaniæ tristissima ac nefanda effecta apud Cavares & Lugduni anno 1564 1629. accidisse narrat *Jesuita Raynaudus tract. de Martyrio* per pestem *part. 4. cap. 3. pag. 543. 544.* Meminit etiam φρενιτιδος, mentagræ, & insaniæ *Joh. Saracenus cap. 1.*

VI. *In Antidotis*, quod in specialibus ad has aut illas speciales pestes seu venena in hâc aut illâ civitate, immo in hâc aut illa familia, aut homine tanta sit varietas, tanta incertitudo, ut magna pars sæpe perierit, antequam natura veneni nota sit. Hinc fit ut, quod huic præsens remedium, alteri sit præsens exitium. Et hinc tam diversæ Medicorum atque Empiricorum de phlebotomia, aliisque therapeutices partibus sententiæ, ut videre est apud authores supra cit. Adeo ut mali pertinaciâ, aut incertitudine suâ victi ad desperationem nonnunquam adigantur, quod accidit in peste Athenensi apud *Thucyd. lib. 2.* Quin & hodie post tam frequentem experientiam non desunt, qui conquerantur, cum adversus omnia alia venena in promptu sint propria remedia, adversus pestem tamen nondum tale quid inventum. Sic Sennertus lib. cit. c. 2. p. 686. *Cum prudentissimi Medici fateantur, verum & specificum pestilentis veneni remedium homines latere.* Et graviter (citante *Marchino*) de eo conqueritur Jul. Palmerius libr. de Febri Pestilenti c. 17. Ubi conquestus, *quod cum à majoribus morbo Hispanico, veneno canis rabidi, & scorpionis inventum esset remedium & quidem adeo tutum, ut quisquis opportune usus fuerit, liberetur & convalescat*; nullum tamen hactenus pesti inventum sit: subdit hæc verba: *Videndum est*, inquit, *ne inscrutabili Dei consilio nobis illius cognitio denegata sit, ut hoc insanabili morbo tanquam flagello in homines animadvertat.* Quin & præstantiss. Medicus *Diomedes Amicus lib. de Peste c. 30.* docet, in pestilentiis nihil ad salutem proficere remedia. Hæc tamen eum in finem non adduco ut à remediis homines abducam, sed doceam potius admirari, & respicere percutientem Dei manum.

CAP.

CAP. II.

Causa meritoria sunt hominum peccata: Inter quæ eminent clamantia illa & epidemica, quæ passim grassantur, luxus, superbia & animi elatio, imprimis Magnatum 2 *Sam.* 24. Justitiæ violatio, & multæ bonorum aut cædes aut oppressiones *Exod.* 9. & 12. 2 *Paralipp.* 32. *Plutarchus in libr. de serâ Numinis vindicta* narrat, ob interfectum Æsopum Delphios fame, peste, teterrimisque morbis à Diis percussos. Ex *Ezech. cap.* 5. & 14. *Jerem.* 29. cum *Exod.* 9. & 12. colligimus, contemptum & abusum verbi divini esse causam pestis. Idem de Cœna Domini habes 1 *Cor.* 11. 30. *Gregorius Nyssenus in vitâ Thaumaturgi*, causam pestis facit dæmonum cultum, Magiam, theatra & spectacula, quæ dæmonolatriæ plerumque sunt appendices.

Finales causæ, quas cum effectis conjungimus in *genere* sunt pœna & vindicta erga præfractos peccatores; & castigatio erga convertendos, probatio & excitatio conversorum *Amos* 4. cum *Ezechiel.* 14. *In specie* exprimam eas verbis *Cypriani de Mortalitate*: „Pavore mortalitatis & temporis accen„duntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi: desertores com„pelluntur, ut redeant: Gentiles, ut credant. Verus fidelium populus ad „quietem vocatur; ad aciem recens & copiosus exercitus robore fortiore „colligitur, pugnaturus sine metu mortis, cum prœlium venerit, qui ad „militiam mortalitatis tempore accedit. Quid deinde illud, fratres dile„ctissimi, quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod Pestis illa „& lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat justitiam singulorum; „& mentes humani generis examinat? An infirmis serviant sani; an pro„pinqui cognatos piè diligant; an misereantur servorum languentium do„mini, an deprecantes ægros non deserant medici; An feroces violentiam „suam comprimant; an rapaces avaritiæ furentis insatiabilem semper ar„dorem vel metu mortis exstinguant; an cervicem flectant superbi; an au„daciam leniant improbi; an pereuntibus charis vel sic aliquid divites lar„giantur & donent sine hærede morituri. Ut nihil aliud mortalitas ista con„tulerit, hoc Christianis & Dei servis plurimum præstitit, quod martyrium „cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere: Exerci„tia sunt nobis ista, non funera, donec animo fortitudinis gloriam con„temptu mortis præparant coronam. Hactenus *Cyprianus.*

Consectarium 1. *Definitio Theologi Jesuitæ Corn. à Lapide quam ex Ficino (ut opinor) depromptam exhibet in comment. ad Exod.* 9. Pestis est venenosus quidam vapor in aëre concretus, vitali spiritui inimicus, qui omnem humo-

rem inficere poteſt, ſed potiſſimum ſanguinem, ſecundo choleram, tertio phlegma, quarto melancholiam; *nec theologica ſatis (ut ex theſi noſtrâ 1. & 2. cuivis facile patet) nec etiam Logica & Medica, ut ſupra omnes alios docebunt te Follinus & Sennertus, qui accuratè in definitionem peſtis inquirunt.*

II. *Philibertus Marchinus Regularis & Theologus Florentinus in Bello Divino* edito anno 1633. *prolog. §. 4. Italis ſuis Galliæ tam propinquis hac fabella loco exempli declarat finem & effectum peſtis*: Sed quid plura perſequar? Nonne ex peſtilenti calamitate, quæ quatuor ab hinc annis apud Lugdunenſes deſævit, & per univerſam fermè Galliam graſſata eſt, Calviniſmi excidium, hæreſium abjectio, veteriſque Catholicæ religionis reſtitutio veluti *Joh. Grillotius de Peſte* Lugdunenſi ſcribens teſtatum reliquit, maximâ ex parte ſecuta eſt? *Circumſtantias narra, ô bone Hiſtorice, ut fidem tuam liberes; Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?*

CAP. III.

PRophylactica & remedia in genere eadem ſunt, quæ omnium morborum, immo & afflictionum in hâc vitâ quorum copiam ſuggerent Scriptores, de *Cruce* aut de *Patientia*, aut de *Conſolatione* fidelium. Nunc tantum quædam ſpecialia & propius applicata huic præſenti negotio indicamus, eaque tum privata, tum publica. Sit ergo privatum prophylacticum.

I. Inſigne illud cardiacum gratiæ Dei (*Hebr. 13. 9.*) cujus quotidie doſis præparanda, fide renovatâ eam credendo, ſpe firmâ exſpectando, ignitâ caritate deſiderando, devotis precibus flagitando.

Præparatorium autem & præambulum ejus ſit lectio & meditatio *Pſ. 91.* & 103. aut *Rom. 8. Hebr. 12.*, &c. Cui ſi quis adjunxerit ſubinde lectionem aurei iſtius ſermonis Cypriani, de *Mortalitate* aut meditationis Molleri in *Pſalm. 91.* operam ſane non luſerit.

II. Eſt, oppugnatio metus mortis, per fidem & fortitudinem Chriſtianam. Illo enim profligato non eſt quod ita metuamus peſtem. Hic enim ſtimulus peſtis: hoc contagium, hoc venenum, hoc φοβερῶν πάντων φοβερώτερον, quod certam mortem ut plurimum in ſe contineat. Sunt & alii morbi contagioſi, nec minus miſerandi, ſæpe multo magis quam peſtis, ut dyſenteria, calculus, ſynochus putrida, &c. ſed non ita ad mentionem eorum homines expalleſcunt, aut fugiunt. Quę differentia ſpecifica? Metus mortis. Ut autem fidem & animum in Chriſto adverſus mortem obfirmatum invenias, exerce te in *præparatione ad mortem*, & *meditatione brevitatis ac vanitatis hujus vitæ*. De qua egimus in prælectionibus de *Aſcetica Chriſtiana*, ubi & authores indicavimus.

III.

III. Contemplatio paternæ providentiæ divinæ, in quam tanquam pulvinar cœlestis securitatis recumbunt animæ nostræ. Ab illa enim sanitas & morbus, vita & mors, morbi mortisque modus & momentum dependet. Illa præsidet omnibus causis secundis, pertingit à fine ad finem fortiter, nihil casu aut fortuna sanitati & vitæ nostræ decessit, nihil eveniet, quod non sit in bonum nostrum *Matth.* 10. 30. 31. cum *Rom.* 8. 28. Non diffundimus nos in explicationem hujus prophylactici. Videndi authores de Providentia Dei citati in *Dissertat.* nostra *de Termino vitæ*, & argumenta quæ ibidem attulimus.

IV. Renovatio & excitatio resipiscentiæ nostræ: ut intima nostra accuratè scrutemur *Zephan.* 2. 1. 2. *Threnor.* 3. 39. 41. 42. 43. priusquam Dei manus, & ignis hic consumens ædium nostrarum, immo venarum, arteriarum & cordis penetralia penetret & pervadat, ut ab omni infectione & contagio nos præservemus 2 *Corinth.* 7. 1. 2. cum *Jacob.* 1. *v. ult. Judæ v.* 23. ne contagium pestis nos attingat. Porro de praxi resipiscentiæ & novæ obedientiæ excitatione, alibi ex professo agendum. Tantum hic monemus, occasione pestis ad omnia exercitia pietatis publica & privata nos excitandos, specialiter etiam ad sympathiam & caritatem erga fratres, & proximum quemque, imprimis ab aliis destitutum.

Prophylactica publica partim ecclesiastica partim politica sunt.

I. Frequens jejuniorum celebratio, *Joël.* 2. 12.

II. Remotio scandalorum, repressio peccatorum (e. gr. luxus in conviviis, vestibus, ædium ornatu, vacuæ observationis & pompæ in funeribus; chorearum & comœdiarum; oppressionis & violentiæ;) instauratio omnium, quæcunque in moribus, disciplinâ, utroque regimine, ac jurisdictione collapsa sunt *Jesa.* 58. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. cum 1 *Cor.* 11. 30. 31. 32.

III. Debita cura & consolatio peste laborantium: ne ita nobis & sanis rigida legum quarundam observatione consulamus, ut crudeles simus in animas & corpora eorum, qui ipsi aut quorum ædes peste infectæ sunt. *Jesa.* 58. 7. 8. 9. 10. 11. 12. cum *Psal.* 41. 1. 23. *Jacob.* 2. 13. 14. Hoc autem fit, cum à concionibus & publicis exercitiis pietatis, omnique consortio hominum in foro, in compitis, in communi vitâ & conversatione excluduntur homines sani, qui alicui peste laboranti adfuerint, aut ædes infectas datâ occasione ex necessario pietatis aut amicitiæ officio frequentant: præterea cum sani omnes una cum ægris istius familiæ, domibus undique arctissimè occlusis includuntur, & quidem sæpe integro trimestri aut semestri aut amplius: ut scil. ibi absque ullo alloquio, ullâ deambulationis per liberum & minus infectum aërem refectione, ullâ migratione ad ædes, aut plateas, aut loca

minus infecta, absque etiam ullâ recentis aëris in domos suas receptione & perspiratione; contagioso, putrido, fœtido, & morbido suo aëre, solitudine, ægritudine melancholicâ conficiantur: denique cum sani homines vel ex altero orbe (ubi forte aliqui peste laborant) advecti, magno suo & rerum suarum incommodo, à civitatibus & Provinciis longo tempore arcentur. An hæc sint opera pietatis & misericordiæ Christianæ in ægrotos, moribundos, peregrinos? Dicent excipi hunc casum pestis. Sed repono illud Bernardi, cum ex *Rom.* 13. 1. probat omnes Clericos, Magistratui subjectos: *Qui studet*, inquit, *excipere, studet decipere.* Ubi scriptura non excepit, nobis non est excipiendum.

Cap. IV.

REstant nunc, *Remedia* adversus pestem quę nos aut domesticos nostros jam invasit, tribus verbis indicemus. Sunt autem ea partim communia, partim specialia. Illa sunt quæ in omnibus hujus vitæ calamitatibus, nominatim in morbis lætalibus aut periculosis, adhibentur.

Quorum 1. est expurgatio & resignatio propriæ nostræ voluntatis, & nostri abnegatio, ut in Dei paterna voluntate toti conquiescamus 1 *Samuel.* 2. 2 *Samuel.* 16. *Psalm.* 39. *Job.* 1. Conferendi authores Practici qui de *patientiâ & consolatione*, de *Abnegatione sui ipsius*, aut ad *Matth.* 17. *Marc.* 8. *Luc.* 14. & in tertiam petitionem orationis dominicæ & loca modo cit. commentantur.

11. Admiratio & celebratio clementiæ Dei nostri, qui perditas, aut evagantes oves, suavi hâc violentiâ ad se trahit, humeris suis imponit, & restituit in viam vitæ quamvis angustam. *Majus est quod meremur, minus est quod patimur.* Peccata nostra pœnas merentur, & ecce parcentem manum Dei, ecce viscera misericordię, funes caritatis ejus, medicamentum salutare, bonum illud castigationis, amaritudinem dulcissimam, amabilem, profundissimam misericordiæ abyssum, viam ad cœlum, cœlum ipsum in terrâ.

111. Fides, apprehensio, & gustus bonitatis & gratiæ Dei in Christo, siquidem unquam gustavimus quam suavis sit dominus in remittendis peccatis nostris, *Psal.* 103. 1. 2. 3. 4. in imputandis & donandis meritis Christi 2 *Cor.* 5. in adoptandis nobis in filios, idque obsignando sigillo sui spiritus *Rom.* 8. Modo Deus nobis gratiosus sit hâc gratiâ speciali electorum *Psal.* 106. sufficit nobis hæc gratia. In omnibus plus quam victores erimus: nihil est, quod nos separabit ab ejus dilectione *Rom.* 8.

1v. Spes, desiderium, & prensatio vitæ melioris: siquidem defungamur hoc

hoc certamine. Sin Deus nos ex portis inferorum reducat: tanto major sit gratitudo nostra & tanto magis cœlestis in terris conversatio, quod eleganter in Blesilla χαρακτερίζει *Hieronymus ad Marcellam epist.* 19. Quæ omnia huc accersenda ex locis communibus, *de Vitâ æternâ*, de *morte beata* seu *arte moriendi*, de *praxi Christianæ spei*. Sunt & alia media communia à toto populo & ecclesiâ adhibenda, quorum compendium est publicum jejunium, ab ipso Deo nobis commonstratum adversus communes calamitates; *Joël* 2. 12. 15. De modo celebrandi jejunii, alibi.

Remedia Pestis *specialia* sunt, quæ peculiari insolentiæ, terrori, & miseriæ hujus mali opponuntur: quæ modo indicavimus ab Exercitatore spirituali ex scripturis amplificanda.

I. Mortem præsentem plerisque affert. *Resp.* Mortem non esse tibi mortem sed transitum ad vitam meliorem, jam didicisti.

II. Tam subito & ex improviso homines exstinguit. *Resp.* Nulla mors repentina illis qui Christum habent, vitam suam *Coloss.* 3. *Philip.* 1. 23. Lucerna justorum extinguendo non exstinguitur etiamsi vadant per vallem mortis, quia illuxit ipsis Christus & lucebit in perpetuâ claritate, etiam tenebras illas illustrans *Eph.* 5. 2 *Cor.* 3. *Psalm.* 23. *Joh.* 8. 12. *Ad hæc* qui maturè assuevit jugo Christi, immo qui vel hodie vocem ejus audit ad salutem, numquam à tenebris aut repentinâ morte præoccupabitur. *Johan.* 11. 25. 26. *Denique* & hoc in lucro deputat, quod brevius sit tormentum; brevius certamen, quam cum morbi diuturni molestiis; facilior victoria, facilior transitus à vita illa mortali, quæ vera mors, ad immortalitatem & gloriam. Hoc enim desiderium verè piorum *Philipp.* 1. 23. *Rom.* 7. 24. 2 *Cor.* 5. 4. 8.

III. Morbus insolens est. *Resp.* At non insolens Deo suos per hunc morbum hinc evocare. Testatur hoc omnium sæculorum experientia. Nota sunt exempla tot famulorum Dei inter quos Oecolampadius, Kimedoncius, Franciscus Junius, &c. Ad hæc nunquam amatoribus Dei insolens est visitatio aut aliena manus tam benigni patris. Deus aliquando suis tanquam larvatus apparet: sed larvam illam fides detrahit & per omnia opaca & integumenta in ipsum sanctuarium, in cor patris sui intuetur.

IV. Terribilis est hic morbus supra alios tum in se tum vel imprimis, quod omnes amici & necessarii sæpe deserant laborantem. *Resp.* 1. Idem & Christo accidit *Psal.* 22. 12. cum *Matth.* 26. 40. cœpisti conformari capiti tuo, in hoc curriculo perge. 2. Quicumque te deserunt, Deus tamen non deserit *Jesa.* 42. 15. *Psal.* 27. 9. 10. cum *Jesa.* 54. 6. 7. Ille pastor tuus est. *Psal.* 23. 1. 4. Ille reficit te in lecto infirmitatis *Psal.* 41. 3. 4. Ille dextram supponit capiti tuo & lævâ te amplectitur *Cantic.* 2. 6. Ille tibi

præsto est in necessitate ut te eripiat, &c. *Psal.* 91. 15. Ille ubi adest, ibi robur, consolatio, cibus, potus, medicina, medicus, amicus, necessarius, pastor, dominus, pater, hæreditas, vita, victoria, lux, jubilum, triumphus, denique Deus & omnia. 3. Quidquid in hoc morbo terribile sit, parum hoc est, modo Deus tibi non sit terribilis *Jerem.* 17. 17. modo Christus super te elevet amabile lumen faciei suæ, modo ille te respiciat qui mortis & inferni terror ac pestis. *Hos.* 13. 14. cum 1 *Cor.* 15. 55. 56.

v. *Denique* ut per congeriem & antitheta, quæ restant, edisseram, *Manus Dei* est, quæ non tantum premit sed & sublevat; non tantum vulnerat sed & sanat: *Virga Dei* est, non furoris sed correctionis, non exactoris sed patris *Heb.* 12. 7. 8. *Angelus percußor* est, & nuntius mortis, sed tibi angelus liberationis prodromus salutis. 1 *Cor.* 15. 54. 57. cum 2 *Timoth.* 4. 7. 8. & 2 *Cor.* 5. 1. 2. *Ventus est* & tempestas à facie Dei; sed in ea est Deus tuus, similis est vento illi & procellæ 1 *Reg.* 19. 21. 13. *Job.* 38. 1. *Sagittæ* sunt omnipotentis, sed emissæ à leni ac dulci manu, quomodo Nazianzenus afflictiones suas vocat: ἐκ γλυκεῖς παλάμης πικρὰς ὀϊστούς, *amaras sagittas ex dulci manu. Venenum est*, sed veneni & corruptionis peccati; non deleterium sed alexipharmacum, sed theriacale quod ex veneno à summo animarum Medico præparatum à veneno liberat, contra venena præservat. Ita Venenum veneno pellitur, morbus morbo tollitur, pestis peste, putredo putredine, fætor fætore fugatur. Benedicta sit πολυποίκιλος Dei nostri sapientia. *Ignis* est, sed consumens hostes, purgans amicos, illuminans domesticos. In hoc igni nobis Deus est, non consumens rubum, (*Exod.* 3.) apparens ad nostri liberationem. Ignis ardens est, inquies, qui vitales spiritus depascit atque exhaurit. Atqui ardet nihilominus in illo & emicat flamma ignei ipsius erga nos amoris: quæ dum incenditur caro, ac deficit cor nostrum (*Psal.* 73. 26.) lucet ut lucerna in perfectum diem, cœlesti calore urit & exurit frigida ac terrena hęc membra, excoquit scorias filiorum Dei, ut tanquam aurum purgatissimum in thesaurum domini reponantur. Breviter extremum quod hic ignis minatur aut aufert, nihil aliud est, quam ut sit tibi currus igneus Eliæ, quo in cœlum evectus gaudeas & regnes perpetuo cum Christo. Hæc sit summa summarum: *Pestis* illa tam infanda, tam abominanda, tam horrenda, tam calamitosa, tam noxia peccatoribus, & *viris de hoc sæculo* (ut appellantur *Psal.* 17. *v.* 14.) quæ nihil aliud quam pestilens, pura puta pestis, infernalis incendii præambulum; filiis Dei simul & pestis est peccatorum idque per gratiam Dei ac per pestem mortis Christi (*Hos.* 13. cum 1 *Cor.* 15.) & alexipharmacum, sanitas, vita, transitus ad vitam, in cujus, ut & mortis amplexus ruere, non metuunt, quandocunque Deo visum fuerit ipsos vocare & ducere.

CAP.

CAP. V.

DEtegenda nunc sunt & profligandæ infelicia & noxia illa antidota ab Ethnicis, Pontificiis, aliisque adhiberi solita. Sunt autem illa vel Magica, vel Idololatrica, vel superstitiosa, vel nimis carnalia.

Magica sunt varia. Infanda fuit illa dæmonolatria Romæ publicè exercita anno 1522. sub oculis Hadriani VI. à Græculo quodam nomine Demetrio, qui pestem tum exortam sedavit *prospera litatione* (sic loquitur *Jovius*) immolati tauri ad amphiteatrum, quem dimidio cornu dissecto ita repente tam mansuefactum reddiderat magico carmine dextram in aurem prolato, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet, duceret. Vide historiam (ante hac à nobis cit. *Desper. Causæ Papat. lib.* 1. *sect.* 4.) apud *Jovium histor. lib.* 21. *p.* 19. Ubi quidem Ethnico-Papalis ille Episcopus acriter perstringit nostratem Hadrianum VI. quod Romanæ aulę rudis, & rerum Italicarum imperitus severis legibus more Italico luem illam coërcere noluisset: nihil tamen illi imponit, quod Ethnicam istam dæmonolatriam non coërcuisset. Ejusdem Farinę fuit evocatio Æsulapii sub forma serpentis Epidaurii (de quo *Livius lib.* 11. *Valer. Maxim. lib.* 1. *c.* 8. & *Plutarchus in Coriolano*) cum Romæ ingens exorta esset pestilentia. Neque enim dubium, quin Diabolus & Magia huic negotio præfuerint. Nec prætereunda est Magia illa, quâ cadavera veneficorum (qui etiam defuncti & sepulti pestem iuducere putantur) capite truncanda esse statuitur; cujus exemplum adfert ex *Herculis Saxoniæ libr. de Plicâ c.* 11. *Sennertus lib.* 4. *c.* 4 *p.* 7. 29. Quod doctiss. Philosophum & Medicum Sennertum tam patienter mirari, miror equidem: *Cujus rei*, inquit, *causam cum reperire facile non sit, est animi veritatis avidi eam diligenter perpendere*, &c. Magica etiam sunt omnia amuleta characterum, quorum unum infra indicamus.

Remedia *Idololatrica & superstitiosa* sunt, lectisternium, ludi scenici, quæ usurpata fuisse Vito Sulpitio & Petreio Licinio Coss. adhæc peregrinos Deos in urbem advectos anno V. C. 462. sacras ædes vel aras alicui numini devotas, sacra facta, &c. testis est *Livius lib.* 1. *Decad.* 5. *lib.* 7. & 11. & 57. Similem & pejorem idolomaniam insanierunt Athenienses dicantes aram Ignoto Deo, & Lacedemonii cum consultum oraculum respondit quotannis virginem immolandam. Vide *Plutarchi parall.* 35. ubi idem refert de Phaleriis, & Suidam in voce ἄθεόφημος. Atque hæc Gentilium.

Judæi nomina exotica & admirabilia, quæ angelorum pesti prępositorum nomenclaturas continent, cubiculis, hypocaustis & domibus suis adscribunt: inter ea est nomen *diridon*, quod per totum alphabetum ductum,

(ut

(ut *Adiridon*, *Bediridon*, &c.) & magnis characteribus scriptum, præsentissimum remedium esse dictitant. Vide *Buxtorf. Synagog. c.* 33. Huc refer superstitiosam observationem Thalmudicam quam in *Bava Kama fol.* 60. præscribunt: Ne homo tempore pestis ambulet in medio viæ; quod angelus mortis, cui potestas data sit, publicè incedat in medio viarum.

In Papatu ista præscribuntur (apud *Marchinum in prolegom.* §§§§.) præter dolorem de peccatis, & reconciliationem cum Deo (quæ & nos rectè accepta agnoscimus) Supplicationes, quas vocant, seu processiones, confessiones auriculares, corporis dominici (hoc est idoli missatici) publica privataque veneratio, (*de missis pro vitanda mortalitate vel tempore pestilentiæ vide Missale Reform. in append. fol.* 69. *de Missis pro peste animalium vide antiquum Mißale edit. Paris.* 1506. *fol.* 213. *posteriores has exsertè defendit Jesuita Baylius in Catech. part.* 1. *qu.* 20.) Divorum invocatio, B. Virg. Mariæ imploratio, & refugium ad ipsius templa & imagines, inprimis recitatio Hymni illius ad Mariam, qui cœlitus eum in finem demissus fuit & traditus monialibus S. Claræ Conimbricensibus, siquidem verum dicat *Francisc. Gonzaga in chronologia ordinis Seraphici part.* 8. *p.* 310. Et hæc hactenus *Marchinus*: Cujus superstitiosas nugas longè superavit *Jesuita Gulielmus de Pretere in Remediis contra Pestem* vernacula linguâ editis Antwerpiæ 1636. ubi post indicatas causas & signa pestis, in primâ acie antidotorum spiritualium collocat undecim pestis patronos supremos, medicos & Mareschallos (quem terminum artis vulgò in hâc materiâ usitatum ibidem etymologicè explicat ex Goropio Becano.)

1. *Sebastianum*, quem in hoc casu invocare & colere solent in Lusitaniâ. Addimus nos ex *Lorino commentar. in Sapientiæ cap.* 18. *v.* 19. sanctum illum passim propulsatorem pestis habitum, ex quo tempore citatâ ejus imagine horrenda lues (quam describit *Diaconus lib.* 6. *de gestis Longobard. c.* 2.) Romę cessavit; quod accidit anno 680. Cujus rei monumentum exstare dicit in Basilicâ Petri ad vincula, ubi etiamnum imago Sebastiani colatur. Vide explicatius hanc historiam apud. *Baronium in notis ad Martyrol.* 20. *Januarii. Marchinus part.* 10. *probl.* 8. fatetur nulla in gestis Sebastiani exstare vestigia, cur in propulsatorem pestis electus sit: causam ergo nullam posse excogitari, nisi hieroglyphicam seu cabalisticam illam, quod sagittis sit confossus, & pestis apud Græcos Apollinis, & in scripturâ Dei sagitta dicatur.

2. *Hadrianum*, in Flandriâ.

3. *Christophorum* in Hispaniâ, & Belgio, de quo apponit hoc distichum,

Christo-

Christophori sancti speciem quicunque tuetur,
Illa nempe die non morte mala morietur.

4. *Antonium*, in toto Belgio.

5. *Rochum* in Italiâ, ad quem cœlitus demissum hoc epistolium: *Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam evasuros significo.* Confer *de Rocho 3. part. sel. disp. tit. de sanctis chimæricis.*

6. *Bennonem* Hildersheimensem in Bavaria. Quos sex imprimis Antwerpiensibus nunc commendari & colendos proponi dicit, quippe quorum reliquiæ in templo Jesuitarum ibidem asserventur.

7. *Macarium* Armenium Patriarcham Antiochenum, à Gandavensibus. Horum septem vitam & miracula tempore pestis exhibita breviter & encomiasticè perstringit. Unum ex illis anno 1616. Montibus Hannoniæ designatum, cum corpus S. Macarii Cameraco eò mitteretur, celebrat Corn. à Lapide in epist. dedicator. ad commentar. in Pentateuchum: ubi vide.

8. *Remigium* in Gallia.

9. *Oswaldum* in Anglia.

10. *Laurentium* in Burgundia.

11. *Fregidandum* in Brabantia.

Omnibus autem illis Marescallis tanquam *reginam & supremam Medicam* præficit B. Mariam (exempla aliquot liberationis per illam præstitæ mediante effigie, quę Aquis Lupiis in Hispaniâ etiamnum tanquam altera Diana Ephesina colitur, refert Nonius in Hispaniâ suâ cap. 61.) modumque hos sanctos colendi præscribit, per formulam præcationis ad Mariam in Monasteriis & Bernardinis usurpatam; deinde per Antiphonam cœlitus demissam, quam supra indicavimus à Marchino exhiberi; tum per formulas precum ad quemque ex septem prioribus Marescallis; postremo per quinque Psalmos Mariæ ex Psalterio Bonaventuræ, (quos vernacula lingua ibidem exhibet) affirmans ex Caroli Stengelii, Benedictini Alexeterio spirituali Dilingæ edito, Romæ anno 1470. per recitationem illorum Psalmorum in conventu Augustinianorum *ad Mariam de populo* pestem plane cessasse. Interjungit præcationem unam atque alteram ad Deum & ad nomen Jesu; commendat & spiritualia hæc prophylactica; nomen *Jesu*, *Mariæ*, *Annæ*, aut ore prolatum, aut domibus inscriptum, aut in pectore gestatum; Agnos Dei; nomina aut imagines Marescallorum pestis, domibus & cubiculis inscriptas; gestationes capsularum cum reliquiis; Signum crucis; candelas benedictas; cum pœnitentia, jejuniis, peregrinationibus p. 143. 169. Atque hæc quidem summa istius libelli, qui constat paginis 185. cui hoc epiphonema, Espensæo Theologo Sorbonico alibi usitatum, adscribimus:

----- *Habeat nunc Romæ pudorem.*

Refutationem non est quod hic moliamur, quia illa detegere est refutare: & aliquando, cum Deo, seorsim agemus, de reliquiis, de Agnis Dei, de Cruce. Interim lector, cui vacat, conferre poterit Disp. nostras de *Benedictionibus*, *de Exorcismis*, *de Agnis Dei*, *de Cruce*, *de Peregrinationibus*, *de Rosariis*, *de Superstitione*, *de Magiâ*. Dictos illos sanctos nostri satis lustrarunt; inter quos chimæricus ille Christophorus, & Rochus, qui nunquam canonizatus Romæ non colitur, quamvis ringente frustra Pontifice colant eum Veneti tanquam sanctum. De hoc alibi agimus: ubi de sanctis chimericis. Est & alius libellus vernaculo idiomate Antwerpiæ 1645. editus, tit. **Het leven van den** H. Rochus, S. Joseps, **ende den** H. Hubertus **Patroonen tegen de Peste.** Ad superstitiosa & idololatrica refer candelas ardentes, quas manibus suis per quinque dies portabant, quicunque missas pro vitandâ mortalitate audiebant, juxta constitutionem Clementis VI. de quo Missale antiquum edit. Paris. 1506. p. 222. Adde festum purificationis Mariæ (Græcis dictum *hypapante*) Constantinopoli institutum anno 544. ut refert *Baronius ibid. n.* 10. Adhæc flagellationes spontaneas occasione Pestis susceptas anno 1349. Nec prætereundi exorcismi quos Pesti oppositi *Borromeus Archiepisc. Mediolanensis anno* 1630.; refert eos & laudat *Marchinus in append. philosophic. problem. p.* 47. Agmen claudat remedium illud Magico-Papisticum characterum scriptorum vel annulo insculptorum, quod quamvis publicè approbatum & à Clericis in Italiâ anno 1630. usurpatum, magiæ & quidem merito convincit *Marchinus ibid. probl.* 33. De invocatione septem angelorum coram Deo assistentium (de quibus in *Disp. de Hierarchiâ cœlesti*), & adjuratione per nomina eorum, an & quomodo hic adhiberi soleant, alibi forte disquirendum.

Carnalia remedia vocamus ad quæ homines ex carnali affectu metus absque prudentia, pietate, caritate consternati confugere solent; ad quæ referimus tum nimis *meticulosam & iniquam illam* contagium evitandi rationem alicubi publicè præscriptam quam supra tetigimus, & taxat *Lavaterus*, aliique Theologi & Medici; tum nimis turpem & tumultuariam pestifugarum fugam, quam improbant non tantum Theologi, sed & præstantiores Medici, de qua ex professo nunc disputandum.

CAP. VI.

EST ergo controversia principalis, *An & quomodo pestis, hoc est, civitates, domus, homines peste infecti sint fugiendi.* Hic 1. detegemus ac removebimus calumnias ac tergiversationes, quibus controversiæ status involvi solet.

let. 2. Genuinum controversiæ statum constituemus. 3. Rationibus sententiam nostram firmabimus. 4. Consectarium principale, deinde & alia inde eliciemus. 5. Objectionibus occurremus.

Quod ad primum, non est hic controversiæ status, nec ab adversariis disputandum *An Pestis sit mala? An sit morbus periculosus; An plerisque præsentissimum adferat exitium; An periculum sit fugiendum, an vero absque necessitate adeundum, non absque Dei tentatione; An sit aliquod contagium in rerum natura, & an morbi sint contagiosi & inter eos Pestis?* Certè cum circa ista nonnulli Pestifugæ ampullantur, ut turpitudinem causę suæ tegant & conscientiam sopiant: Quis non videt eos strenuè per elenchi ignorationem sophisticari & prævaricari? Hic autem est genuinus controversiæ status, An ab omnibus prophylacticum illud fugæ juxta Medicorum symbolum (quod parum Christianum appellat *Lavaterus*, ejusque Interpres latinus *Joh. Pontisella*) *cito*, *longè*, *tardè*, simpliciter sit adhibendum, quippe quo nullum auxilium prælentius certiusque. Hoc ipsum à Medicis quibusdam extra Dei, conscientiæ Christianę, moralium virtutum respectum ita simpliciter affirmatum, nos cum omnibus, ut opinor, Theologis & Christianis Medicis negamus; insuper addimus teneri omnes fideles primo suis domesticis, deinde & aliis fratribus, amicis, necessariis, & cuicunque proximo pro ratione vocationis suæ, pro viribus, & pro re natâ operam suam fideliter impendere in spiritualibus & corporalibus.

Priorem assertionis nostræ partem ita probamus. *Primo*, Quia nulli ejusmodi humani actus, ut *fuga*, possunt aut debent à Medico quà Medico absolutè præscribi: sed ponderandæ sunt circumstantiæ actionum, & inde concludendum, an licitę sint an verò illicitę. Nam quia subjacent rectæ rationi & legi divinæ, nullęque humanæ actiones in individuo sint puræ naturales & adiaphoræ, hinc fit ut naturæ ductum instar pecudum aversantium mala & prosequentium bona, homines hic non possint sequi. Jam vero quidnam hic sit moraliter bonum aut malum; virtus aut vitium, non est à Medicis quà Medicis petendum (illi enim connexionem & consequentiam naturalium causarum cum effectibus suis simpliciter & nudè indicant) sed aliunde. Indicat Medicus ex. gr. est alicubi tale secretum & rarum antidotum, est cibus quis, est potus qui ad hoc vel illud conducat: Sed hoc ipsi non dat licentiam conquirendi illa, sive volente sive nolente domino. Sic consultus in quibusdam morbis, diceret concubitum (*Ambros. epist. 66. Septalius problem. sect. 4. quæst. 17.*) aut etiam largum haustum potus inebriantis, malum aliquod posse tollere: eo ipso tamen Christianus non concludet illicitum concubitum, aut ebrietatem illo in casu non esse peccata.

Secundo, quia talis fuga non est sine incredulitate & diffidentiâ,

contra Dei promissiones *Jes.* 65. *Matth.* 10. imprimis *Psal.* 91. fidelibus factas.

Tertio, Quia non tantum prodest immisericors & inhonesta fuga, quantum sibi profugi quidam Jonæ persuadent. Quamvis enim contagium evitent per contactum & per fomitem quatenus pendet à naturalibus causis; eo ipso tamen non evitant idem contagium & infectionem quatenus pendet ab angelo percussore sive bono sive malo, & quatenus pendet à peculiari illo & inexplicabili personarum delectu & applicatione: quod θεῖον supra in admirandis *Pestis* thesi 1. notavimus. Quin ipse *Sennertus loc. cit.* concedit posse pestem aliquando immediatè à Deo, absque ordinario causarum secundarum concursu immitti; Complures alii Medici statuunt suum contagium *per distans*. Sed velim mihi quis explicet, quid fuga utroque in casu præstitura sit?

Quarto, à paribus. Quia in omni alio periculo, morbis periculosis, immo & contagiosis pietas, caritas & consuetudo non docet homines proximum ita deserere, & fugâ sibi tantum consulere. Sunt autem morbi illi, Hydrophobia, elephantiasis, lepra, φθίσις, dysenteria, sudor Anglicus, morbilli, varioli, synochus putrida (quam alicubi in Belgio morbum castrensem, aut Mansveldicum, ab exercitu comitis Mansveldici anno 1625. indigitant) lues Hispanica, ὀφθαλμία, scabies, & mala ulcera, &c.

Quinto, quia crudum tale prophylacticum pestis, nec regulæ nec exempla V. aut N. T. vel per minimam consequentiam suadent. Mirum sane est, Mosem, Aaronem, Josuam, Davidem, aliosque primarios in Republica & Ecclesiâ viros peste apud illos ita grassante solum non vertisse; ut saltem suo exemplo nos docuissent, Deum non tentare scilicet.

Sexto, addimus argumentum ad hominem. Quia ipsi illi fugitivi, qui primo omnia fugienda, evitanda clamitant, etiam cum immisericordiâ erga propria viscera, liberos, cognatos, amicos, ejusdem fidei consortes, &c. cum hic sunt (hoc est cum pestis ipsos aut ædes eorum invasit aut Dei manus ex fugâ illos retraxit) aliter loquuntur, & caritatem in visitando, consolando, opitulando, &c. non tantum non improbant, sed ad cœlum extollunt.

Septimo, Denique accedat consensus non tantum Theologorum infra citandorum, sed & Christianorum Medicorum, qui nôrunt se Christianis consilia præbere. Instar omnium sint *Gul. Gratarolus Bergomas*, ad relgionem nostram conversus, ejusque zelotes, propter quam & Italiâ relictâ Basileę sedem fixerat, libr. de peste p. 88. 4. *Utilissima sunt illa adverbia, citò, longè, tardè. Quod qui facere non queunt, aut Christianâ caritate affecti nount, curent imprimis habitare loco perspirabili*, &c. Joh. Anton. Saracenus cap. 6. p. 1.

p. 1. 5. 6. *Sed hæc adhibenda cautio, ne præsidium in fuga totum statuatur, quasi salus inde tota penderet. Quid enim est, quod sperent mortales suis se subterfugiis irati Dei digitum evadere, conspectumque effugere posse? Immo vero quis hoc ipsum vel cogitare audeat, nisi immensitatis divinæ prorsus ignarus, &c.* & pluribus de immensitate Dei allatis subnectit locum Psalm. 139. v. 8. 9. Unde concludit: *Latebris non est captandus angulus, sed de pace cum æterno Deo, &c. qui unus ἀλεξικακος fuit, est, eritque semper. Attamen nec malè consultum, nec inutile videatur si infirmioris naturæ homines, quique metu propemodum sunt exanimi (N. B.) cum gratiarum actione salutis illud perfugium atque præsidium, si quando Deus largitur, arripiant, &c. Sed in cavendo periculo iis rursum hæc adhibenda cautio, ne dum sibi ipsis consulunt, eos quibus adesse, quosque charos habere tuerique debeant, desertos esse patiantur, veluti obliti vocationis, quæ publici quidem muneris ratione Magistratum, Pastores Ecclesiæ, stipendia publica merentes Medicos & Chirurgos, & quotquot alii ægris opem ferre ex officio tenentur; propinquitatis vero ratione conjuges, cognatos, & affines merito retinere videtur, &c.*

Problem. 1. *An peregrinantibus aut ad tempus alicubi commorantibus, qui nulla vocationis suæ aut quacunque alia necessitudine illi loco magis quam alteri, sæpe etiam minus sunt astricti, liceat inde discedere?* Resp. Aff. *sed absque attonita diffidentia, & tumultuaria fuga, etiam absque scandalo; & si extrema necessitas (aliis deficientibus) non cogat illos subire officium Samaritani Luc. 10. cum Jesa. 58. 7.*

Probl. 11. *An liceat infantes, pueros & similem imbellem turbam, qui nulli istic usui sunt, sed oneri, alio ad tempus ablegare?* Resp. Aff. *Ut & in aliis morbis, periculis, & impendentibus aut circumstantibus calamitatibus.*

Problem. 111. *An patresfamilias, qui alicubi sedes suas fixerunt, labore manuum honeste familiam ibi sustentant, privilegiis & commodis tam politicis quam ecclesiasticis fruuntur, liceat ad tempus cum familia sua civitatem illam, concives, & fratres deserere? Resp.* Ego saltem nolim alicui author esse: quamvis videam quosdam ex Theologis hoc in genere non improbare; quibus non admodum repugno, nec tamen adstipulor.

Posteriorem assertionis nostræ partem de auxilio ægrotis præstando sic probo.

Primò, ex officiis caritatis quę fratribus & proximis debemus. *Matth.* 22. diliges proximum sicut te ipsum, cum *Matth.* 7. 12. *Hebr.* 13. 1. 13. 16. etiam cum damno & periculo nostro 1 *Corinth.* 13. *v.* 5. 7. 1 *Johann.* 3. 16. 17. Inter officia autem illa, est auxilium ægrotis & moribundis præstandum.

Secundò, ex peculiari vinculo inter conjuges, fratres, cognatos, ami-

cos, &c. quo illi ad officia illis aliisque in casibus sibi mutuo præstanda constringuntur. 1 *Tim.* 5. 4. 8. *Rom.* 1. 31. *Ephes.* 5. & 6.

Tertiò, ex mandato speciali de operibus misericordiæ erga calamitosos & ægrotos præstandis *Psalm.* 41. *v.* 1. 2. 3. *Matth.* 25. 36. 43. Nulla autem hic aut alibi est exceptio de morbis contagiosis, & periculosis. Quo majus periculum, eo arctius fraterna caritas nos constringit, eo illustrius etiam se exserit. 1 *Joh.* 3. 16. Cum hoc mandato jungendum est exemplum Jesu Christi, quod ibidem adfert Apostolus.

Quarto ex magnâ mercede, & promissione à Deo ejusmodi misericordibus factâ *Psal.* 41. 1. 2. 3. 4. cum *Matth.* 5. 7. & 25. 36. 43. *Jac.* 2. 13. Inter illas promissiones est etiam protectio Dei adversus terrorem noctis, & sagittas de die volantes; de quâ *Psal.* 91. per totum.

Quinto, suadet etiam fortitudo Christiana militi Christiano fortiter se, datâ occasione, ejusmodi periculis offerre, mortem contemnere, in Dei providentiam recumbere, idque ex sincero Dei & proximi amore *Actor.* 20. 24. & 21. 13. 14. *Phil.* 2. 3. De contemptu mortis, & fide in providentiam Dei, supra actum est.

Sexto, accedit consensus & praxis piorum. Ex pluribus sit *Cyprianus de Mortalitate*, & exemplum illust. Christian. eccleſiæ de quâ *Euseb. l.* 9. *c.* 7. & 7. 17. *Niceph. l.* 6. *c.* 20. ubi notanda epistola *Dionysii Episc. Alexandrini*; & ejusdem paraphrastica interpretatio *Ruffini*. Imprimis *Lavateri* erudita concio seorsim Germanicè, Latinè, Belgicè edita; quæ etiam inserta est comment. ejus in *Ezech.* 14. ejusdem comment. in 1 *Paral.* 21. *Molleri meditatio* in *Ps.* 91. *Trelcatii Junioris Antidotum pag.* 535. *Ames. Casuum lib.* 5. *c.* 7. *qu.* 5. multa habet de proximo diligendo, quæ huic nostro negotio aptari possunt. *Sohnius de Causis & curatione Pestis tom.* 1. *Perkinsius in* 6. *præcept. Decalogi*, *Calvinus in Epistolis pag.* 454. *edit. in fol. Beza in Diatribe de peste*, *etiam seorsim editâ*; *Ursinus Exercit. Theologic. part.* 2. in summâ rei idem nobiscum sentiunt, quamvis hominibus liberis fugam concedant: ne quis, pro infidelitate & ἀστοργία suâ (quâ etiam sanguine aut affinitate conjunctissimis se subtrahit) Doctores illos alleget. Pontificios Casuistas & practicos idem sentire, & ad fortitudinem Christianam cohortari, quin & suorum merita hâc in parte & quotidiana trophæa nimium forte jactare, colliges ex libro *Philiberti Marchini de Peste*, & Jesuitæ *Raynaudi de Martyrio per Pestem*, & vernaculo libello Jesuitæ de *Pretere*: Addenda & analogicè huc applicanda, quæcunque Moralistæ & Practici de Misericordiâ, Fortitudine, Caritate proximi commentantur. Nec dissentiunt Christiani Medici, ut supra innuimus; quorum consilia evitationem peste infectorum suadent; cum hac limitatione, *quantum Christiana misericordia seu sympathia permittit*, quam

paren-

parentheſin piè & prudenter initio Antidoti anno 1636. editi inſeruerunt Cl. DD. Medici Ultrajectum.

CAP. VII.

Scult. Ap. 38 Conr. pag. 496-497.

QUæſtione principali decisâ, poriſma hoc inde deducimus: *Si quidem nulli fideles abſolutè ſe poſſunt ſubtrahere fratribus laborantibus; utique paſtores Eccleſiarum, à ſubſidio hoc & opere caritatis non ſunt immunes.* Quod poriſma tenendum contra periculoſam diſputationem *Zanchii in Philipp.* 2. quæ conſuetudinem Italo-Medicam nimis mihi ſapere videtur, ut & contra *Joſephum Hallum in epiſt. Decad.* 4. *epiſt.* 9. qui etiam ad morem ſeu legem tunc in Angliâ receptam nimis trahit conſcientiam miniſtrorum. Rationes ſunt *Prima*, quia rationes ſupra allatæ pro officio omnium fidelium erga laborantes peſte, fortius conſtringunt Paſtores, ſaltem quod ad ſpiritualem curam. *Secunda*, ſumpta ab ipſorum munere, & titulis. Sunt Paſtores, patres ſpirituales, cuſtodes & Epiſcopi, diſpenſatores, &c. qui debent paſcere, *verbo*, *exemplo*, *ſubſidio* (ut rectè *Gregor. Magn. in paſtorali*) non tantum publicè ſed & privatim & κατ' οἴκους (*Act.* 20. 22.) & quidem ἀκαίρως εὐκαίρως 2 *Tim.* 2. imprimis in illo caſu neceſſitatis. *Tertia*, Quia Eccleſia debet non arctè habitare in corde eorum, debentque illi exemplo Pauli cum ovibus velle vivere & mori. 2 *Cor.* 7. 3. & exemplo Chriſti animam pro illis ponere *Joh.* 10. *v.* 11. 12. 15. cum 1 *Joh.* 3. *v.* 16. *Quarta*, Quia non tantum ex caritate, ut reliqui Chriſtiani; ſed etiam ex juſtitiâ, non poſſunt eſſe immunes, aut plane ſe ſubtrahere: idque propter ſtipendium. *Quinta*, Quia ſunt & alii morbi contagioſi & periculoſi ſupra cap. 6. notati: Atqui nemo dicet miniſtros debere aut ſaltem poſſe à viſitatione iſtorum ægrorum in totum abſtinere, nedum fugam capeſſere: ergo non magis in caſu peſtis. *Sexta*, Quia omnes conſtitutiones Eccleſiaſticæ, (cum quibus conferendi autores, qui Politiam Eccleſiaſticam & officium paſtorum deſcribunt) nominatim etiam *Confeſſio Helvetica art.* XVII. & Conſtitutiones Eccleſiæ Belgicæ imponunt ipſis conſolationem ægrotorum. Nullæ autem ſunt conſtitutiones apud nos, nec etiam Synodorum Deciſiones, quæ in caſu hujus morbi illis hoc officium interdicant. Sed contra deciſio *Synodi Dordracenæ* 1578 ad queſt. particulares, qu. 13. & praxis omnium fere paſtorum contrarium docet. Imprimis praxis Eccleſiæ Genevenſis, ubi ſorte alicui ex miniſtris illud officium committunt, quam refert *Beza in tract. de Peſte*, liquidiſſimè evincit *Calvinum* reliquoſque Theologos Genevenſes ſenſiſſe, pertinere hoc ad munus paſtorale. Perpetuam praxim eorundem innuunt etiam verba Franc. Porti Cretenſis in Reſp. ad Epiſtolam Petri Carpentarii

Ames. lib. 5. c. 7. p. 295. Non licet pastori tempore pestis deserere Ecclesiam, nisi forsan sit alius idoneus, qui suscipiat illam curam.

Apledij p. 493.

pentarii quondam ibidem Professoris juris, tunc apostatæ & proditoris. p. 5. *Cognovi te, quum ex collegio ne unus quidem propter pestem à suo munere discederet, pessimo exemplo quocunque, desertâ statione, libebat, excurrisse*, &c. Scultetus in concionibus in Jes. cap. 38. pag. 496. liquidissimè non tantum de ministris, sed & de aliis in casu necessitatis determinat. Eodem fere modo *Georgius Sohnius in Thesibus p.* 195. Convenit cum iis *Georgius Abotus qu. seu lect.* 5. *p.* 195. edit. Oxoniens. anno 1598. nisi quod magis constringat, ob necessitatem, uti arbitror, consuetudinis Anglicanę.

Lutherani Theologi à nobis hic non dissentiunt *Johannes Gerard. loc. com. tom.* VI. *Tarnovius lib.* 3. *de Minister. c.* 2. *Balduinus de Casibus lib.* 4. *cap.* 9. *cas.* 6. & exsertè *Wigandus tract. de Persecutione p.* 270. Et ex recentissimis *Melchior Sylvester Eckhardus in pastore conscientioso classe* 2. *sect.* 5. *qu.* 3. Instar omnium sit masculum consilium ex *Lutheri tom.* 3. Jenensi apud Philippum Haenen in consiliis sive judiciis Theologicis & requisitis ministerii, Germanicè anno 1650. editis tract. 7. p. 45.

Pontificii hoc omnibus animarum curatoribus imponunt, post omnes *Marchinus part.* 1. *cap.* 2. 3. cum *part.* 3. *cap.* 1. 2. hanc causam agit, adductis rationibus ab officio pastorali *Joh.* 10. *Ezech.* 24. à lege caritatis & justitiæ (*Thom.* 22. *qu.* 26. *art.* 5. *& qu.* 185. *art.* 5. *quodlib.* 12. *qu.* 18. *art.* 3.) coacervat & infinitas authoritates ex Canonistis, Casuistis, &c. adhæc exempla *Caroli Borromæi Episcopi Mediolan. anno* 1576. aliorumque regularium, quorum ordines & nomina indicat part. 10. Præterea inserit celebrem *epistolam* 180. *Augustini ad Honoratum*, de fugâ pastorum tempore bellicæ calamitatis. *Busæus in Viridario cap. de Fortitudine* laudat præter *Borromei*, exemplum *Bernardini Senensis* & novi ordinis Romæ instituti ad ministerium ęgrotorum. *Jesuita Raynaudus in tract. de Martyrio per pestem part.* 3. *c.* 3. commendat presbyteros & *Diaconos Alexandrinos*, quorum meminit *Martyrol. Romanum prid. Kal. Martias.* Præterea *Cyprianum*, *Gregor. M. Benedictum*, *Aspertum*, *Bernardinum*, *Jesuitas suos anno* 1558. &c. Hoc quidem *Molanus*, *in Theolog. pract.* & ipse *Marchinus* cum pluribus aliis Casuistis concedit posse Episcopum, aut parochum per substitutum aliquando mediatè oves suas curare. Sed hoc nihil ad nostros, ubi non sunt otiosi Episcopi & beneficiati cum potestate substituendi, nec locum habent dispensationes de non Residentiâ. *Gabriel Biel in sermonibus de Tempore*, tribus sermonibus medecinalibus contra pestilentiam subjungit quęstionem de fugâ pestis: ubi quidem multa. Eruditè profert, & satis in hanc partem determinare videtur; nisi quod, more Casuistarum Papalium, exceptione aut restrictione bene dicta rursum labefactat.

Consect. 1. *Licitum esse & valde laudabile etiam cum certo mortis periculo inser-*

inservire amicis peste laborantibus, rectè probat *Marchinus* ex rationibus, & authoritatibus *Cypriani de Mortalit. Augustini de amicit. c.* 10. *Hieronym. in Mich.* 7. *Lactant. lib.* 5. *c.* 18. *Ambros. lib.* 3. *de offic. c.* 12. 11. Idem tamen nimis mihi exorbitare videtur, cum peste afflictos, vel de eodem valde suspectos, concludit esse tanquam multorum homicidas & patriæ proditores puniendos, si sanos non moneant & cum iis libere versentur, *part.* 2. *c.* 6. 111. Siquidem pastores ecclesiarum non possunt se subtrahere visitationibus ægrotorum, multo minus licita ipsis fuga est, aut importuna ministerii desertio.

CAP. VIII.

A pià hac sententiâ aliqui & olim & hodie in Papatu recesserunt non tam judicio quam affectu metus, & inde vitiosa praxi; quæ duo perversa principia protulerunt tandem illam opinionem. *Tostatus* in *Genes.* 14. *col.* 7. admodum videtur favere huic opinioni; cujus decisionem propterea limitat *Marchinus part.* 2. *c.* 6. *Nicolaus de Clemangis* celebris suo tempore Theologus suadebat fugam absque ullâ limitatione, *vid. epistol.* 27. ubi ex nostris *Johan. Lydius* editor Clemangis in margine hanc censuram opportune adscripsit: *Consilium mimme Theologicum. Marchinus cap.* 12. conqueritur & miratur quosdam viros doctissimos, à piis operibus nonnullos suo consilio & suasione retraxisse; si secus fecissent terribilis inferni pœnas illis comminantes. Apud reformatos non desunt inter ditiores & potentiores imprimis, ut & ruricolas simpliciores, qui quidem in se officium hoc non implerent; sed qui ita insaniat ut homines ab heroicis illis operibus propositâ pœnâ infernali absterreat, arbitror esse neminem. Sed rationes & horum & quorumcunque aliorum audiamus.

Obiect 1. Nemo debet se in illud periculum conjicere; ergo. *Resp.* 1. non absque necessitate, non temere, conceditur. 2. absolutè ut nemo se conjiciat, non dicent illi qui Medicos, chirurgos, famulos, famulas, pastores, sacerdotes, ægrotorum consolatores in auxilium suum advocant. Quod si contra animæ salutem & mandatum Dei illi servitium illud præstarent, non possent hi bonâ conscientiâ ab illis hoc petere. 3. hoc argumentum si locum habeat, tum nemo militiæ se devoveat, nullis civis pro aris & focis arma sumat, nullus incendium restinguat, nullus naufragantibus succurrat, nullus denique martyr vivicomburium adeat. Absit, absit! Applicandâ huic igni pestilentiali aurea sententia Thomæ Bilney martyris in Anglià temporibus Marianis: *Per sensum*, inquit, *& philosophiam scio, ignem esse calidum, & cum dolore urentem: sed per fidem scio eum aliquando stipulam mei corporis consumturum, & animam meam purgaturum à corruptione.*

Object. 2. Ordo servandus est in caritate, ut præferam corporalem meam salutem, vitæ proximi. Neque enim teneor eum plus diligere; quam meipsum. *Resp.* cum Marchino, 1. ordinem charitatis exigere ne quis temere & absque urgente ac justâ amici necessitate vitam exponat. 2. non diligi amicum plus quam nos ipsos, sed plus diligi honestum virtutis. Sicut cum quis pro patriâ vel pro fide servandâ vitam exponit periculo.

Object. 3. Homo non est dominus vitæ suæ, ergo debet fugere omnes peste laborantes. *Resp.* Deus est dominus vitæ; eam Deo libenter impendet, ex justâ & urgenti causâ ob honestum & laudabilem finem. Haut aliter ac Martyres, aut cives qui mœnia sua contra invasionem hostilem tuentur, aut qui accurrunt ad incendium, &c.

Object. 4. Si in persecutione licet fugere de civitate in civitatem ergo & tempore pestis. *Resp.* non licet semper, nec omnibus: ut alibi casus ille deciditur. Deinde nos omnem quorumcunque & quamcunque fugam non improbamus. Saltem ministris verbi in persecutione non fugiendum, nec oves deserendas communiter determinant Theologi. Vide inter alios eruditè ac plenè hoc agentem *Georgium Abotum in sex quæst. seu prælectionibus, quæst.* 5. Sed de hoc in 2. *part. polit. eccles. lib.* 1.

Object. 5. Domum, quæ incendio vastatur, relinquimus; quidni & domum peste infectam? *Resp.* concedimus, ut & in aliis morbis. Siquidem domus non sit spatiosa, & suppetat alterius copia (quomodo in Italiâ à Præfectis sanitatis tales offerri didici ex *Marchino loc. cit.*) utique commodum hoc non est contemnendum.

Object. 6. Qui peste infectos visitant, sunt aliquo modo rei ἀντιφονίας; tantundem enim est ac si in ignem insiliissent. *Resp.* 1. qui debito fine & modo fortiter ad honorem Dei & salutem proximi offerunt se periculo alicui, non sunt rei; non magis quam martyres, cives & milites patriæ defensores, Medici, Chirurgi, aliique qui animam aut corpus ægrotantium curant. 2. Deinde diversa est ratio ignis & contagii pestilentis: ignis promiscuè semper urit eos, quos attingit absque ullo personarum delectu, aut actus sui suspensione: pestis vero non itidem, ut docet experientia. In quo propriè consistat ἀντιφονία, docemus in disp. de eadem.

Object. 7. Lepra in V.T. præcisè erat fugienda, ergo & pestis in N.T. *Resp.* febricitans hoc argumentum (quod tamen sæpe usurpatur) in scholis Theologicis nullum meretur responsum. Qui cadaver attingebat, qui menstruatam, &c. immunditiem ceremonialem sibi contrahebat. Sed quid hoc ad contagium pestis?

Object 8. Ab omni officio immediatè ægrotis illis succurrendi absolvor, si modo precibus apud Deum, & consiliis ac donis per alios ipsis non desim.

sim. *Resp.* Si liberi hoc dicant parentibus, mariti uxoribus, fratres fratribus, & vice versa, utique videor mihi audire antiquum illud Pharisæorum *corban* Matth. 15. 5.

9. *Object.* Qui metuit, potest bonâ conscientiâ fugere; & omnibus illis, etiam maximè necessariis caritatis officiis etiam erga parentes, uxorem, liberos, &c. se subtrahere. *Resp.* 1. vehementia affectuum in homine, non absolvit à peccato, ut non tantum Theologi docent, sed & Aristoteles cum suis philosophis Moralibus. 2. Hoc saltem hinc infertur, fugiendum esse illum inordinatum metum, & ab eo resipiscendum: haut aliter ac ille resipiscere & se emendare tenetur, qui prę metu veritatem fidei non confitetur, aut cœtui orthodoxorum clandestino se non adjungit.

Instantia: Opponitur casus, si quis ita metu occupatus sit, ut nullum officium ægroto sit præstiturus, immo potius eum gravaturus, & sibi ipsi præsens sive exitium sive periculum allaturus; an non debeat potius abstinere & sic in conscientiâ suâ quietus esse? *Resp.* Positâ illâ hypothesi si quis prudentum consilio pro tempore abstineat, ne scil. peccatum addat peccato: eo ipso tamen non tollitur ἀτύπημα, seu peccatum ipsius, non magis quam ejus qui iræ aut contentionis æstu erga proximum turgens abstinet pro tempore ab usu cœnæ, aut filius inebriatus tantisper abstinens à visitatione curâ & auxilio patris letaliter decumbentis. Quamprimum ergo & strenuè hic defectus corrigendus.

10. *Object.* Plagę Dei, & mala divinitus inflicta sunt fugienda. *Resp.* Sed ideo non sunt afflicti omnes absolutè fugiendi, cum operâ nostrâ indigent. Alioquin pauperes, nudi, famelici, ægroti omnes essent vitandi.

11. *Object.* Parci potest Ecclesiæ pastoribus, quia tantum in ipsorum incolumitate aut jacturâ Ecclesiæ situm est, & per alios facile hoc curari potest. *Resp.* 1. Non disputamus hic, an & quâ ratione & publico Ecclesiæ bono, & ægrotorum necessitati, & sanorum institutioni (imprimis ubi contagii evitatio legibus quibusdam satis arctè circumscribitur) commodissimè prospici possit: nec etiam utrum magis præponderet paucorum ægrotantium consolatio à pastore immediatè præstanda, an vero totum verbi ministerium, quod alioquin laboraret: Sed hoc tantum nunc agimus, ut doceamus, non esse hoc officium consolandi, ab ordinario munere separandum, quasi ad id jure divino pastores non tenerentur; immo; quasi peccarent in munus suum pastorale, si qui tales ægrotos visitarent. 2. In omnibus Ecclesiis, prę sertim vicanis & oppidanis minoribus, non video quomodo illis parci possit, nisi moribundos ibi consolatione omni destitutos velimus. 3. Sic tamen de parsimoniâ hâc non est differendum, ut eorum, qui bene animati sunt, manus remissas reddamus; aliorum, qui mediocri

fortitudine præditi, animos frangamus; denique tot egregiis viris, qui in Belgio passim muneri suo non defuerunt, nec sibi & labori suo pastorali ita parci voluerunt (quorum non pauci tanquam vigiles & duces in statione suâ stantes mortui sunt) quidquam detrahamus. 4. Per alios hoc ita curandum est, ut non sint tanquam vicarii seu substituti (quos Ecclesię reformatæ non agnoscunt) sed tanquam adjutores, qui partem laboris sublevent; ne tandem partes integrales ministerii abalienatæ & defractæ, in alios transferantur. 5. Denique quidquid agant isti adjuvantes, non debent pastores in gravioribus conscientiæ casibus, imprimis si miseri ægroti eorum consilium & solatium desiderent, hàc occasione ab illo muneris sui actu plane excludi.

12. *Object.* Audivi aliquando & hanc exceptionem: Non tenetur nec etiam potest unus omnes laborantes visitare; sufficit si domesticis & suis succurrat. *Resp.* Ab illis quidem primo incipit caritas; sed ut præcisè ibi terminetur, Deus non præcipit. In dandis eleemosynis, mutuo gratuito, consolandis & juvandis lugentibus, & infirmis omnibus, ad omnes & singulos se non extendit unius facultas. Sed inde per malam consequentiam educitur τὸ negativum: Nullo modo tenemur aliquem in illo casu visitare.

CAP. IX.

REspondeamus nunc ad casus & quęstiones quasdam.

Prima est, *An Cometæ rectè dici possint prænunciare Pestem? Resp.* non definitè, sed indefinitè. Prænuntiant enim aliquod Dei flagellum & judicium: at illud est vel pestis, vel bellum, vel fames, &c. Hoc tamen cavendum ne ante eventum, applicemus prognosticon illud certis hominibus, aut civitatibus. Ex insolito ranarum, murium, & reptilium proventu pestem non aliter præmonstrari, quam certo futura per præsensiones Medicas, rusticas, & nauticas, observat *Valesius sacr. philos. c.* 30. Plura præsagia vide annotata à *Cardano de Variet. rerum lib.* 15. *c.* 7. 8. imprimis à *Marchino probl.* 20. & *Fracostario lib.* 1. *de contagione c.* 13. Quam certa verò aut incerta sint præsagia, diximus *Disp. de Ostentis & Prodigiis*, & in diatribâ de prognosticis Cometarum.

Secunda est, *An malis angelis tanquam instrumentis divinæ ultionis attribui debeat Pestis? Resp. Aff.* ex argumentis thesi 1. adductis. Accedit experientia. Si enim *Paulo Diacono histor. lib.* 3. *c.* 5. 6. fides, peste illâ anno 680. sub Agathone Romam & Ticinum penitus devastante, non pauci Dæmones visi sunt igneos gladios, ac lanceas manibus tenentes, qui quoties alicujus domus ostium ense vel lanceâ percutiebant, tot in eâdem familiâ sequenti

quenti die peſte exſtinguebantur. *Gregor. Nyſſenus* in vitâ Gregor. Thaumaturgi refert: *ſi ſpectrum quoddam ad ejus ædes, quibus pernicies* (ex peſte ſcil.) *imminebat, accederet, certum exitium ſubſequebatur.* Procopius lib. 2. de bello Perſico affirmat peſtem ſævientem anno 544. ſub Juſtiniano, *ortum habuiſſe à phantaſmatis dæmonum, humana ſpecie viſis: quot enim in ipſa inciderant, percuti ſe ab aliquo viro putabant, morbuſque ſubito irruebat.* Gregorius Magnus (quamvis ſæpe in narrationibus nimis credulus) lib. 4. dialog. c. 36. narrat homines, ſuper quorum capita flamma ſagittæ ſpeciem præ ſe ferens conſpecta eſſet, nullam ſentientes ægritudinem, ipsâ ſternutatione proſtratos fuiſſe.

Tertia, An peſtis ſit naturale quid, an ſupernaturale. Reſp. Utrumque.

Quarta, An ergo miraculum? Reſp. Neg.

Quinta, An mitior plaga ſit peſtis, quam fames, aut hoſtium oppreſſio? & cur? Reſp. 1. *Aff. pr.* ex 2 *Samuel.* 24. Et miror negare hoc *Marchinum prolegom. §§§. l. cum Toſtato in* 2 Sam. 24. qui volunt Davidem elegiſſe non minimum, ſed maximum malum, quod illud eſſet ipſi cum ſubditis commune 2. Ratio eſt, quia furor, vaſtitas, diſtractio & perturbatio ſenſuum, & affectuum non ita dominantur in peſte, nec Dei cultuſque divini interni & externi ita nos obliviſci, & in tam varia peccata prolabi faciunt; ſed contra devotio & actus pietatis tum maximè vigent. Hæc ſola ratio, ut alias omittam, magis exoptandam reddit hanc plagam. Videri poſſunt *comment. Martyris in* 2 *Sam.* 24. & *Lavateri in* 1 *Paralip.* 21. & *Parei Exercit. theol. lib.* 2. *Exercit.* 22.

Sexta, An qui ex caritate, aliis inſervientes, peſte obeunt, propriè ſint martyres? Reſp. Movent hanc quæſtionem & pro parte affirmante diſputant *Marchin. part.* 1. *cap.* 7. & *Jeſuita Raynaudus tract. ſatis ſpiſſo.* de *Martyrio per peſtem.* Nos dicimus eſſe merum luſum æquivocationis in voce *Martyrii*; & partem negantem ſequimur cum *Biel concl.* 9. *tract.* de Fugâ peſtis, qui exſtat inter ſermones poſt dominic. 24. Pentecoſtes; & cum *Eſpencæo lib.* 3. *digreſſ. c.* 19. *Gabr. Vaſquez* 3. *part. diſp.* 153. *c.* 3.

Septima, An Medicus poſſit fugere, & an teneatur viſitare peſte infectos, ſi qui operam ipſius deſiderent? Reſp. Movent hanc quæſtionem *Bannes in* 22. *qu.* 33. *art.* 3. *dub.* 4. *Zwarez lib.* 3. *de legibus c.* 30. *n.* 4. *Eſpenceus in* 1. *ad Timotheum digreſſion. lib.* 3. *c.* 19. *Bonacina, Salas, Zanchez, Homobonus, Benzonus, à Marchino citati part.* 1. *c.* 8. Ubi diſtinguit inter Medicum conductum abſolutè, & inter conductum in omnem eventum. Hunc dicit cogi poſſe; illum vero minime, niſi imminente neceſſitate & aucto illi ſtipendio. Dura autem & ſatis imperioſa mihi videtur ratio, quam addit, *quia ad obviandum communi damno poteſt legiſlator legem ferre obligantem aliquos etiam*

cum patenti vitæ periculo. Sed longè duriſſimum, ſi non *atrox*, quod ſubdit: *Pharmacopœos & chirurgos ſi fugam tentent poſt legiſlatoris præceptum, poſſe morte puniri ad aliorum exemplum.* Quidquid ſit, cum Medicorum ſit hoc curare (ut fuſe diſputat *Gul. Marquis probl.* 2.) potius excitandi ſunt alliqui, quorum rationes hoc ferant, qui perſuaſione caritatis adducti exemplo Levini Lemnii *nuſquam non intrepidè ſe conferant, conjecta in Deum fiducia, ſuccurendo plebis & civium ſtudio.* De occult. Nat. Mirac. lib. 4. c. 17.

Octava, An contagium per ſomitem tantum ſit, ac quidam volunt & tam ſcrupulosè vitandum uſque ad nummos ex locis infectis mari aut terrâ müſſos, lapides, metalla, &c. *ita ut nummi aliquâ temporis morulâ ſint maceranda acri aceto, ut habet praxis Panormitana & Florentina apud Marchin. part.* 10. *c.* 11. *p.* 257. Et an ex præſcripto Ficini in Remed. Epidemic. c. 25. *quiſque debeat fugere hominum converſationem, ut ſit ſemper à ſocio remotus in aëre aperto ad minus per ſpatium bicubiti & ab infecto per ſex cubitos: & cavere debeas ne ventus ab eo in te ſpiret, & inter te & ipſum ſint ſol, ignes, odores. Reſp.* 1. tantum non eſſe agnoſcunt egregii quidam Medici. Mercurialis de Peſte c. 12. *ſimplices ſibi videri dicit, qui contagii metu monetas tractare recuſant.* Idem etiam in Gallis & Genevenſibus ſuis perſtringit Joh. Anton. Saracenus cap. 6. p. 26. ubi & hoc addit: *Unde mirari ſubit noſtrorum hominum ſedulam nimis cautionem, qui ſi, quibus in ædibus familiæ plures diverſantur, per cochlides etiam ex ſolido lapide ſcalas vel ægrotus peſte laborans ſit deductus vel exſtinctum peſte cadaver exportatum, per eaſdem egredi regredive periculi plenum exiſtimant*, &c. 2. Et quid ſi per remotam conſequentiam & ſuſpicionem ſcrupuloſi alicubi putent contagii aliquid poſſe adhæreſcere, illis ego ſuggererem illud quod Bernardus ſerm. 31. in Cantic. tam ſcrupuloſis diætæ medicæ & *ciborum obſervatoribus, morum neglectoribus*, ut loquitur, *Puta*, inquit, *te quæſo monachum* (ſubſtituo Chriſtianum) *eſſe non medicum: nec de complexione iudicandum ſed de profeſſione. Parce obſecro primum quidem quieti tuæ: parce deinde labori miniſtrantium: parce gravamini domus: parce conſcientiæ; conſcientiæ dico non tuæ ſed alterius*, &c. Verum illud dictum eſt: τὸ λίαν ἀκριβὲς ψεῦδος. Quod in ſcientiis Theoreticis, in civili hominum praxi, in diætâ medica, & ubique obſervandum; ſolâ excepta lege Dei & rebus conſcientiæ, in quibus obtinet illud Epheſ. 5. 15. ἀκριβῶς περιπατεῖτε, &c. Contagii fuga attemperanda eſt vocationi tuæ & caritati proximi. 3. Alioquin ſi ita omnia tuta times, ſi ſub quovis lapide ſcorpium invenis, ſi ad folii cujuſcunque ſtrepitum exhorreſcis, jam Dux Exercitum, miles ſtationem ſuam, Magiſtratus & judices curiam, parentes familiam, miniſtri Eccleſiam deſerant & eam (quod alicubi fit) vicario aut Anagnoſtę committant. Hoc demum erit ex lege naturalis contagii, ſibi (hoc eſt,

est, pretiosioribus animabus) parcere, & viliores periculo exponere. Breviter erit ex mundo, saltem ex orbe tuo exeundum. Nam aër ibi (ut docent Medici, Saracenus loc. cit.) aut secundum substantiam corruptus est, aut putridus; & is in se continet semina pestiferi contagii. Si quis excipiat, se tam longè scrupulosam hanc fugam non extendere: Regero eadem consequentiâ, & eâdem conscientiâ teneri te (etiam cum interversione vocationis & pietatis tuæ) & hic & illic vitæ tuæ parcere, sanitati consulere; aut utrobique illam moderationem adhibere, quam nos requirimus: ut natura & medicorum methodus non sit norma conscientiæ, specialis vocationis tuæ, pietatis erga parentes, στόργης erga liberos; sed contra. Pariter fere judicandum de duratione contagii in fomite, veste scil. linea, laneâ, sericâ; quam si ęstimemus ex analogiâ veneni, quod 12. imo & 50. annis in humano corpore latere potest (uti *Mercurialis cap.* 14. de *Pestilentiâ* & ex illo *Marchin. probl.* 28. *observat.*) utique non video, quando tandem sine scrupulo vestes ejusmodi contrectari possint. Confer infra problema nostrum 14. Essent ergo omnia illa igni comburenda. Et quis tandem finis scrupulorum, & anxiarum observationum? Rursum ergo inculco vulgatum illud: *Ne quid nimis.*

CAP. X.

NOna, *Contagium per distans an necesse sit ponere? Resp. Sennertus lib.* 4. *c.* 2. *p.* 688. improbat distinctionem ejus à contagio per fomitem: quod vocat mediatum, & subdividi vult in illud quod interveniente solo aëre, & aliud quod per vestes, aliaque corpora propagatur. Hęc in genere quidem dici possunt. Sed cujus avis indicio sciunt, pestem in hâc regione, aut civitate contagio ad distans ex aliâ regione & civitate necessario per aërem eo delatam; & non immediatâ Dei manu aut ministerio angelorum (quæ *Sennertus* aliique Medici non negant, inter quos *Palmarius*, *de morbis contagios. de Peste lib.* 1. *c.* 6. nonnunquam absque causis physicis immitti asserit) huic civitati aut regioni æquè immissam, ac civitati & regioni cui primæ omnium in toto orbe inflicta fuit, quomodo de aliis morbis, siccitatibus, inundationibus, incendiis judicamus. 2. Siquidem tam spiritualis est disseminatio & penetratio contagii ad distans, ut *Sennertus loc. cit.* & *Folinus c.* 8. adeo ut etiam ex communicatione aëris, ventorum, &c. cum remotissimis regionibus peste infectis, & ex aspectu solo ædium aut hominum infectorum (exempla habet *Nicephor. Eccles. Histor. lib.* 17. *c.* 18. & *Guido tr.* 2. *doctr.* 2. *c.* 5. quam *Junctinns lib. de Peste c.* 1. vocat Pestem basilisticam) pestem quis contrahat: dicant ergo mihi an putent tumultuariam

illam

illam fugam per cito, longè, tardè; &c. *Ficini* bicubitalem distantiam & pertinacem, sæpe crudelem, fugam à plateis, domibus & hominibus infectis sufficere? Quo fugiam, ut fugiam aërem, in quo circumfuso pendet tellus? præsertim si tam corruptus sit, ac refert *Cardanus de Variet. lib. 8. c. 45.* supra cit. Aut qui saltem erunt termini fugæ, ut certus sim ad illum aërem meum in quo quiesco, astrale illud contagium spiritali modo non serpere? Philippus Ingrassias de Peste Panormitanâ (apud *Marchinum probl. 29.*) ait distantiam quinquaginta passuum constituere terminum non suspectum. Sed quid tum fiet, ne aër etiam remotissimus ab ægro ad sanum flante vento deferatur? siquidem tunc maximè cavendum esse cum venti ex regione illâ ubi pestis grassatur, ad nos perflant; monet *Fracastorius lib. 1. de contagione c. 13.* & ex Æthiopiâ olim Athenas, ex Babyloniâ in Italiam vento delatam affirmat *Fabius Paulinus comment. in Thucydidem lib. 1.* cum autoribus ibid. citatis. Idem de Peste ex Slavoniâ Venetias delatâ a. 1436. confirmat *Herculanus ad 4. Avicennæ.* Erit ergo à publico omnino abstinendum etiam cum ex civitate infectâ profugimus, nec sufficiet illud: *cito longè tardè:* nam semper metuendum & cavendum, ne pestis ex civitate, quam reliquimus, aut ex remotiori aliquo terræ angulo nos afflet. Immo ne domi quidem occultari suffecerit, siquidem ventus facile aërem aliquem infectum, aut ἀποῤῥοίας & subtilissimos halitus in eam propellere posset; imo ipsa astralia atoma contagii vehicula per se ad intima ædium penetrare. Hæc dico, ne nimis anxiè si non superstitiose cautelis illis ad vitandum quodque vel remotissimum contagium dijudicandis & observandis nos excruciemus, etiam usque ad negligentiam caritatis & officii erga Deum & proximum; atque ita bis, terque miseros nos faciamus ante tempus.

Decima, Cur plerumque ii, qui in corporalibus aut spiritualibus opem suam addicunt ægrotis, magis immunes sint à peste quam quivis alii? Resp. Rationibus aliorum rejectis, probabiles adfert ex causis secundis desumptas *Sennertus cap. 2. p. 686.* Sed certissima est, quæ desumitur à speciali protectione Dei, juxta promissionem *Psal. 91. v. 6. 7.*

Undecima, Qua ratione pestis excitetur à Magis? Resp. Modi operationum diabolicarum varii sunt, & nobis admodum occulti. Sæpe dæmones ipsa corpora immediatè afficiunt: Sæpe, ut & vicarii eorum scil. Magi naturalium causarum applicatione uruntur ad venenum & infectionem producendam. *Cardan. de subtilit. lib. 18. & l. 2. de venenis cap. 17. & de Variet. lib. 15. c. 80.* ubi exempla refert. *Sennertus cap. 4. p. 727. 728. Gul. Marquis probl. 1. p. 4. 5. 6. Aretius problem. de Fascino, Marchinus proleg. §§. b. Tholosanus syntagm. lib. 34. cap. 11. Althusius dicaiolog. lib. 1. c. 102. 17. 18.* Ἀφιλόσοφον mihi videtur,

detur, quod ex *Tholosano* excogitatum, loco cit. probat Marchinus: *Inducere Magos alicubi pestem excitando, vi propriæ imaginativæ materiam sui corporis putridam, per quam infecti oculi radios & spiritus animales ad extra mittentes, aërem propinquum vitiant, quo ab aliis attracto, pestis in humanis corporibus procreatur*, &c.

Duodecima, An quis bona cum conscientia, certo pretio operam suam locare possit hominibus peste infectis? Resp. Aff. contra *Joh. Briaert quodlib.* 3. qui (referente *Raynaudo part.* 3. *cap.* 1. *pag.* 392.) maximæ stultitiæ & gravis peccati damnat eos qui vitam pro pecuniola prodigunt. Nos addimus hanc cautionem; si modo supremus illi finis sit gloria Dei, salus animæ, & bonum proximi. Neque enim justum tam periculosi operis stipendium per se malum est.

Decima tertia, Quid faciendum piis, imprimis Ecclesiarum pastoribus, ubi per rigidas leges, aut tyrannicam consuetudinem, misericordia adversus quàm maximè charos & necessarios uti non licet? Resp. Edocebunt & Magistratum & populum, de necessaria caritate erga afflictos, in tali necessitatis casu. *Deinde*, caritatem suam erga dilectos sibi exhibebunt pro modulo, si non palam, saltem clam. *Denique*, si latere non possunt, & propterea omni publicâ conversatione ac ministerii exercitio ipsis interdicatur, animas suas in patientiâ possidebunt. Interim domesticos imprimis uxorem, parentes, liberos, amicos, non deserent, etiamsi ab omni ministerio ad tempus abstinendum esset. Tum enim peccatum nullum erit in ipsis, sed in illis qui nimio suo metu, ministerium eorum respuunt & impediunt.

Decima quarta, Quid statuendum de origine pestis illius, quam Justinopoli ex contactu funium, quibus ante viginti annos ægri portati, & mortui ad sepulchrum delati erant, ortam ex Trincavellio & Francanzano narrat Sennertus lib. 4. *c.* 2. *p.* 676. *ex quâ per contagium* 10000. *homines mortui sunt? Resp.* Credat Judæus Apella, non ego. Cur non potius ad Deum aut angelum ascendimus; quam ejusmodi excogitatis, sæpe insipidis rationibus, hoc agimus, ut omnia naturæ & causis manifestis tribuantur, atque ita discamus nihil θεῖον, nihil insolens in his judiciis Dei mirari?

Decima quinta, An sanitatis præfecti possint pestilentes, vel de peste suspectos è propria domo & ab urbe invitos extrahere & in nosocomia publica compingere? Resp. Quæstionem hanc movet *Marchinus*, & ad eam respondet affirmativè *part.* 7. *cap.* 1. adducto præter Jus civile & canonicum, exemplo leprosorum *Levit.* 13. & 14. & *Numer.* 5. solos excipit nobiles, & religiosos; de monialibus & sacerdotibus mussitat, & videtur velle distinguere. Nos regulam ejus una cum prosolepticâ exceptione, probare non audemus.

Decima sexta, *An verbi prædicatio, aliique conventus ad exercitia pietatis propter pestem debeant impediri? Resp. Neg.* Eandem sententiam tuetur *Marchinus part. 4. cap. 7.* sed rationibus partim alienis, partim falsis, nullâ οἰκείᾳ, aut apodicticâ.

Decima septima, *An bona mobilia pestilentum, aut saltem suspecta igni sint comburenda à Magistratu, & quidem absque compensatione? Resp. Neg.* contra *Marchin. ibid. c. 3.* Frivolas ejus rationes, quia bona illa inquit, nullius sunt valoris & æstimationis, cum solâ propinquitate mortem adferant, &c. in ipsâ Disputatione diluemus.

Decima octava, *Statutum & quidem sub pœnâ capitali, de non admittendis forensibus & quibuscunque viatoribus, deque prohibendo egressu extra urbem, an sit Christianum? Resp. Neg.* contra eundem *Marchin. qui cap. 5.* celebrat Urbanum VIII. qui hâc panacæâ universam ditionem Romanam, infectis fere omnibus, ab omni peste liberavit. Miraculum sane Pontificiâ infallibili fide, & omnipotentiâ dignissimum.

Decima nona, *An ad arcendam pestem licitum sit uti opera Medici Judæi? Resp. Neg. Marchinus;* sed tamen cum aliqua exceptione. Nos absolutè negamus, ob rationes alibi contra Judaicam Medicinæ praxin inter Christianos, adducendas. Tantum meminerit nunc lector Judæos ob venenum & pestem disseminatam in Gallia anno 1320. totâ Galliâ pulsos. Sunt & alia problemata non inutilia, quæ perstringit *Marchinus*; sed quia propriè ad philosophiam & medicam pathologiam spectant, & quarundam determinatio satis incerta, insuper ab aliis jam in enodatione eorum sudatum est, nolumus iis recoquendis immorari.

Sunt autem præcipua 1. Pestis cur morbus difficile sanabilis? 2. Cur eâ alii lædantur alii minime? 3. An in humanis corporibus pestiferum venenum naturaliter gignatur? 4. Cur moniales, & carceribus inclusi, senes, vetulæ peste minus corripiantur? 5. Cur corpora peste exstincta, præmollia? 6. An & cur à peste illæsus alios lædere possit? 7. An pisces à peste sint immunes? 8. An dentur regiones à peste immunes? 9. Cadavera peste exstincta an à feris carnivoris attingantur? 10. An pestis bis, aut sæpius eundem hominem corripiat? 11. Robustiores cur præ cæteris peste prostrati? 12. Bubones cur sub axillis, aut in sanguine sæpius compareant? 13. Cur maculæ pestiferæ in dorso & pectore, non in facie conspiciantur? 14. Cur illæ post mortem aliquando compareant, antea non visæ? 15. An aër putrescens sit causa pestilentiæ? & quomodo contagium aëri communicetur? 16. An pestis inducatur tetro odore; ad hæc visu, auditu, imaginatione, & metu? 17. Quâ anni parte oriatur, ac desinat? 18. Quamdiu in aliquâ Provinciâ vigere soleat? 19. Quodnam contagium sit magis pernitiosum? 20. Quænam signa pestis pathognomonica?

Con-

Conſectarium. *Si Ægypti & Turcæ prætextu fati & morbi Dei ac fatalis, temere peſtis pericula affectant, remedia omnia contemnunt, ut quidem de illis teſtatur Proſper Alpinus lib. de Medicinâ Ægyptior. c. 15. de his Busbequius in legatione Turcica, utique longe ab eorum opinione diſſident pii & zeloſi plerique religionis noſtræ conſortes in Belgio; quos nolim palam rideri, aut indirectè Turciſmi inſimulari. Peſtifugæ tam trepidi, tam ἀναίδητοι ſi non ſunt, & deſertores ſuorum; me minima tamen ſpecie ſunt Turcæ, nec Deum temerariò tentant. Media non reſpuunt, nec Medicinam contemnunt; ſed naturam gratiæ, medicinam fidei Chriſtianæ, privatam cupiditatem gloriæ Dei, bonum ſuum particulare, bono publico virtutis, non præponunt aut præficiunt, ſed contra. Ita à paſtoribus ſuis (quos per ipſorum latus etiam tangit calumnia) ſunt edocti. Si nonnulli zelo & ſtudio benefaciendi proximo, aliquando videntur imprudentius quid agere, non eſt illud tam acerbè exagitandum, nedum prætextus turpi timori & fugæ hinc quærendus. Minus malum eſt in exceſſu hic peccare, quam in defectu, Confer quæ ſupra diximus, imprimis* Lavaterum in tract. de Peſte, & commentar. in 1 Paralip. 21. *cujus ſententiam ibi per omnia approbo, cum quâ etiam imprimis conveniunt ſcriptores Helvetii, Germani, Belgæ: Nec in ſummâ rei diſſentiunt Galli, alique. Quamvis aliqui inter eos ad leges & conſuetudinem ſuæ patriæ alicubi nimis videantur decidere.* Concludere non pudebit apophthegmate Solymanni Turcarum Imperatoris: *Peſtilentiam dicebat eſſe ſagittas Dei, quæ à propoſito ſcopo non aberrarent. Si quem hoc teli jactu percutere vellèt, nihil fugam, nihil latebras profuturas.* Et determinatione iſtâ Thalmudicorum in *Sanhedrim* fol. 29. *Quod licet ſeptem annis graſſetur peſtis, nemo tamen moriatur niſi annis ſuis completis.* Et *Chagigagh* fol. 4. *Nunquid abit aliquis tempore non ſuo?* Quæ ſi ſanè & Chriſtianè accipiantur, uti fatalem terminum accipiendum docuimus in diſſert. de Termino vitæ, utique non magis, nos tangit à nonnullis peſtifugis hac in quæſtione impacta Turciſmi calumnia, quam turpes tabellæ & diffamatoriæ Neo-Pelagianizantium ſcedulæ, quæ nihil niſi Turciſmos, Manichaiſmos, Atheiſmos, &c. in Orthodoxam Eccleſiarum noſtrarum doctrinam detonant.

Vince metum mortis & vicerit metum Peſtis.

Addenda ad diatribam de Peſte.

CAP. I. Ubi notantur occulta miracula Peſtis num. 3. *In contagio.*

Adde, quod cum ſæviſſimè Heidelbergæ & in Palatinatu graſſaretur, & paucis menſibus 50. eccleſiarum paſtores abſumti eſſent, Urbs Heidelbergenſis civibus ſpoliata, Academia ſtudioſis partim ſublatis partim diſſipatis: ne unus quidem in collegio ſapientiæ (quod tantum numerum

complectitur) non tantum sublatus non fuerit, sed nec periclitatus, Teste *Pareo lib. 2. exercit. 50. Exerc.*

CAP. IV. Ubi inter peste exstinctos nomino *Oecolampadium*, *Fr. Junium*. *Adde*, *Wolfgh. Fabritium Capitonem*, *Martinum Borrhaum*, (ex *Melch. Adamo in vitis theologor. Germanorum*) *Jac. Kimedoncium* theologum Heidelbergensem 1596. 26. Novembr (ex *lib. 2. Exercit. Parei Exerc. 7.*) *Theodorum Bibliandrum*, & celeberrimum *Conr. Gesnerum* (ex Vitâ Gesneri per *Josiam Simlerum* anno 1566. in 4. ubi pag. 18. de Bibliandro); *Thomam Erpenium* (ex *orat. funebri Gerardi Joh. Vossii*); *Theod. Bezam*, peste correptum, non tamen exstinctum. De Oecolampadio habes in vitis *Melch. Adami*, & in Polani oratione de vitâ & obitu Oecolampadii anno 1593. habitâ, & cum commentariis in Malachiam anno 1597. editâ in 8. De Fr. Junio refert *Fr. Gomarus* in oratione funebri, ex quâ brevis narratio de morbo & obitu excerpta præmittitur Operibus Junii anno 1613. Genevæ editis in fol. Si quis vitas illas perlegat (quod sine fructu non faciet), videbit quomodo pii & præstantes viri, praxi suâ sententiam nostram de fugâ pestis confirmârint; meque & collegas ac successores in ministerio ecclesiastico Heusdano ab anno 1625. & deinceps, sæviente illic aliquoties peste exemplo suo docuerint, ovibus & civibus suis laborantibus quævis auxilia ac solatia in vitâ & in morte pro viribus præstare; non obstante, quod collega meus, per Dei gratiam etiamnum superstes anno 1626. θείῳ illo morbo afflictus esset, mensibus aliquot ante exstinctis liberis; & uxor mea eodem anno gravissimè excruciata per eundem ignem transiisset; paulo ante uno ex liberis meis sublato.

CAP. V. Fere sub finem, ubi de Maria, quę Papistis inter pestis patronos numeratur:

Adde, ex *Ferreolo Locrio lib. 2. cap. 11. & 13.* Mariæ Augustæ (referente *Nic. Vignier part. 2. Theatri Antichristi pag. 101.*) Quod Antwerpienses anno 1603. peste afflicti ilico votum fecerint Mariæ Zichemiensi seu Aspricollensi, (cujus miracula & cultum à *J. Lipsio* grandisonis modis pompata, ut phrasi utar *Sedulianâ*, doctè excussit *Georgius Thomsonus*) eique duo argentea candelabra dono miserit, cum hâc inscriptione:

Suscipe sancta parens, ex voto Antwerpia munus
Quod dat, neu pestis crescat acerba lues.

Et Bruxellenses eodem anno ob similem causam dono miserint coronam argenteam, hac cum inscriptione: *Reginæ cœlorum SS. Dei matri B. Virgini Mariæ Bruxella morbo afflicta supplex obtulit. Ann. 1603.*

CAP. VI. Sub finem, ubi cito *Ursini Exercit.*

Adde, *Parei Exercitationum lib. 2. Exercit. 49. Alstedium in Casibus consc.*

cap.

cap. 43. Imprimis *Zegedinum in locis commun. de morte tab.* 2. ubi rigidè contra fugam disputat.

CAP. VII. Ubi cito autores Pontificios, qui animarum curatoribus fugam prohibent:

Adde, iis *Becanum part.* 2. *Theol. Scholast. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *qu.* 4.

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

PRIMA,

Quæ est

DE CHOREIS.

Resp. JOHANNE LE FEBER Mediob.-Zeland. 30. *Septemb.* 1643.

Excelsa Papatus seu idololatriæ allusione ad phrasin & idololatriam Israelitarum. nobis dicuntur reliquiæ sive instrumentorum & utensilium, sive observationum & rituum, quæ idololatræ antehac usurpare solent: de quibus egimus in 3. part. select. disp. tit. de Idololatriâ Indirectâ, *aliisque ibidem citatis. Ad imitationem istorum vocamus* Excelsa Mundi *omnes reliquias aut instrumenta aut allicia, aut occasiones, & irritamenta, aut progymnasmata, aut signa vanitatis mundi, quæ cum reformatione doctrinæ ex ecclesiâ reformatâ ubique accuratè expurgari non potuerunt; aut expurgata subinde & de novo eam sic tentant, & infestant, ut nonnulli ex auditoribus, quin etiam ex membris ad illa tanquam scopulos, adhærescant; & religioni suæ ignominiam, ecclesiæ molestiam, piis dolorem, infirmis scandalum, hostibus ludibrium pro virili obiiciant.*

Opponuntur autem ea variis decalogi præceptis. Ex. gr. Tertio & octavo sortes ludicræ, sortes & lusus illicitè lucratorii, Usuræ promiscuæ, aut non satis limitatæ: de quibus alibi egimus. Sunt & nonnulla contra nonum præceptum, verba scil. otiosa, mendacia officiosa, verba honoris & adulatoria aliique abusus linguæ. Sed his aliisque compluribus nunc missis, statuimus hâc vice ad petitionem studiosorum nostrorum ea solummodo examinare, quæ incurrunt in septimum præceptum.

Sunt autem ea I. Choreæ. II. Comœdiæ. III. Luxus in conviviis & symposiis. IV. Luxus in vestibus & suppellectile. V. Abusus in Ornatu capillorum, faciei, &c.

Quæ omnia ad mundi vanitates, & impuritates, aut cupiditates carnis referuntur, tanquam tales indirectè, interpretativè, occasionaliter. Adde nunc hoc anno 1666. me has me diſpp. *earumque titulum* de Excelſis Mundi, *occaſione mihi objectâ, contra alicujus convitium defendiſſe in præfatione ad* tract. meum de aleâ anno 1660.

§. 1. DE *choreis* acturi expliicabimus 1. diſtinctiones vocum. 2. Statum controverſiæ conſtituemus. 3. Sententiam noſtram argumentis ſuadebimus. 4. Conſectaria educemus. 5. Objectiones & exceptiones breviter diluemus. 6. Problemata quædam ſubjiciemus.

Quod ad primum : vox *ſaltationis* eſt generalis & neutra ; quæ tamen in hoc negotio uſurpari ſolet : quæ derivatur à *ſalire* ; cujus frequentativum *ſalitare* : unde conciſum *ſaltare*. Quod cum Gr. ἅλλεσθαι aliquo modo convenit. Vox *tripudii* magis propriè compoſitum corporis motum, & geſticulationem deſignat. Dicitur autem tripudium, quaſi terripavium, ut vult *Feſtus*, vel quaſi tripedium; à numeroſo ſcil. pedum motu in ternarium recidente. Hebr. vox רקד communiter ſive hominum ſive brutorum, ſive inanimatorum ſubſultationem, aut ſaltationem ſignificat. Chaldæus paraphraſtes 2 *Sam.6. v.* 16. uſurpat pro tripudio humano. Sed מחול chorum notat ludentium, aut ſaltantium, à verbo חלל, quod in Kal. & *pihel* inter alia ſignificat tripudiare *Pſal.* 109. 22. *Jud.*21. 23. Dicitur & Targumiſtis חגא *Judic.*21. 21. ab Hebr. radice חגג. Græcis dicitur χορεία ſaltatio cum cantu, vel ἀπὸ τῦ χορῦ, id eſt, *tripudio* ; vel ut alii volunt, ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id eſt, *lætitiâ*. Ὄρχησις ab ὀρχέομαι *tripudio*, quod ab ὄρχομαι incedo. Quamvis *Scaliger lib.* 1. *poët. cap.* 18. aliunde derivet. „ παρὰ τὸ ὀρμῶ τῇ τὸ ἴχειν, detra„ ctâ aſpiratione ; aut ἀπὸ τῦ ὀρύειν. Synonymum poſterioribus Græc. uſitatum eſt βαλλίζειν, ſic enim *canon.* 52. 53. *Concil. Laodic.* βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι. Derivatur βάλλειν jactare, quia in chorea corpus certo modo jactatur. Hinc deſcendit Italicum *ballare* & *balletto* & Hiſpanicum *baylar*, & Gall. *bal* & *balet*.

Saltatio in genere deſcribitur à Scaligero loc. cit. quod ſit, *motus compoſitus numeroſus geſtu effingens rem, perſonam, quam canit aut tacet.* Sed hæc deſcriptio nimis anguſta videtur: nullam enim aliam ſaltationem comprehendit quam admodum artificialem & figuratam. Sed ſunt & aliæ: uti ex diviſionibus mox pateſcet.

Dividuntur ergo ſaltationes ratione efficientium, ſubjectorum, locorum, finium, modorum, adjunctorum. 1. Ab inventoribus aliæ ſunt *Pyrrichicæ*, aliæ

aliæ *Theleſiæ*, aliæ *Sicinnes*. 11. A ſaltantibus, aliæ ſolitariæ, aliæ ſociæ: quæ rurſum vel virorum vel fœminarum tantum (*Exod.* 15. *Judic.* 21.) vel mixtæ utrorumque; quæ melioris doctrinæ causâ γυναικανδρικαὶ dicatur. 111. Ratione locorum ſeu nationum apud veteres diſtinguebantur in Jonicas, Cretenſes, &c. & hodie in Germanicas, & in Gallicas, aut Anglicas, &c. 1v. A fine, ſeu uſibus, aliæ ſacræ ſeu religioſæ, aliæ profanæ. *Illæ* rurſum vel verè ſacræ & ſpirituales, ut *Exod.* 15. 2 *Sam.* 6.: vel pſeudo-ſacræ, & ſuperſtitioſæ, quales Iſraëlitarum *Exod.* 32. & Baalitarum 1 *Reg.* 18. 26. Et Saliorum, ſacerdotum Martis, & ἐμπορίμαλα illa quæ in Delo obiri ſolent. Et choreæ Angelorum, apud monachos Turcicos: quas refert à *Lapide* in *Prov.* 17. 20. Huc refer omnes ſaltationes theatricas in actionibus fabularum, & publicis ludis ac ſpectaculis exhibitas: quæ partem faciebant cultus Gentilis ſeu idololatrici: uti etiam colligi poteſt ex 1 Cor. 10. 7. *Ne igitur idololatræ eſtote, ſicut quidam eorum, ut ſcriptum eſt, Sedit populus ad edendum & bibendum, & ſurrexit ad ludendum.* Qualis ille luſus fuerit indicatur *Exod.* 32. *v.* 7. cum 19. 20.

Profanæ ſunt trium generum 1. magis ſeriè & gymmaſticæ, ut *pyrrichica*, quę ab armatis exercebatur: cujus peritum fuiſſe Julium Cæſarem Scaligerum, diſces ex ipſius vita. 2. Magis ludicræ, quales *pantomimicæ*. Quo refer omnes alias, quæ animi relaxandi causâ exercentur. 3. Magis indecoræ, laſcivæ, immo & turpes ſeu obſcœnæ, quales κόρδακες & κορδακισμοί. De choreis & motibus ſpurcis in Floralibus *Lactantius lib.* 1. *cap.* 20.: ad quem locum autores citatos vide in ſelectis *commentar. Gallæi*, & in libro *Hoſpiniani de Feſtis Gentilium tit. de Floralibus pag.* 99. *& ſeqq.* Conferri poteſt *Jul. Cæſar Bulengerus lib.* 1. *de theatro cap.* 42. ubi de ſcenæ & orchiſtæ obſcœnitate. v. Ratione modorum, aliæ ſunt ſtatariæ, aliæ motorię. Vel aliæ comicæ, aliæ tragicæ, aliæ ſatyricæ. Et rurſum ratione motuum corporis aliæ cubiſticæ, aliæ ſphæriſticæ, aliæ orcheſticę. v1. Denique ex adjuncto, aliæ ſimplices, aliæ theatricę; Seu privatæ, privato-publicę, publicæ, eęque ſolennes aut minus ſolennes.

Nos omnibus aliis omiſſis, propriè hic diſquirimus de ſaltationibus figuratis & geſticulationibus illis ſociis γυναικανδρικαῖς iiſque potiſſimum publicis aut privato publicis, quæ ſpectatores admittunt; quales hodie in Galliâ, Belgio, &c. ab hominibus de hoc ſæculo affectantur & exercentur. Inter quos aliqui ſunt quaſi ἐχθροδιδάσκαλοι, quaſi alteri Pylades, Bathylli, ſaltatrices Caramalle & Hellas pręmiis & ſtatuis ab inſano populo honoratę. De aliis modo recenſitis conſulendi Scriptores de Comœdiâ & Tragœdiâ, inter alios *Scaliger Poët. loc. cit.*; imprimis & *Jul. Cæſar Bulengerius de Theatro lib.* 1. *c.* 43. ubi de Pylade & Bathyllo; & de puellis ſaltatricibus, quibus ſtatuæ

ſunt

sunt positæ. & *Atheneus lib.* 14. *Plutarch. lib.* 1. σύμπ, *Pollux Onomastici lib.* 4. *c.* 13. & 14. ubi de saltatoribus & saltationis formis. *Aretius probl. part.* 1. *Rhodiginus lib.* 5. *c.* 3. 4. & *Meursius tract. peculiari de Saltationibus. Josephus Scaliger ad Eusebii chronicon pag.* 155. 1. edit. anno 1606. & pag. 169. 2. edit. anno 1658. ubi de Pylade & Bathyllo celebribus apud Romanos pantomimis, & saltationum magistris: quorum ille comicas, iste tragicas exercebat.

§. 2. Quæritur ergo, *an saltationes sint licitæ* Sunt qui affirmant: alii negant alii distinguunt, & hâc ratione affirmantis sententię autores quodammodo fulcire videntur. Inter affirmantes choragum agit *Lucianus in oratione de Saltationibus*, ubi eas defendit. Nec mirum: erat enim omnis religionis & pietatis hostis. De sententiâ & praxi sapientum inter Gentiles, Theologorum scil. & legislatorum seu Politicorum facile judicari potest ex eorum festivis publicisque ludis, & spectaculis.

Eorum sententię accedunt hodierni histriones, pantomimi, & thumelici, omnesque saltationum magistri & discipuli, eorundemque ludorum & ludionum, atque actorum, amatores, fautores, spectatores.

Accedit illis Pontificiorum communis praxis, imprimis Romæ, ubi Cardinales balletas & comœdias domi suę aut exhibent, aut saltem alibi exhibitas spectant, & Cardineâ suâ præsentia cohonestant. Uti ex Mercuriis & novellis Europęis, notissimum est; & aliquid de hâc consuetudine notavi in *Desper. causâ Papatus lib.* 3. *sect.* 2. *c.* 10. ex *epistolis Cardinalis Perroni.* Quod ad doctrinam Casuistarum, ea hac in parte admodum claudicat, & manus hominum carnalium satis confirmat. Usum enim chorearum permittunt ut in se licitum, taxato solummodo abusu, seu τῆ ἀμέλεια. Vide *Sylvestrum*, *Tabiensem*, *Armillam*, *Cajetanum*, in voce *chorea*. Et *Azorium part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 26. Et fatetur *Busæus in panario*, à Doctoribus quibusdam (potuisset dicere, plerisque) non improbari. Ipse tamen aliter sentit, & forte pauci alii, quos infra citabimus. Ex nostris *Lavaterus homil.* 107. *in Judic. c.* 21. *v.* 21. exprobrat Pontificiis, quod *sacerdotes, qui petulantiam illam reprimere debebant, choreas defendant.* Quin & *Cajetanus* & post eum *Azorius* rationibus quibusdam (quas infra attingemus) probant, rusticis in diebus festis choreas concedendas; & quidem eas (uti addit ex *Sylvestro Azorius*) in quibus fęminę prodirent nudis pectoribus, eleganter ornatæ.

His autem modis dicunt eas vitiari. *Primo*, si fiant in locis sacris. *Secundo*, si fiant tempore celebrationis missę, & officiâ divina impediant. *Tertio* si exerceantur à Clericis, quibus communi jure canonico prohibentur; Et renovatum est in *Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *sub finem.* *Quarto*, si fiant

modo

modo impudico & lascivo. *Quinto*, si fiant pravâ intentione & animo libidinoso. Adde & alios scriptores Pontificios, qui choreas permittunt; quos adduco *part. 1. Polit. Eccles. lib. 2. tr. 1. sect. 2. cap. 6.*

Ex Lutheranis Theologis *Meisnerus in philosoph. sobriâ*, choreas certis sub conditionibus admittere videretur: sed forte respicit tales choreas in Germaniâ, tamque anxiè limitatas, de quibus reformati Theologi (à quibus studiose videtur velle dissentire) non cogitârunt, & quas non noverunt. Interim saltatores ist iusmodi disputationibus se juvari putant: & apologiam illam sibi applicant.

Ex Reformatis Nobilis *Philippus Marnixius Sanct. Aldegondii Dominus*, easdem non improbat: ut videre est in *epistolis Illustr. Belgarum centur. 2. epist. 51.* quæ inscripta est *Casp. Heidano. Alstedius in Theologiâ Casuum cap. 19. p. 358.* Quamvis paulo ante ostenderit se inclinare in partem negantem, hæc subjicit: *Si choreæ istæ certis legibus regantur à Magistratu, possunt populo concedi. Sed quia fermè sunt folles libidinis, & impuritatis, rectius fecerint Magistratus & subditi, si à periculoso isto recreationis genere abstineant, & aliud in ejus locum prudenter substituant.* Videtur ergo quasi coactus à consuetudine ejus loci, ubi tunc vivebat, hanc concessionem inseruisse: Casuistis Pontificiis in his aliisque casibus compluribus methodus talis usitata est, ut suos doceant, *quam probe ad peccatum sine peccato* accedere possint: quod *Thomam Morum* de scholasticis pronuntiasse ferunt. Hæc methodus si admittatur, quæ consequentiarum leges non exspectanda; ut tandem jus divinum instar nasi cerei ad hominum voluntatem & currentem consuetudinem inflectatur. Decreta seu mandata illa alicubi posteriboribus annis in dedecus reformatæ religionis evulgata, eorundemque publicam in ecclesiis promulgationem verbi ministris impositam, animus meminisse horret. Illis enim inter alias profanationes sabbathi, certum quoddam saltationum genus subditis ruricolis concedendum sancitur. Cujus etiam meminimus, in *3. part. select. disp. tit. de Sabbatho & festis.* Longè aliter in Jure Civili Romano L. *dies festis* C. *de Feriis:* ubi omnes *voluptates* generaliter, & in specie *spectacula, scena theatralis, Circense certamen* diebus dominicis prohibentur. Notum est illud *Augustini* aliquoties à nostris citatum (inter alios à *Lavatero loc. cit.*): *Melius est arare, quam saltare in sabbatho.* Judæorum istius temporis, & hodiernorum illa est profana sabbathizatio, non Christianorum; nedum reformatorum. Vide *Buxtorfii synag. Judaic. cap. 28.* de nuptiis. *Melanthon in consiliis part. 1. pag. 187.* inter leges Academiæ Wittebergenses tit. *de Moribus*, lege 7. hæc „habet: Cum postea juventuti concedantur convivia (nuptialia scil.) & „choreæ, mandamus, ut cogitent hęc ipsa convivia & has choreas ho-

„ neſtæ diſciplinæ causâ concedi, ut reverentiam & modeſtiam in colloquiis „ & in omni geſtu juniores diſcant. Quare ſeverè puniemus inſulsè tu„ multuantes in talibus congreſſibus, ac præcipuè eos, qui in choreis im„ modeſti ſunt, & qui puellas in gyrum ducunt extra communem harmo„ niam modeſtæ ſaltationis. Ubi videtur referre potius conſuetudinem, ejuſque tolerantiam ſeu permiſſionem politicam, quam in caſu conſcientiæ approbare. Deinde, loquitur de longè alio genere chorearum, quam quod reformati oppugnant. Nos ergo communem ſententiam & praxin reformatarum eccleſiarum ſecuti, negamus choreas hodiernas apud Gallos, Belgas, &c. uſitatas, eſſe exercendas. Quam determinationem etiam applicatam volumus choreis ſolitariis, imprimis fæminarum aut fæminæ alicujus, ſed laſcivis & inverecundis, aut coram viris ſpectatoribus: hoc eſt motibus Jonicis, uti eos vocat *Horatius*. Talis erat ſaltatio Herodiadis *Math.* 14. Talis ſaltatricis ἐυπρεπῶς, quam *Fl. Joſephus lib.* 12. *antiquit. cap.* in convivium regis Ægyptii introductam narrat. Talis illius, quam epigramma, cum *Virgilii* carminibus edi ſolitum, deſcribit:

Copa Syriſca caput Grajâ redimita mitellâ
Criſpum ſub crotalo docta movere latus, &c.

Et tales ſaltatricum puellarum, quarum meminit *Bulengerus lib.* 1. *de Theatro cap.* 43. Aliæ autem ſunt quæſtiones, de virorum gymnaſticis & artificioſis ſaltationibus; nec non de ſolitariis quibuſdam ſaltationibus; aut etiam compoſitis ſaltationibus virorum cum viris, fæminarum cum fæminis; aut etiam decorâ ſaltatione mariti cum propriâ uxore privatim abſque ſpectatoribus inſtitutâ. Tales enim hac vice non examinamus, nec de iis inſtituta eſt quæſtio.

§. 3. Argumenta noſtra ſunt 1. Ex *Jeſa.* 3. *v.* 16. *Rom.* 13. *v.* 13. 1 *Petr.* 4. *v.* 1. 2. 3. Ubi conſulendi præſtantiores commentatores; Et philologi, de voce κῶμος: unde facilius conſtabit aut eadem ſpecie facta, aut ſaltem analogicè eadem cum geſticulationibus & moribus noſtrorum ſaltatorum à ſpiritu ſancto ibidem reprehendi.

11. *Arg.* Repugnant otioſi, vani, leves, audaces, impudentes, ſępe laſcivi, impudici motus & geſtus ſaltantium, imprimis coram promiſcuis ſpectatoribus, gravitati, σεμνότητι, ἐυσχημοσύνῃ, modeſtiæ, verecundiæ, & decoro Chriſtianorum. Expendantur loca *Rom.* 13. 13. *Phil.* 4. 8. 1 *Tim.* 2. *v.* 9. *Heb.* 32. 28. Quod argumentum magis ſtringit, ſi ſexui fœmineo applicetur. Et confirmari poſſet idem argumentum à paribus ac ſimilibus. Si enim ſimplicitas, gravitas, decor, modeſtia in omni inceſſu, in veſtitu, in ſermone, in quibuſcunque aliis geſtibus ſervanda; ergo etiam in exercitiis corporis

ris, immo multo magis: præsertim si mixtim conveniant viri & fœminæ.

III. *Arg.* Quia saltationes illæ si non formaliter & directè sunt actiones impudicæ, lascivæ, obscœnæ; saltem ut plurimum sunt fertiles occasiones, & irritamenta carnalis levitatis, vanitatis, superbiæ; libidinum incentiva, conciliationes, fomenta: quibus Effœminantur & emolliuntur animi. Expendantur loca *Prov.* 23. 33. *Ps.* 119. 37. *Jobi* 31. 1. quę applicanda aspectibus, amplexibus, contactibus, oculis, aliisque ritibus, in choreis observari solitis. Adde rixas, zelotypias, &c.

IV. *Arg.* Quia Inventores, Frequentatores, promotores, defensores & adjuncta debebant ad minimum eas reddere suspectas. *Autor* primus est Diabolus; & ex illo *Inventores* sunt Gentiles. *Vide Polydorum lib.* 4. de *Inventoribus cap* 14. *Frequentatores* plerumque sunt idololatræ, Epicurei, lurcones, infames histriones, seu actores scenici, Venerei nepotuli. Defensores, & promotores earum sunt Lucianus, Caligula, Herodes, similesque Epicurei atque athei.

Adjuncta sunt comessationes, ebrietates, spectacula, festa & sacra idololatrica. Ut constat ex *Meursio*, *Bullengero*, aliisque philologis supra citatis. Argumentum ab autore atque inventore desumtum, amplificat & testimoniis patrum confirmat, *Gul. Prynne in Histrio-Mastic*, *Actu* 1.

V. *Arg.* Quia saltationes signa sunt, aut saltem videntur esse animi mollis, inverecundi, vani, lascivi, dissoluti, & saltatores videntur συγκεκλῆσθαι aut colludere cum hominibus impudicis & mundanis, cum infamibus histrionibus, cum Idololatris Ethnicis, cum carnalibus & libidinosis Judæis, cum dissolutis moribus Pontificiorum: talium enim deliciæ sunt choreæ. Jam vero ab omni specie mali abstinendum 1 *Thess.* 5. Et à malo ac malis quam longissimè recedendum, juxta illud *Judæ v.* 23. *Ephes.* 5. *v.* 11.

VI. *Argum.* Quia laqueum tendunt spectatoribus, cum eas vident; & tristitiam aut scandalum præbent piissimis quibusque & præstantissimis Christianis; cum de iis audiunt: uti docet quotidiana experientia.

VII. *Arg.* Quia peccatur in reverentiam quam debemus ecclesiæ Dei, ejusque antecessoribus tam antiquis quam recentioribus: judicia enim & consensus ipsorum in decisione hujus casus contemnuntur; quin & heterodoxiæ, imprudentiæ, stolidæ scrupulositatis, & μωροσοφίας, & superstitiosæ præcisiratis haut obscurè arguuntur.

Ne quis autem de consensu dubitet carptim hic indico.

1. *Concil. Laodicen. can.* 53. & *Concil. Oecumen. Constantinopolit.* quod confirmavit *canones Laodicenses*; *Concil. Elibertini can.* 62. de pantomimis hic etiam applicari posse. Habet hunc canonem *Caranza in summâ Concilio-*

liorum: sed omittit eum Albaspinus in notis ad canones Eliberinos. a. 1622. *Concilium Agathense* anno 430. severè prohibet ministris præsentiam in illis cœtibus, ubi choreæ aguntur.

11. *Ex patribus* Chrysostom. homil. 56. & 48. super Genesin, & homil. 49. in Matthæi c. 14. & homil. 12. in epist. ad Colossi. Augustin. c. epistolam Parmeriani c. 6. & concione in Psal. 32. Basil. homil. c. ebriosos, Ambros. l. 3. de Virgin. Autor quæst. & respons. sub nomine Justini, qu. 107. ait insipientium esse, *instrumentis inanimitatis & crotalis cum saltatione canere.*

111. *Ex mediæ ætatis* scriptoribus, & Conciliis, allegant nonnulli Concil. Altisiodorense & anathema Zachariæ Pontificis. Sed illa ad Clericos & ad Kal. Januar. prohibitionem suam restringere videntur. Ecclesiæ Orientales *Concil. Laodiceni can.* 53. renovant in *Photii Nomocanone tit.* 13. *c.*14. & in *Mathei Monachi quæst.* & causis matrimonialibus, quæ insertæ Juris Orientalis Græcorum tom. 1. lib. 8. pag. 500. ubi conqueritur *præceptum illius canonis modo neglectum jacere.* In *Euchologio* Græcorum, in officio baptismatis pag. 336. refertur post puerum baptizatum & unctum, in circuli modum procedere sacerdotem cum susceptore & puero. Quod *Goar* ibidem in notis pag. 369. exponit de divinâ choreâ signo lætitiæ & exultationis spiritualis. Addit ibid. hunc ritum jam ab antiquo in ecclesiâ orientali receptum: quod nihil frequentius sit apud Chrysostomum, *quam chorearum in signum lætitiæ spiritualis, mentio.*

1v. *Ex Ecclesiis intermediæ ætatis*, Waldenses detestatæ sunt omnes choreas. Vide pathetica earum verba, excerpta apud *Joh. Paulum Perrinum histor. Waldens. part.* 3. *lib.* 2. *c.* 9.

v. Ex synodis, & ecclesiarum sententiis post reformationem: Gallicis, ut constat ex actis synodorum, & imprimis ex libro illo pro praxi & communi sententiâ ecclesiar. Gallicarum contra choreas Latinè & Gallicè edito, & Henrico Regi tunc Navarreno nomine pastorum ecclesiar. Gallicar. dedicato, & anno 1581. Latinè edito, hoc titulo: *De saltationibus & choreis pius & eruditus tractatus: quo quidem illas inter Christianos ferendas non esse demonstratur.* Deinde & Polonicas, quarum decretum exhibetur concordato Sendmorensi, in *Harmoniâ Confessionum.* Tum Belgicas, *Syn. Nation. Dordrac.* 1578. *ad qu.* 43. *Zuyd-Holland. an.* 1622. *Gorinch. art.* 35. *&* 1628. *Delfens. &* 1643. *Briel. art.* 32. & nuperam Geldricam anno 1643. art. 37. Iis consonant Synodi Noort-Hollandicæ, Transisalaniæ, Ultrajectinę: Quæ omnes decernunt censuras ecclesiasticas contra saltatores exercendas; nec juniores ad communionem ecclesiæ & Eucharistiæ admittendos, nisi promiserint à choreis se abstenturos. In canonibus ecclesiar. Hungaricarum, quæ Helveticam confessionem amplexæ sunt editis anno 1642. *class* 4. *can.* 84. ministris, eo-

eorumque familiis, Rectoribus; ſtudioſis choreas abſolutè & ſeverè prohibent. *Immo & diligenter exhortantur ſæculares, ut jam tandem deſinant ſic gentiliter inſanire.* Canones ex veteribus Hungaricis & Transſylvanicis in unum collecti anno 1649. can. 82. mandant miniſtris, ut ubi homines vino incaleſcentes genio indulgere *& choreas ducere occeperint, ipſi ſurgant & bonâ eorum veniâ abeant, ne præſentiâ ſuâ eorum laſciviam probare videantur.* Quibus adde zelum, diſciplinam, promulgationes, & quotidianas conteſtationes ac contentiones Eccleſiarum particularium contra reliquias, aut ſuboleſcentes dæmonii choreutici infeſtationes. Exempla nuper dedere eccleſia Amſtelredamenſis, Harlemenſis, Ultrajectina, aliæque. Decretum & monitorium eccleſiæ Ultrajectinæ & ejuſdem repetita notificatio (ita loquar) in actis exſtat 2. Aprilis anno 1640. & 24. Januar. 1642. &c.

VI. Doctorum noſtrorum conſenſum faciunt citati apud *Marloratum in Marci 6. Lavaterus in Judic. 21. Danæus Ethic. Chriſt. lib. 2. cap. 14.* fere in fine *Tilenus ſyntagm. tom. 1. cap. 47. §. 36. Polanus lib. 8. ſyntagm. c. 25. Perkinſus*, & *Ameſius in Caſibus.* Imprimis illi qui ex profeſſo controverſiam hanc pertractant *brevius* quidem, *Martyr. locor. claſſe 2. cap. 2. p. 339. prolixius* vero *Aretius part. 1. problem. p. 168. edit. in* 8. & Eccleſiæ Gallicæ tractatu peculiari modo cit.; *Taffinus in libro de Emendatione vitæ*; ex quibus argumentorum deductiones, objectionum ſolutiones, & utrorumque amplificationes à ſtudioſis noſtris ſeligi poſſunt.

VII. Ex Pontificiis, Buſæus in Panario in voce *choreæ*, *Catechiſm. hiſt. c. 4. tit. 4. & Joh. Frider. Matheneſius*, peculiari tractatu; & ante illos *Peraldus in ſummâ virtut. & vitiorum tom. 2. cap. 3.* ubi etiam loca fugienda contendit, ubi choreæ ducuntur, quamplurimis allegatis rationibus, *Maldonatus in Matth. 9. v. 15. Ferdinandus Cordua in didaſcal. multiplici cap. 15. Baronius ad ann. 33. §. 2. Angelus de Clavaſio in ſummâ in verbo chorea. A Lapide in Syracidæ 9. v. 4. Martinus Rhoa ordinis Jeſuitici theologus, lib. 3. ſingulariam cap. 16.* hodiernas ſaltationes gynæcandricas, & inter eas dictam *ſarabandam*, admodum denigrat. Idem agit ejuſdem ordinis theologus *Balth. Chavaſſius lib. 3. de verâ perfectâque prudentiâ c. 4.* Idem ante ipſos *Alphonſus ordinis Eremit. Auguſtini theologus in controverſ. theologicis quæſt. 9. §. 7.* Quos omnes legi velim tum à Pontificiis choreārum amatoribus, tum à nonnullis noſtrorum, qui illecti ad choreas Papalium Midianitarum (*Numer. 25.*) putant nimio noſtrorum contra choreas rigore, Pontificios, alioſque in bivio poſitos, à communione cum noſtrâ eccleſiâ abſterreri. Sed velim ipſi cum Pontificiis noſtratibus audiant Philippum Rovenium, qui ſe *Archiepiſcopum Philippenſem & vicarium Apoſto-*

licum (in Belgio fœderato ſcil.) nominabat *lib.* 2. Reipubl. Chriſtianę c. 37. Choreę, inquit, *& ſaltationes quid ſunt, niſi inſani motus & incitamenta libidinis?*

Nec prætereundus Gregorius XIII. qui in excommunicatione Truchſeſii Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis, inter alia crimina eidem objicit; *quod ductâ uxore nuptias celebraſſet & choreas duxiſſet.*

VIII. Ex Jure Civili producitur ab *Aretio L. dies feſtis C. de feriis.* Sed ibi reſtringitur ad diem dominicum.

Melius ergo conferri huc poſſent quævis alia ſtatuta politiarum Chriſtianarum contra choreas: ut Galliæ in comitiis *Aurelian. cit. in lib. Eccleſ. Gallic. de Choreis Henrico Regi Navarræ dedicato.* Quibus addenda dicta, facta, & exempla Regum, Principum, prudentum. Inter quæ Regis Alphonſi, Imperat. Friderici, & Alberti. Nec prætereunda exempla judiciorum Dei in ſaltatores. Vide Aretium, & Taffinum.

Inter ſcriptores Politicos, Jureconſultos, Philologos, hic indico *Henricum Cornmannum de virginitate, & ſtatu ac jure virginum c. 16. Gabr. Putherbejum in Theotimo*, ſive de tollendis, &c. libris malis &c. *pag.* 45. 49. *Henr. Cornel. Agrippam de vanitate ſcientiarum cap.* 18. *Fr. Petrarcham. lib.* 1. *de remedio utriuſque fortunæ dial.* 24. *Ludov. Vivem de Chriſtianâ fœminâ p.* 291. *Georgium Vivienum de officio probæ matris familias lib.* 1. *cap.* 23. *Conr. Rittershuſium lib.* 4. *ſacr. lectionum. cap.* 12. *Thomam Garzoni in Piazza diſcurſ.* 45.

IX. Ad cumulum accedant Ethnicorum conſilia, dicta, facta, quorum partem exhibent *Martyr*, *Aretius*, *Taffinus*, *Gul. Prynne*, & ex Pontificiis *Matheneſius tract. cit.* Memorabile eſt exemplum Domitiani apud *Suetonium c.* 8. *Licentiam*, inquit, *theatralem promiſcuè in equite ſpectandi inhibuit*, &c. *Quæſtorem virum, quod geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, movit Senatu.*

X. Neque deſit, addamus in gratiam Socinizantium, Neutralium, Libertinorum, *Crellium in Ethicâ Chriſt. Concionem ad Matth.* 14. olim à Remonſtrantico concionatore Ultrajecti habitam c. choreas, & a. 1643. editam.

§. 4. Theſi principali confirmatâ, hæc deducimus poriſmata.

Conſectar. 1. *Ballettas*, quas vocant, κατ' ἐξοχὴν & cum gradu excellentię eſſe noxias, & Chriſtiano homini indignas: quia compoſitum quid ſunt ex choreâ & comœdia ſeu luſu ſcenico; nam ſaltando aut inter ſaltandum mimetice exhibent & ad vivum τὸ ὑποκριτικὸν τῆς μιμητικότητος repræſentant geſtibus quaſi loquentibus, nonnunquam & ſermonibus. Ita ut ballettarii iidem ſint cum antiquorum pantomimis, aut iis maximè affines.

Conſectar. 11. *Larvatas choreas*, multò magis eſſe illicitas: quia malum ad-

additur malo. Inventæ enim videntur, ut verecundia & pudor tanto magis deponantur, utque aditus fieret ad artes illas, quibus circumvenitur pudicitia fæminarum. Notum est exemplum Clodii muliebri veste induti, & sacris fæminarum se immiscentis. Examinetur lex illa *Deuter.* 22. *v.* 5. De cujus expositione agit *Gul. Prynne Actu* 4. *scenâ* 5. Quod si dicat viros virili schemate, muliebres muliebri posse saltare, sed schemate insolito, & facie velatâ, ne scil. cognoscantur: Repono hoc esse stratagema Satanæ, ut tanto liberius & tutius quasi litent impudentiæ, vanitati, lasciviæ. Hoc non est ambulare ἐυσχημόνως ὡς ἐν ἡμέρᾳ *Rom.* 13. coll. cum 1 *Thess.* 5. *v.* 5. 7. 8. Huc conferenda argumenta nonnulla contra actiones scenicas. *Concil. Gallicanum Rhemense anno* 1583. (apud *Bochellum lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 152.) prohibet larvas; sed restringit ad festa. Et apud eundem *lib.* 6. *tit.* 19. *c.* 21. larvæ sacerdotibus prohibentur in festis Nicolai, & Innocentium. Ex protestantibus *Balduinus in casibus p.* 863. *Pruckneru in mille quæst. pag.* 94. 95. Ex Pontificiis *Ant. Verdier in variis lectionibus lib.* 2. *cap.* 19. & inter Casuistas Pontificios plerique eadem condemnant; ut & commentatores ad *Deuter.* 22. Occurrit etiam quid contra larvas apud Ivonem Carnutensem in epist. p. 537. edit in 8. cum notis Jureti.

Consectar. III. Choreas diebus dominicis, aut jejuniorum, aut tempore publici privatique luctus esse maximè abominandas. Vide *Jesa.* 24. *Amos* 6.

Consectar. IV. *Noxias* & periculosas magis esse quæ aut publicè, aut privatim nocte agitantur. Per eas enim hominum pudicitiæ & verecundię magis insidiatur Satan. Si enim publicę sunt, & diurnæ, applicanda illis, quæ *Tertullianus*, quin & ipse *Seneca* in genere theatris & spectaculis. Sin vero privatæ & nocturnæ, analogicè applicandum illud 1 *Thessal.* 5. qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Comparanda etiam sacra nocturna Gentilium, pervigilia scil. Veneris, item sacra Cybeles, &c.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent.

Consectar. V. Choreas non tantum à Christianis non agitandas, sed nec spectandas. Confirmantur enim saltatores in operibus illis tenebrarum, & iis superbiunt, cum vident se spectatoribus non destitui. Præterquam quod spectatores exponant seipsos periculo seductionis, & abductionis ad cogitationes & oblectationes carnales; aut saltem alios suo exemplo ad spectacula illa alliciant, atque adeo illi periculo objiciant. Concil. Laodicenum can. 53. *Non oportet Christianos ad nuptias euntes vel ballare vel saltare.* Et *can.* 54. prohibet clericis interesse spectaculis aliquibus vel in nuptiis vel in scenis: & mandat iis surgere de convivio & abire, antequam thymelici ingrediantur.

Conse-

Consectar. VI. Ealdem in ædibus suis non tolerandas à patre-familias; sed pro jure & autoritate arcendas; siquidem convivę extranei, aut aliqui ex domesticis eas instituant.

Consectar. VII. Vocationem Magistrorum artis saltatoriæ esse illegitimam, juxta cum vocatione scenicorum, & pantomimorum: quos propterea antiqua ecclesia ad communionem non admisit. Quarum exemplum hodie ecclesiæ nostræ cum laude imitantur.

Consectar. VIII. Publicas scholas artis saltatoriæ, aut magistros artem illam profitentes à Magistratu Christiano non esse tolerandos: Multo minus ab illis instituendos & introducendos: Minimè omnium eos introducendos, tanquam partem aut appendicem Academię.

IX. Proximè accedere ad inglorios (ne dicam infames) illos Magistros, qui saltationes faciunt opus suum, atque adeo utuntur iis non tantum ὡς ἡδύσμασι (quod tamen non licet,) sed fere ὡς ἐδέσμασι. Qui homines ad lusus, & delitias putant se natos & vocatos: juxta fundamentale hoc Theologiæ Epicureæ axioma.

Ede, bibe, lude; post mortem nulla voluptas.

§. 5. Objectiones & exceptiones nunc breviter perstringimus. Sunt autem istæ quas partim ab autoribus cit. recenseri, partim ab hodiernis saltatoribus agitari meminimus.

I. *Object.* Non damnantur in scripturâ: ergo sunt adiaphoræ. *Resp.* Antecedens negatur: & contrarium constat ex rationibus nostris supra allatis. Quod si velint, non condemnari exsertè & κατὰ τὸ ῥητόν: regerimus, idem excipi posse de millenis aliis conscientiæ casibus circa facta quotidie & in infinitum emergentia; immo & de nonnullis dogmatis, qualia pædobaptismus, adoratio spiritus sancti, &c. quæ tamen κατὰ τὸν διανοιαν, & per solidam consequentiam dicuntur ἐνσάρκα, id est, scripturaria. Confer 1. *part. tom. sel. disp. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei* §. 4. 5. 6. Multa specialia peccata quæ ex scripturis redarguimus, ibi exsertè non nominantur; nec etiam hodiernæ species chorearum, Branle, passo meso, Galiarde, bergomasco, sarabanda, &c. Et tamen rectè ex scripturis arguuntur; non minus ac Muhammedi paradisicæ post hanc vitam corporeæ voluptates, ejusdemque alborach, quo vectus erat, cœli incola futurus, & Æones Valentini, & transubstantiatio, missa, purgatorium, limbus. indulgentiæ, festa trium regum, Immaculatæ conceptionis Mariæ, Bacchanalium, fatuorum, &c. triplex corona Papæ, primatus ejusdem, &c. canonici irregulares, archidiaconus Dei & Apostolicæ sedis gratiâ, sacerdos missificus, sacerdos animarum, &c. quæ in scripturis κατὰ τὸ ῥητόν non comparent. *Resp.* 2. Vocabulum κῶμος quod occurrit *Roman.* 13. & 1 *Petr.* 4. exponitur ab *Hesychio* εἶδος

εἶδος ὀρχήσεως πομένος τινός. Etymologicum magnum κωμάζειν, το ποιῶς ὀρχεῖσθαι, ἐξ οὗ καὶ κῶμος εἶδος ὀρχήσεως. *Pollux lib. 4. cap. 14.* τετράκωμον inter species ὀρχήσεως numerat. *Bonaventura Vulcanius in notis ad libellum Aristotelis de mundo sub finem, pag. 270.* observat apud Pindarum κῶμον plerumque accipi pro convivio vespertino cum choreis, ideoque se in Moschi Eydullio ζ κῶμος vertisse *convivia mista choreis.* Quod Vulcanius innuit de Pindaro, id locis exhibitis probat Æmilius Portus in lexico Pindarico. Ubi imprimis notanda Olymp. Ode 4. & 14. Pyth. Ode ubi vetus interpres Latinus vertit, *chorealem hymnum* : vel, ut Portus, *chorealem cœtum, qui choreas exercet, cœtum saltantem* : ut patet ex sequentibus κοῦφα βιβῶντα, id est, *leniter incedentem.* Apud eundem Pindarum κωμάζειν Isthm. Ode 7. κωμάζε σὺν ὑμνῳ, id est, *salta cum hymno.* Et Nem. Ode 2. κωμάζατε, Græca scholia exponunt μετὰ κωμασίας ὑμνήσατε. Significat etiam κῶμος *Deum conviviorum, non modestorum, sed ubi lascivia foret ac protervia conjuncta : qualia plurimum sunt amatorum ac iuvenum,* &c. sunt verba Gerh. Joh. Vossii; quem vide de hoc Græcorum Deo lib. 2. de idololatriâ, cap. 8. Lasciviam autem illam constitisse in choreis, discimus ex Moscho, Pindaro, & grammaticis modo cit. Aretius theologus Bernensis in autorum Græcorum, pręsertim Pindari (in quem exstat ejusdem commentarius) lectione haut vulgariter versatus locum 1 *Petr.* 4. *v.* 3. „ sic exponit: κῶμος petulantia ebriorum, prioris vitii „ (οἰνοφλυγίας scil.) hic fructus est: nam à vino surgunt ad saltationem, discur„ sum per compita, ad obscœnas cantiones, quales ebria turba in comœdiis „ facere solet. *Victorinus Strigelius in hypommematis ad libros* N.T. ad *Rom.* 13. „ Κῶμος significat convivium sodalium ad voluptates & ludos institutum. *Grotius in notis ad Rom.* 13. exponit de nocturnis amationibus, & confert Theocriti Idyll. 3. Κωμάσδω & *Sapient.* 14. *v.* 23. 2 *Machab.* 6. *v.* 4. De acceptione τοῦ κωμάζειν in Theocriti Idyllio, concedi posset: cujus tamen duplicem aut triplicem significationem loco Theocriti cit. aptari posse ostendit *Æmil. Portus in lexico Dorico.* Sed an ex aliquâ acceptione verbi κωμάζειν, ilico nominis verbalis κῶμος eadem significatio concludi debeat, hactenus certò statuere nequeo. Posset enim hic evenire, quod in aliis conjugatis, e. gr. *vinum*, & *vinosus.* Scholiastes Græcus τὸ κωμάζειν ibidem exponit de nocturnâ pastoris profectione ad amicam (citato ad id versu *Aristophanis in Pluto*), tentaturi eam δι' ᾠδῶν καὶ λόγων τῶν ἐπὶ τοῦτο συντεινόντων. Quidquid sit de explicatione Theocriti, saltem loco 1 *Petr.* 4. optimè aptatur acceptio à nobis proposita: quia distinguitur κῶμος, ab ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις, οἰνοφλυγίαις, πότοις. *Corn. à Lapide in Rom.* 13. ex *Stuckii lib.* 1. *convival. c.* 10. Græcorum κῶμοι temulentiæ & lasciviæ Deum, à Camos 1 *Reg.* 11. *v.* 7. deductum putat. Et explicato verbo κωμάζω, subjicit, hinc κῶμοι *quoque vocantur saltationes.*

II. *Object.* Choreæ in se & suâ naturâ non sunt vitiosæ: consequenter effecta illa noxia incendium scil. libidinis; promotio superbiæ, vanitatis, lascivię, &c. sunt per accidens: Valeat ergo hic regula: *Tollatur abusus, & maneat rerum substantia. Resp.* 1. Negandum non est, quin vitiosi sint leves & lascivi corporis motus, procaces blanditiæ, indecoræ gesticulationes, coram spectatoribus. *Resp.* 2. cum *Martyre*, res non esse semper in moralibus & casibus conscientiæ ex naturâ suâ æstimandas; sed ex ingenio & abusu nostræ carnis. Detur in ideâ, & abstractè fingi posse aut concipi choream, quę à malo omni sejuncta sit: non tamen subjectivè, & in existentiâ (ut nunc est corruptio humana) talis ita datur aut existit: præsertim juvenum & puellarum. Non tam videndum est quid possit fieri, aut forte aliquando fiat; quam quid ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ fieri consueverit. In moralibus non est eundum usque ad lineam seu punctum, quo discriminatur bonum à malo: sed potius ab hâc parte lineæ paululum subsistendum est. Etiam occasiones & species mali vitandæ. Conferri possunt, quæ habentur *in* 3. *part. sel. disp. tit. de theologiâ practicâ. Resp.* 3. Regula illa de abusu tollendo, & ipsâ re relinquenda, valet in rebus necessariis, aut per se admodum utilibus. Sed tales non sunt choreæ.

III. *Object.* Relinquendæ ergo saltem hominibus temperatis, in virtute confirmatis; qui leves animorum motus tam facile non admittunt, & rebus externis moderatè uti nôrunt. *Resp.* 1. Qui, quales, & ubi illi sint inter omnes alios, nolo hic inquirere. Dicit Apostolus quemque habere suum donum 1 *Cor.* 7. *v.* 7. idemque monet, ut qui videtur sibi stare, videat ne cadat 1 *Cor.* 10. *v.* 12. Si quis hodie tantus Cato est, posset cum tempore emolliri. *Resp.* 2. Dato aliquos, sed pauciores, tales esse: certum tamen est, plures non esse tales. Illorum ergo conscientiis & saluti consulendum est: ne firmiorum exemplo infirmiores in diaboli tentationes & laqueos incidant. Vide quid de usu idolothytorum moneat Apostolus 1 *Cor.* 8. *v.* 2. 7. 10. 13.

IV. *Object.* Consuetudo prætexitur, non tantum ab imperitis & carnalibus hominibus; sed etiam à Theologis in Papatu. Sic enim *Sylvester in summâ*, & post eum *Azorius tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 26. „Sed quæritur, an in istis „choreis prohiberi debeat, modus quo fæminæ prodeunt nudis pectoribus, „& eleganter ornatæ, qui quidem mos & consuetudo, nonnullis in provin„ciis Christianorum inolevit? Respondeo in his tollendum esse abusum, „& non facile consuetudinem (N. B.) condemnandam: nam pro more „patriæ & provinciæ, quod alicubi lascivè & impudicè fieri judicetur, alibi „non fit lascivè, sed licitè & honestè, ut ait *Sylvester*. Pro rusticorum choreis non prohibendis sic inter alia argumentatur Cajetanus: *Sunt signa publicæ*

blicæ lætitiæ, & consueta fieri; ergo imprudenter prohibentur. Et pro more fiunt. Resp. His lenociniis malorum Casuistarum, oppono, Christum non dixisse se esse consuetudinem, sed veritatem. Illum ergo audiamus, illum imitemur; non consuetudinem. 1 *Petr.* 1. 18. & 4. *v.* 2. 3. De nudis fæminarum pectoribus, infra, *disp.* 4. *de excelsis mundi denuo aliquid dicetur.*

V. *Object.* Si rustici à choreis, & quidem diebus festis haberi solitis, arceantur, otio vacabunt, & alia pejora facient: inquit *Cajetanus* ibid. Et sic vulgo dicere solent idiotici saltationum patroni: præstat in conviviis saltare, quam inebriari? *Resp.* Neutrum faciendum est: Malum enim nullo modo est eligibile, ut melius & theologicè *Cajetanus in comment. ad Rom.* 3. Honestis, piisque occupationibus, & exercitiis pietatis tum publicis tum privatis illi tempori convenientibus, homines à peccatis averti debent.

VI. *Object.* Non sunt ex se mortalia peccata. *Cajetanus ibid.* quem & alii sequuntur. *Resp.* 1. de malâ distinctione peccati in mortale & veniale, à scholâ pietatis removendâ, alibi disceptatur. *Resp.* 2. Datâ, non concessâ hâc distinctione, malè tamen huc intruditur. Non enim quæritur de gravitate peccati: sed an peccatum sit. Quod si levissimum peccatum esset, non deberet tamen à Theologis probari aut defendi. *Resp.* 3. Opponenda est sententia aliorum Scholasticorum, qui ad *Magistrum lib.* 3. *dist.* 37. negant choreas diebus festis esse licitas.

VII. *Object.* Cum publicè coram omnibus fiunt, magna ex parte tollitur occasio libidinis. *Cajetanus Ibid. Resp.* Contrarium verum est. Ibi quidem accendi; & alibi aut uri, aut expleri, aut saltem ad expletionem ejus contendi potest.

Longè aliter de exercitiis & spectaculis chorearum publicarum in theatro, judicabat *Chrysostomus in homil. periculosum esse adire spectacula*, quæ extat tom. 1. pag. 622. „Et quid hic inquiunt, adeò magni sceleris com„missum est, ut ab istis sacris cancellis arcendi sint: Imò quod delictum „his gravius quæris? quum seipsos planè adulterio contaminarint, impu„denter ac rabientium more canum, ad sacram hanc mensam irruunt? Quod „si avetis adulterii modum cognoscere, non mea verba vobis referam, sed „illius qui de tota hominis vita judicaturus est: Qui viderit, inquit, mu„lierem ad concupiscendam illam, jam mœchatus est eam in corde suo. „Quòd si mulier spontè ac fortè in foro obvia, & neglectius culta sæpenu„mero curiosius intuentem cepit ipso vultus aspectu: isti qui non simplici„ter neque fortuitò, sed studio & tanto studio, ut ecclesiam quoque con„temnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem in fa„cies fœminarum illarum nobilium defixos habent oculos, qua fronte po„terint dicere, quòd eas non viderint ad concupiscendum; ubi verba quo-

„que accedunt fracta lascivaqué, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces ve-„hementer ad voluptatem incitantes, ubi stibio picti oculi, ubi coloribus „tinctæ genæ, ubi totius corporis habitus fucorum impostura plenus est, „aliaque insuper multa lenocinia ad fallendos inescandosqué intuentes in-„structa: ubi socordia spectantium multaque confusio, & hinc nascens ad „lasciviam exhortatio, tum ab iis qui spectaculis interfuerunt, tum ab „illis qui quæ viderunt in spectaculis, post aliis enarrant. Accedunt huc „irritamenta per fistulas ac tibias, aliaque hujus generis modulatio, in frau-„dem illiciens mentisque robur emolliens, ac meretricum insidiis delecta-„tione præparans illic desidentium animos, efficiensque ut facilius capian-„tur. Etenim si hic ubi psalmi, ubi divinorum verborum enarratio, ubi „Dei metus multaque reverentia, frequenter ceu latro quispiam versutus „clàm obrepit concupiscentia, quomodo qui desident in theatro, qui ni-„hil sani neque audiunt, neque vident, qui undique obsidionem patiuntur „per aures, per oculos, possint illam superare concupiscentiam? Rursum „si non possunt, quomodo poterint unquam ab adulterii crimine absolvi? „Tum qui non liberi sunt ab adulterii crimine, quomodo poterunt absque „pœnitentia ad hæc sacra vestibula accedere, hujusquè præclari conventus „esse participes? Quapropter equidem hortor rogoqué ut prius confessio-„ne ac pœnitentia, aliisque remediis omnibus sese à peccato ex theatricis „spectaculis contracto, perpurgent, atque ita divinos audiant sermones. „Conferantur ejusdem *homiliæ* 48. *& 56. in Genesin* & in *Math.* 14.

„ VIII. *Object.* Hinc patere solet aditus ad matrimonia contrahenda: „nam conciliari solet benevolentia inter aliquos juvenes & puellas, ex „quâ deinde inter eos contrahitur conjugium. Ita *Cajetanus* & *Azorius* pro rusticorum choreis: quasi lenones agerent, aut nuptiarum conciliatores, non Theologos practicos. *Resp.* De nuptiis innuptis, clandestinis, ἀπάτῃσις, malè conciliatis concedo: de nuptiis in domino (1 *Cor.* 7.) Nego.

IX. *Object.* Sæpe tempus fallitur lusibus & exercitiis, quæ junioribus non multò tutiora sunt, nec conviviis & sodalitatibus Christianorum magis conveniunt, quam choreæ. *Resp.* Et ab illis abstineatur; nec malum malo cumuletur, aut excusetur.

X. *Object.* Tetrica est theologia, immo μισανθρωπία: quæ honesta vitæ nostra condimenta nobis invidet. *Resp.* Theologia nostra dum choreas impugnat, honestas animi corporisque relaxationes haut gravatè concedit.

XI. *Object.* Contestatio contra choreas Pharisaica est præcisitas, aut vana quædam μωροσοφία. *Resp.* 1. Artes saltatorias ad τὴν ἀναγκαίαν σοφίαν (de quâ *Jacob.* 3.) nemo sapientum hactenus reduxit: ne quidem sapientes Ethnicorum ad prudentiam civilem. *Resp.* 2. Quid sit de præcisitate, docet 3. *part. sel. disp. tit. de Præcisitate.*

XII.

XII. *Object.* Conducunt choreæ ad corporis robur atque agilitatem; ad ejusdem erectum & generosum situm, omniumque partium debitam compositionem; ad morum civilitatem; ad corporis sanitatem: & earundem prohibitio repugnat libertati Christianę. *Resp.* 1. De sanitate corporis ex vehementi illo exercitio statim à sumto cibo comparandâ, longè aliter censet διαίτητικὴ Medicorum, Et libelli de sanitate tuendâ; qui validos corporum motus statim à sumpto cibo prohibent, ne concoctio impediatur: & suadent potius, quæ versiculo hoc continentur:

Post pastum stabis, vel passus mille meabis.

Jam vero choreas plerumque post sumptum cibum & potum exerceri, quotidiana experientia testatur; & vulgare diverbium (apud *Taffinum lib. 2. de emendatione vitæ cap. 18.*) *apres la panse vient la danse.* Conferri potest exemplum Israelitarum 1 *Cor.* 10. *v.* 7. cum *Exod.* 22 *Resp.* 2. de erecto & decoro corporis situ in conversatione cum hominibus servando, & in aut ex choreis comparando, ibique specimina ejus edendo, multa dici possent. *Julius Cæsar Scaliger lib.* 3. Epidorpidum, generosum, erectum, gratum, decorum, elegantem corporis omniumq; ejus partium compositionem ac motionem sic describit:

Vidisse me nihil puto orbe in universo,
Quod stultitiâ vincat ineptias choreæ.
Certus gradus hic ad Corybantes, & Sabazum.
Queis nil hominum fœdius alma vita constat.
Gadibus nisi saltatio ducta te decoret.

Et lib. 4. Epidorp.

Si decet virum chorea, sic nere decebit.
Sardamapale colum cape: cape tela Camilla.
Sitque hic mulier tibi, tu vir, clara virago.

Et lib. 8. Epidorp.

Mistas choreas saltibus, in jeque volutas
Spectes aërii procul è vertice montis,
Quo nulla soni veniat tibicinis aura,
Nonne hæc videtur lymphatica turba?

Taffinus lib. 2. c. 8. §. 2. *Si quis consideret saltus gambades* (retinebo terminos artis), *tourdims, virevoltes, desmarches: se reculer, puis s'advancer, se guinder en l'air, faire la roüe, batre la terre des pieds*, &c. *an non repræsentant illa potius hominem mente motum & lymphaticum, quam sanum & sedatum?* Crurum in altum jactationes & levitates, quæ ibi videntur, magis conveniunt capris saltantibus (unde & *caprioles* dicuntur); *aut etiam simiis*, &c. Rex Alphonsus (apud Panormit. de dictis & factis Alphonsi), ajebat, *hoc tantum differre ab insano saltatorem, quod ille dum vi-*

vit, hic dum saltat, insaniit; Idemque visâ muliere saltante, *Exspectate*, inquiebat, *mox edet Sibylla oraculum*: Sibylla enim vates, non nisi furore correpta edebat oraculum. Hæc ex autoribus illis hic enotare visum, ne dicant concionatores & theologos nostrates non spectasse, multo minus exercuisse hodiernas choreas: quas si spectarent, non essent condemnaturi; quod tam honestè, decorè, & modestè omnia illic peragàntur. Atqui viderant eas proculdubio antiqui patres, supra cit. *Julius Cæs. Scaliger*, *Petrarcha*, Rex Alphonsus aliique Pontificii supra cit. qui eas tantopere improbant. Ex nostris ipsi viderant, aut ex spectatoribus satis didicerant, quæ & quales essent hodiernæ choreę; præsertim qui ab aulis magnatum familiis, & splendidis principum festivitatibus semper tam procul non abfuerant, ac multi concionatores, privatim in scholis minoribus & majoribus educati, atque inde ad sacram functionem in vico aut civitate vocati. Instar omnium sit *Martyr.* qui *locor. classe 2. cap. 2. §. 64.* Ubi dicit hodiernas choreas in quibus viri unà cum mulieribus saltant, *ferri non debere;* quod sint *evidentissimæ occasiones* trangressionum divinę legis, *laquei & scandala* non tantum saltatoribus, verum etiam spectatoribus, &c. Et choreæ pleræque etiam apud eos, qui omne exercitium saltationis non improbant, tales judicantur, ut de iis nullo modo dici posset, quod sint modestę, decorę, innoxiæ, civiles, moratæ, Audiatur *Ant. Santorellus Medecinæ in Gymnasio Neapolit. Professor lib. 21. de sanitatis naturâ c. 15. pag. 486. b.* „Hinc quia „res motione manuum, pedumque, & corporis totius gesticulatione ex„pressa, interdum honesta est, plerumque turpis, quemadmodum sunt „illæ species saltationis, quę à mulieribus Hispanis exercentur Ciaccone „, vulgò dicuntur Saravande, à Martiali Gaditanæ, idcircò dividuntur thea„trales hæ saltationes in honestas, & turpes, ita appellantes illas, quę illi„citos actus imitantes, spectatores ad Venerem inconcessam sollicitant, „ ut constat ex iis quę scribit Juven. satyr. 11. ubi hęc habet.

„ *Forsitan exspectas, ut Gaditana canoro*
„ *Incipiat prurire choro, plausuque probatæ.*

De aliis utilitatibus otiosè & nugaciter allegatis nihil aliud dicimus, quam non debere hominis exterioris utilitates nec imaginaria vitæ civilis ornamenta quæri, cum damno hominis interioris, & vitę spiritualis. Hic valet hortatio Servatoris Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei*, &c. *Resp.* 3. De violatâ libertate Christianâ, vetus cantilena est: quandocunque licentia quæritur, & benignum Christi jugum abjicitur. Considerentur cautelę *Galat. 5. 13. & 1 Petr. 2. 16. & 2 Petr. 2. v. 19.*

XIII. *Obiect.* Exempla saltationum ex scripturis, *Exod. 15. 2. Sam. 6.* & approbatio earundem *Eccles. 3. v. 4.* eas probant. *Resp.* Exempla illa nihil faciunt

ad

ad hodiernas saltationes, de quibus controvertitur: ut patet textum modo inspicientibus. *Resp.* 1. ad *Exod.* 15. *Primo* enim vox pluralis מחלת *mecholot*, choros significat; sed inde concludi non debent chori saltantium, aut ipsæ choreę seu tripudia: quia sunt etiam chori ludentium *Jerem.* 31. *v.* 4. Multo minus concludi possunt choreæ artificiosę & numerosæ, seu motus Jonici: minime omnium choreæ virorum cum mulieribus. Textus dicit mulieres seorsim, & viros seorsim signa lætitiæ, triumphi, & gratiarum actionis exhibuisse *v.* 20. coll. cum *v.* 21. Prout 1 *Sam.* 18. & *Psal.* 68. *v.* 26. *Deinde*, quid vetat τὸ *mecholot*, cum Fr. Junio & Tremellio exponere per *fistulas*. Siquidem *machala Ps.* 53. *v.* 1. & 88. *v.* 1. & 149. *v.* 3. significat *tibiam*, aut quodlibet musicum *instrumentum pneumaticum*. Et hic ita accipi non posse, nullę circumstantiæ textus evincunt. Paraphrasis Onkelosi *Exod.* 15. *v.* 20. habet חננין *caingin*, quæ Chaldæis sæpius fistulam aut tibiam notat. In Paraphrasi Jonathanis *Exod.* 32. *v.* 19. *Fistulas in manibus eorum.* Onkelos *Genes.* 31. *v.* 27. Hebræum כנור *kinnor* transfert חנגין *chingin*. *Et non indicasti mihi, ut dimitterem te cum gaudio & canticis, cum tympanis & cytharis. Psalm.* 4. *v.* 1. בננורת *binginot*, Chaldæus exponit per ערל חנניתא *gnal chingita*: ubi musicum instrumentum significat.

Eruditiss. & diligentiss. commentator *Andr. Willetus in hexaplis in Exodum*, *ad cap.* 15. *v.* 20. putat convenire ut hoc loco exponatur per *saltationes* non per *fistulas*, 1. *quia* vox *mecholot* usitatius & in pluribus locis significat saltationes, seu choros saltantium. *Resp.* Sed hoc argumentum in quæstionibus de loci alicujus expositione vix est topicum. 2. *quia* probabile est, mulieres imitatas fuisse Mirjam, quæ tympano tantum usa est, non vero fistulâ. *Resp.* Nulla est consequentia. 3. *quia* Mirjam præcinebat, & mulieres illi respondebant. Sed si fistulis cecinissent, impedivissent cantum. *Resp.* Minime: siquidem ubi prę[illegible]visset & canere desiisset Mirjam, eosdem numeros alterâ manu tympanum pulsando, altera fistulam tenendo, canere potuerunt. Notum est, quomodo hodie à quibusdam tympanulum simul pulsari, & fistula inflari solet. *Præterea* observandum quomodocunque τὸ *mecholot Exod.* 15. accipiatur, fuisse actum hunc religiosum: sed nemo dicit, controversas choreas gunæcandricas, esse tales aut fine operis, aut fine operantis. *Deniq*; omnia pro statu ecclesię infantili & pędagogico tunc circa Dei cultum adhibita, nobis in specie seu in particulari imitanda non esse; multo minus factum Mirjam prophetissæ extraordinario spiritu donatæ: uti hoc inculcat Junius in analysi suâ in *Exod.* 15. & post eum *Willetus loco citat.* *Resp.* 2. ad *Eccles.* 3. non agi de saltationibus numerosis γυναικανδρικῶς, aut de motibus Jonicis virorum cum mulieribus. Et verbum רקד *rakad* significat *subsilire*, *exilire*, præ gaudio scil.: uti ex variis locis, & ex collatione ver-

verborum eodem versu præcedentium colligitur: *tempus plangendi, & tempus exsiliendi*, vel subsiliendi. *Deinde* Salomonem nec probare nec improbare (dato non concesso choreas intelligi) dici potest; sed tantum historicè referre, quid in rebus humanis evenire soleat.

XIV. *Object.* Adversus argumenti amplificationem ex *Math.* 14. & *Marci* 6. quâ nonnumquam denigrantur choreæ, nuper quis excipiebat, Baptistam non per choream sed per invidiam seu odium fuisse interemtum: odium autem seu invidiam tribuunt misanthropis (quos ita vocant) & chorearum adversariis, quasi scil. hominibus invideant suas recreationes. *Resp.* 1. Si Pontificius fuit autor istius exceptionis, uti suspicor eum fuisse; cogitare debebat Reformatos concionatores à patribus seu doctoribus antiquæ ecclesiæ hanc sive rationem sive amplificationem mutuasse. Videantur Chrysostomus homil. 49. in Matheum per totum; & Ambrosius lib. 3. de Virginibus, ubi inter alia: *Quum Johannes prænuntius Christi, saltatricis optione jugulatus, exemplo sit plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris amentiam.* Et paulo post: *Pretium saltationis mors est Prophetæ.* Invidia & odium causa quidem fuit intus impellens Herodiadem ad cædem Baptistæ, sed saltatio fuit medium executionis. Rectè ergo dicitur nullum unquam visum saltationis exitum bonum; sed malos satis multos, inter quos excellit, mors Baptistæ. Videatur & alius saltationis exitus, nobilis & hactenus honestè educatæ ac custoditæ virginis corruptio apud *Fam. Stradam de bello Belgico lib.* 1. quæ per tenebras ex sacrario saltantium dolo subrepta, & minis territa ad corruptorem inducta erat.

§.6. Disputatione hâc absolutâ, addimus aliquot problemata,

I. *Probl. An ballettæ à solis virginibus, aut fæminis institui, atque ita condemnationi patrum, conciliorum, nostrarum ecclesiarum & synodorum subduci possint, quod non sint* γυναικανδρικαί? *Resp. Neg.* 1. *Quia* colludunt in plerisque cum aliis ballettis & choreis: quamvis in uno hoc dissideant; atque ita easdem suo modo confirmarent, aut ad eas manuducerent? & ab illis ad istas facillimus esset prolapsus. 2. *Quia* spectatores sunt non tantum fæminæ, sed & viri ac juvenes; delicatuli scil., mundani, in aulis versantes aut educati; in quorum gratiam puto potissimum institui. Et sic militant contra eas omnes illæ rationes, quas contra spectacula in genere, & contra choreas in specie hactenus antiqui & recentiores Theologi in aciem eduxerunt. Vide *Ambrosium loco cit.*, & librum Ecclesiar. Gallicar. contra choreas cap. 7. cujus lemma: *Scopum saltationum fere unum esse, spectationem.* Imprimis *Chrysostomum*; cujus verba paulo ante §. 5. exhibita. 3. *Quia* fæminæ nihilominus numerosos illos corporis motus, & vanas gesticulationes edunt: atque adeo à plerisque argumentis nostris contra choreas se non liberant.

Quæ

Quæ ratione fæminarum vide exaggerata à *Chryſoſtomo homil. 49. in Matthæum*; & *Ambroſio* loco modo cit., & *Baſilio in homiliâ de Ebrietate. 4. Quia* balletę illę ſunt dramata ſaltatoria, ſeu choreæ dramaticę, hoc eſt, mixtum quid ex ſaltatione & comœdiâ ſeu actione ſcenicâ, atque adeo fæminę in ludiones ſcenicos & pantomimos degenerant. Quod quam decorum ſit mulierum & virginum modeſtię, ἀγνότητι, verecundiæ, judicent prudentiores. Sed accerſantur huc pleraque argumenta, quæ actionibus comœdiarum opponuntur; & tantum effecerunt, ut actores ſcenici & eccleſiaſticè & politicè hactenus habeantur infames. *5. Quia*, balletæ tales videntur nimis συμβολίζειν cum malo illo more inter Gentiles recepto, & inde ad Judæos derivato (Joſephus antiquit. l. 12. c. 4.) quo in theatra & convivia introducebantur puellæ ſaltatrices, & crotaliſtrię. Qui mos etiam hodie obtinere dicitur in celebribus Mauritaniæ urbibus, Felsâ & Maroco. De ſpectaculis & exercitiis illis ſaltantium puellarum ſic *Chryſoſtomus homil. 49. in Matheum tom. 2. pag. 419.* „ Audiatis hæc virgines, imo vero etiam „ nuptæ, quæ in aliorum nuptiis ſaltare ac tripudiare, & communem „ fæminarum ſexum deturbare non veremini. *Ibid. paulo poſt*, pag. 416. „ Ubi enim ſaltus laſcivus, ibi Diabolus certè adeſt. Non enim ad tripudia „ hæc nobis præbuit Deus, ſed ut modeſte incedamus, non ut impudenter „ camelorum modo ſaliamus: nec enim ſolum fœminæ, verum etiam came- „ li turpiter ſaliunt: ſed ut in Angelorum choris conſiſtamus. Quòd ſi cor- „ pus deforme ſit impudenter ſaliendo, quanto magis animam fœdari cre- „ dendum eſt? His tripudiis Diabolus ſaltat, his à dæmonum miniſtris ho- „ mines decipiuntur.

II. *Probl. An choreæ Germanicæ, quas vocant, aut aliæ inartificiales, rotundæ ſcil. & ruſticæ, aut ſimiles à viris & fœminis exercendæ: in quibus graves, & modeſti tantum inceſſus, corporiſque ac pedum motus, abſque gyris, capreolis (ita dictis,) artificialibus & numeroſis motibus, mollibus ac levibus geſticulationibus, fœminarum electionibus, amplexibus, oſculis*, &c. *Reſp.* præſtat abſtinere. Quibuſcunque enim legibus & limitibus à Magiſtratu coerceantur, tandem abuſus accedent, & redibitur ad antiquum. Hic ergo illud obſervandum, quod Reformati noſtri de picturis in Templis, de ritibus circa religionem in ſe & per ſe non ita malis, poſt detectos jam ſcopulos Chriſtiani naufragii monere ſolent. Facile eſt abſtinere à non neceſſariis, à quibus periculum aliquando metuendum eſſet: imprimis cum præſto ſint alia honeſta, minuſque periculoſa gymnaſmata.

Excipiat quis, nullum ergo corporis exercitium, nullum lætitiæ motum ſitu & geſtu corporis expreſſum, ruſticis & plebeis fore licitum. *Reſp.* Non ſequitur. Neque enim *piâ tripuditatione gaudere* (apud Ivonem Carnuten-

sem epist. 113.), aut *gaudium & tripudium exultatio in castris* (quæ legitur apud Robertum monachum lib. 4. histor. Jerosolym.) aut *incredibile totius tripudium,* (quo subscriptus & inthronizatus quis dicitur, apud Urspergensem in chronico), aut *magnum tripudium tam cleri quam populi*, (quo regi Francorum obviam itum, scribit *Sigebertus in chronico*) aut alia jubila & lætitiæ signa, quę in scripturis *Exod.* 15. *Psal.* 68. *v.* 25. 26. 2 *Paral.* 20. *v.* 27. 28. *Ezræ* 3. *v.* 9 - 12. ab antiquâ & hodiernâ ecclesiâ earumque doctoribus fuerunt tam rigidè condemnata: sed choreæ gynęcandricæ illorum & nostrorum temporum.

III. *Probl. An conveniat privatim addiscere artem saltatoriam? Resp. Neg.* Siquidem enim aliquando nolit quis specimina profectus sui datâ occasione edere; cur artem otiosam addiscit?

IV. *Probl. An Magistrorum istius artis vocatio sit legitima & honesta? Resp. Neg.*

V. *Probl. An conveniat Magistratibus Christianis ejusmodi Magistros, & scholas eorum saltatorias aut sustentare; aut saltem tolerare? Resp.* Pr. Neg. absolutè; post Neg. siquidem adsit potestas & potentia prohibendi.

VI. *Probl. An conveniat Christianis spectare choreas? Resp. Neg.*

VII. *Probl. An ecclesiasticâ sive tolerantiâ sive conniventiâ, Magnatibus aut viris primariis quid concedi debeat magis, quam quibusvis aliis ecclesiæ membris? Resp. Neg.*

VIII. *Probl. An ullo modo ecclesiasticè tolerandæ in verbi ministris, eorumque familiis. Resp. Neg Concil. Agathensis* (anno 930.) can. 28. insertus est Juri canonico dist. 34. *c. presbyteri.* Verba sic habent: „Nec his cœtibus „misceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obscœni motus cor„porum choreis & saltationibus efferuntur; nec auditus & obrutus sacris „mysteriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione „polluantur. Et consonant concilia, & Doctores sub Papatu: quæ hic citare, vix operę pretium.

IX. *Probl. Quæritur consilium, quomodo ab ecclesiis nostris arcendæ aut profligandæ sint choreæ? Resp. Media & remedia ecclesiastica* sunt 1. unanimis in concionibus & catechizationibus earundem reprehensio 2. prænonitiones publice ac privatim factæ 3. abstinentiæ ab usu cœnæ. 4. disciplinæ ecclesiasticæ exercitium per correptiones & censuras primum: Deinde in casu continuationis & contumacię per suspensiones, & deinceps, &c. 5. Stipulatio in examine & admissione membrorum ecclesiæ, exserte facta: uti hoc ecclesiis injungitur in *Synodo Geldricâ* anno 1643. & non sine fructu à ministris in hâc ecclesiâ Ultrajectinâ observatur. Quod instar panaceæ erit: cujus ope omne malum choreuticum in ecclesiis illi obnoxiis, brevi

brevi tempore emori neceſſe eſt. Quod ſi quis nolit promittere, nullo negotio remitti poteſt: uti memini, alicubi ante annos non ita multos hoc factum. 6. Decreta & judicia ſynodica, quibus topicę eccleſiæ ad adhibenda media modo indicata excitentur & confirmentur. Qualia a. 1643. in *Synodo Geldrica* 1643. *Zuydhollandicâ* 1640. & *Ultrajectinâ* 1640. condita ſunt. *Impedimenta removenda* ſunt potiſſimum, ἀνθρωποαρέσκεια, & προσωποληψία; & noxium illud axioma ſeu figmentum, quo ſtatuitur religionem, theologiam, Eccleſiaſticam communionem & diſciplinam variare, & conſequenter aliter à miniſtris applicandam eſſe his & illis hominum ſtatibus. *Remedia politica* ſunt; ſi Magiſtratus, cui poteſtas & potentia adeſt, nullas ſcholas, nullos Magiſtros ſaltationum in Rempublicam recipiat, aut in eâdem toleret. Deinde, etiam pſaltis tum ſuis tum extraneis ſeverè prohibeat choreis intereſſe aut prœeſſe, aut ſaltantibus inſervire: Inſuper, ſiquidem neceſſe ſit (quod non arbitror), multis pecuniariis coerceat eos, qui domum ſuam aut prece aut pretio ſaltatoribus commodant. Quod ſi loca publica fora, compita, plateas, &c. ſaltatores aliqui ſaltationibus ſuis occupent; jam mulcta irrogari poſſet omnibus & ſingulis ſaltatoribus. Sed hos impeditionis modos, eorumque executionem piorum politicorum judicio & prudentiæ committimus.

An per eccleſiaſticam diſciplinam ſaltationum & ſaltatorum licentia inhiberi poſſit? §. 7. *Reſp. Aff.* Ratio eſt, quia omnes ἀταξίαι, omnia ſcandala, hâc ratione impediri aut arceri ſolent. Atqui choreæ hodiernæ ſunt ἀταξίαι & ſcandala. Ergo. Conſentit praxis reformatarum eccleſiarum, & ſententia noſtratium ſynodorum. *Synodus Nationalis Belgarum* habita Dordraci anno 1578. *in reſponſo ad quæſt.* 43. ita decernebat: „Quia choreæ plerumque „levitatem habent Chriſtianis minime convenientem, & pios ſcandali„zant, imprimis tempore communis neceſſitatis ſeu calamitatis; corripien„tur, qui ad choreas ſe conferunt, & ſi pertinaciter pergant, poſt diverſas „admonitiones à Cœnæ Dominicę communione removebuntur, (Belgicè „**ſullen af-gehouden wozden.**)

Extractum ex actis Synodi Provincialis Geldricæ habitæ Harderovici a. 1643. „artic. 36. Gravamen, Quandoquidem jam à ſemeſtri aliquæ perſonæ ho„noratæ ſeu ſpectabiles in civitate N. N. membra eccleſiæ, choreas in„troduxerunt, & hebdomadatim ſemel aut bis hoc exercitium capeſſunt, & „plerumque poſt mediam noctem uſque ad horam tertiam aut quartam „continuant; per quod oſtium ad maximè noxiam conſequentiam ape„ritur: quæritur, quo remedio hic utendum ſit ad ſcandalum hoc arcen„dum.

„ *Reſp.* Eccleſiæ N. N. mandatur, ut ſaltatoribus illis modo deſignatis

„ decretum hujus Synodi, decretis correſpondentium ſynodorum confor-
„ me, notificent; eoſque ſerio hortentur, ut à publicis & continuis illis
„ ſaltationibus deſiſtant, adhibito nudo ſeu evidenti gravis ipſorum culpæ
„ & ἀπιξίας indicio, & altioris cenſuræ comminatione: aut ſi per hæc ſe
„ permoveri non ſinant, eccleſia contra eoſdem ſecundum ſtatuta eccle-
„ ſiaſtica procedat.

Qualesautem proceſſus ille futurus ſit explicatur ibidem *artic.* 37. proximè ſequenti; ut, ſi publicè ex cathedrâ prænoniti, & privatim moniti non deſiſtant, uſque ad ſuſpenſionem à cœnâ, neceſſitate ita ferente, procedatur. Quis autem gradus cenſuræ & diſciplinæ in eccleſiis noſtris nomine *ſuſpenſionis*, intelligatur, alibi *part.* 3. *Polit. Eccleſ. lib.* 4. explicatur.

Extractum ex actis Synodi Suyt-Hollandicæ anno 1640. *artic.* 55. „ Claſſis „ Hagienſis, quærit; quandoquidem in patriâ noſtra admodum graſſantur „ magnæ levitates & mundanæ vanitates, ſigna levium carnalium animo-„ rum, & occaſiones, matres, nutrices magnorum peccatorum, ad infir-„ morum ſcandalum & ſeductionem; qualia ſunt, ſaltationes ſeu choreæ, „ ballettæ, turpis donorum Dei abuſus in profuſis conviviis aut ſympoſiis, „ &c. quomodo agendum ſit cum iis eccleſiæ membris, qui dictis levita-„ tibus adhærent: & paribus ſuffragiis ſtatutum eſt, etiam habitis conſiliis „ ſeu ſuffragiis deliberativis ampliſſ. DD. Deputatorum politicorum, & „ fratrum à correſpondentibus Synodis (Geldricâ ſcil., Noort-Hollandicâ, „ Ultrajectinâ, Groning.-Omlandicâ) deputatorum: ut, quandoquidem „ dictæ levitates & vanitates (Belgicè **lichtveerdicheden**) cum honeſtate „ & pietate Chriſtianorum conſiſtere nequeunt, & per eaſdem formida-„ bilis ira Dei, præſertim difficilibus hiſce temporibus, magis ac magis ac-„ cenditur; ſecundum ordinem eccleſiaſticum cum ejuſmodi eccleſiæ mem-„ bris agatur, etiam uſque ad ſuſpenſionem à cœnâ, juxta rerum conditio-„ nem & exigentiam; convenienter artic. 35. Synodi Gorinchemenſis an-„ no 1622. & ordini eccleſiaſtico eccleſiarum Gallicarum cap. 14. artic. „ 26. 27. 28.

Synodus Ultrajectina eodem anno 1630. hebdomadibus aliquot poſt Zuyd-Hollandicam habita *ſeſſ. 7. artic.* 19. decernit contra *horribiles illas* vanitates *à Synodo Zuyd Hollandicâ anno* 1640. *artic.* 55. notatas remedio tali utendum eſſe. Adde eccleſiarum exterarum decreta & praxin, ut Gallicarum, quę vide *cap* 14. *art.* 26. 27. 28. modo indicatis.

Et Polonicarum in *Synodo generali Cracovienſi* 1573. & in Synodis diſtrictualibus Wladiſlavienſi ac Poſnanienſi 1570. choreæ abſolutè & exſertè damnatæ ſunt, rejectâ omni exceptione, diſtinctione, & palliatione; ac diſciplinæ eccleſiaſticæ antidotum contra eaſdem præſcriptum.

Ex

Ex actis nihil hic exhibeo: quod in Harmoniâ confessionum Genevæ anno 1612. & denuo anno 1654. excusâ à quovis legi possint.

Ad Exceptiones, quę adferuntur aut adferri possent, sic respondeo.

I. *Except.* Non est tale aut tantum peccatum, nec est crimen, quod aliquem Christiano nomine indignum, & civiliter inhonestum atque infamem redderet: Ergo disciplinæ ecclesiasticæ hic nullus est locus. *Resp.* 1. nulla statuta ecclesiastica, nulla agendaria, nullæ liturgiæ, nullus quarumcunque partium theologus (quod sciam) adæquatum censuræ & disciplinæ ecclesiasticæ objectum fecit crimina modo descripta. Contrarium patet ex *Matth.* 18. *v.* 15. ubi censura extenditur ad quasvis injurias verbis aut factis fratri exhibitas. Et 2 *Thessal.* 3. *v.* 6. docemur nos subducere ab omni fratre ἀτάκτως ambulante, & non secundum traditiones, &c. Jam vero tam multi Achristiani, & sectarii in terris reformatorum habitantes, non ambulant secundum traditiones Apostolicas, nec tamen civiliter sunt infames. Idem dici posset de avaris, aleatoribus, superbis & ambitiosis, tabernarum frequentatoribus, scortatoribus, stupratoribus, idololatris, aliisque in liturgiâ nostrâ tit. de administratione cœnæ memoratis. *Resp.* 2. Hanc hypothesin de objecto censuræ ecclesiasticæ, è diametro repugnare canonibus & praxi antiquæ ecclesiæ: quibus multa sub comminatione censuræ prohibentur; quæ si quis faciat, jure in foro Romano, aut quocunque alio civili non est infamis. Qualia e. gr. vesci idolothytis *Concil. Ancyran. c.* 4. 5. Convivari cum Gentilibus festa sua celebrantibus, loco ad id designato, *Ibid. can.* 7. Mulierem tonderi, ex opinione devotionis. *Concil. Gangr. c.* 17. Orare in cœmeteriis hæreticorum. *Conc. Laodic. c.* 9. matrimonio jungi cum hæreticis. *Ibid. c.* 10. 31. cum Judęis Sabbathizare. *Ibid. c.* 29. festivalia munera ab hæreticis accipere. *Ibid. c.* 37. Plura istius commatis lege, si vacat, in codice canonum, aut Photii Nomocanone. *Resp.* 3. Repugnat ista exceptio catechesi nostræ qu. 85. & Liturgię in cap. de administratione cœnæ, & canonibus ecclesiasticis in cap. de disciplinâ: ubi promiscuè quævis peccata cum pertinaciâ, & scandalo conjuncta censuris subjiciuntur; & non tantum ejusmodi flagitia ac scelera, quę peccatorem in foro politico reddunt infamem.

II. *Except.* Sunt alia peccata choreis non inferiora, immo graviora, quæ per disciplinam potius coercenda essent. *Resp.* 1. Inconveniens unum allegare, non tollit alterum. Si sint talia peccata, detegantur Synedrio, & fiat juxta ordinem *Matth.* 18. præscriptum. Sed hic astus Diaboli & mundi: virtutem unam commendare, ut alteram deprimat; vitii unius turpitudinem & damnum exaggerare, ut alterum obscuret aut nullâ animadversione dignum faciat. *Resp.* 2. Magnum discrimen est inter choreas

publicas, aut publicè notas; & inter alia peccata, ab aliquibus commissa. Aut enim vix ita nota, seu explorata sunt, ut de iis judicare possit ecclesia; aut tam multos non offendunt; aut circumventus est quis ab illis peccatis, non vero ex perpetuo animi sui sensu ac proposito, spretis omnibus dehortationibus, eadem committit; aut media præmonitionis & convictionis contra illorum ortum ac progressum, nondum ita adhibita fuerunt. *Resp.* 3. maximum discrimen est, quod peccata illa (e. gr. ebrietates, contentiones & pugnæ, &c.) non ita defenduntur, & in deliciis habentur à peccatoribus: ac choreæ à saltatoribus.

III. *Except.* Censuris ecclesiasticis nihil aut parum proficitur: saltem tantum non efficietur, ut zizania illa plane ex Christianismo exstirpentur. *Resp.* 1. Non est in medico semper relevetur ut æger: nihilominus conveniens medecina, secundum artem adhibenda. Hoc saltem agendum ecclesię, ut liberet animam suam, & quantum in se est iram Dei avertat *quæst. catechet.* 82. Ezech. 2. v. 5. *Et si audierint*, &c. & 3. v. 11. *Loquere ad eos & dic eis*, &c. *si audiverint & ceßaverint. Resp.* 2. siquidem hæc exceptio valeret, jam nullæ dehortationes, nullæ correptiones, nullæ censurę contra peccata essent expedienda.

IV. *Except.* Chorearum prohibitione, & correptionum ac censurarum exercitio plus destructionis quam ædificationis ecclesiis nostris adferri videtur: multi enim ab ejus communione emanent, qui alioquin ad eam accederent. *Resp.* Dato hoc ita se habere, quid tum? An ob illos, qui Christi & exercitiorum pietatis in & cum verâ ecclesiâ communione carere malunt, quam choreis; scripturę & sanę sobriæque philosophiæ, & antiquę ecclesię sententia, & ἐυταξία ecclesiastica abneganda & deserenda erit? Religio Christiana in typum hominum, cujuscunque conditionis & gradus tradi non debet; sed homines potius in typum religionis. Nunquam deterior fuit ecclesia, cum saltatoribus destituta fuit. Scio tale quid pro choreis contra sententiam, praxim, & disciplinam ecclesiarum nostrarum moveri à viro non minus eruditione theologicâ, quam generis nobilitate & prudentiâ politicâ, & rebus præclarè gestis in Belgio nostro celeberrimo *Philippo Marnixio* montis Sanctaldegondii domino, in *epistolis illustr. Belgarum centur.* 2. *epist.* 51. Ubi refert plerosque Magistratus (anno 1577.) & magnam „Ordinum partem disciplinæ ecclesiasticæ esse infensissimos, qui nullo ne„gotio & moderatâ quâdam tolerantiâ possent cum maximo ecclesiæ emo„lumento lucri fieri: in eo ego puto imprimis esse laborandum. *Et postea:* „hanc unicam fuisse olim causam, quamobrem consistoria in tantam in„vidiam apud Ordines venerint, ut prope abfuerit, quin senatusconsulto „facto penitus tollerentur. Jam denuò eandem rem agi, & quidem quo te m-

„ tempore non dubium sit ex Pontificiâ farragine multos frigidam suffusu-
„ ros. *Et post*: His vero in ecclesiis ecquid est vulgatius, ecquid pronius
„ & magis in promtu, quam præcipuos *quoque ex nobilitate atque Ordinibus*
„ *viros*, in plebe etiam infinitos, hoc uno nomine à nostris se continere cœ-
„ tibus, quod metuant novum jurisdictionis ecclesiasticę jugum atque im-
„ perium. *Paulo post eadem paginâ* 759. & seqq. applicat ad importunam morositatem (uti appellat) censurę in choreas.

Selecta quędam excerpta ex aliquibus autoribus contra choreas in præced. disputatione indicatis.

Pro reformatis.

WAldensium & Albigensium determinatio contra choreas, exstat apud *Joh. Paulum Perrinum part.* 3. *historiæ Albigensium libr.* 2. continente disciplinam eorum *cap.* 9. per totum. Ubi inter alia dicunt, *choream esse processionem Diaboli*, &c. *cujus dux seu choragus, medium & finis est Diabolus*, &c. *multis modis peccatur in choreâ, itione & numeratis seu numerosis passibus; tactu, vestibus, auditu, visu, sermone, mendaciis seu simulationibus & vanitatibus.* Quod ibidem per partes probatur.

Ibidem probatur, saltatores violare & transgredi decem præcepta.

Synodorum Polonicarum decreta supra indicavimus, eaque in harmoniâ confessionum legi malimus cum subscriptionibus, quam hic excerpere.

Summam decretorum synodalium *Geldric. anno* 1643. *Zuydhollandic.* & *Ultraject. anno* 1640. supra proposuimus.

Pro Pontificiis, Neutralibus, hominibus de hoc sæculo, civilem, honestatem profitentibus; imprimis philosophiæ, politicæ, & humaniorum literarum amatoribus, ac studiosis.

Antoninus part. 2. *summæ tit.* 6. *cap.* 6. §. 3. „ Qui voluerit esse amicus
„ hujus sæculi inimicus Dei constituetur. Amicus mundi est qui amat pom-
„ pas, lascivias, superbiam, vanam gloriam, & qui vult placere hominibus
„ in peccatis, quæ omnia reperiuntur in choreis, & ideo per eas efficitur
„ quis inimicus Dei. *Et post*: Aliquando Diabolus bellat cum homine per
„ aspectum mulierum, aliquando per auditum vocis mulierum, aliquando
„ per tactum in choreis, aliquando per omnes istos modos simul bellat cum
„ homine. Nam ibi videntur totaliter cum suis ornatibus, ibi audiunt in
„ suis cantibus & cachinnis, & locutionibus, & manu tanguntur, & ideo
„ ibi Diabolus fortiter pugnat & vincit. Non mirum si choreizantes sunt

ini-

„ inimici Dei cum faciant contra omnia mandata Dei & sacramenta quę „ sunt medicinæ Dei. Nam contra baptismum militant: quod cum in bapti- „ smo per patrinum tenentem ad baptismum promiserit renunciare Diabolo „ & pompis ejus, per choreas promissionem frangunt sequentes Diabolum „ & pompam ejus & opera. *Et* §. 4. Vitulus autem est animal lascivum inde „ innuitur quod choreæ deserviunt lasciviæ. Et sicut illi occisi sunt corpo- „ raliter à Mose legislatore, ita choreizantes à Christo datore legis Euan- „ gelicæ in igne occidentur & cruciabuntur. Inflammabit inquit in circui- „ tu inimicos ejus.

Tholosanus lib. 13. *de Republ. cap.* 21. §. 13. 14. „ Notantur 12. abusiones „ præcipue claustri, inter quas est monachus curialis, prælatus negligens, dis- „ cipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, clericus causidi- „ cus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, dissolutio in „ choro, irreverentia juxta altare.

„ Otiosorum aliud signum, videre eos in choreis, saltationibus & specta- „ culis, quæ omnia ab hominibus rebus serio occupatis procul absunt, & „ ab iis qui pie secundum mandata Dei vivere volunt. Ita prohibitum ne cle- „ rici choreis intersint, aut moniales, nec laici, neque etiam admittendæ „ choreæ sunt pretextu religionis in diebus sacris marium & fœminarum, ut „ nec theatra, sicut expresse cautum in concilio Basilienſi, & in pragmaticâ „ sanctione *tit. de specta. in eccles. non faciend.* Observavit Albertus Krantius, „ Ludovicum designatum archiepiscopum à pontifice in Mandeburgo, „ dum in oppido Calven, die festo cum suis nobilibus eorumque uxoribus, & „ filiabus choreas in prætorio vanissimas duceret, domum pondere pressam, „ ut putatur, justo Dei judicio corruisse, exstincto consule cum quibusdam „ suis contribulibus: periculosa enim sexuum commixtio.

Maldonatus in Math. 9. v. 15. „ Filii thalami aut nuptiarum appellan- „ tur, qui familiares sponsi sunt, qui ejus variis lætitiæ argumentis celebrant „ nuptias: quod nunc corruptis apud nos moribus, conviviis, saltationibus, „ ludis fieri solet; tunc saltem conviviis, ut ex nuptiis in Canâ Galileæ ce- „ bratis *Joh.* 2. 1. perspicuum est.

Henric. Cornelius Agrippa, de vanitate scientiarum cap. 18. „ Nullum „ choræis spectaculum ridiculum ac inconditum magis: hæc laxamen petu- „ lantiæ, amica sceleris, incitamen libidinis, hostis pudicitiæ, ac ludus pro- „ bis omnibus indignus: sæpè ibi matrona, ut ait Petrarcha, diu servatum „ decus perdidit, sæpè infœlix virguncula ibi didicit, quod melius ignorasset, „ multarum ibi fama periit, pudorque. Multæ inde domum impudicæ, plu- „ res ambiguæ rediere, castior autem nulla, pudicitiam choræis sæpè stra- „ tam, semperque impulsam, oppugnatamque videmus.

Et

Et postea concludit: „Itaque saltationem necesse est omnium vitiorum „esse postremum: neque verò facilè dictu, quæ mala hic visus hauriat & „auditus, quæ pariant colloquia & tactus. Saltatur inconditis gestibus, & „monstroso pedum strepitu, ad molles pulsationes, ad lascivas cantilenas, „ad obscæna carmina, contrectantur puellæ & matronæ impudicis ma„nib. & basiis, meretriciisque complexibus: & quæ abscondit natura, ve„lavit modestia, ipsâ lasciviâ tunc sæpè nudantur, & ludi tegmine obdu„citur scelus. Exercitium, profectò non è cælis exortum, sed à malis dæmo„nibus excogitatum.

Franciscus Petrarcha de remedio utriusque fortunæ lib. 1. dial. 24. Inter alia de choreis dicit: „Tolle lasciviam & voluptatem, & sustuleris choreas. *Et „postea*, Si fideli consilio uti volueris, utere vino moderatè & à choreis in „totum abstine.

Georgius Vivienus J.C. lib. 1. de officio probæ matrisfamilias cap. 29. fol. 29. b. „Quorsum tales commessationes? tot saltus fœminarum, subjecti virorum „cubitis, quò altiùs attollantur? Quid usque in medias noctes sine satietate „vel lassitudine agitare eas? quæ si jubeantur proximum templum petere, „ire se negent posse, nisi equo vectas, aut rheda, an non planè clamant, „se intemperiis exagitari? Legisse se meminit Vives, quosdam procul in suum „orbem ab extrema illa Asia deductos, quum saltantes vidissent mulieres, „territas fugisse, quòd illas dicerent novo & inusitato sibi furoris genere „concitari. Ac profectò quis non mulieres credat furere quum saltent, si „saltantes nunquam anteà conspexerit? quis non mente captas, quum sic „ad aliquem membranæ vel chordæ sonitum, manus, caput, totum corpus in „gesticulatione movent? jam in illis celebritatibus juvat contemplari, „quàm compositæ aliæ sedeant spectantes, quo gestu aliæ, quo incessu, „quanta moderatione, quanto fastu saltent aut incedant. In quo earum de„mentiam cognoscas licet, quòd rem tam stultam prudentissimè conantur „agere; videlicet universa illarum mens à capite in extremos pedes desiliit: „ibi est nimirum magis necessaria, quum saltatur, quàm in cerebo, vel „corde. Quæ unquam legitur saltasse sanctarum fœminarum? quota quæ„que est ex istis gravioribus, & prudentiam rerum usu nactis, quæ vel non „dissimulet se artem illam scire, vel rogata ut prodeat, non recuset? om„nino & contumeliæ loco ducat? nimirum non ignorant, stultum illud „esse, alioqui ultrò facturæ. Quid quòd ejusmodi nec frequentes adsunt „ubi saltatur, nisi necessarii officii gratia, ibique sic agunt, ut invitæ vide„antur retineri, vultu & gestu toto illa aspernantes, tanquam non pro„bent. Quo loco quæ potest custodia esse pudicitiæ, spectatis tot viro„rum corporibus? & solicitatis animis per oculorum ostia, artibus subti-

„ lissimi hostis nostri? De opere ipso, sanctus vir pronunciavit, malle se „ arare festis diebus, & fodere, quam saltare: non quidem solùm propter „ choreas ipsas; sed quia dum ad saltandum facta sit congregatio, deve- „ niatur vel ad pejora, vel saltem ad alia non multomeliora.

Henricus Cornmannus JC. in tract. de Virginitate cn. 1629. *cap.* 16. eadem ex Henr. Corn. Agrippa. „ *Quibus ipse addit*: Hinc dicit S. Hieronymus, „ se non credere illi viro, qui se illęsum ab ejusmod spectaculis abiisse dicit: „ Et alibi, Saltatio est circulus. cujus centrum est Diabolus. *Ibidem remittit lectorem ad summam Angelicam.* Ex qua in voce *chorea*, hęc exhibeo: „ Nam „ Rod. dicit quod coreas ducens ex consuetudine peccat mortaliter; cori- „ zantem autem raro, & sine corrupta intentione, dicit non audeo dicere „ quod peccet mortaliter, sicut nec audeo excusare à mortali, cum inge- „ rat se periculo alios provocandi ad libidinem, exemplo suo alios ad simi- „ lia facienda provocare. Septimum stabilitas corizantis, nam qui ita fra- „ gilis est quod licet bona intentione corizare incipiat non tamen erit quin „ ad libidinem mortalem provocetur, peccata mortaliter advertens de tali „ sua fragilitate se ingerendo, quia Eccles. iij. Qui amat periculum peribit „ in illa. Et propterea quia dicit Hier. in quadam omnes. Non credo viro „ si dicat se illesum evasisse à talibus spectaculis, cum David ex eo quod „ vidit Bersabee lavantem provocatus sit ad libidinem: hęc ille. Et etiam, „ quia prefatę conditiones non inveniuntur in coreis nostri temporis ideo „ non video quomodo sine peccato mortali quis eas faciat ex consuetu- „ dine.

Conradus Rittershusius J. C. lib. 4. *sacrarum lectionum cap.* 12. *pag.* 288. „ Inter cæteras morum levitates & corruptelas non est postrema, quæ in „ choreis ac saltationibus cernitur. Et tamen illæ (quod mireris) magnos „ patronos nactæ sunt. Dignum scilicet patella operculum, & similes ha- „ bent labra lactucas, ut est in proverbiis. Igitur opportunè facturi vide- „ mur, si colligamus hoc capite, quid veteres ac graves Viri de choreis judi- „ carint. Nam si ipsis probari audiverimus, rectè & nos eas retinebimus „ & frequentabimus: Sin est, ut apud illos malè audiant choreæ, quæ no- „ stra erit impudentia, ut eas probemus, pro iisque etiam velut pro aris ac „ focis propugnemus?

Ibid. verba Chrysostomi ex homil. 12. *ad Coloss. exhibet, ex quibus ista solummodo, accipe*: „ Si ergo, ajunt, neque virgines, neque nuptæ saltant, quis er- „ go saltabit? Nullus. Qualis enim saltationis necessitas?

Pro Socini & similium sectatoribus aut fautoribus.

Joh. Cirellus seu Crellius Ethicæ Christianæ lib. 4. *cap.* 25. *pag.* 513. „ Etsi „ vero non pauca sint levitatis genera atque exempla; quæ tum in sermoni- bus,

„ bus, tum in factis quibusdam ac gestibus, vultu, ac habitu denique ipso „ cernitur; hîc tamen illud inprimis commemorari meretur, cui in aliis vi- „ tiis locum non dedimus, cum quibus tamen plærumque aliquid habet „ commune; saltationes nempe, ac choreæ. illæ enim, ut alia absint, levi- „ tatem quandam redolent, quod nisi fallor in Ethicis etiam ostendimus. Sed „ præterea saltationes ejusmodi, libidinis vel comites sunt, vel pediſſequæ, „ vel anteambulones. Nam partim ex ea oriri solent, partim eam vel exci- „ tare vel alere; ut taceam illas ex ebrietate plerumque oriri. Quam in rem „ insignis est M. T. Ciceronis locus in oratione pro Muræna, qui dignus est, „ ut hîc adscribatur: *Nemo*, inquit, *ferè saltat sobrius, nisi forte insaniat, ne- „ que in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto. Intempestivi con- „ vivii, amœni loci, multarum delitiarum comes est extrema saltatio.* addit, „ necesse id esse omnium vitiorum postremum, & necesse esse antecedere „ turpe convivium, aut amorem aut comessationem, aut libidinem, aut „ sumtum, hoc est, luxum: inspiciatur ipse locus.

Simon Episcopius in collegio disput. disp. 21. §. 20. „ Præter gravitatem „ Christiani hominis sunt, aleæ, tripudia, &c.

Idem in quæstionibus qu. 41. *quamvis in quæstionis determinatione quodam- modo tepescere videatur*, „ nihilominus negat decere eas senes, ministros, se- „ niores, diaconos, membra ecclesiæ, senatores, & qui aliquo munere in Re- „ publicâ funguntur.

Confer de choreis nuptialibus, 1. part. polit. eccles. lib. 3. tract. 1: sect. 2. cap. 6.

Iterum pro Pontificiis.

THomas Garzoni Italus *Monachus & Papistæ non vulgaris zelotes, vir mul- tæ lectionis, scriptis aliquot vulgari linguâ editis satis celebris, in libro tit.* Piazza universale di tutte le professioni del Mundo, *discursu* 45. *præter multa ad philologiam & antiquitatem spectantia, hoc Elogium saltationi ap- pingit*? „ Est argumentum fragilitatis (*morbidezza*), fomentum nequitiæ „ seu improbitatis, (*scelerita*) stimulus libidinis, hostis pudoris, adversaria „ pudicitiæ & honestati, indigna quę habitet in Caci spelunca, nedum ut „ toleretur in regum palatiis, & atriis imperatorum; in quibus tamen po- „ tiori temporis parte inter dominas & nobiles (*cavalleri*) vanissimè com- „ moratur.

Ibid. fol. 196. *b.* „ Videmur hodie, magnâ Christiani nominis infamiâ, „ pleni vanitate & stultitiâ cum antiquis quibusdam numero saltationum & „ tripudiorum certare velle: ut ipse Chirampinus celebris ille saltator ea nu-

„ merare nequiret: Et paucæ sint usitatæ saltationes, dictæ *le moresche, il „ mattacino, il passamezo, il saltarello, la gagliarda, la chiaranzana, la chi „ archiara, la paganina, la baldosa, l'imperiale, il ballo dal capllo, la Flo„ rentina, la Bergemasca, la Pavana, la Siciliana, la Romana, la Vinitiana,* „ si comparentur cum illis quas Chappinus retulit in catalogum suum infi„ nitis saltationum speciebus repletum.

Ibid. fol. 197. a. indigitat aliquot excellentes & celebres saltatores, qui suo tempore floruerant, aut adhuc florebant (anno 1615. quo librum suum ede„ bat), ut Il. Moretto, Tonino, da Bologna, Alfonso Spagnuolo, Batti„ stone da Padoa, Giuntino & Grillo Siciliani, Archangelo d'Abruzzo, „ Gierolamo da Foligno, Marino, Gasparo Capo, Scaramuccia Vinitia„ no, Giommaria Romano, Riccio da Verona, Pino & Soldino da Fio„ renza, Nicolo Sannese, &c. *Quorum saltuum aliquot mirabiles & stupendorum species & exempla ibidem enarrat.*

Ibid. in notis ad cap. 45. pag. 198. a. „ Ait inter artifices *saltatores perfe„ ctissimos* hodie nominari Orlando Broti Venetiis, M. Zachariam Cre„ monensem Patavii, M. Cæsarem Trombone Mediolanensem, Mediola„ ni. De celebribus antiquorum pantomimis, vide *Vossii poeticæ lib. 2. c. 37. 38.*

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

DISP. SECUNDA,

Quæ est

DE COMOEDIIS.

Resp. JOANNE PETRI CUPIO, Ultrajectino 14. *Octob.* 1643.

De Comœdiis acturi I. *præcognita aliqua præmittemus, ut constet de quibus comœdiis hic propriè sit controversia, & in casu conscientiæ determinandum.* II. *Conclusionibus aliquot controversiam principalem, eique affines decidemus.* III. *Argumentorum classes proponemus.* IV. *Consectaria educemus.* V. *Objectiones & exceptiones diluemus.* VI. *Problemata subjiciemus.*

§. 1 OCcurrunt hic technologemata, *Comœdiæ, tragœdiæ, ludorum scenicorum, actionum scenicarum, dramatum, spectaculorum, theatri, histrionum, ludionum, actorum, scenicorum, actorum fabularum, Cimœdorum,*

dorum, tragœdorum, Gr. μίμων, ὑποκριτῶν, &c. Belgica Schouspelen / Kamerspelen / Comedianten / Kamerspeelders / Rhetorijckers / Schoubuygh. Lat. *Theatrum* Arabica ממחל & לאעב, id est, *mimus*, *histrio*: quorum illud à rad. Chald. מחל *metal*, & Arab. *matala*, *assimilavit*; istud à rad. Chald. לעב *risit*, *subsannavit*, *lascivit*.

Comœdia & scena quid sit, quæque olim apud Græcos & Romanos scribendarum & agendarum comœdiarum ac tragœdiarum ratio & origo, nostrum non est otiosè φιλολογεῖν. Consulatur *Jul. Cæsar. Scaligeri* poëtica, *Gyraldus de poëtis*, *Jul. Cæsar. Bulengerus de Theatro*, *Polydor. Virgil. lib.* 3. *c.*13. *Rhodiginus lib.* 7. *c.*15. & 8. c. 8. *Zwingerus in Theatro vitæ humanæ volum.*2. *lib.* 3. Prolegomena & commentaria recentionum veterum ad Plautum, Terentium, Sophoclem, &c. & ad Horatii artem poëticam, denique commentatores ad Aristotelis poeticam. Instar omnium sit *Gerhardus Joh. Vossius lib.*2. *poëticæ*. Qui ad alia festinantes gustum saltem aliquem & compendium hac vice quærunt, ii inspiciant modo poëticam Giessenam.

Divisiones spectaculorum & ludorum in Circenses, & Scenicos; & horum in comœdiam, tragœdiam, tragico-comœdiam; & rursum comœdiæ in statariam, motoriam, & in veterem, mediam, novam, &c. hujus instituti non sunt, nec ad rem nostram quidquam faciunt.

Distinguamus ergo actiones scenicas 1. ratione materiæ seu objecti in sacras & profanas seu communes.

Sacræ ita dictæ sunt duplices 1. Cum exempla & historiæ rerum gestarum, aut parabolarum ex sacris literis dramaticè exhibentur: ut Adamus, Christus patiens, Abrahamus sacrificans, Job, Esther, Jephte, David, Baptistes, Maria & Martha, filius prodigus, Dives & Lazarus, decem virgines, &c. Quibus addunt illi, qui non distinguunt inter canonicos & apocryphos, Judith, Susannam, Tobiam. 2. Cum putatitiæ sacræ tum personæ tum res gestæ exhibentur, ut ex legendis Catharina, Georgius, &c. (qui nunquam fuerunt in rerum naturâ), Ursula cum undecies millibus virginum, quarum existentia & martyrium partim fabulosa, partim planè incerta; aut ex historiis sanctorum seu vitis patrum, ut Franciscí, Dominici, &c. qui sancti non fuerunt, aut sancta illa non fecerunt quæ illis attribuuntur, aut revera mala aut stolida patrâruut, quæ in theatris specie sanctitatis venditantur. 3. cum pseudo-sacræ, mimeses, & dramata, tanquam pars, aut appendix pseudo-sacrorum in Papalibus festis, & processionibus, instituuntur. Talibus scenicis ludis, & larvis, ex. gr. gigantis Christophori, Georgii & Draconis, equi Bayardi & quatuor filiorum Aimoini, aliisque personatis ludionibus, & comtis puellulis (quas

ſponſulas appellant) ſolent in magnis feſtis templa, & proceſſiones repleri. Conferri poteſt 3. *pars ſelectar. diſpp. tit. de ſanctis chimæricis.*

Profanæ ſunt 1. *morales*, quando virtutes & vitia exhibentur ſive *indefinitè* & quaſi in theſi per proſopopoeias; quando ſcil.; juſtitia, caritas, gula, ambitio, avaritia, tyrannis, pax, libertas, amor patriæ, &c. tanquam perſonæ introducuntur: ſive definitè & quaſi in hypotheſi, per exempla partim vera, partim ficta, parabolica, poetica. Huc referendæ omnes actiones ex hiſtoriis, & poëtarum mythologiis deſumptæ. In poeticis & mythologicis occupabantur ſcenæ Ethnicorum. In proſopopoeiis, virtutum & vitiorum, collegia Rhetorum (uti vocant) rhytmicorum, quæ antehac oppidatim in Belgio haberi ſolent; & inter ſe de lauro certare. 2. *Amatoriæ*, quibus amores ſubinde caſti, ſed maximam partem impuri exhibentur, idque vel in theſi ſeu indefinitè, vel in hypotheſi & definitè per exempla vera aut ficta, tum Deorum tum hominum. Et tales actiones ferè ſcenam & antiquam & novam ſibi vindicârunt..

II. *Ratione* actorum exhibentur 1. per ſolos viros, aut per ſolas fœminas, aut mixtim per utroſque. 2. per mercenarios & perpetuos hiſtriones; aut per homines artem illam non profitentes, nec quæſtum ex illâ quærentes, ſed qui agunt, ſolummodo datâ occaſione & exercitii cauſâ, utque aliis placeant, ingeniumque atque artem ſuam hâc in parte oſtentent.

III. *Ratione* finis; aliis quæritur & intenditur aut ſaltem prætenditur mera oblectatio; aliis præter oblectationem moralis, aut etiam ſpiritualis inſtructio. *Illæ* in aulis, & publicis theatris plerunque obtinent; ubi voluptas capitur ex laſciviis, & vanitatibus, nec non acerbis ſarcaſmis, vexationibus, & exagitationibus aliorum. *Iſtæ* locum habent in ſcholis & collegiis tum Jeſuitarum (apud quos hodie fervet hiſtrionia,); tum nonnullorum Proteſtantium & reformatorum, ſive Academicis, ſive trivialibus, iiſque gallicis & latinis. Iſtis putant propriè aptari illud:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

IV. *Ratione* adjunctorum, aliæ ſunt pars cultus divini, aut ejus adjunctum, & appendix; aliæ ſunt merè ſæculares ab omni religione abſolutæ. Illæ, quæ olim feſtis, ludis, & ſacris ſolennibus Gentilium, & hodie Pontificiorum admixtæ, in honorem idolorum: ex. gr. in apotheoſi aliquâ, in Jubileo, in memoriâ anniverſaria, in ſolenni dedicatione perſonarum aut rerum, &c. Atque hæ quidem diviſiones actionum ſcenicarum, quę propriè ſic dicuntur.

Ad quas proximè accedunt quaſi dramata, & vanitates mimeticæ quamplurimæ pro inſtitutis & moribus Gentium variæ ac pæne infinitæ.

Sunt

Sunt autem illæ 1. *Pseudosacræ* sive Gentiles sive Papisticæ; ut Dramata illa pœnitentiaria, quæ Halberstadii, & Trajecti antehac quotannis celebrari solent: de quibus videndus *Chemnitius in Concil. Tridentin. cap. de pœnitentiâ & satisfactionibus* in fine, & *Hospinianus de Festis.* Dramata quamplurima Romæ in canonizatione sanctorum; in creatione Cardinalium; imprimis in missione Episcoporum titularium; in creatione & inthronizatione Pontificis; in excommunicatione quotannis intentatâ Regi Hispaniarum propter regna Neapol. & Sicil.; in variis consecrationibus, similibusque infinitis Paparum, Episcopornm, curiarum Episcopalium, sacerdotum, Conciliorum, capitulorum, &c. agendis; de quibus usurpare liceat illud Perronii: *Totus mundus agit histrioniam.* Quid enim aliud totus Papatus, quam drama seu comœdia? Docet hoc Ceremoniale, Pontificale, Episcopale, Pastorale, Missale; & specimina complurium dedit *Marnixius in alveario.*

11. *Sacræ putatitiæ*, quibus res gestę Christi, & historiæ Euangelicæ fundamentales mimeticè proponuntur: ut Christi passio, resurrectio, ascensio, missio spiritus sancti, Christi nativitas, seu infantis in cunis agitatio. Atque hæ quidem Pontificiis frequentatæ. Gentilium sacra dramatica erant, lamentationes Adonidis, lavacra Palladis, pervigilia Veneris, incunabula Jovis, &c. De quibus videndi hymnographi, ut *Callimachus*, & Ovidii Fasti, nec non scriptores de Festis Gentilium *Hospinianus*, *Castellanus*, *Meursius.*

111. *Appendices sacrorum* putatitiorum: quales in Papatu larvæ & dramata trium Regum, ad hæc electorum regum ac ministrorum ejus in singulis familiis, & dramatica Martini, Nicolai, puerorum innocentium, Huberti, festi luminarium seu prę sentationis Mariæ, Thomæ Apostoli, &c. ad hæc Floralium & Pentecostalium, Kalendarum Maji; denique dramata in introductione Bacchanalium, in quadragesimæ morte & sepulturâ; qualia fatuitate pariter ac profanitate illustria olim in Belgio, & etiamnum hodie vigent Venetiis. De quibus præter *Joh. Aubanum Teutonicum libro de Moribus Gentium*, Itineraria, & relationes peregrinantium.

1v. *Morales*, quæ triplices 1. Quæ actionibus seu gesticulationibus tantum, aut saltem prę cipuè constant. Huc referendæ artes & spectacula pantomimorum. 2. Quę sermonibus & cantionibus tantum aut saltem præcipuè. 3. Quæ tantum aut præcipuè scriptis dialogis & colloquiis sive prosâ sive carmine, (ut *Erasmi*, *Luciani*, *Textoris*) fabulis ac mythologiis. Huc pertinent scriptores fabularum Gr. & Lat. *Æsopus*, *Phædrus*, *Avienus*, & ex Arabibus *Locmannus*, Et *Baconi Verulamii libellus de sapientiâ veterum.* Ne quid dicam de hieroglyphicis, aliisque ad sapientiam symbolicam pertinentibus; de quibus alibi.

v. *Ama-*

v. *Amatoriæ* quæ 1. vel per gesticulationes, per cantus lascivos & thymelicorum oblectationes, perque dramaticas saltationes instituuntur. 2. vel per mimeses historiarum aut fabularum Venerearum: qualia mythologica Deorum non pauca, & nonnullæ Ovidii metamorphoses. 3. Vel per bucolica & idyllia. Ad hæc quasi dramata amatoria & Venerea aliquomodò referri possunt epigrammata & lusus plerorumque poetarum, eorumque commentatores. Quin & Casuistæ plerique Pontificiorum; qui tam curiosè inquirunt in peccata luxurię, eaque tam evidenter & operosè describunt. Quos taxatos vide à *Riveto in Decalogum*, & autore Mysteriorum Jesuiticorum, & à nobis in *Desper. causâ Papatus, & part.* 1. *polit. eccles. lib.* 3.

§. 2. Quæritur hic *an & quæ dramata, aut quasi dramata, sint licita? Resp.* Nos istis conclusionibus ita determinamus. 1. *Concl.* Dramata aut quasi dramata, quæ res divinas & sacras ex scripturis exhibent, quamvis quam simplicissimè id fieret, simpliciter sunt illicita. Rat.

1. *Quia*, Deus voluit res divinas & sacras verbi prædicatione & sacramentorum administratione ad vivum exhiberi (*Galat.* 3. *v.* 1.) primum auditui externè, *Rom.* 10. & per auditum menti internè. Hancque artem dramaticam exemplo Christi à ministris ita adhibendam esse *Matth.* 7. 28. 29. *Lucæ* 4. 22. 32. *Psal.* 45. 3.) ut rapiant animos auditorum. Et hæc sola dramatica vocatur consilium Dei *Luc.* 11. 1 *Cor.* 1. 21. non vero ulla alia sive scenica, sive pantomimica.

2. *Quia*, implicat profanationem & contemptum nominis divini; dum verba & actiones Dei, Christi, Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, gesticulationibus humanis non ornantur, sed deformantur; dum mysteria nimis familiariter hominibus subjiciuntur, quibus ipsi subjici & ad quæ tremere debebant. *Jesa.* 66. 1. 2. Divina enim egenis illis coloribus non indigent; nec sublimia mysteria tam tenui penicillo pingi debent.

3, *Quia*, res divinę non debent esse materia oblectationis sensualis (qualis in dramatibus & scenis quæritur,) sed tantum spiritualis & cœlestis, de quâ *Ps.* 119. *v.* 14. & 1 *Petr.* 1. 8.

4. *Quia*, non debent esse materia, & incitamentum admirationis externæ & carnalis: qualem fere intendunt raræ inventiones, & artificia scenica.

5. *Quia*, Nemo debet aut potest tum verbis tum factis mimeticè referre atque agere personam Dei, aut Christi, aut Angeli; immo ne quidem Prophetarum & Apostolorum. Persona Dei per assimilationem seu repræsentationem exhiberi non magis potest, quam per picturas & imagines *Jes.* 46. 5. & 40. 18. 25. *Rom.* 1. 23. Serio etiam aut joco, in primâ atque adeo in suâ personâ verba Dei (quæ sunt mandati, promissionis, comminationis, con-

consolationis prædictionis,) proferre non possunt nec vicissim alii actoris Deum aut Christum, aut Angelum, aut diabolum, aut Abrahamum aliumve Prophetam repręsentantes, compellari, adorari possunt, aut iis responderi potest, iisdem verbis, quibus responsum esse, in scripturâ legimus. Agantur tragœdia e. gr. *Adamus exul Grotii*, *Christus patiens Nazianzeni* aut *Grotii*, *Jephtach* & *Johannes Baptista Buchanani*, *Abrahamus sacrificans Bezæ;* comœdiæ aliquot *Georgii Macropedii* (inter quas Jesus Scholasticus) & omnes comœdię *Schonæi* tit. *Terencii Christiani* editę, *Cornelii Laurimanni Esther:* Agatur *tragico comœdia Jobi* (quam ego adolescens Leidæ è circumforaneis histrionibus Anglis actam memini), & tragœdia lapsus angelorum in theatro Amstelodamensi ante annos aliquot horribiliter acta: quo modo hæc sine nominis divini profanatione agi poterunt? Adhęc nemo debet aut potest, opera divina soli Deo propria, creationis scil. providentiæ, redemtionis, justificationis, sanctificationis, legislationis, resuscitationis, glorificationis (quibus adde miracula per Deum, per Christum, aut per viros Dei prestita) serio velle imitari: nedum joco, aut externâ specie tale quid fingere, aut prę se ferre. Idem dico de apparitionibus, visionibus, revelationibus divinis per extraordinaria signa visibilia aut audibilia, ut *Exod.* 19. & 3. *Matth.* 3. *Actor.* 2. *Genes.* 19. *Josuæ* 6. Talia enim signa pingi non debent, ut per ea Deus repræsentetur aut indicetur. Confer Antagonistas Pontificiorum in controv. de Imaginibus.

6. *Quia* in rebus non necessariis aut à Deo non præscriptis, nec actori nec spectatori committendum est, ut quis objiciatur periculo profanationis nominis divini. Atqui hoc fit in omni actione comœdiarum sacrarum. Quis enim dicet actores semper se componere ad devotionem sacris illis tractandis debitam, aut in ipsâ actione pro subjectâ materiâ attentionem & devotionem atque affectus suos spirituales perpetuò adhibere, saltem virtualiter: ut ad hominem cum pontificiis hic loquar.

7. *Quia* facta in se vitiosa, aut vitiorum illicia, imprimis contra septimum prœceptum, quamvis sacris literis recensita, non magis dramaticè proponi debent, quam alia istius generis ex profanis historiis petita. Illis ergo applica argumenta infra adducenda. Sunt autem ejusmodi dramata uxoris Potipharis, raptus Dinę, incæstus Lothi, incæstus Ammonis & Thamar, adulterii Davidis & Batsabe, Herodiadis, uxoris Potiphar. Immo ne quidem personæ & verba malorum Pharaonis, Rabsake, Judæ proditoris, &c. assumi debent. Multo minus damnatorum, ut *Lucæ* 16. & *Matth.* 25. in descriptione judicii; minimè omnium Diaboli *Genes.* 3. *Job* 1. *Math.* 4.

8. *Quia*, quidquid esset de materiâ dramatis; modus tamen dramaticus per larvas, viros schemate muliebri indutos, thymelicos, saltatores, mo-

riones & joculares ludiones, totumque apparatum scenicum sive primarium sive accessorium, & quidem ad sensualem oblectationem, illicitus est; uti infra probabitur. Quæ argumenta hic fortius stringunt: quod materia sit sacra, aut ex sacrâ historiâ desumta. Hæc imprimis applica ad dramata & repræsentationes passionis, sepulturæ, resurrectionis, ascensionis Christi, & missionis spiritus sancti, ut etiam ad ludos Mariarum: quæ parentes & senes stante Papatu se spectasse, nobis olim narrârunt. Vide de iisdem *Hospinianum de Festis pag.* 43. 47. 61.

9. *Quia* non videmus Dei ecclesiam in V. aut N. T. talem morem habuisse; nec etiam antiquam ecclesiam primis sæculis post tempora Apostolorum. Nullum conciliorum aut patrum consensum hic prætexere poterunt aut Clerici Papales ante tempora reformationis; aut collegia Rhetorum (quos vocant) oppidatim immo & vicatim antehac in Belgio nostro florentia; aut hodierna collegia & Icholę Jesuitarum; quæ pretiosis, pompaticis, & varietate ac novitate suâ curiosis theatris ac dramatis suis omnes antiquos & recentiores scenicos superare velle videntur.

Nihil est quod excipere aut nobis objicere queant, nisi forte exempla Nazianzeni ex antiquis, & ex nostris *Buchanani*, *Bezæ*, *Grotii* (tunc nostri,) qui tragœdias aut tragico-comœdias sacras scripsere. Sed respondemus, à scriptione ad scenicam actionem non valere consequentiam. Scriptum est à Spiritu Sancto Canticum canticorum formâ dramatis pastoralis seu dialogi & carminis bucolici; sed inde non sequitur illud in theatro actionibus scenicis exhibendum. Quod plerumque objicitur, de instructione morali & spirituali, vanum est. Nam *Primo*, ostendant Deum talem modum instructionis probasse. Humana & carnalis sapientia talem quidem sibi adinvenit: sed hoc eam magis suspectam reddit. Sufficere debet nobis simplicitas illa instructionis per verbum, sacramenta, & viva veraque fidei ac virtutum exempla. *Secundo*, damnum & periculum emergens majus est ac certius, quam præsumta utilitas. *Tertio* posset hæc ratio extendi ad dramata quæcunque moralia, quibus vitia (etiam contra septimum præceptum) exhibentur; ut scil. homines tanto magis turpitudinem eorum detestentur, & fugiant.

Audimus etiam aliquando objici, homines commodius per scenicos actores de rebus sacris quandoque instrui, quam per concionatores; quod plerique illos audiant, hos vero non audiant: & exempla primæ reformationis in Belgio huc adferuntur. *Resp.* 1. Quod si hoc argumentum procedat, sequeretur magis laborandum esse de instituendis ubique actoribus & actionibus scenicis, quam concionatoribus; adhæc templa, & sabbatha Christianorum ab iis magis, saltem non minus, occupanda, quam à concio-

cionatoribus & concionibus. 2. Dicimus totum hoc esse per accidens malitiæ hominum, si tale quid eveniat. 3. Quod ad Belgium nostrum; dicimus per accidens ad reformationem quid contulisse nonnullos actores scenicos: quatenus scil. exhibendo historias sacras hac ratione lectionem scripturæ quodammodo promoverunt; & quatenus satyricè insectando vitia hominum, nominatim irreformabilis cleri, removerunt impedimentum reformationis putatitiam scil. sanctitatem & autoritatem ecclesiæ Romanę. Ex τὸ per accidens, non potest concludi τὸ bonum spirituale per se. Alioquin laudanda etiam esset εἰκονοκλασία aliæque ἀταξίαι in Belgio, nec non æmulationes & contentiones multorum procerum Belgicorum cum Hispanis & inter se, quin & quorundam libertinismus atque Epicureismus; quibus omnibus Deus usus est ad deturbandam autoritatem Clericorum & ministrorum Hispanicorum; atque hâc ratione viam reformationi aperiendam.

Tertio objici posset autoritas *Buceri*, *qui lib. 2. de regno Christi cap. 54.* commendat comœdias & tragœdias, quibus populo honesta & non inutilis ad pietatem augendam exhiberetur oblectatio: ibidemque modum ostendit quomodo eæ ex historiâ sacrâ scribendæ essent; e. gr. de contentione pastorum Abrahami & Lothi, de conjugio Isaaci & Rebeccæ, de profectione Jacobi ad Labanem. Postea dicit, *scripturam plerasque continere historias è quibus sanctæ & Christianos decentes comœdiæ queant effingi. Resp.* de conscriptione earum, nolim negare: sed de actione, ob rationes jam allatas, non possumus magni alioquin viri consilium probare. Concludimus ergo, ejusmodi dramata sacra, per collegia illa rhytmicorum poëtarum & histrionum (vernaculè Rhetorijckers) agi solita, à synodis & ecclesis Belgicis tum doctrinâ tum imploratione brachii sæcularis, jam inde à primâ reformatione usque in hunc diem rectè & piè oppugnata fuisse. Vide decreta synodorum infra cit.

11. *Concl.* Dramata ex ecclesiasticâ historicâ, aut martyrologiis, aut vitis patrum & legendis desumta (qualia in Papatu usitata) non esse admittenda; *tum* propter formam dramaticam, seu actionis scenicæ infra refutandæ: *tum* propter materiam, sive fictam planè, sive sanctis indecoram & ridiculam, sive superstitiosam & idololatricam. Non enim decet homines mendaciis & fabulis pasci circa personas & res sacras; nec superstitionum laudatione & in sanctis repræsentatione ad easdem allici: ne quid dicam de sanctorum per illas actiones honore religioso & festivo, deque eorundem in ipsis actionibus invocatione, aliisque actibus, qui supra imitationem assurgunt. Huc accersendæ & aptandæ rationes contra cultum sanctorum, contra legendas & vitas sanctorum, contraque superstitionem & idololatriam Papalem. §. 3.

III. *Concl.* Dramata Gentilium Deorum virtutes, vitia, ficta opera miraculosa seu admiranda, ad hæc religiones & cultum eorumdem per vota, preces, sacrificia, lustrationes, juramenta, &c. exhibentia plane sunt illicita: sive joco sive seriò agant aut loquantur histriones. Rationes sunt istæ 1. *Quia*, exhibentur in honorem Deorum: sunt enim pars aut appendix festi & cultus idololatrici 2. *Quia* quidquid sacrificârint idolis suis Gentiles, id dæmoniis sacrificasse dicendi sunt 1 *Cor.* 10 Nunc applica ad vota preces, juramenta, obtestationes, aliaque omnia in talibus comœdiis sub personâ Deorum, aut ad Deos, aut de Diis quà dici quà agi solita. Quis velit vel serium vel quasi joculare commercium sibi esse cum dæmoniis? 3. *Quia*, quidquid esset de materiâ & fine actionum, forma dramatica est illicita, (uti infra probabitur,) & per eam homines ad vitia alliciuntur atque animantur. 4. *Quia* antiqui Christiani imprimis hæc Gentilium spectacula abominati sunt. Vide *Tertullianum de spectaculis*, aliosque patres infra citandos.

Recentiores nonnulli istius histrioniæ aut quasi dramatum ejusmodi amatores, pro iis nihil excipere possunt, quam se de idolis Gentilium non cogitare, aut ea ipsis nihil esse, & idololatriam nullam intendere. Cui exceptioni oppono 3. *part. selectar. disp. tit. de Idololatriâ indirectâ.* 2. *Exc.* posse talia & historicè describi, & penicillo pingi; ergo & dramaticè exhiberi. *Resp.* Est ἀναλογισμὸς. Longè enim alia ratio est historiæ, alia mimeticæ repræsentationis. Vitia & facta ἄτομα vivâ voce aut scripto referri quidem possunt, non tamen ita mimeticè ab aliquo fieri: e.gr. Mars & Venus in reti Vulcani. Idem dico de picturis: in iis enim non sunt vivi homines, qui sermone & gestu rationali externè dicunt & agunt, (quamvis mimeticè, & sine proprio sensu aut sine conscientiâ idolorum, uti protestantur,) quæ auditorum & spectatorum mentes possent corrumpere. 3. *Exc.* Conferunt ad doctrinam antiquitatum, & philologicam. *Resp.* Ad eam sufficit ea vivâ voce aut scripto narrari; nec requiritur actio mimetica.

IV. *Concl.* Satyricas comœdias non tantum quod ad communem formam dramaticam & olim, & hodie usitatam, sed etiam quod ad materiam esse illicitas: istas sc. 1. *Cum* scil. homines innocentes injustè traducuntur. Huc applicanda argumenta contra obtrectationes, calumnias, libellos famosos, aliaque peccata adversus nonum decalogi præceptum. 2. *Cum* nominatim aut quasi nominatim κατὰ περίφρασιν contumeliosè exagitantur honesti cives ejusdem Reipublicæ, aut fratres ejusdem communionis ecclesiasticæ; quamvis forte ab omni culpâ immunes non sint. *Quia* lenius tractandi sunt, si qui labuntur. *Galat. 6. v.* 1. 2. 3. *Quia* alia remedia sive politica sive ecclesiastica privatim publiceque adhibenda sunt: quibus malum

lum non exasperetur, & proximus lucrifiat. Vide nostra *exercitia pietatis cap. 24. de officiis caritatis erga proximum peccantem. Quia*, tales comœdiæ discordiarum, contentionum, & factionum incentiva sunt, & pacem Reipublicæ atque ecclesiæ graviter perturbant. 3. *Cum* peccata occulta in theatrum protrahuntur, & sic divulgantur. Quod est contra caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum. 4. *Cum* Magistratuum actiones promiscuè scenis agitantur; apud cives suos; & cum antecessores in ecclesiâ, qui Christum verè prædicant, quamvis forte non ita ἀγνῶς (*Philipp. 1. v. 16.*) deridendi prostituuntur; atque adeo semina seditionum, ἐχλοκοπιάς, ἀναρχίας sparguntur.

v. *Concl.* Comœdias historicas, quibus exempla virorum insigniter improborum ex historiis exhibentur, non videmus absque pollutione conscientiæ per sermones otiosos, & σαπρούς, actioneque illis analogas agi posse. Improba dicta & facta fictione quâcunque aut ὑποκρίσει imitanda non sunt: *tum* quod in se sint mala; integer enim homo & exterior & interior Deo per virtutem sanctificandus est 1 *Thessal.* 5. 23. 1 *Corinth.* 6. 20. *Judæ v.* 23. 1 *Cor.* 10. 31. *tum* quod speciem mali habent: *tum* quod offendiculo sunt proximo: illa enim dum ita dicuntur dum ad vivum repræsentantur, doceri videntur: dum malitia atque improbitas eorum sub personâ autorum Diabolicis artibus, & ἀπάταις palliatur, utique facilè animis hominum non ita bonorum obrepunt, eosque ad imitationem occultâ quâdam suadâ irritant. Idem ferè statuendum de historiis tragicis, & tristibus casibus. Vix enim tales sunt, quibus heroica vitia, aut gravia scelera sive eorum qui patiuntur, sive eorum qui agunt, non intercurrant: qualia tempore & loco opportuno narrare seu nudè historicè referre quidem licet; non æque dramaticè & verbis & gestibus imitari. Vide supra de lege & Euangelio, ad locum *Rom. 7. v. 4. 8.*

vi. *Concl.* Comœdias historicas, quæ gesta fortium virorum, & exempla heroicarum virtutum e. gr. justitiæ, fortitudinis, prudentiæ, liberalitatis & magnificentiæ, amicitiæ, clementiæ, fidelitatis (omnes enim virtutes Theologicas aut Ethicas hic non admitto), quod ad materiam non esse in se & per se illicitas, siquidem forma dramatica mutetur; hoc est, si absint larvæ, fœminæ viris permixtæ, viri fœmineo scemate, abusus nominis divini, satyræ seu comœdia vetus, μωρολογίαι, & joci illiberales, saltationes cum tota natione ac choragio thymelicorum, morionum, & similium. Ita quidem ad exercitium eloquentiæ nonnulli dramata concedere videntur. Quod si nihil aliud sint quam pronuntiationes colloquiorum, aut orationem; utique non tam Roscios hic abhibendos arbitror, quam magistros & discipulos eloquentiæ; non tam collegia scenicorum, quam oratorum. Vide exercitia concertationum, & consultationum oratoria-

rum, in orationibus *Argentin. Melchioris Junii.* Ita tutissimè, nemine refragante, scopum illum assequentur juvenes, qui dramatis istis quæri videntur.

Aliud & ultra si quid hic intenditur παιγνιῶδες, quamvis forte dici non posset esse simpliciter & in se illicitum, serio tamen cogitandum, 1. *an* conducat. 2. *an* tutius sit. 3. *an* non collusio aliqua videatur cum histrionia. 4. Et *an* occasio non detur, ludos scenicos defendendi, & ad eos facilius prolabendi.

Practicorum consilium est, etiam à rebus & actionibus quibusdam quamvis in se non malis, malo tamen proximis, abstinendum esse, ne in mala prolabamur. Quid enim opus tantâ curâ, & tam anxiis cautelis circa actiones per se nec necessarias, nec ita utiles, ut damnum & periculum metuendum utilitati non præponderet? Saltem nihil peccat, qui abstinet, aut qui abstinendum suadet. Dicere enim posset cum Apostolo: *Ostendo vobis meliorem viam.* Quidquid enim usus prætexitur, facile per historiarum lectiones, narrationes, explicationes, nec non orationum aut poëmatum pronuntiationes compensari potest.

VII. *Concl.* De moralibus comœdiis, quibus virtutes modo indicatæ sive in thesi per prosopopoeias, sive in hypothesi per parabolas delineentur, idem ferè censendum est. Quamvis fatear, in illis omnia magis examussim componi posse, omniaque vel in speciem periculosa aut scandalosa omitti: quod in historiis & exemplis, quibus autor astrictus est, ita fieri nequit. Certum tamen est nec Rempubl. nec Ecclesiam quidquam dispendii facturam, si abstineatur.

VIII. *Concl.* Comœdias amatorias, quod ad materiam illicitas esse: sive liciti sive illiciti amoris pragmatiam exhibeant. Scimus has esse magis noxias, si historicæ sint. Sed tamen nec illæ conveniunt: quia tutum non est coram quibusvis spectatoribus, præsertim puellis & adolescentulis artem & formam amandi publice referri. Honesto pudore & silentio tegi debent amorum tum actus tum progymnasmata, si quę sint lege divinâ & naturali concessa. Si quæ exorbitant, ne quidem ista nominanda sunt; nedum ad vivum exprimenda. Quid? quòd Doctoribus moralibus, & Theologis ad informandas conscientias longè alia methodus hic servanda sit, quam in hypothesibus aliorum peccatorum. Sunt enim peccata hęc peculiariter ἐνυπόστατα; & consequenter non tam profundâ eorundem cogitatione directè expugnanda, quam indirectè per cogitationum aversionem: quomodo bellum aliquod geritur per diversionem uti vocant. De quo non malè monet *Vivaldus in aureo opere de veritate contritionis cap. de Luxuriâ.* Ut vel hinc constet, quam imprudenter Casuistæ & Confessarii Pontificii, non tantum latinâ, sed

&

& vulgaribus linguis improbè curiosas & spurcas quæstiones circa peccatum luxuriæ accumulent. De quo *Rivetus in decalogum*, & nos in *Desper. causâ Papatus*, & in 1. *part. Politicæ Ecclesiasticæ lib.* 3. *tract.* 1. nec non ex ipsis Pontificiis nonnulli ibid. cit.

DE EXCELSIS MUNDI,

Ad VII. Decalogi præceptum

SECUNDÆ,

Quæ est

DE COMOEDIIS.

PARS ALTERA.

Resp. JOANNE PETRI CUPIO, Ultrajectino 21. *Octob.* 1643.

HIs ita determinatis, restat inquiramus in actiones scenicas hodiè usitatas. Sunt autem illæ potissimum mixtæ ex amatoriis & satyricis: tales enim ut plurimum & aulas & theatra in Italia, Gallia, Anglia, Belgio, &c. occupant; sive ab histrionibus mercenariis ex professo, sive ab aliis gratis & solo amicos ac fautores oblectandi, iisque placendi studio, datâ occasione instituantur. De dramatis moralibus, theologicis & historicis Jesuitarum, supra diximus *concl.* 1. & 2. De scholasticis puerorum infra disquiremus. §. 4.

Quæritur ergo, *An actiones scenicæ communiter usitatæ sint licitæ?* Affirmant primum homines Epicurei, voluptarii, mundani; & dicti Christiani non pauci partim in religione neutrales, partim tepidi, partim μόρφωσιν εὐσεβείας prætendentes. Illorum manus (volentes, an nolentes nos non dicemus) confirmare videntur scriptores illi, qui contra ecclesias & practicos Theologos eas defendunt; quamvis restrictiones quasdam adhibeant; quas facile negligunt comœdiarum amatores: quippe quibus μετάβασις εἰς ἄλλο γένος committitur, atque adeo prævaricatio in statu controversiæ constituendo, & sic conscientiis miserè imponitur. Neque enim tales actiones exstant in rerum naturâ, quales illi in ideâ sibi fingunt & defendunt; saltem ibi notæ non sunt, ubi pro illis disputant. Inter apologetas comædiarum numero *Albericum Gentilem* J. C. qui peculiaribus tractatibus simul

ex-

excusis, altero causam mendacii, altero histrionum egit. Præterea, ex Casuistis Pontificiis non pauci comœdias etiam haut obscurè probant, aut permittunt. Tantum excludunt eas, quæ continent res admodum turpes & ad Venerem proximè incitantes ac disponentes, in quibus multa impudica & obscœna miscentur, & in quas introducuntur fæminæ adolescentiores ad psallendum & saltandum, quæ gestu, & incessu, & procaci gesticulatione spectatores ad amorem turpem inducunt: quales comœdiæ in Lusitaniâ hodie pervulgatæ. Hic enim ajunt peccare mortaliter & actores & spectatores: secus si comœdiæ & modus repræsentandi sint leviter turpes. Sic *Zanchez*, *Filiucius*, *Bonacina*; & *Petrus Alagona in compendio summæ Thomæ 22. qu. 168. art. 3.* & post eos nuperrimus scriptor *J. Baptista Fragosus Sylvensis Soc. Jesu in Regim. Reip. Christ. part. 1. lib. 1. disp. 2. §. 4.* Sed *Mendoza quodl. 9. quæst. 9. §. 4. 10. 12.* contendit, ne quidem peccari mortaliter illas comœdias spectando, & agendo, quæ à mulieribus peraguntur in Hispaniâ, & apud nationes fere omnes. Qui *ibidem §. 14. pag. 611.* ad testimonia patrum, conciliorum, omniumque gravium scriptorum respondet eatenus tam ægrè & molestè ferre ludos hos, & tam rigidè eos notare & condemnare, quatenus multum lasciviæ & obscœnitatis admittum habere solent. Nam ubi prædictam exuunt turpitudinem, & honestè geruntur, ut ferè fit apud nostrates nunc temporis, peccatum non est, saltem non mortale eos agere, spectare, &c. Aut dixerim, non damnari à scriptoribus ludos hos, tanquam malitiam mortalem habentes, sed solum tanquam inutiles & supervacaneos, & malos venialiter, & dedecentes virum gravem & pium, & disponentes ad peccatum mortale. Sic pleraque alia carpi & exprobrari solent à seriis scriptoribus, quæ tamen, ut patet, peccata mortalia minimè sunt. Ut saltationes, cantilenæ, convivia, apparatus vestium, clientum, ciborum, ædificiorum, negotiationes, ludi chartarum, alearum, hasti ludia, choreæ, ornatus nimius in fœminis, & his similes aliæ vanitates, quę ex genere suo crimina nequaquam sunt. Idem tamen §. 17. fatetur Chrysostomum loco ibidem cit. *directè agere contra comœdias nostri temporis.*

Excludunt etiam amatorias quę in locis sacris aguntur, & quidem ab hominibus spurcis & infamibus. Sic *Mariana de spectaculis.* Ita haut obscurè omnes alias permittunt, juxta illud vulgatum: *Exceptis confirmat legem.* Alii multum in casu conscientię se præstitisse putant, si Clericos ab actionibus & spectaculis excludant. De quo videndi Canonistæ, & *decretum Innocentii 111. cap. Cleric. 2.* De vitâ & honest. Cleric. & cap. *Non oportet. 2.* de consecr. dist 5. Sed recentiores Casuistæ malagma huic duræ disciplinæ invenerunt. Sic enim *Fragosus loc. modo cit. num. 185.* „Nec obstat prohibi-

tum

„ tum esse Clericis, interesse hujusmodi actionibus in *cap. Clerici*, 2. *de vi-*
„ *tâ & honest. Cleric.* & in cap. *non oportet* 2. *de consecr. dist.* 5. Quia hoc
„ illis non prohibebatur sub mortali, ut notat *Zanchez* post Cajetanum *in*
„ *summa*, verbo *Clericor. peccata*, cessantibus tamen scandalo, & contemtu;
„ quæ cessare videntur hodie ex frequentia Clericorum in sacris, (N. B.)
„ qui comœdiis interfunt. Quin & quibusvis hominibus turpes actiones
spectantibus σόφῳ hoc φαρμάκῳ rursum indulgent: *si interfint sine probabili*
periculo ruinæ ob solam vanam curiositatem excusantur à mortali, &c. *Fragosus*
loc. cit. ubi etiam allegat *Antonin. Mendozam, Alcocerum, Filiiucium, Zanchez,*
Bonacinam.

Ex Theologis Lutheranis *Meisnerus*, *in philosoph. sobria*, & *Balduinus in*
Casibus, actiones scenicas defendunt, sed additis cautelis ac limitationibus,
1. ut sint sine larvis seu mascaradis: quæ vix sine peccato usurpantur. 2. Ut
absit verborum lascivia, obscœnitas, cum scurrilitate. Sic *Balduinus lib.* 4.
cap. 1. *casu.* 2. Ex reformatâ ecclesiâ nonnulli in Angliâ & scriptis & praxi
suâ scenicas actiones, non tantum in aulis, sed & in Academiis seu Aca-
demicis collegiis (ubi olim non infrequentes) defenderunt; (ut *Harwodus*,
& *Thomas Lodge*) sed additis limitationibus. Quo judicio, & quâ sincerita-
te nonnulli dicti Theologi ibidem actoribus patrocinati sint, vide in *Ame-*
sio lib. 5. *Casuum*, *cap.* 34. Opinioni & praxi eorum oppositi fuerunt se
piissimi Theologi Anglicani, quorum tractatus vernaculo sermone editi;
quales *Stubs*, *Gosson*, *Northbrooke*, & magnus *Raynoldus*, aliique anonymi,
quos citat celeberrimus JC. *Anglicus Gul. Prynne in panario* illo suo seu ma-
vis horreo de comœdiis, cui tit. *Histriomastix*, *pag.* 697. 698. Nos non
obstantibus dubitationibus, & implicationibus quorundam, cum totâ anti-
quitate, primisque Reformatoribus, & reformatis ecclesiis, præsertim in
Galliâ & Belgio universim actiones scenicas hodie usitatas improbamus;
rationibus ducti partim generalibus, partim specialibus, quas nunc brevi-
ter proponimus.

Rationes generales sunt istæ. §. 5.

1. *Argum. Quia* vitia dum ad vivum dramaticè repræsentantur, &
actorum & spectatorum animis tacitè obrepunt, inque eos per duas fene-
stras, aures scil. & oculos confertim illabuntur. Probatur *Primo* argumen-
to à minori ad majus: si enim mala dum dicuntur, docentur & affricantur,
quid fiet cum mimeticè repręsentantur? Vide *Ephes.* 5. *v.* 3. coll. cum
1 *Cor.* 15. *v.* 33. Fortius autem hoc argumentum stringit, si applicetur ad
vitia contra septimum præceptum, quæ plerumque in theatris exhibentur.
Vide practicos de prophylacticis & remediis luxurię. *Secundo*, ex eo, quod
vivis & malè ingeniosis atque artificiosis istis repræsentationibus, hominum

imprudentiorum & ad vitia proclivium animi ſenſuali illâ delectatione affecti, reddantur molles, effeminati, vani, leves; quin & hominum minimè malorum conſcientiæ extra compages ἀκριβείας, & piæ ſolicitudinis paulatim abripiuntur. *Tertio*, Quia & in ſe peccatum eſt, & non poteſt non ad peccata inducere, quod hominum peccata ſanguineis (ita loquar) lacrymis (ita loquar) potius deflenda, fiant materia riſus & oblectionis carnalis, contra *Pſ.* 119. *v.* 136. *Jeſ.* 24. 16. *Jer* 9. 1. *Rom.* 7. 24. Certum autem eſt in hodiernis comœdiis ſpectatores plerunque oblectari mimicâ repræſentatione ſtultitiæ, imprudentiæ, vanitatis, luxuriæ, avaritiæ, ambitionis, mendacii, *Quarto*, quia his ſpectaculis multi accuratè docentur vitia, quę abſque jacturâ pietatis hactenus ignorant, aliis, qui ea nôrunt, nimis familiaria redduntur; & ſic minus abominanda: cum tamen ad eorum cogitationem, nedum mentionem exhorreſcere debebant. Hoc argumentum noſtrum quomodo urgeant & amplificent patres, vide apud *Tertullianum*, *Salvianum*, alioſque infra cit. Quin & ipſum *Senecam*, alioſque ſcriptores profanos ibid. cit.

II. *Argum.* *Quia* ab omni ſpecie mali abſtinendum 1 *Theſſal.* 5. Atqui vitia tum verbis tum factis & geſtibus ludionum expreſſa & mimeticè commiſſa, ſunt ad minimum ſpecies mali: quicquid ſit de honeſto ipſorum animo, & intentione.

III. *Argum.* *Quia* ipſi ſermones, & geſtus ſunt per ſe mali; quippe habentes objectum malum, & ſignantes atque exprimentes externè nil niſi malum. Et ratio conſequentiæ eſt. *Primo*, quia non tantum interior ſed & exterior homo, non tantum anima ſed & corpus debet inſervire Deo & virtuti; non verò peccato, diabolo, mundo. Vide 1 *Corinth.* 6. 20. *Roman.* 6. 12. 13. 2 *Corinth* 7. 1. 1 *Corinth.* 10. 31. 32. *Secundo*, probatur à pari in caſu communionis externæ cum idololatriâ, aut cultu ſuperſtitioſo per verba & geſtus. De quo differitur ad tertium decalogi præceptum, ubi de fidei profeſſione; & ad primum præc. ubi de idololatriâ indirectâ & participatâ: de quâ nos fusè 3. *part. Jel. diſpp. tit. de ſuperſtitione, & de Idololatriâ.* *Tertio*, Quia omne multiloquium, omnia verba & facta otioſa, omne turpiloquium, omnis μωρολογία, omnis abuſus nominis divini, omniſque abuſus linguæ implicat peccatum; uti docetur ad tertium & nonum decalogi præceptum: atqui ex illis conflatæ ſunt comœdiæ hodiernæ; & hæc ſi ipſis tollas, nullæ erunt.

IV. *Argum.* Quia repugnat ſimplicitati, εὐπλοΐᾳ, εὐχημοσύνῃ, modeſtiæ, & σεμνότητι Chriſtianorum inſtar Protei in omnes formas ſe vertere, omnes perſonas hominum vitioſorum induere, quælibet vitia præ ſe ferre & effingere, quorumvis voces & ſermones imitari, quorumvis ſchemata etiam mu-

muliebria (contra *Deuter.* 22. *v.* 5.) induere, quibuslibet quorumlibet gestibus & gesticulationibus seipsos quasi abnegare; idque otiosè & ad solam carnalem oblectationem.

v. *Argum.* Quia ut ut ipsi actores, aut aliqui spectatores tam cerei & fragiles non essent, qui istis ad vitia moverentur: scandalum tamen præbent aliis, carnalibus aut infirmioribus; qui exemplo ipsorum tracti ad spectacula, facile in tentationes & peccata prolabuntur. Vide de talibus scandalis *Matth.* 18. *v.* 6. 7. 8. coll. cum 1 *Cor.* 8. *v.* 12. 13.

vi. *Argum.* Quia plurimi effectus noxii & damnosi in Rempublicam, ecclesias, familias ex actionibus illis redundant. Nos breviter nunc istos notamus 1. Corruptionem juventutis. 2. effæminationem civium. 3. Otium, ignaviam & jacturam temporis. 4. Neglectum vocationis, & laborum utilium. 5. jacturam sumtuum; quos profundunt & actores & spectatores: qui melius in alia necessaria, aut utilia impendi possent. 6. Satyricas & contumeliosas derisiones non tantum eorum, qui culpæ alicui affines sunt; sed etiam minimè malorum, quin & nonnunquam optimorum. Unde æmulationes, contentiones, rixæ, dissidia, scismata, contemptus Magistratuum, verbi ministrorum, virorum honoratorum.

vii. *Argum.* Quia origo illarum merito eas suspectas facit. Originem enim habent à Diis Gentilium hoc est, à dæmoniis; & eorum instinctu, mandato & indicio à Gentilibus ad eorundem honorem institutæ sunt. Uti ex antiquariis & philologis initio citatis cuivis constare poterit. Nos tantum hic indicamus testes aliquot omni exceptione majores, in antiquitatibus Gentilium versatissimos, *Tertullian. cap.* 5. 7. 10. 24. *de spectaculis; Clement. Alexandr. orat. exhort. ad Gentes, fol.* 8. *Arnob. adv. Gentes lib.* 7. *Lactantium de vero cultu c.* 7. & *de Origin. erroris c.* 8. *Augustin. lib.* 1. *de civit. Dei c.* 32. *& lib.* 4. *c.* 26. *ac ibid. Ludov. Vivem* Adde *Valerium Maxim. lib.* 12. *c.* 1. *Salvian. lib.* 1. *de gubernat. Dei.*

viii. *Argum.* Quia hostes & antagonistæ earum, qui sunt doctissimi, piissimi, & prudentissimi quique Christiani, quin & sapientissimi & honestissimi quique Gentiles (uti infra dicetur,) debebant eas omnibus piis suspectas reddere: Judicium enim & consensus eorum, etiam ubi determinatio in æquilibrio est, in illam partem potius libram inclinare deberent; præsertim cum in casibus conscientiæ agitur de abstinentiâ à re aliquâ; à quâ absque periculo aut jacturâ salutis animarum, etiam absque damno Reipubl. facile abstineri potest.

ix. *Argum.* Quia actores, spectatores, defensores earum multis modis scandalum præbent: myriadas piarum animarum tristitiâ afficiendo, pastores ecclesiarum vexando & irritando, conscientias infirmiorum percutien-

do, manus carnalium hominum confirmando. Quod quantum malum sit, constat ex 2 *Corinth.* 2. *v.* 3. 5. & 1. *Corinth.* 8. 12. 13.

x. *Argum.* Quia adjuncta, ornamenta & appendices comœdiarum sunt mala. De quibus in argumentis specialibus mox dicendum erit.

Sint ergo argumenta specialia, desumta ex gradibus aut additamentis vanitatum & periculorum, quæ his aut illis dramatis, peculiariter aut magis adhærent.

1. *Argum.* Quia si spurcæ & obscœnæ sint actiones, non multum differunt theatra à lupanaribus, immò quodammodo ea superant, quod ibi turpia intra privatos parietes & quasi in occulto dicantur atque exhibeantur, hic vero publicè. Hàc conditione actionum scenicarum (quales in Hispaniâ & Lusitaniâ) permoti *Fragosus* loco cit. & *Mariana libro de spectaculis*, tales absolutè condemnant, iisque applicant rationes Patrum & Decreta Concilior. quæ infra indicantur.

11. *Arg.* Si fœminæ in scenam producantur, quæ cultu suo, gestibus mollibus & lascivis, omnibusque verborum atque actionum blanditiis & lenociniis oblectant spectatores: castitatis scopuli, & libidinum officinæ sunt. Considera *Matth.* 5. *v.* 28. *coll. cum Job.* 31. *v.* 1.

111. *Arg.* Larvæ, & larvati actores, nihil moderabile suadent, non magis quam nox, & amor vinumque. Et jure applices illis dictum Christi Johan. 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Atqui excellentioribus ac variegatis dramatis admiscentur plerumque larvatę, sive choreæ, sive gesticulationes.

1v. *Argum.* Saltationes sunt illicitæ; uti demonstratum *disp.* 1. Illas autem esse partem comœdię, si non essentialem, saltem integralem principalem, constat ex philologis initio citatis.

v. *Argum.* Musica lasciva seu theatralis, joci scurriles, omnesque lusus thymelicorum ac morionum, sunt animis infirmis insidiosa. Atqui illa sunt condimenta, immo anima comœdiarum.

v1. *Argum.* Dii Gentilium, eorumque gesta partim fabulosa, partim nefanda; eorundemque Deorum cultus, invocatio, alloquium, sunt abominanda & fugienda Christianis. *Psal.* 16. *Hos.* 2. *Zachar.* 13. hinc in scripturâ Deastri illi vocantur גלולים q. d. *stercorei Dei*, & עצבים, id est, *dolores*, & אלילים, id est, μάταια *vanitates*, & און, id est, *vanitas*, *molestia*, & בשת, id est, *pudor*, *pudendum idolum*, & מפלצת, id est, *horror*, *horriculum*. Quomodo ergo cum delectatione & ad aliorum carnalem oblectationem, eorum personas quis sustinere, gesta commemorare & deprædicare, eosdem adorare potest? Arqui hoc fieri in comœdiis, pervulgatum est. Ex patribus *Augustin. lib.* 2. *de civit. Dei c.* 3. *Tertullian. apolog.* c. 15.

c. 15. Cyprian. epist. 2. Comœdias urgent hâc infamiâ, quod tales Deos exhiberent, qui flagitiis pessimis hominibus pares essent, aut eos superarent.

VII. *Arg.* Quia personæ ethnicæ ex antiquis historiis aut fabulis sustineri non possunt, sine imitatione & expressione improborum factorum, & dictorum contra honestatem; nec non Ethnicorum abusuum nominis divini per temeraria aut idololatrica juramenta, vota, preces, blasphemias, fidei seu perfidię professiones, sacrificia, lustrationes, alioque ritus superstitiosos. Idem dicimus de personis & factis Mahumedisticis, Judaicis, Magicis, Atheis, &c.

VIII. *Arg.* Quia personę lenonum, lenarum, parasitorum, proxenetarum Venereorum, stolidorum & lascivorum adolescentum, meretricum, pellicum, concubinarum, improborum servulorum, ancillarum, Sejanorum, & malorum consiliariorum, hominum mendacium, perfidorum, &c. salvâ honestate & conscientiâ sustineri nequeunt.

IX. *Argum.* Quia ne quidem personæ piæ suscipi, eorumque pia consilia, dicta, facta exprimi possunt, absque eorundem affectuum imitatione & sensu. Nefas enim est ludere in rebus piis, & ex iis carnalem oblectationem capere. Quis enim ferat aliquem per ludum & jocum attollere oculos in cœlum, Deum testari & precari, suspirare liberationem ex malis, &c.

X. *Argum.* Quia est species mali, & collusio cum Ethnicismo; immo est fidei quædam abnegatio, ut loquitur *Salvianus.* Ratio est, quia nefas est solennes ludos in Deorum Gentilium honorem institutos, & cultus Gentilis partem observare, aut saltem observatione illâ colludere aut συμβολίζειν: uti docent argumenta nostra contra idololatriam indirectam allata, in *disp. de Idololatr. indirectâ.* Jam vero comœdias esse ludos in honorem Deorum celebrari solitos, & esse cultus Gentilis partem, colligitur ex *1 Corinth. 10. v. 7. Tertullian. apolog. c. 38. & de spectaculis cap. 4. Lactant. lib. 6. cap. 20.* & in *epitome divinor. decretor. c. de spectaculis, Chrysostom. in 4. Matthæi homil. 31. Salviano de Provid. & Augustin. lib. 2. de Civit. Dei c. 13.*

XI. *Argum.* Quia indigna est symbolizatio cum Papatu, aut turpis cum moribus eorum συγκρίβασις; cum festa trium Regum, Martini, Nicolai, aut encœnia; & Bacchanalia illis ludis cohonestantur: uti non raro fieri solet. Vide de pseudo-Festorum observatione *3. part. sel. disp. tit. de Bacchanalibus, & de Festis, & de Idololatr. indir.*

XII. *Arg.* Quia ludis illis tristissimè profanatur dies dominicus. Hodie aliqui putant, alieno tempore exhiberi comœdias, aut profanari diem dominicum, si tunc non exhibeantur.

XIII. *Arg.* Quia mercenarii histriones plerumque sunt homines moribus

bus perditissimis, qui pudorem omnem exuerunt. Jam vero periculosum est, tales juventuti dari tanquam publicos antecessores, & quasi morum magistros. Quos Jus civile infamiâ notavit: ut infra indicabimus. Ne dicamus honestorum parentum filias, ab illis aliquando pellici, & ad illicitam conversationem aut infelix, saltem inæquale, conjugium abduci.

§. 6. Accedat nunc universalis piorum & bonorum consensus, quem per istas classes distribuimus.

1. *Classis*; Antiquæ ecclesiæ 1. *Praxis*, quæ histriones non recipiebat ad baptismum; nequidem spectatores ludorum. De quo *Salvian. lib. 6. de Gubernat.*; & dictæ constitut. apostolicæ *lib. 8. cap. 32. Epiphanius in epitome doctrinæ Christianæ*; *Chrysostom. homil. de Davide & Saule: Tertullian. de spect. c. 4. 6. 24. Augustin. l. 4. de symbolo ad catechum. c. 1. Cyrill. Hierosol. cateches. 1. Isidorus Pelusiota.* Et tunc quidem communis tessera erat Christianorum, abstinere à spectaculis; quod etiam tanquam commune opprobrium objiciebatur ipsis à Gentilib. Sic *Tertullian. apol. c. 38. 42. Anthenagor. in legatione, Tatianus adv. Græcos, Minutius.*

11. *Concilia*, ut *Eliberinum can. 57. 62. 67. Sextum Concil. universale Constantinopol. in Trullo can. 62. Arelat. 2. can. 20. Carthagin. prima. 399. can. 11. & 33. & Carthag. 4. a. 401. can. 86. 88.* Reliqua vide in *Photii Nomocanone.*

111. *Doctores*, inter quos ex professo & operosè hoc agunt *Tertullianus in libro de spectaculis*, & *Cyprianus de spectaculis*; & *Salvianus libr. 6. de providentiâ*; qui studiosis nostris aliquando ex professo legendi, una cum notis & commentariis. Adde nunc testimonia *August. lib. 2. de civit. Dei c. 7. & 13. & tract. 133. in Johann.*, *& lib. 1. de consensu Euangelist. c. 33. Clementis Alexandr. lib. 3. pædag. c. 11. Cyprian. epist. 2. Lactant. divin. Instit. lib. 6. c. 20. Basil. de legendis libris Gentilium; Chrysostom. homil. 6. in Math. 2. homil. 3. de Davide & Saule, & homil. 69. in Math. 21. & homil. 8. de pœnit. & homil. 15. ad popul. Antioch. & homil. 42. in Acta, Isidori Pelusiot. epist. 463. & 517. lib. 5. epist. 186. edit. Lat. an. 1629.* Romæ in 8. *Arnobii contra Gentes lib. 4. Hippoliti de consummatione sæculi*; *Theophili Antiocheni ad Antolycum lib. 3. Minutii Felicis in Octavio*, &c.

Except. Atqui antiquitas condemnavit spectacula idololatrica; qualia non sunt hodierna: consequenter argumentis & autoritate ejus minime feriuntur. *Resp.* Negatur eo nomine solum condemnasse. Contra dicendum, eos imprimis etiam urgere, quod illiciis illis vanitatis, & libidinis, mores corrumperentur. Vide *Augustin. lib. 2. de civit. Dei cap. 7. Tertull. de spectac. cap. 10. Clementem Alexandr. Cyprian. Lactant. Salvian. loc. cit.*

11. *Classis*, ecclesiæ partim intermediæ, partim corruptæ, usque ad tempora reformationis 1. Concilia Gallicana, videant studiosi apud *Bochellum*; *libr. 6. tit. 19.* imprimis *c. 7.* & alia tum Generalia tum particularia in *epito-*

me

me Caranza. 2. Doctores, ut *Rabanus Maurus lib. 20. de universo cap.* 38. *Bernardus*, aliique quos notavit *G. Prynne actu* 6.

111. *Classis*, ecclesiæ reformaræ 1. praxis, quâ perpetuo restiterunt collegiis Rhetorum, histrionibus mercenariis, aliisque omnibus; donec à Magistratibus prohiberentur. 2. Concilia, & constitutiones ecclesiast., ut *eccles. Gallic. c.* 14. *disciplecclesiast. Synod. Nationalis seu generalis Dordracena a.* 1578. *quæst. partic.* 43. *Middelburgensis* 1581. *qu. part.* 93. Synodi Belgicæ provinciales seu particulares, *Hollandiæ australis, Hagæ-comitana* anno 1634. *artic.* 60. Ibid. anno 1581. *artic.* 37. Et anno 1644. *artic.* 32. *Delfensis* a. 1596. *artic.* 30. Ibid. anno 1607. *artic.* 21. Ibid. anno 1647. *artic.* 36. *Gorcomiensis* anno 1642. *artic.* 47. *Leidensis* anno 1649. art. 17. Ibid. anno 1592. *art.* 58. ubi duo collegia actorum seu rhetorum istius urbis (Hollandicum scil. & Flandricum) causam suam coram synodo conabantur tueri: sed frustra, eâdem in anterioribus decretis perstante. Imprimis memoranda *synodus Zelandicæ Tolana anno* 1602. *artic.* 42. quæ ab Ill. Ordd. petebat, ut comœdiæ Belgicè, Latinè, Gallicè in scholis aut alibi agi solitæ prohiberentur. Contra actiones comicas puerorum in scholis Latinis determinat *synodus Hollandicæ australis Hagiensis anno* 1634. *artic.* 60. *synod. Noort-Holland. anno* 1618. imprimis anno 1583. & 1586.

3. Doctores, *primo* qui ex professo peculiaribus libris hoc agunt, quales Theologi Angli supra cit. quibus accensemus *Gul. Prynne*, quamvis professione JC., qui merito promus condus dici debet. Ex Gallis *Rivet. Gall.*; ex Belgis *Nolthenius* tract. Belgico; & Anonymus *J. H.*, qui anno 1639. spissum volumen *Gul. Prynne*, in epitomen Belgicam contraxit, & de suo nonnulla utiliter inseruit. *Secundo*, qui in locis communibus, in moralibus & Casibus conscientiæ, aliisque in scriptis Theolog. comœdias oppugnant, aut condemnant: uti *Martyr, Aretius, Danæus, Perkinsus in Casibus consc. Amesius in cas.*, *interpretes in decalogum*, &c.

IV. *Classis*, ecclesiæ recentioris, Pontificiæ, in quâ subinde vis veritatis, & αὐτοκατάκρισις conscientia erumpit. Vide *Bochelli decreta eccles. Gall. loc. cit.* Et concilia provincialia *Hildesheim, Trevirens.*, *Colonienſe, Moguntinum, Mediolanense*, &c. Quin & ipsum *Conc. Tridentin. sess.* 24. *cap.* 12. Quamvis autem pleraque non satis condemnent comœdias in totum & absolutè, sed cum restrictione aliquâ: satis tamen inde constat quid interiori conscientiâ putârint sentiendum, quamvis corruptelis sæculi & consuetudini se nimis accommodent: His adde Jus Canonicum & Canonistas à *Cellotio Jesuita orat.* 3. *in histriones cit.* Denique Theologos scholasticos, & recentiores quos vide apud *Prynne, actu* 6. *scenâ* 4. Adde *Bonaventuram in commentar. Luc.* 6. *p.* 273. edit. in 8. ubi histriones exsertè condemnata. *Rovenius lib.* 2. *Republ. Christ. c.* 37. archiactores Jesuitici.

V. *Classis*,

v. *Classis*, Politiæ, & politicorum: ubi 1. *Jus civile Romanum L. 2. D. de iis qui notantur infamiâ*, cum suis interpretibus, quo Histriones judicantur infames. Hinc *Augustinus lib. 2. de civit. Dei c. 13.* incessit Deos & cultum Deorum Gentilium. 2. Leges aliarum Gentium, & Rerumpubl. Statuta Anglicana habet *Gul. Prynne actu 6. scenâ 6. Decreta Hollandiæ 1594. 10. Martii, & 1595. 10. Decembr. Decretum Reipubl. Amstelredamensis de sanctificatione Sabbathi anno 1624. artic. 6.* Et *Harlemensis de eadem anno 1636. 3.* Testimonia sapientum, & politicorum, *Patric. lib. 2. de Repubi. tit. 6. Bodin. lib. 6. de Republ. Canonhierus lib. 9. Politicæ cap. 6. Rittershusius in comment. ad Salvianum pag. 222. Idem lectionum sacrarum pag. 356. & 364. Adamus Contzen Politic. lib. 3. c. 13. Alexand. ab Alexandro lib. 3. c. 9. Rhodigin. lib. 8. c. 7.* imprimis & *Tholosanus syntag. juris lib. 39. cap. 5. Casauboni exercit. ad Baron. p. 294. edit. in 4.* 4. Praxis politiar. reformatarum, etiam in nostro Belgio: ubi omnibus fere ex civitatibus exulant, nominatim ex inclytâ hâc urbe Ultrajectinâ. Excepto, quod annis 1662. aut 1663. & hic, & in variis Hollandiæ civitatibus nescio quam recidivam aut eclipsin passi sint aliqui senatores, ut exclusos tot annis circumforaneos & mercenarios histriones tunc admitterent: frustra monentibus & obtestantibus verbi ministris, & reclamantibus inter senatores, quorum melior sententia menti. Atque hęc quasi prędudia istius tragœdię, an tragicocomœdię, quam annis 1664. 1665. 1666. per pestem, bella, &c. in Belgio actam spectare coacti sumus. 5. Illustria exempla virorum Principum. Deputati Ill. Ord. Hollandię in extracto Potentibus Hollandiæ Ordd. ex libello supplice Deputator. synodicorum exhibito anno 1624. numerant comœdias inter peccata clamantia, quę terram premunt & iram Dei in eandem concitant. Imprimis hic allegandus Jesuita *Cellotius*, cujus orationes a. 1631. editæ in 8. ubi tres exstant contra histriones. Citatur & *Joh. Dominici Jes. tract. & Jac. Alberti concio c. eosdem, sed neutrum vidi.*

VI. *Classis*, extraneorum à fide Christi; 1. leges Gentilium. Apud Romanos poterat quis repudiare uxorem, si absque consensu mariti spectaculis interfuisset. *L. consensu de repudiis.* Vide exemplum apud *Valer. Maxim. lib. 6. c. 5.* Massilienses non admittebant spectacula apud *Valer. Max. lib. 2. c. 6.* Ejiciebant ea Lacædemonii, apud *Plutarchum in Institut. Laconic. 2. Doctrina* sapientum inter Gentiles, *Seneca epist. 7.* ubi illustre testimonium, *Plato lib. 8. de Republ. Aristotel. lib. 7. cap. 17. & lib. 8. c. 3. 45. Plutarch. lib. 7. sympos. 4. 8. 3. Consilia*, facta, & exempla Gentilium, *Tacitus lib. 4. annal.* refert histriones pulsos Italiâ. Videndus locus, & conferendus cum *lib. 14.* Et *Dion Cassius lib. 57.* ubi refert causas, cur lex lata contra Histriones, & omnes à Tiberio ex urbe ejecti sint. Plura indicat *Gul. Prynne 4. Etiam Mahume-*

humediſtarum, Refert *Georgius Elmacinus lib. 2. Hiſtor. Saracen. cap. 15.* Muhammedum Aba-Abdalla Calipham. 35. ſimulac creatus eſſet Calipha, rejeciſſe cantores & mimos, augurefque exulare juſſiſſe. 5. Accedit praxis contraria peſſimorum & monſtroſorum Principum inter Gentiles; qui ſpectacula ſectati ſunt, introduxerunt, reſtituerunt; quales Caligula, apud *Dionem Caſſium lib. 59.* Nero apud *Suetonium*, Commodus apud *Herodianum.* Alii ſi qui videbantur melioris frugis non conceſſerunt, niſi aſtu politico, ut populum abducendo à conſiliis & factis melioribus, injuſtam uſurpationem & tyrannidem ſtabilirent. Exemplo eſt Auguſtus apud *Tacitum annal. lib. 1.* & Theodoricus rex Gothorum, cujus Conſtitut. vide apud *Goldaſtum tom. 3. pag. 31. cap. 17. 18. 19.* Quo ipſo eadem haut obſcure condemnantur. 6. *Denique*, artes, ſophiſmata, incruſtationes, effugia, immo fugæ, pudor, & nuditas eorum, qui defendunt: quæ vel ex eo maximè liquet, quod à pudore ſuo impetrare nequeunt, ut ea defendant aut laudent, qualia revera ſunt, ſed ſubdolè alia fingant ac ſubſtituant, quæ nunquam, aut vix reperias.

Diſputatione ita peractâ, educimus iſta poriſmata,

1. Actiones Scenicas, ut partes ſacrorum, aut quaſi partes non habendas; quod antehac factum in Papatu, ubi diebus & in locis, (juxta ipſorum religionem) ſacris. h. e. in templis populo exhiberi ſolent, quęvis profanæ, ludicræ, & obſcœnæ: indicante *Marianâ in libro de ſpectaculis*, & Sanctione pragmatica ſeu decreto *Concilii Baſilienſis tit. de ſpectaculis in eccleſiâ non faciendis.* In quo quidem Gentiles apertè imitantur.

11. Actores ſcenicos, (imprimis mercenarios, aut qui ex profeſſo & ex certo quodam inſtituto gratis hoc agunt), non eſſe ad communionem admittendos, aut in ea retinendos. *Concil. Conſtantinop. in Trullo can. 62. Cyprianus epiſt. 61.* negat communionem illi, qui in theatro non ludebat, ſed ſolummodo adoleſcentes privatim docebat artem repræſentandi fœminam.

111. A Chriſtianis non eſſe ſpectandas; imprimis non à puellis aut fœminis. Verecundia illius ſexus talibus ſollicitari non debet, ne exercitiis illis tandem in nimiam παῤῥησίαν, immodeſtiam, impudentiam, ne quid gravius dicam, prolabantur, dum comtæ & ornatæ certatim eò à viris aut juvenibus adducuntur; & ſpectatum veniunt ut ſpectentur & ipſæ. Vide teſtimonia, & in iis rationes apud *Cyprian. epiſt. 2.* & *Tertullian. de ſpectac. c. 17. Auguſtin. epiſt. 202. Chryſoſtom. homil. 6. in Math.*

1v. Fideles per cunſuras eccleſiaſticas à ſpectaculis illis eſſe abducendos. Hæc praxis antiquæ eccleſiæ, quæ neminem admittebat ad baptiſmum, niſi qui renuntiaret Diabolo cum omnibus pompis & ſpectaculis ſuis; & hodiernæ reformatæ: uti theſi præcedenti oſtendimus.

v. Verbi ministris nulla ratione concedendum, ut spectaculis intersint ne quidem intra privatos parietes. Vide *Concil. Laodic. can.* 54. & decreta Ludovici Pii anno 818. in comitiis *Aquisgran. cap.* 27. & *Bochellum loc. cit.*

vi. Histriones, postquam vitam illam deseruerint non esse ad ministerium ecclesiæ promovendos, saltem ordinariò, ex 1 *Timoth.* 3. *v.* 7. atqui non habet bonum testimonium, qui civiliter infamis est. Consentit *canon ex Augustino* depromtus. *can. maritum. dist.* 33. Immo *can.* 18. Apostolorum (ita dicto) excluduntur ab ordine sacro, qui scenicam duxerit in uxorem. Quid extraordinariò sive in casu necessitatis, sive gravissimis de causis aliter hic fieri possit; prudenter despiciendum.

vii. Actiones scenicas, & pantomimorum non tantum moderandas & inhibendas à Magistratu, sed etiam plane prohibendas: siquidem potestas & potentia præsto sit.

viii. Non esse immunes à peccato, quicunque in spectacula illa sumtus præbent, aut præfecturam eorum gerunt, aut populo ea exhibent, aut exhiberi curant, aut actores privatim instruunt, atque adeo μιμήσεις ipsis præformant. Olim munera Ædilium apud Romanos, sacerdotum, choragorum, & similium vel hoc nomine peccatis polluta erant. Confer quæso *epist.* 61. *Cypriani* supra citatam. De sacerdotibus Gentilium & Asiarchis occasione *disp. de Idololatria indirecta*, ex *Gabr. Albaspino actum* 3. *part. sel. dispp. p.* 569. Vide de peccato eorum, qui expensas faciunt in spectacula *Basil. serm. in divit. Arno. adv. Gentes lib.* 4. *Nazian.* 2. *ad Selenc. de recta educat. Leonem in octavo Petri & Pauli. Thomam* 22. *qu.* 168. *art.* 2. *&* 3.

ix. Nec illos esse immunes qui actoribus comœdias scribunt, ac subministrant. Probatur ex theologia de participatione peccati alieni.

x. Horrendum & abominandum imprimis esse, comœdias componere aut agere, quibus verbum Dei, orthodoxa religio, praxis pietatis, ecclesiasticum ministerium deridentur. Exempla habent *Socrates lib.* 1. *histor. eccles. cap.* 6.

Sequuntur præcipuæ objectiones & exceptiones pro comœdiis, quas quia satis contuderunt *Amesius* & *Rivetus*, & operosiss ac pleniss̃imè *Gul. Prynne*; hic verbo perstringimus.

I. *Object.* Quia faciunt ad oblectationem, seu ad *solatium hominibus exhibendum* (ut loquitur Petr. Alagona Jesuita in compend. summæ Thomę 22. qu. 168. art. 3.): *Officium*, inquit, *histrionum*, *quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est ex se illicitum, nec ipsi sunt in statu peccati, modo moderatè ludo utantur, quia ad ea, quæ sunt utilia conversationi humanæ, possunt deputari aliqua licita officia. Resp.* De solatio illo, & de utili, deque officio

officio histrionum audiatur nubes illa testium ex antiquitate, quos supra citavimus: ut habeant Jesuitæ pudorem.

II. *Object.* Quia *mores informant*, inquit, *Balduinus* loco supra cit. Utilitates illas ita per partes explicat Berneggerus in quæst. miscell. ex Taciti Germania & Agricola qu. 96. *Per istas avocantur multi à perniciosis in Rempubl. consiliis, aut actionibus aliis, quas animi forte causa susciperent, minus decentes & laudabiles.* Et paulo post: *spectacula & ludi scenici mores hominum varios graphicè & ingeniosè depictos exhibent: multa, eaque præclara doctissimorum hominum inventa commonstrant: ponunt ob oculos res veneranda antiquitatis eximias, atque laudabiliter gestas: vocis vultusque moderationem ostendunt: quomodo affectus movendi, & variæ passiones regendæ, declarant: præbent denique famæ, nominisque acquirendi occasionem commodissimam.* Hos, similesve usus obtendunt etiam patroni earum in Angliâ, quibus *Amesius*, *Prynne*, *Raynoldus*? &c. occurrunt. *Resp.* Alia sunt gymnasmata ad relaxationem animi & corporis, aliæ artes (scil. poetica, oratoria, historica, pictura,) quarum auxilio dictos fines assequi possimus, absque periculis & dispendiis supra ex mente scripturæ & consensu antiquitatis enumeratis. Antiquorum dicta vide bonam partem exhibita à *Gerh. Joh. Vossio lib. 2. poëticæ cap. 34. 39.* Audi etiam *Isidor. Pelusiot. lib. 3. epist. 33.* „*Heroni Rempublicam gerenti.* Scenicis vir optime summum hoc studium est, non ut „per ipsorum cavillos (Gr. σκώμμασιν) multi meliores reddantur (quemad„modum ipse, dixisse teipsum, & eos, qui te audiunt; decipiens) verum „ut multi peccent. Etenim in spectatorum improbitate felicitatem suam „constitutam habent. Ita fit, ut si illi meliores efficiantur, sua his ars peri„tura sit. Quamobrem nec unquam eos, qui delinquunt, corrigere in ani„mum induxetint, nec si velint, id possint. Mimica enim eorum ars natu„râ tantummodò ad nocendum comparata est.

Hæc velim legant, aut legi sibi curent, una cum *Tertulliani lib. de spectaculis cap. 17.* qui πόλεμον ἄσπονδον contra fidos Christi & ecclesiæ ministros, ob similia monita susceperunt. Quâ occasione etiam improbus & famosus libellus in ministros anno 1663. ab anonymo scriptus est: quem notamus in *Exercit. pietatis cap. 24. p. 759.-779.*

III. *Object.* Possent tragœdiæ agi ablegatis comicis morologiis, jocis, & risibus. *Resp.* 1. gravia, enormia, desperata consilia, & facta, immanes crudelitates, quanto cum fructu spectatorum exhibeantur, disce ex patribus supra cit., nominatim ex *Tertulliano cap. 14 & 17. de spectaculis.* Inter alia notatu digniſſimum, quod observat repugnare affectus, quos ciet Spir. S. & quos ciet theatrum; non esse ergo tristitiâ afficiendum Spir. Sanct. 2. Eodem recidunt cum comœdiis, dum vitia hominum, & quidem he-

roica (imprimis incęstus, adulteria, perfidię, perjuria) pessimi affectus, & malesana ac desperata consilia in tragœdiis ad vivum repræsentantur. 3. Ne jam dicam, tragœdiis plerumque intermisceri ludicras quasdam actiones, quæ vernacule dici solent, Klucht-en / Zotte-klupten.

IV. *Object.* Quid si tales instituantur, quę habeant finem honestum, materiam laudabilem, formam & modum agendi honestum, actores honestos? *Resp.* 1. Jam non excipitur pro comœdiis hodiernis; quia tales non sunt. 2. σιδηρέξυλον, seu ideale hoc scenicum, quod fingitur, siquidem esset, non dubito, quin à controversię hujus molestiâ ilico liberandi essemus: Nam scena talis & actoribus & spectatoribus destitueretur. 3. Interim sophismatis illis ἀπαγωγῆς & ἐπεροζητήσεως, pulvillos si non ipsi autores otiosè acutuli, saltem amatores comœdiarum axillis consuunt.

V. *Object.* In scripturâ non prohibentur. Sic *Balduinus loc. cit.* sic & passim inter nostrates chorearum & comœdiarum patroni. *Resp.* 1. Vide quam doctè hanc exceptiõnem excipiant *Cyprianus de spectac.* & *Tertullian. de iisdem cap.* 14. 15. 16. 17. Nos ex *cap.* 17. *pag.* 154. *b.* & 155. *a.* hæc ejus verba exhibemus.

„ Impudicitiam omnem amoliri jubemur (in scripturis scil.) hoc igitur „ modo à theatro separamur, quod est privatum confistorium impudicitię „ ubi nil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia ejus „ de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus gesticulator, quam „ Mimus etiam per mulieres repræsentat, sexum pudoris exterminans, ut „ facilius domi quam in scena erubescant. Quam denique Pantomimus à „ pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula „ publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plus miseræ in præsentia „ fœminarum, quibus solis latebant, perque omnis ætatis, omnis digni- „ tatis ora transducuntur, locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non „ est, prædicatur. Taceo de reliquis; ea quæ in tenebris & in speluncis „ suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat senatus, eru- „ bescant ordines omnes. Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices de gestibus suis „ ad lucem & populum expavescentes semel anno erubescunt. Quod si „ nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire, quæ loqui non „ licet? Cum etiam scurrilitatem & omne vanum verbum judicatum à „ Deo sciamus, cur æque liceat videre, quæ facere flagitium est; Cur quæ „ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admissa „ non videantur hominem communicare: cum spiritui appareant aures „ & oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur; „ Habes igitur & theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ.

Prohibet ergo scriptura per argumenta & consequentias; quamvis non toti-

totidem & expressis verbis. Vide & confer 1. *part. select. disp. tit. de ratione humanâ.*

VI. *Object.* Quamvis tam exactè honestæ & tutę non sint: non sunt tamen abolendæ, nec minutiis & nęvis illis corrigendis tam pręcisè insistendum. *Resp.* 1. Non agitur de prudenti ac necessaria tolerantiâ caritatis privatę, aut autoritatis publicæ, quando malum aliquod tolli non potest: sed quęritur de praxi & approbatione in casu conscientiæ. Quod voluissem candidè & intrepide distinxisset *Balduinus loc. cit.* & *Mariana de spectaculis*, aliique Pontificii, qui hos similesque casus non rarò determinant, secundum receptam consuetudinem, & praxin currentem. Confer supra *disp. de foro poli & soli. Resp.* 2. Quantiratem hujus mali, quamvis quidam extenuent, velim audiant ex patribus, *Tertulliano de spectaculis*, *Cypriano epist.* 2. *& de spectaculis cap.* 5. *Chrysostomo homil.* 6. *in Mattheum*, *Salviano lib.* 6. *de gubernatione Dei*, *Lactantio lib.* 6. *cap.* 20. *Augustino lib.* 2. *de civitat. Dei cap.* 2.-13.

VII. *Object.* Qui in virtute obfirmatus statuit in corde ad malum non velle moveri istis spectaculis, nec in eum finem ea frequentat, videtur tutò ea posse adire. *Resp.* 1. non tantum est dandum curiositati, aut externo solatio seu recreationi, aut consuetudini, aut libidini aliorum hominum, ut volentes scientes nos objiciamus tentationi: cum quotidie Deum precemur, *ne nos inducat in tentationem.* Objici autem quoscunque spectatores tentationi certo certius est, cum raritas ornatus, blanditiæ & poesios, & pronuntiationis, & gestuum, & personarum, & formarum, & vestium atque apparatus certatim sensibus se ingerunt, & sic facile in animum irrepunt. Legantur doctæ & patheticę descriptiones apud patres sæpius laudatos. *Resp.* 2. Quidquid sit de nobis, alios saltem nostro exemplo in pericula illa conjicimus. Atqui præstaret molam asinariam de collo nostro, &c. *Matth.* 18. prętaret oculos nobis erutos, pedes abscissos, &c. *Marc.* 9. quam vel nos vęl proximum nostrum scandalizari. Vide Apostolum de abstinentiâ à rebus per se utilibus, & nonnunquam ad bene esse necessariis pręscribentem. 1 *Cor.* 8. *v.* 7.-13.

Problemata huic controversiæ affinia sint ista. §. 9.

I. *Probl. An à solis puellis, aut faminis drama aliquot exhiberi possit ? Resp. Neg.* multò enim magis indecorum est actoribus, & periculosum viris spectatoribus, immo & utrisque. Vide *Chrysostomum* supra *in disp. de choreis* citatum & *homil.* 6. *in Matheum*; *Tertullianum cap.* 17. *de spectaculis* modo cit. Quod ad sedis & cleri Romani sanctitatem scil. in spectaculis illis retinendis aut amicè tolerandis, jam monuit *Jacobus Capellus lib.* 2. *de sedis Rom. potestate, sanctitate, fide cap.* 5. 6. Addo ego à *Gregorio* 13. motu pro-

prio anno 1575. concessa fuisse equitibus Melitensibus qui in Papatu religiosi propriè dicti habentur, spectacula agitationiis taurorum in Hispaniâ.

II. *Probl. An conducant scenicæ actiones puerorum in scholis sive latinis, sive gallicis? Resp.* Assentiri malim synodis Belgiciis, quæ antehac illas improbârunt. *Noort-Holland.* 1586. & *Zuyd-Holl.* 1634. *art.* 60. & *Zeland. Tolana anno* 1602. Rationes in promtu sunt. 1. *Quia* plerumque ex *Seneca*, *Terentio*, *Plauto*, exhibentur. Atqui contra hanc actionum materiam militant rationes supra thesi secundâ contra comœdias Gentilium allatæ. Et patres illud genus comœdiarum omnino condemnârunt, tum propter Gentilem dæmonolatriam, quæ ibi repræsentatur, tum propter dicta, facta amatoria, impudica; teneris animis actorum spectatorum nimis insidiosa. 2. Si materia & poëma aliud deligatur, manet tamen forma & modus agendi: quem supra oppugnavimus. 3. Datur hinc consequentia & transitus, ad alia quæcunque spectacula & lusus scenicorum. Facile enim est inventis aliquid addere. Vide contra spectacula theatri & circi *Tertullianum*, aliosque ex patribus modo cit. *Photii nomocanonem tit.* 13. *cap.* 20.

III. *Probl. An ergo liceat comœdias & tragœdias conscribere. Resp.* ad actiones negatur. Extra eas ingeniosum illud genus poëmatum nolimus oppugnare. Potest enim sic conscribi, ut innoxium usum præstet & scriptori & lectori.

IV. *An in scholis tum majoribus, tum minoribus eas prælegere? Resp. Aff.* si delectus habeatur, & autorum, qui præleguntur & commentationum, quę proponuntur. Idem judicium esto de expositione quorumcunque poetarum. Sed de hoc alibi, ubi de scholis, agendum est.

V. *Probl. An rectè & prudenter fecerint nonnulli ex societate Jesu (quam ita vocant), edendo in gratiam juventutis scholasticæ Horatium, aliosque poëtas castratos: seu repurgatos ab omni obscœnitate & impietate? Resp. Aff.* Et malim alios literatores hoc imitari, quam Priapeja (ita dicta), *Petronium Arbitrum*, *Catullum*, *Martialem*, *Tibullum* commentationibus suis nimis sedulò illustrare, aut obscœna eorum epigrammata in græcos versus transfundere.

VI. *Probl. An larvatum prodire sit absolutè illicitum? Resp.* 1. De usu larvarum in conviviis, scenis, choreis, aliisque vanitatibus, etiam in insidiis amatoriis aut λῃστρικαῖς, &c. Aff. Multa enim mala ex hac personarum & sexuum occultatione ac confusione oriri possent. Jam vero decet Christianos ambulare non in tenebris, sed in ἡμέρᾳ. *Roman.* 13. 1 *Thess.* 5. Exempla non nulla judiciorum Dei in larvatos refert *Camerarius in horar. subcæliv. part.* 1. *c.* 24. & *Draurolitii Catechismus histor. c.* 4. *tit.* 5. *Resp.* 2.

In

In casu tamen necessitatis, & justâ gravique de causa admittendæ sunt: uti rectè loc. cit. *Balduinus*; ubi exemplum adfert. 1 *Sam.* 19. 13. & eorum qui Lutherum Wormatiâ redeuntem jussu & ductu Electoris Saxonici abduxerunt in arcem Wartenburgum, ubi tanquam in Patmo mensibus aliquot delitescebat.

VII. *Probl. An larvarum legitimus usus sit in Larvatis funeribus, de quibus Camerar. hor. subt. p.* 1. *cap.* 96. *Resp. Aff. Balduinus.* Fateor tamen me non videre moris illius necessitatem aut utilitatem.

VIII. *Probl. An fœminis liceat faciem velis seu peplis tegere. Resp. Aff. Balduinus lib.* 4. *c.* 1. *casu.* 4. Ubi habet lectu digna. *Tertullianus* requirit velationem faciei, tanquam necessariam. Cui absolutè non est assentiendum. Sufficit determinare, velationes, quæ honestatis & pudicitiæ causâ fiunt, non esse inhonestas larvas.

IX. *Probl. An fœmina virili, aut vir fœmineo habitu, uti possit? Resp.* In quotidianâ conversatione, aut in sacris (more Gentilium) aut in quocunque alio casu, non necessario, *Neg.* Vide *Gul. Prynne act.* 4. *scen.* 5. Deus enim ut sexum distinxit, ita voluit etiam externè capillis, & vestibus distingui juxta 1 *Cor.* 11. *& Deuteron.* 22. Vide & *Concil. Elibert. can.* 57. *Gangrens. can.* 14. 17. *Constantinop.* 6. *can.* 62. Secus judicandum de casu necessitatis, cum justa causa subest: ut rectè *Balduin. cap. cit. cas.* 1.

X. *Probl. An liceat stultitiam simulare? Resp.* In comœdiis, & lusibus *Neg.* Sed quæritur de casu necessitatis, qualis Davidis 1 *Sam.* 21. 3. *Balduinus loco cit. aff.* ut & *Tostatus*, *Cajetanus*, *A Lapide*, & ex nostris *Martyr. in commentar. ad locum Samuelis*, & *Thomas* 22. *qu.* 11. *art.* 1. ibidemque *Sylvius*, & *Polanus Syntagm. lib.* 8. *c.* 8. *Musculus in Psal.* 34. Ego malim inclinare in *Neg.* cum *Calvino* & *Mollero in Psal.* 34. & *Riveto in* 9. *decal. præc.* & ex Pontificiis *Gul. Estio in* 3. *dist.* 38. §. 3.

XI. *Probl. An respiat τὸ vanum & theatricum* plaudite, *& consequenter à sacris arcenda acclamatio illa, quæ fremitu & gestibus alicubi fieri solet, cum concionatoris alicujus concio placet: qualem acclamationem seu applausum linguâ suâ vernaculâ vocant* to shoute? *Resp.* Saltem ab eo abstineri præstat; & quemque in spiritu suo, aut privatim apud proximum agnoscere, & annuntiare, Deum verè in concionatore & concione illâ esse 1 *Cor.* 14. *v.* 25.

XII. *Probl. An sapiat Lucianismum, quod fidelium devotiones & affectus spirituales, (lætitiæ scil. tristitiæ, indignationis, zeli juxta* 2 Corinth. 7.) *qui per verbi prædicationem & practicas verbi applicationes in ipsis à gratia Spir. S. excitantur, in eandem classem compinguntur cum motibus & affectibus sensualibus, quos concitant actiones comœdiarum & tragœdiarum. Resp. Aff.* Sunt enim

enim affectus illi planè repugnantes, prout & causæ ac motivæ eorum sunt oppositę. Vide quæso *Tertull. cap.* 15. 16. 17. *de spectaculis.* commotiones affectuum theatralium theatrizantem.

XIII. *Probl. Quandoquidem aliquibus lusibus & spectaculis subinde animi Christianorum relaxari debent, an non ludi & spectacula aliqua innoxia excogitanda & procuranda essent, quæ vitiosis illis substituantur. Resp.* Fiat. Sunt spectacula militaria, ut armilustria, & cum belli simulacra sub armis cientur; quę etiam usum suum habent. His adde veterum certamina aliqua gymnastica, hypodromica, navalia. Ex ludis atque exercitiis veterum apud *Mercurialem in gymnasticis*, & *Jul. Cæsarem Bulengerum de ludis veterum* descriptis, aliqua seligi possent. Sed alii de hoc viderint, nos in *Exercitiis pietatis cap.* 14. titulum fecimus de contemplatione & observatione operum Dei. De quibus audiamus autorem libri *de spectaculis*, qui *Cypriano* adscribitur *(pag.* 416. edit. *Pamelii in fol.)*

„ Avocandus, inquit, est animus ab istis. Habet Christianus specta-
„ cula meliora, si velit: habet veras, & profuturas voluptates si se recol-
„ legerit: & ut omittam illa, quæ nondum contemplari potest, ha-
„ bet istam mundi pulchritudinem, quam videat, atque miretur; solis
„ ortum aspiciat, rursus occasum mutuis vicibus dies, noctesque revo-
„ cantem; globum lunæ, temporum cursus incrementis suis decrementis-
„ que signantem; astrorum micantium choros, & à summo de summa
„ mobilitate fulgentes; anni totius per vices membra divisa, & dies ipsos
„ cum noctibus per horarum spatia digestos; & terræ molem libratam cum
„ montibus, & profluа flumina cum suis fontibus; extensa maria cum
„ suis fluctibus, atque littoribus; Interim constantem pariter summa con-
„ spiratione, nexibúsque concordiæ, extensum aërem medium, tenuitate
„ sua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundentem,
„ nunc serenitatem refecta raritate revocantem; & in omnibus istis inco-
„ las proprios, in aëre avem, in aquis piscem, & in terra hominem:
„ hæc inquam, & alia opera divina, sint Christianis fidelibus spectacula.
„ Quod theatrum humanis manibus extructum istis operibus poterit com-
„ parari? magnis licet lapidum molibus extruatur, crusta sunt montium:
„ & auro licet tecta lacunaria reluceant, astrorum fulgore vincentur:
„ numquam humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei.
„ Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum
„ potest. Scripturis, inquam, sacris incumbat Christianus fidelis; ibi in-
„ veniet condigna fidei spectacula. Videbit instituentem Deum mundum
„ suum, & cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam
„ meliorémque facientem: spectabit mundum in delictis suis, justa nau-

fragia,

„fragia, piorum præmia, impiorumque supplicia: maria populo siccata,
„& de petra rursus populo maria porrecta: spectabit de cœlo descenden-
„tes messes, non ex areis: inspiciet flumina transitus siccos refrænatis
„aquarum agiminibus exhibentia: videbit in quibusdam fidem cum igne
„luctantem: religione superatas feras, & in mansuetudinem conversas:
„intuebitur & animas ab ipsa morte revocatas, considerabit etiam de sepul-
„chris admirabiles ipsorum consummatorum jam vitas corporum redactas:
„& in his omnibus jam majus videbit spectaculum, diabolum illum, qui
„totum detriumphaverat mundum, sub pedibus Christi jacentem. Quam
„hoc decorum spectaculum fratres? quàm jucundum? quàm necessarium?
„intueri semper spem suam & oculos aperire ad salutem suam. Hoc est
„spectaculum quod videtur etiam luminibus amissis: hoc est spectaculum,
„quod non exhibet prætor, aut consul, sed qui est solus, & ante omnia, &
„super omnia, immo ex quo omnia, pater Domini nostri Jesu Christi, cui
„laus & honor in sæcula sæculorum. Amen.

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

TERTIA,

Quæ est

DE ABUSIBUS IN VICTU, ET CONVIVIIS.

Resp. STEPHANO VAY, Berg-op-Zomio Brabant. 28. *Octob.* 1643.

De Conviviis *agi potest in prolegomenis ad secundam tabulam, seu in tit. de Amore proximi; quatenus scil. reducuntur ad amicitiam ac familiarem conversationem cum proximo. Et rursum ad octavum præceptum, quatenus reducuntur ad liberalitatem, magnificentiam, hospitalitatem, earumque opposita. Denique ad septimum præceptum, quatenus reducuntur ad intemperantiam, & sunt incitamenta luxuriæ juxta* Rom. 13. v 13. *Et hoc solum respectu numeramus hic abusus conviviorum, inter dicta mundi excelsa.*

Agemus ergo 1. de privato & quotidiano victu. 11. De conviviis, eorumque affinibus, symposiis, &c. 111. De tabernis, popinis, & similibus.

§. 1.  D corporum refectionem ac curam pertinent quædam tanquam magis neceſſaria ſeu ad eſſe ; quædam non æque neceſſaria, ſed ad bene eſſe. *Illa* ſunt vel abſoſolutè neceſſaria, vel ex hypotheſi & occaſione. *Abſolutè* neceſſaria ſunt quatuor 1. cibus. 2. potus. 3. ſomnus. 4. quies, ſeu relaxatio & reſpiratio à labore, partim continuis laboribus admixta, partim eorundem ſtatis intervallis ſeorſim interjecta. *Ex hypotheſi* neceſſaria ſunt, medicamenta ; ad quæ reducimus vina purgantia, varia genera aquarum vitæ, frictiones, unctiones, balnea, &c. *Iſta* ſunt vel primaria, ut amictus, & cultus corporis, domus, utenſilia, (de quibus *diſp. ſeqq.*) : vel ſecundaria, ut luſus varii, (de quibus ad octavum præceptum,) & oblectationes, olfactus, auditus, viſus. Circa omnia iſta intemperantia committi poteſt, & peccari contra aureum illud, *Nequid nimis.* Hinc *Plutarchus lib. 7. ſympoſ. cap. 5* eam ſic deſcribit : ἔστιν ἀκρασία περὶ ἐδωδὰς, πότους, ἀφροδίσια ; γάστιν, ἢ ὄσφρησιν ἀκρασία. Maximè autem materia temperantiæ ſunt voluptates in cibo, potu, ἀφροδισίοις ; quas cum brutis communes habemus : uti rectè *Ariſtoteles lib. 3. Ethic Nicomach. c. 10. & Gellius lib. 9. Noct. Artic. c. 2. & lib. 7. c. 6.*

Nos de omnibus in univerſum ratione luxuriæ ſic determinamus.

1. *Concl.* Voluptates illæ, cum excitantur & ſentiuntur, quatenus ad reparandam & cuſtodiendam mortalem hanc vitam pertinent, ſunt delectationes honeſtæ : ut verba *Auguſtini lib. 22. c. Fauſtum cap. 29.* huc applicemus. Ratio eſt, quia ſi ultra prolabantur, carnem nimium curant & ſaginant ad mollitiem & libidines *Rom. 13. v.* ult. & membra corporis inepta reddunt, ut ſint arma juſtitiæ, (*Rom. 6.*) Deoque & proximo inſerviant.

11. *Concl.* Ut modus in cibo ſervetur, evitanda illa quinque, quæ Caſuiſtæ hoc verſiculo comprehendunt. *Præproperè, lautè, nimis, ardentur, ſtudioſè.* In unum ex illis ſi quis impingat, jam committit peccatum *gulæ.* Quod vide explicatum à vulgaribus Caſuiſtis in voce *gulæ*, & Scholaſticis *ad 22. qu. 148. art. 4.* Rationes à gulâ dehortantes ſunt. 1. *Quia* eſt contra ordinem à Deo naturæ autore in uſu cibi, & nutritione corporis ſtatutum. 2. *Quia*, plurima corporis incommoda, morbi, dolores, moleſtiæ inde oriuntur : uti optimè te docebunt Medicorum filii. 3. *Quia* multa vitia inde oriuntur, ut inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis. Ut ibid. Scholaſtici *art. 6.* & Caſuiſtæ, Moraliſtæ, ac concionatores ; qui iſta amplificant. 4. *Quia* imprimis qui ἀπάκτως ſe nu-

nutriunt, illicitis voluptatibus ostium aperiunt. Vide 2 *Petr.* 2. 13. coll. cum *Rom.* 13. 14. *Jacobi.* 5. 5. *Ezechielis* 16. 49. *Luc.* 16. 19. 1 *Petr.* 4. 4.

III. *Concl.* De modo in potu servando, deque oppositâ intemperantiâ, & voluptate illicitâ egimus peculiari disp. de Ebrietate; quam infra exhibemus.

IV. *Concl.* De modo capiendi somni definitè ita præscribi nequit, ut omnibus & singulis examussim conveniat. Habenda enim hic ratio complexionum, ætatis, climatum, anni temporum, &c. Hic saltem observandum, nimio somno voluptatibus & mollitiei occasionem dari.

V. *Concl.* Medicamentis, & rebus medicamentariis utendum non est tanquam alimentis, aut condimentis, nedum otiosè aut temporis fallendi causâ, aut ex consuetudine; sed solummodo tanquam medicamentis, hoc est, cum necessitas ita requirit. Rationes sunt 1. *Quia* aliter non vivitur convenienter naturæ, sed invertitur ordo à Deo naturæ autore statutus. 2. *Quia* est abusus donorum Dei. 3. *Quia* hâc ratione Deus tentatur, & incurritur in illud axioma Servatoris nostri Math. 9. *Sani non opus habent medico.* 4. *Quia*, dum valetudo iis non juvatur, sed læditur, peccatur contra sextum præceptum. Ubi videndi subtituli de læsione sui ipsius, & de medecinâ, sanitate tuendâ, diæta ἀυτοφονία.

Subjicimus nunc problemata. §. 2.

I. *Probl. An cibi & potus magis salubres præferendi sint magis delicatis? Resp. Aff.* Secus si fiat, vivitur non secundum rectam rationem; sed tantum secundum appetitum sensitivum.

II. *Probl. An Pythagoræ abstinentia à carnibus animalium, fuerit laudanda? Resp. Neg.*

III. *Probl. An homines ante diluvium ederint carnes viventium & quidem ex ordine & concessione divinâ? Resp. Neg.* Rabbini. Nos Aff. De quo, ut & de esu carnium ante lapsum alibi nobis forte dicendum fuisset, contra contentiosam alicujus censuram: sed quia à Clariss. *D. Joh. Henr. Heideggero* abunde hoc nunc præstitum videmus in Libertate Christianorum à lege cibariâ veteri anno 1662. Non arbitror ultra de his quæstionibus mihi aut aliis laborandum esse.

IV. *Probl. An diæta pseudo spiritualis seu superstitiosa Carthusianorum, & reliquorum omnium in Papatu, (quorum illi semper, hi vero statis temporibus, à carnibus abstinent) sit rationalis, & medica; faciatque ad domandam carnem, ut loquuntur, & ad præveniendos aut refrænandos luxuriæ stimulos. Resp. Neg.* Dum enim nulla regula monachali, nullo ecclesiæ præcepto, à vini, cerevisiæ, leguminum, piscium marinorum, salsamentorum, ostreorum,

aromatum, condimentorum usu arcentur; tantundem faciunt, ac si olei incendium altero quodam oleo restinguant. Consulant Medicos & Physicos, & de semine, de vino & omni potabili, de spirituum ex vino generatione ac fomento, de functione spirituum ad exstimulationem Veneris; & quid spiritibus tribuat *Jul. Cæs. Scaliger. Exercitat.* 286. *sect.* 3. Sed quid ultra ad Medicos ablego: ipsi eorum Theologi ad *Proverb.* 20. *v.* 1. & 23. *v.* 31. & 1 *Timoth.* 5. *v.* 21. Unicum dictum Hieronymi ad Eustochium Cornelio à Lapide ad 1 Timoth. 5. citatum hic exhibeo: *Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis est. Quid oleum igitur flammæ adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignis administramus? Lævinus Lemnius de occultis Naturæ Miraculis*, ubi de piscium marinorum esu, & de piscatorum suorum ὁρμῇ εἰς τὰ ἀφροδίσια. Conferendi & Mythologici, de Venere natâ ex spuma maris.

v. *Probl. An dapes inemtæ, minus pretiosæ, absque arte & magno apparatu conditæ, non procul quæsitæ sint præserendæ? Resp.* Aff. Et merito reprehenditur pretiosissimus ille hausus Cleopatræ; nec non appetitus Heliogabali, qui prope mare ferebatur in cibos ex agris & saltibus, procul à mari in cibos marinos, adhæc Apicius Romanus satyris exagitatus; denique novæ Romæ Apicii pontifices, eorumque aulici, qui ut ostendant ventrem esse Deum ipsorum, supra omnes Milesios, Sybaritas, Apicios, Heliogabalos, omne genus delitiarum hic consectantur. Videatur testis omni exceptione major Episcopus *Jovius*, *in Vitâ Leonis* X.; & liber ille ab archimagyro quodam Pontificum editus, tit. *Apicius*; quo omnium gulæ choragorum atque artificum inventa, & ingeniosè excogitata longè superantur. Quod si Ecclesiastes, væ dicit illi terræ *cujus principes manè comedunt*; quid dicemus de ecclesiâ Pontificiâ, cujus monarchis & primatibus convenit illud:

Vivite lurcones, comedones vivite ventres.

vi. *Probl. An alicui utendum sit sive alimentis, sive medicamentis, sive quasi medicamentis, quibus ad τὰ ἀφροδίσια magis exstimuletur. Resp.* Non conjugatum si intelligas, nefas ducimus, & merito detestandum est impurum factum Papæ Pii Quarti (ni fallor;) de quo *Marnixius Alvearii parte* 1. Conjugato omni absolutè negari nequit; in casu frigiditatis & sterilitatis, idque propter generationem prolis.

vii. *Probl. Quoties cibus quotidie sumendus; & an simpliciter illicitum esset bis in die saturari? uti vult Plato. Resp.* omnibus hominibus cujuscunque ætatis, complexionis, conditionis & status, una mensura aut quantitatis discretæ, aut continuæ seu molis non est præscribenda. Obtinet enim hic proportio non arithmetica, sed geometrica.

VIII. *Probl. An temperantiæ & frugalitati magis conducat, certis ac statis temporibus diei cibum sumere: quam pro re natâ quibuscunque horis, cum modo fames stimulat; Resp.* Aff. pr. Casum necessitatis, aut peculiares & molestas vocationes, aut diætam medicam alicui peculiariter præscriptam excipio. Et sic puto accipiendum *Ranzovium de sanitate tuendâ*, à quo posterius affirmari arbitror: si bene memini.

IX. *Probl. An licitæ fuerint unctiones illæ veterum, præsertim Orientalium; quarum meminit scriptura, Math. 6. v. 17. & Luc. 7. 46. Johann. 12. 3. Psal. 23. v. 5. & 104. 15. & 141. 5. 2. Samuelis 12. 20. Resp.* Qui inhabitant climata calida & æstuosa, multum sudant: hinc est quod cum sudor faciem deturpat & fœtidam seu graveolentem efficit, adhibeatur remedium unctionis, tum ad refrigerium, tum ad nitorem, tum ad odoris suavitatem. Si ergo unctiones sint ad sanitatem, & ad abigendum fœtorem, non sunt illicitæ: secus, si ad mollitiem, & meras delitias.

X. *Probl. Quid sentiendum de odoribus apud nostrates, per muscum aliaque validè fragrantia, quæ nonnulli circumferunt excitatis. Resp.* Videri ut plurimum hominum otiosorum, & delicatulorum πάρεργα, ac περιεργίας.

XI. *Probl. Quid de balneis antiquorum? Resp.* Balnea à Medicis alicui præscripta aut præparata hic non improbamus; non magis quam ullam aliam φαρμακευτικῆς partem. Sed antiquorum balnea non videntur tam fuisse medica, quam voluptuaria, deliciarum ac mollitiei adminicula. Imprimis autem turpitudinem & caninam impudentiam spirabant balnea, in quibus promiscuè lavabantur viri & fæminæ. Quorum frequentationem prohibet *can. 30. Concil. Laodic.*, ubi hanc rationem addit: αὕτη γὰρ πρώτη κατάγνωσις παρὰ τοῖς ἔθνεσιν, id est, *hæc enim est prima reprehensio apud Gentes.* Confer *Balduinum lib. 4. Cas. cap. 1. casu 3.*

XII. *An tabaci usus sit licitus? Resp.* Quæstionem ante hac movit unus atque alter Theologus practicus: inter quos, *Nathanael Coole in tract. anglico*, De præservativis peccati.

Nos breviter sic determinamus.

1. Quamvis in se omnis ejus usus illicitus non sit; minime tamen convenit viris honestis & gravibus (nominatim ministris aut ministerii candidatis,) in conspectu aut consortio aliorum: quod hominum otiosorum & voluptuariorum non tam cibus quam fumus, & vanitas vulgò judicetur. Quamvis enim quædam in se illicita & inhonesta non sint; non tamen ita decora sunt, nec conveniunt, nec ædificant.

2. Usus ejus præter medicinalem, si quis prætexatur; ad tempus scil. fallendum, aut ad sentinam humorum corporis exhauriendam, ut cerevisiâ ac vino impleatur, aut tantum consuetudinis ergo ac συγκαταβάσεως

aut conformitatis cum fumosis tabacco-helluonibus, omnis est à malo. Quis autem, quantus, & quibus, & quando sit ejus usus medicinalis, non à fumosis sodalibus, nec à proprio & corrupto appetitu, nec à malâ consuetudine, sed ad expertis Medicis discendum est. Generalem ἐπίκρισιν suggerit autor tabaccologiæ (cujus nomen mihi nunc excidit nec liber ad manum est) & *Raphael Thorius* Medicus in elegantissimo poëmate de pæto, seu tabaco, & nuperrime *Cl. D. Stratenus* hujus Reipubl. & Academiæ Medicus primarius *in disp. de erroribus popularibus*. Medico fundamento ab illis jacto, ritè superstruitur doctrina practica.

XIII. *Probl. Quid statuendum de quotidiano & plus quam alimentario usu aquarum fortium, seu vitæ (uti vocant?) Resp.* Idem fere, quod de tabaco. Et non pauciores, forte plures harum abusu morbos, mortemque sibi accersunt, quam abusu tabaci. Præterquam quod cum quis vel latum unguem lineas à Medicinâ circumscriptas hic transilire cœperit, secreta ac peculiaris quædam maledictio usui istarum infusa videatur: adeo ut cum non paucos ab abusu vini aut cerevisiæ subinde ad sobrietatem revocari videas, vix millesimum reperias, qui ab aquis illis avelli possit, nisi per separationem animæ à corpore. Quis autem & qualis sit usus ejus medicinalis, aut non sit, docet nos landatus modo *Cl. D. Stratenus disp. modo cit.* Ubi rem hanc didicerint studiosi nostri, tanquam in propriâ sede & ex propriis principiis, tutius & felicius casus conscientiæ decident, & decisiones suas contra exceptiones tuebuntur.

DE CONVIVIIS.

§. 3. AGendum nunc de CONVIVIIS: ubi I. præmissis præcognitis. II. Determinationes fient. III. Et subjicientur problemata. Convivium dicitur latinis eleganti etymo, gr. συμπόσιον, minus eleganti (de quo *A Gellius*) ut & Hebr. משתה à שתה *bibit*. Sunt & aliæ appellationes græcæ, quas una cum partibus, & variis conviviorum apud antiquos generibus & instrumentis, ciborum, vinorum explicatas vide apud *Pollucem in Onomastico lib. 6. cap. 1. & seqq. Athenæus lib. 1. cap. 2.* antiquos aliquot conviviorum scriptores indicat: sed illorum scripta hodie non exstant. Ipse sit instar omnium; qui quindecim libris nihil fere, nisi convivalia tractat. Solus liber 13. quasi per digressionem de mulieribus earumque amore differit. Inter recentiores *Aretius part. 1. problem. loco* 58. breviter antiquorum convivia describit. Romanorum convivia *Rosinus & Demsterus lib. 5. antiquit. cap. 26.-31.* Ante illos modum convivandi apud Romanos exhibuerat *Petrus Ciacconius in suo triclinio*, cui *Fulvius Ursinus* appen-

appendicem adjecerat. Aliqua huc spectantia habet *Thesaurus criticus Gruteri tom. 4. pag.* 198. 201. Sed omnium plenissime *Joh. Gul. Stuckius* convivia Hebræorum, Græcorum, Romanorum, aliorumque tribus libris explicuit. Postremus, quod sciam, de conviviis libros quatuor edidit *Jul. Cæs. Bulengerus* anno 1617. qui in præfatiunculâ ad lectorem, de prædecessoribus suis sic censet: *Scripsere*, inquit, de conviviis, *Stuckius* libros „aliquot eruditos, sed multa parerga miscet; *Lipsius* politè, ut omnia, sed „multa levi manu & cursim; *Ciacconius* de triclinio bellè, sed pleraque „parum explicatè.

Nos his missis divisiones conviviorum indicamus scopo nostro inservientes.

Sunt ergo vel sacra, vel communia seu profana. *Sacra* quæ dicuntur, sunt vel verè sacra; vel quasi sacra, seu occasione sacrorum ab hominibus instituta; vel pseudo sacra.

I. *Sacra* sunt, quę jure divino instituta: eaque *vel* quotidiana, ut convivia quæ fideles V.T. in sacrificiis pacificis quovis die pro re natâ coram domino celebrabant 1 *Sam.* 1. & *cap.* 16. & *Ps.* 116. *vel* menstrua in noviluniis 1 *Sam.* 20. *v.* 5. 18. 27. *vel* anniversaria, qualia erant festiva, in festis solennibus haberi solita. *Nehem.* 8. 11. Ad quæ analogicè refer convivium sacramentale agni paschalis, & quod illi substitutum est in N. T., δεῖπνον κυρίου. 1 *Cor.* 10. & 11.

II. *Quasi sacra*, quæ occasione sacrorum ab hominibus introducta. Qualia sunt baptismalia, & agapæ. Posteriorum usus antiquissimus est jam inde à tempore Apostolorum: quorum meminit *B. Judas vers.* 12. & 1 *Cor.* 11. *vers.* 20. 21. *Tertullian. apolog. c.* 39. ubi vide quæ de agapis notârunt comentatores. Confer *Concil. Laodicen. can.* 28. & *Carthagin.* III. *can.* 29. & *Zozomen. lib.* 7. *cap.* 29. Et ex recentioribus *Joh. Frideric. Mathenes. de Ritu bibendi in sanitatem*, in principio. Ea primitus celebratam fuisse post Eucharistiam, observat *Corn. à Lapide comment. in epist. Judæ*, quin & quodammodo fateri cogitur *Albaspinus lib.* 1. *observat. ecclesiastic. cap.* 18. quamvis ibi intendat probare eucharistiam mane, & agapas vesperi fuisse celebratas. *A Lapide in Corinth.* 11. ait eas primum habitas fuisse exemplo Christi ante sumtionem eucharistiæ, unde illud *Augustini epist.* 118. *præsumit*; postea tamen ab Ecclesiâ introductum ut post eucharistiam fierent. *De Agapis* nos *politic. ecclesiast. part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 8. & *tract.* 2. *c.* 3. *p.* 570. & *sect.* 4. *c.* 4. *p.* 796.

III. *Pseudo-sacra* sunt 1. *Gentilium*, de quibus Apostolus 1 *Cor.* 10. 21. cum 1 *Cor.* 8. 10. Quæ huc pertinent explicant antiquarii de festis; conviviis, & sacrificiis; inter quos consulendi imprimis *Hospinianus* &

Gul.

Gul. Stuckius. Huc referenda ſilicernia antiquorum; & funeralia convivia Samogitharum, Ruſſorum, Tartarorum, qui Gentiliſmo etiamnum inhærent. 2. *Judæorum*, de quorum ſabbathicis, aliiſque feſtivis conviviis *Buxtorfius in Synag. Judaicâ.* 3. *Pontificiorum*, quæ ſunt vel communia, vel ſpecialia. *Communia* ſunt comeſſationes, ſympoſia, cupediæ, Martinalium, Nicolai, feſti Natalitii, Trium Regum, Purificationis, Bacchanalium, dominicæ Lætare ſeu dimidiantis quadrageſimæ, albi diei Jovis ſeu cœnæ Chriſti, Dominicæ Palmarum, Paſchatis, encæniorum. De quibus ſcriptores de moribus Gentium, aliique à nobis indicati in 3. *part. ſel. diſpp. tit. de quadrageſ. & bacchanalibus. Specialia* ſunt clericalia ſeu quaſi clericalia; Quæ ſunt *Primo* Clericorum gubernantium, quæ ſcil. habentur in electione & inthronizatione Paparum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Archidiaconorum, Præpoſitorum, Archipresbyterorum. *Secundo*, eccleſiaſticorum miniſtrantium, aut adjuvantium qualia habentur in primâ miſsâ, ſeu in inveſtiturâ alicujus ſacerdotis; aut in receptione canonici in capitulum: quale dativum convivium appellant *vinalia. Tertio*, clericorum ſupererogantium, qualia habentur in profeſſione (uti vocant) monachi aut monachæ, & in inveſtitura abbatis, aut prioris. His accenſeri debent ſolennia convivia ſacrarum fraternitatum.

Convivia profana ſeu ſæcularia poſſunt diſtribui in Ethica, œconomica, politica. *Ethica* ſunt, quæ privatæ amicitiæ & familiaritatis, aut neceſſitudinis alicujus gratia inſtituuntur pro cognatis, aut amicis in eadem urbe habitantibus, aut peregre adventantibus (qualis meminit parabola. *Luc.* 15. 23.) aut peregre proficiſcentibus: quæ poſtrema dicuntur valedictoria, & ἀποπεμπτικά. *Oeconomica* ſunt, Nuptialia, ablactatoria, natalitia, Mercatoria poſt venditas merces; quo refer, quæ poſt abſolutos labores meſſis aut vindemiæ habentur. *Politica* ſunt quæ magis publica: qualia celebrantur in coronatione aut conſtitutione Principum, Regum, Magiſtratuum, præfectorum; in collegiis vicinorum, contribulium, civicarum cohortium, aut ſodalitatum ſeu fraternitatum civicarum; in funeribus; quæ quamvis ſupra ad ſacra retulimus, poſſunt tamen alio reſpectu & mere civili, ad hoc genus referri. Ad politica reducuntur etiam ſcholaſtica, quibus examina aut promotiones ſcholarum ſubinde cohoneſtantur.

§. 4. His præmiſſis determinandum nunc eſt, *an & qualia ſint licita.*

1. *Concl.* Convivia, quæ conſtant ex convivis diverſarum familiarum (nam de unius familiæ quotidianis conviviis hic non quæritur) in ſe & per ſe licita ſunt. Probatur 1. ex exemplo Chriſti, qui conviviis interfuit. *Johan.* 2. *Math.* 9. *Joh.* 12. &c. 2. *Quia* Deus in ſacris V. T. locum aſſignavit conviviis; quod factum non eſſet, ſiquidem in ſe & intrinſecè eſſent vitio-

vitiosa. 5. *Quia* Deus in scriptura docet quomodo convivia sint instituenda, modumque & conditiones ea celebrandi & convivis & convivatoribus præscribit: ut liquet ex textibus mox citandis. 4. *Quia* conventus alii hominum honesto fine & modo institutorum sunt liciti; ergo etiam conventus ad cibum una capiendum. 5. *Quia* ut amicitia ac familiaritas, ita etiam signa, adminicula, fomenta mutuæ familiaritatis in domino, sunt licita: illa autem sunt convivia. 6. *Quia* exempla sanctorum in scripturis probata hic præeunt *Actor.* 2. 46. *Johann.* 2. *v.* 1.

Conditiones autem & requisita conviviorum sunt 1. *Ratione* hospitum. 1. *Ne* faciant nimis frequentia *Jacob.* 5. 5. *Luc.* 16. 2. *Ne* nimis sumtuosa; 3. *Ne* nimis seipsos gravent, & peccent prodigalitate. 4. *Ut* ex amore & benevolentia ea instituant. *Proverb.* 15. 17. *coll. cum* 2 *Sam.* 13. 28. *Prov.* 23. *v.* 1. 2. 3. 6.

11. *Ratione* convivarum. 1. Ne nimis multos vocent, & multitudo confusionem pariat: ubi tamen excipio convivia publica regum, regni comitiorum, populi, &c. qualia Ahasueros *Esther.* 1. Et descripta à *Stuckio* 1. *convival. cap.* 20. Caroli V. Maximiliani II. convivia inauguralia. 2. *Ne* semper præferant divites honestis, quamvis non ita divitibus; atque adeo sint mera avaritiæ aut ambitionis aucupia. 3. Ne quis etiam nimis crebro frequentet convivia: tum enim fierent illa, quæ notat propheta. *Jesa.* 5. 11. 12. Et *Amos* 6. 4. ubi vide coment. *A Lapide: Jacob.* 5. 5. 1. *Petr.* 4. *v.* 3. 4. & 2. *epist. cap.* 2. *v.* 13. *Judæ v.* 12.

111. *Ratione* temporis. 1. *Ne* celebrentur tempore jejunii, aut tempore paraseeves ad jejunium, ad sabbathum, ad administrationem cœnæ. 2. *Nec* tempore publici luctus, aut calamitatis *Jesa* 24. *Amos* 6. 4. 3. *Ne* nimis diu protrahantur, Jesa. 5. v. 11. 12. 2. *Nec* intempestivè inchoentur.

1v. *Ratione* materiæ apparatus. 1. *Ne* sit nimis pretiosus, nimisque artificiose & operosè delicatus. 2. Ne *nimis* abundent missus & bellaria in quantitate continua & discreta. Facit enim hoc ad meram pompam, & ambitiosam ἀπολγείας & ἀσωτίας ostentationem, aut ad gulæ irritamenta. Confer comment. & concion. *ad Luc.* 15. *& Chrysostom. homil. in Math.* 45. & 58. & 13. in 1. *epist. ad Timotheum.*

v. *Ratione formæ*, & modi. 1 Ne locum habeat coactio aut odiosa obtestatio ad edendum & bibendum: sed cuique sua libertas relinquatur. In cibo quidem non ita hoc obtinet, ac in potu. De quo infra in *disp. de Ebrietate.* Placeat lex illa convivii Ahasueros *Esther.* 1. *v.* 8. Et constitutio Caroli Magni in capitulari apud Goldastum tom. 3. p. 154. *Ut nullus præsumat alium cogere ad bibendum, nisi quod ei necesse fuerit.* 2. ut absit ergo omnis species intemperantiæ, & omnis morum incivilitas. De civilitate

in conviviis, videndi *Althusius*, *Guazzus*, *Galatheus*, aliique istius generis scriptores.

VI. *Ratione* adjunctorum. 1. *Ut* condiatur colloquiis ex religione, philosophia, historia, &c. *Luc.* 11. 38. & 22. 15. *Matth.* 9. &c. & talia veterum Christianorum *Tertull. apolog. c.* 39. quibus & hymnodia, imo & lectio scripturæ adhibita, *August. epist.* 109. Vide & *Possidium de mensâ Augustini*, *in ejusdem vitâ*. Nec prætereundus *Atheneus l.* 15. *dipnosoph. c.* 21. *Plutarch. l.* 1. *sympos. probl.* 1. *Gellius* 6. *c.* 13. *Macrobius l.* 7. *Saturnal. c.* 1. *Syracides in ecclesiast. c.* 32. 4. & ibidem *A Lapide.* 2. *Ut* absint choreę, balettæ, comœdię, aliique indecori lusus pantomimomorum & thymelicorum. 3. *Ut* absint rixæ, contentiones, provocationes, per verba, gestus, facta; præterea sermones putridi, procaces, &c.

VII. *Ratione* locorum 1. *Ne* fiant in idoleis (quæ scil. adhuc sunt actu idoleia,) propter speciem mali 1 *Cor.* 10. 2. *Nec* in aliis locis inhonestis aut suspectis. 3. *Nec* in oratoriis seu templis Christianorum: nullam aliam ob causam, quam ut præveniatur suspicio aut calumnia extraneorum; qui dicerent religionem esse comessationem. Ita *Concil. Laodic.* prohibet in templis fieri agapas, *canon.* 28. Atque hæ conditiones conviviorum, quas explicatius diductas & amplificatas videbit, qui volet, apud vulgares Scriptores Ethicos, cum quibus conferendus Plutarchus in convivio septem sapientum; apud Theologos practicos, inter quos *Taffinus lib.* 2. *de emendatione vitæ cap.* 14.; apud commentatores & concionatores in textu scripturæ supra cit.

Nuptialia in specie quomodo celebranda, moneri etiam potest in *Politiâ ecclesiasticâ*. Interim conferat, qui volet, scriptores de Nuptiis, & commentatores ac Postillistas ad *Johann.* 2. nec non in *Genes.* 29.

II. *Concl.* Convivia sacra seu religiosa, in sacrificiis aut festis nulla nunc sunt, nec pascha. Abolitis egenis elementis, & ceremoniis V. T. sola cœna domini nobis sufficit.

III. *Concl.* Quasi religiosa antiqua, agapæ scil. ut liberè tanquam adiaphora non sine ratione ad arctiorem amicitiam fovendam observatæ in primâ collectione ecclesiæ N. T., quando Christianis cum Judæis aut Gentilibus convivari non ita tutum; sic postea propter majores rationes abrogatæ, crescente jam ecclesiâ, idque ob varios tum abusus, tum species & suspiciones abusuum. Quorum abusuum initia indicantur 1 *Cor.* 11. & 2 *Petr.* 2. *Judæ v.* 12. & progressus apud *Epiphan. hæres.* 26. & *Tertull.* 1. contra *psychicos c.* 17. Hinc ergo abrogatio, *Concil. Laodic. can.* 28.

IV. *Concl.* Convivia baptismalia antehac prudenti consilio prohibita sunt: teste *Ambrosio vicecomite*, *de Ritibus baptismi lib.* 5. *cap.* 47. Et quam-

quamvis in Papatu permanserint, indeque ad nostros manâverint, non destiterunt tamen Ecclesiæ Belgicæ ea imminuere ac supprimere, quantum fieri potuit.

v. *Concl.* Convivia pseudo-sacra Gentilium, Judæorum, Pontificiorum illicita sunt quippe malo fine & modo instituta. Itaque frequentatio eorum scandalosa, & veræ religioni ignominiosa. Rationes petendæ ex 1 *Cor.* 10., & disp. nostrâ de Idololatria indirecta; Quæ hic applicandæ. Addendum quod convivia fratriarum sub ipso Papatu in Gallià Clericis prohibita sint. Vide *Bochellum in decretis eccles. Gallic. lib. 6. tit.* 19. *cap.* 12. Nihil ergo absurdi fecerint Reformati, si ea fugiant.

VI. *Concl.* Convivia communia seu sæcularia Gentilium aliorumque idololatrarum frequentari non possunt, siquidem quis superstitionibus implicari nollet, quibus convivia sua polluunt. *Confer, disp. de Gentilismo*, & *de Idolol. indirectâ*, Hic enim sequendum illud 1 *Corinth.* 8. 13.

Subjicimus nunc hæc problemata. §. 5.

1. *Probl. An ad convivia vocandi sint nisi ejusdem pietatis & religionis consortes; & an ad nulla alia convivia accedendum? Resp.* Hoc quidem agendum est pro virili ut convivia fidelium sint agapæ, aut quam proximè accedant ad agapas antiquorum. Interim quia multis in locis optari citius potest quam sperari, ut multitudinis sit cor unum & anima una (*Actor. 4. vers.* 32.), non debent convivia mixta censeri plane illicita. 1. *Quia* Christus à talibus non abstinuit *Math.* 9. *Marc.* 12. 2. *Quia* fideles in ecclesiâ apostolicâ, extra agapas subinde talibus conviviis interfuerunt, idque non improbante Apostolo 1 *Corinth.* 10. 27. 3. *Quia* vincula necessitudinis & συμβιώσεως humanæ per religionem abrumpi nec possunt nec debent, nisi ex mundo exire velimus; uti in casu conviviorum hanc rationem adfert apostolus 2. *Cor.* 5. *v.* 10. 11. 12.

11. *Probl. An rectè Jesuitæ, & eorum exemplo alii ordines Monachorum suos constringant, ne in eâdem civitate extra conventum seu monasterium alicubi conviventur; ne quidem simpliciter quidquam gustent. Resp.* Si piè & ex mero affectu erga pietatem pueros suos scholasticos ad tempus tali disciplinâ Gymnasiarcha quis ad mediocritatem à κακοήθει inflecteret, utique non improbandum esset. Sed non videtur convenire ut viris ætate provectis & exercitatis, inter quos non pauci ecclesiastici antecessores, puerilis hæc disciplina in perpetuum imponatur: nedum ut in eo peculiaris sanctimoniæ species constituatur; quasi in imminutionem honoris servatoris nostri, qui venit edens & bibens, &c. *Matth.* 11. *v.* 19. Necessitudines enim & jura omnia inter parentes & liberos, inter cognatos aut amicos abrumpi non debent, propter clamantes abusus præcedentium Clericorum

& monachorum. Si quis enim in tam parvo fidelis esse nequeat, indignus sane est, cui clericatus & tam magna committantur. *Deinde* perpetua hæc servitus, quâ sponte se induunt, aut quę ab aliis imponitur, repugnat libertati Christianæ.

III. *Probl. An liceat ministris ecclesiæ conviviis, imprimis mixtis, interesse? Resp. Aff.* modo fiat *raro, caute & cum ædificatione.* Rationes hujus limitationis sunt. 1. *Quia* tempus ipsis nimis pretiosum, quam ut in convivia impendant; & altiora ac majora ipsis agenda sunt. 2. *Quia* nimia familiaritas conviviorum parit ipsis contemtum, & hebetat aliquo modo aciem admonitionis atque exempli; quibus omnium mores formare debent. 3. *Quia*, si ad convivia potentiorum & divitum (qui quia possunt, sæpius præ aliis ipsos sollicitant, nec tamen semper ἀγνῶς ἐξ ἀγάπης ἀνυποκριτου) familiariter accedant: suspecti, odiosi, & contemti redduntur aliis ecclesiæ membris; insuper laqueis & tendiculis multis se exponunt, ne ministerii ipsorum fidelitas & παῤῥησία aliqua ratione circumveniatur; aut partim ad peccata tegenda, partim ad res hujus sæculi per ἀλλοτριοεπισκοπὴν curandas nimium obnoxia ac servilis reddatur; aut dignitas ministerii prostituatur, dum invitantes forte satagunt, ut Nazareis vinum fundant, inque carne eorum glorientur; denique in classem parasitorum & morionum suorum eosdem compingant. Vide de divitum mensis commentatores nominatim *à Lapide ad Proverb.* 15. 17. & 23. *v.* 1. 2. 3. *Chrysostom. homil.* 1. *in epist. ad Coloss.* Adde *Syracidem cap.* 13. *v.* 2. 6. 8. ibidemque *A Lapide.* Hæc & similia in publicis prælectionibus suo loco antehac aliquoties proposita, studiosis nostris hic denuò inculcanda judicavi; ut prudentes sint instar serpentum, & quam longissimè recedant à parochis Pontificiis, quorum προεδρία & προστασίαι in omnibus conviviis jamdudum abierunt in vulgi fabulam & ludibrium.

IV. *Probl. Quid statuendum de silicerniis, & epulis exequialibus, ac septenariis? Resp.* jamdudum abierunt in Appendices & vestigia superstitionis tum Gentilis tum Pontificiæ; saltem in vacuas & otiosas observationes. Ne dicam admodum importunas esse, nec satis convenire cum *Jesa.* 24. *v.* 9. hoc ergo agendum ministris reformatis, ut abrogentur. Alia tamen ratio est, si mensa sternatur amicis & consanguineis peregre ad funeris deductionem evocatis, qui domos non habent ubi edant, & domo luctus pro hospitio utuntur. Qui tamen tutius & commodius in publico hospitio, sive suis sive domus exequialis expensis, cibum caperent: quod memini hic aliquando factum. Convivia illa tollere quia forte nec ausi nec potuere, suo modo reformare conati in Gallia. Vide *Bochellum lib.* 3. *tit.* 18. *cap.* 76. *Convivia post funus defuncti non fiant, nisi sobria, consolationis mutuæ causâ.* Septenaria, anni-

anniversaria pro defunctis, sunt meræ superstitiones, aut officii superstitiosi atque idololatrici appendices, & simul avarorum & gulosorum sacerdotum venationes & pascua. Talium usum in Papatu obtinuisse, discimus ex *Bochelli lib. 3. decretor. eccles. Gallic. tit. 18. cap. 77. anno 1464.* „ Præcipimus „ sacerdotibus ne sint tam inverecundi, quod suâ temeritate se ingerant, in „ anniversariis, charitatibus, & celebratione divinorum, atque conviviis „ seu charitatibus, quæ fiunt pro defunctis, nisi fuerint ad ea vocati: & „ dum fuerint invitati, non ducant secum, nisi suum capellanum & cleri- „ cum, &c.

v. *Probl. Quid censendum de distributione liborum inter pueros, aut lactis appositione, aut larga vini fusione in funere infantum. Resp.* Idem fere, quod supra. Confer quę de funeralibus esculentis & poculentis notantur *1. part. polit. eccles. lib. 3. tract. 2. cap. 1. p. 243. & pag. 281. & seqq.*

vi. *Probl. Quid de quasi conviviis, seu sympositis, quæ extra tempus prandii aut cœnæ saturis plerumque parari solent; quæ vulgò* collationes, *&* banckettas *appellant? Resp.* Quam bene consulatur stomacho, intempestivis illis irritamentis bellariorum, condimentorum, cupediarum, potusque delicati, discendum est ex Medicis. Inde Ethicè & Theologicè concludendum. Ne quid dicam de jactura temporis & expensarum, aliisque ἀπροβόλοις. Refert scriptor apodemicus tit. *delitiarum Italiæ* (extat Germ. & Belg.) Cardinalem quendam Romæ ejusmodi *potum vespertinum* (uti vocat) seu *collationem* vespertinam convivis suis, quos in prandio splendidè exceperat, exhibuisse 2000. ducatorum (si bene memini); unde colligendum relinquit, quanti prandium constitisset.

vii. *Probl. Quid de mensis secundis, seu sumtuosis bellariis? Resp.* plerisque nos posse carere absque jacturâ sanitatis, honoris, amicitiæ, rei familiaris. Ad pauciſſima itaque hęc contrahenda.

viii. *Probl. Quid de unguentis & floribus in fine olim adhibitis? Resp.* Unguentorum apud nos nullus, ut arbitror, usus. In regionibus calidioribus quid & in quem finem licuerit, supra indicavimus. Et talem usum Deus ipse instituit *Psal. 104. v. 16. Matth. 6. v. 17.* Christus non refugit *Luc. 7. v. 46.* Et propheta pro eodem Deo gratias agit *Psal. 23. v. 5.* Vide commentatores ad loca cit. An autem *Eccles. 9. v. 8.* præscribatur; an potius per ironiam (quales *Eccles. 11. v. 9. Matth. 26. v. 45.*) prohibeatur; inter interpretes non ita convenit. Quidquid sit, unctio sanitatis causâ improbari nequit; ut nec omnis, ad honestam voluptatem & recreationem: modo non sit intempestiva & immoderata. De capitis unctione in conviviis *Athenæus lib. 15. cap. 18.* ubi usum ejus medicum assignat. Ibidem de variis unguentorum generibus, eorumque viribus *cap. 14.. 18.* Inter recentio-

res *Fulvius Urſinus im appendice ad Ciacconi triclinium de veterum unctionibus*, unctoribus, vaſis unguentariis non pauca collegit. *Flores*, ſi ad reficiendos ſpiritus, & oblectandos oculos moderatè & ἐυκράτως adhibeantur; de iis non laboramus: nec unquam antiqui Chriſtiani ab eorum uſu abhorruerunt; quidquid Gentiles cavillarentur. Sed ſi in corollas plectantur, aliud quid olim ſubeſſe videbatur. Quomodo autem veteres Chriſtiani abſtinuerint à coronis non vero à floribus; diſcimus ex Tertull. apologetico cap. 42. *Non emo*, inquit, *capiti coronam, quid tua intereſt emptis nihilominus floribus quomodo utar? puto gratius eſſe liberis, & undique vagis. Sed etſi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus, viderint qui per capillum odorantur.* Et ex Minutio Felice: *Quis autem ille, qui dubitet vernis indulgere nos floribus; cum capiamus & roſam veris & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris & odoris eſt iis. His enim & ſparſis utimur*, &c. *Sane quod caput non coronamus, ignoſcite*, &c. *Nec mortuos coronamus*, &c. Erat enim coronarum multus uſus in negotiis idololatricis, etiam in ſcenicis, in honorem Deorum celebratis. De coronis ſcenicis *Petrus Faber lib. 1. agoniſtic. cap. 3.* Qui ibidem de coronis agoniſticis *lib. 2. cap. 22. 25.* De coronis, quibus homines, Deos, ſimulacra Deorum Gentiles cohoneſtabant, *Caſaubonus ad lib. 6. Suetonii.* Quibus *Elmenhorſtius in comment. ad Minutium* aliqua adjecit. De coronis, quibus victimas hoſtiaſque ornabant, *Actor. 14. v. 13.* Τάυρυς καὶ ςέμμασι ἐπὶ τὰς πυλῶνας ἐνέγκας, &c. Teſtimonia *Plutarchi* & *Diodori Siculi* huc facientia exhibentur à *Pricæo in notis ad Actor. 14.* Longe plura de coronatis aut auratis victimis, ut & mortuorum coronis ab eruditiſſ. & diligentiſſ. *Ouzelio in animadverſ. ad Minutium, pag. 207. & ſeqq.* Ubi vide. De ἀκριβείᾳ antiquorum & reformatorum hac non tantum, ſed & omni aliâ cum idololatris ſymbolizatione cavendâ, agimus *in 3. part. ſelect. diſpp. tit. de ſuperſtit. & de idololatriâ, & pag. 533.*

IX. *Probl. Quid de balneis, & lotionibus ſtatuendum, Reſp.* 1. Uſum neceſſarium à medicis præſcriptum nemo improbat. De iis, quæ animi causâ, aut ex pravâ conſuetudine otiosè adhibentur; abſque ullâ neceſſitate ſive ad eſſe ſive ad bene eſſe; aliter judicandum eſt. *Cornelius Celſus* ſive neceſſitati & ſanitati, ſive pravæ conſuetudini & cupiditati hominum malè feriatorum velificaturus *lib. 1 cap. 2.* „ *Exercitationem*, ait, rectè ſequitur, „ modo unctio, vel in ſole vel ad ignem; modo balneum, ſed in conclavi, „ quam maximè & alto & lucido & ſpatioſo. Ex his vero neutrum ſæpe „ fieri oportet; ſed ſæpius alterutrum pro corporis naturâ. *Reſp.* 2. In publicis balneis promiſcuè quoſvis larvari, & quidem perpetuo aut frequenter minus commodum & decorum videtur; ſaltem non eſt neceſſarium aut admodum utile. *Joh. Manelſus* Profeſſor & medicus Romanus *in diſpp. ad 1.*

ſect.

sect. problem. Aristotelis prob. 40. De usu balneorum apud Græcos, Arabes, Latinos sic judicat: „Quod ex necessitate & valetudinis causâ inceperat, „ad luxuriam & voluptatem deinde translatum est; nempe inceperunt „lavari antiqui homines duplici de causâ, ad lassitudinem profligandam „scil. nec non etiam ut post corporeas exercitationes, quas frequenter ha„bebant, sordes abluerent, &c. Qui ibidem nonnulla adjicit de *gymnasiis* ita appellatis balnea continentibus, ut Antonini, Diocletiani, &c. Et ibid. de unctionibus. De utrisque quęstionem movet, an faciant ad sedandam lassitudinem? Nos ejus dissertatione prætermissâ, non videmus vulgato illi fidem detrahendam,

Enervant vires balnea, vina, Venus.

Quo ipso tamen dicere nolumus absolutè & simpliciter illicitum esse, necessitate ita ferente, in balneo aliquo lavari. Tertull. cap. 42. *apologet. Non lavor diluculo Saturnalibus*, &c. *attamen lavor honestâ horâ, & salubri, quæ mihi & calorem & sanguinem servet.* De ingressu Apostoli Johannis ex balneum, testantur *Irenæus lib.* 3. *cap.* 3. *Eusebius lib.* 4. *histor. cap.* 13. *Epiphanius hæres.* 30. *Augustinus epist.* 109. quibusdam piis virginibus permittit, ut semel in mense laventur. De balneis & thermis Romanis compendio discès ex *Rosino lib.* 1. *antiquit. cap.* 14. *Resp.* 3. Balnea ubi utriusque sexus homines promiscuè lavantur, plane improbanda, tanquam scholæ impuritatum. Et rectè tales balneorum frequentationes antiqua concilia Christianis prohibuere. Vide Canones ecclesiæ.

x. *Probl. Qui ludi in convivtis aut post sublatam mensam ferendi sint? Resp.* Antiquorum ludos, quos explicat *Jul. Cæs. Bulengerus* peculiari *tract.* non lubet nunc examinare; ut practicè determinetur, qui ex illis essent liciti, aut hominibus ac moribus nostris potissimum convenirent. Ludos hodiernos perlustrare infinitum esset: siquidem secundum nationes, regiones, provincias, civitates, vicos, status & vocationes hominum, immo & familias, variant. De comœdiis, choreis & pantomimorum, thymelicorum, similiumque gesticulatorum & spermologorum ludis, supra dictum fuit: & alibi *de lusu aleæ*, quo convivia seu mavis sympossia complurium non raro coronantur, in 3. *part. select. disput. tit. De sortis aliisque divini nominis abusibus*; quam anno 1660. peculiari libello contra alicujus impugnationes defendi. Clericis aleæ lusus prohibitus fuit in antiquis Conciliis: quę indicata vide à *Balsamone in Nomocanone tit.* 9 *cap.* 17.

xi. *Probl. An rectè Concil. Neocæsariense can.* 7. *prohibuerit clericis, ne nuptiis bigamorum interessent. Resp. Aff.* Siquidem digamia illa intelligatur, quando quis illegitimè repudiatâ uxore, aliam ducit: ubi talem intelligi vult *Justellus* in doctiss. notis suis ad canones ecclesiæ universæ. De digamiâ successiva, vide *p.* 1. *polit. eccles. tr.* 1. *sect.* 2. *c.* 5.

Restat

§. 6. Restat dicamus quid de popinis, & tabernis, quas homines malè otiosi, tantum temporis fallendi, deliciandi, garriendi, helluandi, aleis ludendi, substantiam suam dilapidandi causâ frequentare solent. Distinguimus eas à diversoriis, seu Xenodochiis, ut & ab officinis seu domibus convivalibus sive publicis sive privatis, ubi peregrini recipiuntur, aut honesti cives convivia sibi apparari curant, cum rationes ipsorum non ferunt in propriis ædibus ea celebrare.

Quæritur ergo 1. *Quæst. An tales popinæ cupediariæ, aut tabernæ, & vocationes ejusmodi cauponum sint licitæ? Resp* Neg. Rationes omnes huc applicandæ, quæ contra gulam, ebrietatem, luxum, ignaviam, aleam, &c. adferri solent. Rectè Waldenses (apud Joh. Paulum Perrinum part. 3. libr. 3. cap. 8.) *Taberna est fons peccatorum, schola diaboli, ubi patrat sua miracula*, &c. vide reliqua. Et paulo post: *Caupones, qui ista tolerant, participes fiunt omnium istorum peccatorum, & omnium malorum, quæ ibi committuntur.* Idem de vocatione cauponum censet *Amesius Casuum lib. 5. c. 46. qu. 2.* Immo & omnes Theologi reformati: quod colligi potest tum ex concionibus quotidianis adversus frequentationem cauponarum tum ex difficultate in receptione pandocheôn ad cœnam: & solicitâ distinctione ac circumscriptione, ne pandocheja eorum degenerent in popinas, aut quid commune cum ipsis habeant. *Lucas Osiander in enchrid. controv. Anabapt. cap. 10. qu. 4.* controversiam ipsis movet de diversoriis. Sed hodiernos Anabaptistas hoc minimè tangit: neque enim diversoria improbant; sed tabernas seu popinas.

11. *Quæst. An ergo illicitum & indecorum sit cauponas frequentare? Resp. Aff.* Nisi in casu necessitatis, ubi scil. hæc ἀνάγκη regnat, ut diversoria cum tabernis seu receptaculis symposiacis confundantur; nec alia haberi possint, ad necessarios usus.

111. *Quæst. An ministris liceat uti tabernis? Resp. Neg.* Nisi forte peregrinantibus, & in casu necessitatis; cum nulla alia hospitia aut diversoria habentur, aut saltem ipsis non patent. Clericis tabernæ prohibentur *sess. 24. Concil. Trid. cap. 1. 2.*

1v. *Quæst. An iisdem liceat aperire tabernas, & sustentandis sympositis quæstum facere. Resp.* 1. Multis modis illicitum & scandalosum est.

v. *Quæst. Quid de sphæristeriis hodiernis in Belgio statuendum? Resp.* Idem ferè quod de tabernis; de iis scil. quæ exercitiis corporis adjungunt reliquos sive usus sive abusus popinarum. De nudis exercitiis corporis (qualia ibi tantum vigere debebant, ex primo & simplici eorundem instituto) aliter judicandum.

v1. *Quæst. An ad luxum præveniendum leges cibariæ ferendæ. Resp. Aff.* Megalensium

lenſium Principes conceptis verbis jurare ſoliti, non amplius in ſingulas cœnas ſumtus eſſe facturos, quam centenos vicenoſque æris, præter olus & far & vinum; neque vino alienigeno ſed patrio uſuris: teſte *Gellio lib. 2. cap. 24.* De lege Orchiâ, primâ ſumtuaria apud Romanos latâ & ſecutis Tauniâ; Didiâ, Liciniâ, Corneliâ, Lepidi, Antia *Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 17.* De iiſdem *Gellius lib. 2. cap. 24.* Ex malis moribus, hoc eſt infando Romanorum luxu, leges illas ortas obſervat *Macrobius cap. cit.* qui ibidem & *cap. 13. 156.* luxum illum menſarium deſcribit. Conferri poſſunt *Plinius lib. 19. natur. hiſtor. c. 50. & 14. c. 14. & 8. c. 17.* Tertullianus, qui apolog. 6. exprobrat Romanis, *leges illas abiiſſe ſumptum & ambitionem comprimentes.* Paulo poſt: *video enim & centenarias cœnas à centenis jam ſeſtertiis dicendas: & in lances (parum eſt ſi ſenatorum & non libertinorum, vel adhuc flagra rumpentium) argentaria metalla producta.*

Mitto quæ *Clemens Alexandrin. 2 pædagog. c. 8. Hieronymus*, alii ex patribus de luxu dixere. Unum hic exhibeo teſtimonium Latini *Pacati in Panegyrico pag. 256.* edit. Livinei 1599. in 8. quo graphicè dæmonium hoc guloſum deſcribit: „Neminem, inquit, unum inveniri, qui auderet ad penam regiam flagi„tare remotorum litorum piſcem, peregrini aëris volucrem, alieni tem„poris florem? nam delicati illi ac fluentes, & quales tulit ſæpe reſp., pa„rum ſe lautos putabant niſi luxuria vertiſſet annum, niſi hibernæ poculis „roſę innataſſent, niſi æſtiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregiſſent. „Horum gulæ anguſtus erat noſter orbis, namque appoſitas dapes non ſa„pore ſed ſumptu, illis demum cibis acquieſcebant quos extremus Oriens, „aut poſitus extra Romanum Colchus imperium, aut famoſa naufragiis „maria miſiſſent; quos invitæ quodammodo reluctantique Naturæ homi„num pericla rapuiſſent. Ut taceam infami ſæpe dilectu ſcriptos in pro„vinciis aucupes, ductaſque ſub ſignis venatorum cohortes militaſſe con„viviis, nonne cognovimus cujuſdam retrò Principis non prandia ſæpe, „ſed fercula ſeſtertium millies æſtimata patrimoniorum Equeſtrium pretia „traxiſſe.

Videat, cui vacat, *Livinei notas.* Cum menſis & conviviis illis antiquorum lurconum, compara Cardinalis iſtius prandium & potum veſpertinum ſupra ex delitiis apodemicis Italię memoratum. Et convivium ἀνθρωπικὸν Gul. Nevillii Archiepiſcopi Eboracenſis, quod ex *Goodwini* Epiſcopis Britanniæ refero *1. part. politic. eccleſ. lib. 4. tr. 2. cap 6.* Luxus ille ex coquorum munere, numero, dignitate, difficili & multiſciâ arte colligi poteſt. Olim in tyrociniis ſtudiorum ex *Plauti Pſeudolo act. 3. ſcenâ 2.* ἀναζωσεῖαν antiquorum coquorum, & diffuſam artis coquinariæ ſcientiam guſtare

ſtare cœpi. Sed ex edito anno 1613. ab Heraldo *apologet. Tertulliani*, ex ejuſdem *digreſſ. lib.* 1. *digreſſ.* 3. plura de illis didici. Ante annos 32. præter propter ex indicio amici comparatâ mihi *la Piazza Thomæ Garzoni* inveni diſc. 93. quamplurima de ferculis & delitiis, nec non celebribus coquis, & ſcriptoribus coquinariis antiquis & recentibus. Citantur ab illo ibid. *Alexander ab Alexandro*, *Petrus Crinitus*, *Rhodiginus*, *Joh. Thomas Freigius.* Addimus nos ſcriptoribus artis coquinariæ ibid. indicatis, *Joh. Bruyerinum Campegio-Lugdunenſem*, qui anno 1560. 22. *libris de re cibariâ* ex ſcriptoribus antiquis & recentioribus eam breviter propoſuit. Poſt eum anno 1587. *Magiſter Marxen Rumpolts* Archiepiſcopi & Electoris Moguntini Archimagirus (Germanicè Muntkoch) *novum librum coquinarium* ſermone vernaculo edidit in fol. qui etiam ſpecialiter menſas & miſſus Imperatoris, Regis Ungariæ & Bohemiæ, Electorum, Archiducum, Comitum, & Toparcharum, Nobilium, Civium, Ruſticorum deſcribit; & in fine addit artem vino-cellariam. Ut hic finiam, indico *Joh. Henr. Alſtedium lib.* 35. *Encyclopædiæ ſect.* 11. *tit. Dipnoſophiſtica*, pleraſque res convivales delineaſſe.

COROLLARIA.

I. *PRivilegium Cleri Ultrajectini à Pontifice & Imperatore confirmatum, per quod tempore Papatus licebat ex concubinâ natis, quantum luberet relinquere,* (*vide* Zypæum *Juris Pontific. novi lib.* 3. *p.* 176. *edit. primæ in magno* 8. *& pag.* 132. *edit.* 2. *in* 4.) *cleritates impuritates innuit. De ſimili cleri Namurcenſis privilegio, ibid.* Zypæus *teſtatur.*

II. *Vertiginem & excœcationem Papatus inter alia docet* rubrica ad Can. *is qui* diſt. 33. Qui non habet uxorem, *loco illius concubinam debet habere. Quam tot annis pleræque editiones Juris Canonici, jam inde ab inventâ Typographia oſtentârunt. Vide editiones corporis canonici gloſſati in fol. Lugduni* 1507. *Baſileæ* 1511. *& Pariſiis* 1521.

DE

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

QUARTA,

Quæ est

DE LUXU ET VANITATE IN VESTIBUS; DOMIBUS, ET SUPPELLECTILE.

Resp. ABRAHAMO RODENBORCH Rheno-Traj. II. *Nov.* 1643.

Agemus de luxu & vanitate 1. *in* vestibus 11. *In* domibus, & utensilibus.

DE VESTIBUS.

§. 1. DE nominibus Vestium in sacris profanisque autoribus earumque partibus, formis & speciebus consulendi lexicographi, & philologi tum generales alibi indicati; tum imprimis, qui peculiaribus tractatibus hoc agunt, ut *Bayfius*, & si qui sunt istius commatis. Addenda quæ ad *Tertullianum de Pallio* notant *Joh. Ludovicus de la Cerda*, & *Cl. Salmasius*, qui etiam plura ibidem promittit.

Nostro instituto convenit præcognoscere distinctionem vestium in profanas & sacras. Illæ sunt vel communes vel speciales. Communes sunt, ordinariæ seu quotidianæ; & extraordinariæ, ac mutatoriæ quæ scil. subinde imprimis in solemnitatibus & conviviis adhiberi solent: de quibus vide Judæorum & Christianorum observationes ad *Eccles.* 9. 8. *Judic.* 14. 12. 2. *Reg.* 5. 12.

Sacræ sunt pecculariter consecratæ alicui cultus divini parti, sine quâ tanquam mystico signo & morali instrumento ea peragi non posset. Quales in V. T. erant vestes sacerdotales, de quarum apparatu philologi sacri & comentatores Textuales ad *Exod.* 38. & qui Politiam Judęorum describunt, denique *Ribera de Templo lib.* 3.

His opponuntur pseudo-sacræ, *tum* Gentilium (quas explicant antiquarii de sacerdotiis & Sacrificiis Gentilium;) *tum* errantium Christianorum,

inter quos excellunt Pontificii, quorum veſtes ſacræ ſunt 1. ſacerdotum in ἱερεῖς, imprimis in ſacrificio miſſæ, de quibus *Miſſale* & *Paſtorale*, & *Gavantus in theſauro Antiquitatum* (ubi omnes alii citantur,) & *J. Bapt. de Rubeis Rational. novi lib.* 1. *c.* 61-82. *Durantes* 3. *Rationalis*; qui quaſi *Homerus* hâc in parte, ex quo ceu fonte perenni, &c. 2. Inferiorum ordinum; de quibus ibidem. 3. Epiſcoporum, archiepiſcoporum, &c. ἱερεχόντων; de quibus *Pontificale*, & *Ceremoniale Epiſcoporum*. 4. Paparum ὑπερεχόντων; de quibus *Ceremoniale Romanum*. 5. Monachorum, ſeu regularium ſupererogantium; de quorum variis & verſicoloribus armis, videndi Scriptores de Monachis alibi indicati. Imprimis conferenda, quæ circa veſtiarias ſuperſtitiones & nugas hodie determinant SS. congr. Cardinalium apud *Auguſtin. Barboſam in collectan. ad Bullarium*. Veſtigia aliqua & ſpeciem vacuarum obſervationum in Papatu, alibi adhuc cernere liceat extra Papatum. Sed de his, ac toto veſtium ſacrarum choragio diſquirendum eſt partim in *Polit. eccleſ.*, partim ad ſecundum præceptum tit. de ritibus pſeudo-ſacris.

§. 2. Deſcriptio veſtium ſeu veſtitus communiter conſiderati, ex finibus potiſſimum deſumenda eſt. Sunt autem iſti: *Primus*, ut tegatur nuditas, & pudori conſulatur. *Geneſ.* 3. 7. *Secundus*, ut arceantur frigus, æſtus, aliæque aëris injuriæ, *Proverb.* 31. 21. *Tertius*, ut ſexus virilis à fæmineo honeſtè diſtinguatur. *Deuter.* 22. 5. *Quartus*, ut ſanitati & nitori corporis humani conſulatur: quod propter exhalationes, ſudores, &c. variam veſtium refectionem requirit, ne ſibi & aliis moleſti ſint. Accedit *Quintus*, & ſecundarius finis, ut tanquam civilia & externa ſymbola dignitates & munera publica hominum in hoc mundo notent ac diſtinguant, haud aliter ac inſignia, coronæ, ſceptra, faſces, ſecures, &c. Uſum illum ſimpliciter & in ſe non improbari (quamvis magnâ cum cautela adhibendum *Math.* 11. 8. *Actor.* 25. 23. & 12. 21. coll. cum *Joſepho l.* 19. *antiquit. c.* 7.) aliquo modo colligi videtur ex *Pſalm.* 45. 9. coll. cum *Matth.* 6. 23. *Geneſ.* 41. 42. *Eſther* 6. 1.

Veſtitui & τῷ veſtitum eſſe opponitur nuditas; quæ poſt lapſum hominis vel voluntaria eſt, vel coacta. *Illa* eſt vel partialis, vel totalis; vel major, vel minor.

Rurſum utraque 1. *honeſta*, & civilis, ut in luctu, balneis, officiis & laboribus quibuſdam. 2. *religioſa*, ut in pœnitentia & humiliatione; *Levit.* 16. 4. 2 *Sam.* 15. 30. 3. *Myſtica*, μυσηριώδης, ut *Exod.* 3. 5. *Jeſa.* 20. 4. *Superſtitioſa*, ſeu mavis furioſa ut Adamianorum apud *Epiphanium*, & Adamitarum ante 200. annos in Bohemiâ, apud *Æn. Sylvium in hiſtor. Bohem.* & *Pleſſeum in Myſterio Iniquitatis*: ut & quorundam Anabaptiſtarum in Belgio, Amſtelredami anno 1536. referente *Lamb. Hortenſio in lib. de tumultibus Anabaptiſticis.*

Huc

Huc referri possunt Nudipedales apud *Augustin. de hæres.* Et antiqui Gymnosophistæ; & denudationes in precibus. 1 *Corinth.* 11.; & hodierna nudipedalia tum Monachorum ordinis discalceatorum, tum quorumvis Papistarum in Processionibus, & in votivis peregrinationibus, cum nudis pedibus iter conficiunt, aut nudis genibus reptant circumsacella, delubra, &c. Hieronymus Vigilantio objicit, quod nudus oraret, imitatus Adamum & Evam in Paradiso. 5. *Turpis* & inverecunda: ut Gentium Americanarum, aut hominum impurorum, qui pudorem & humanitatem omnem subinde exuunt. Quo referri debet tota natio & secta Cynicorum; nec non factum illud insignirer Cynicum Francisci Assisii nullis non flagris expiandum; qui exutis femoralibus publicè nudum se in oculis Episcopi Assisii aliorumque spectatorum conspiciendum prębebat: unde non puduit autorem Conformitarum Angelicam ejus innocentiam & virginitatem probare. De hoc, aliisque ad turpem nuditatem pertinentibus vide 1. *part. Politicæ Eccles. lib.* 2. *tract.* 2. *sect.* 3. *pag.* 684.-691. Emersit nuper opinio, quæ Cynicum Diogenem, atque Adamitas antiquos & novos, ut & Francisci Assisii phanatismos quodammodo sapere videtur: statuens, non posse naturali ratione probari scortationem, polygamiam, incestuosa conjugia esse peccata; ut & denudatis pudendis in publico incedere, ubi scil. consuetudo talis in aliquo populo obtinet. Nos reliquis missis, Adamiticæ illius nuditatis ex proximè sequ. §. 3. & *Polit. Ecclesiast.* loco modo cit. satis superque refutandæ, solummodo allatam ab autore rationem ab exemplo Petri desumtam, qui nudus piscando occupatus fuisse dicitur, hic refutamus. Locus de nuditate Petri ab autore procul dubio respicitur. *Johann.* 21. *v.* 7. Τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο (ἦν γὰρ γυμνός). Sed quomodo hinc probatur, eum denudatis pudendis in publico incessisse, aut in consortio illo piscatorio se ostentasse? Et quidem in illo populo, ubi talis consuetudo minime obtinebat, nec obtinere debebat. Ubi sanctæ mulieres sic se ornaverant; & ad quarum exemplum mulieres Christianæ *amictu honesto* ornare se debent 1 *Petr.* 3. *v.* 5. cum 1 *Timoth.* 2. *v.* 9. Nudus ergo erat Petrus, nudatus scil. extimis vestibus; non vero indusio, interula, aliisve vestibus, & corporis tegumentis interioribus, uti hodie e. gr. bajuli, fossores, messores, aliique operarii. Quo pertinet illud Virgilii in Georgicis:

Nudus ara, sere nudus.

Et hoc satis innuitur in ipso textu, cum Petrus dicitur *amiculum præcinxisse*, Vulg. & *Erasmus*, *tunicâ se succinxisse.* Idemque colligi potest ex apposito ἐπενδύτης. Explicatur ἐπενδύτης apud *Pollucem*, *Suidam*, *Theophylactum in Joh.* 21. *v.* 7. *Nudum* autem, significare eum qui superiore veste

exutus est constat ex 1 *Sam.* 19. *v.* 24. 2 *Sam.* 6. *v.* 20. *Jesa.* 20. *v.* 7. *Job.* 22. *v.* 6. & 24. *v.* 7. Idque jampridem observatum fuit à *Grotio in notis ad Joh.* 21. *v.* 7. Qui addit ibid. ex scriptoribus profanis Latinis & Græcis, Pomponium Melam, qui Germanos plerumque *nudos* egisse dicit; quod Tacitus interpretatur; *rejectâ superiori.* Et Xiphilinum in Pseud-Antonio, apud quem post positum γυμνὸς, sequitur σινδόνια διασεῖον. Cum his conferri posset notatum *Casaubono ad histor. Augustæ* scriptores, quod gr. ἐπίνδυμα & ἐπινδύτης significet omne extimarum vestium genus.

Sed consideremus solummodo in N. T. γυμνὸς *Matth.* 25. *v.* 36. *Actor.* 19. *v.* 16. *Rom.* 8. *v.* 35. γυμνότης 2 *Cor.* 11. *v.* 27. γυμνητεύομαι 1 *Cor.* 4. 11. Ubi Adamitica & Cynica nuditas intelligi non debet. Neque enim Apostolus, violenter detractis aut rejectis etiam interioribus vestibus, cum Francisco Assisio, aut Adamitis, aut furiosis illis Anabaptisto-Enthusiastis Amstelodamensibus anno 1536. nudum se ostendere voluisset; aut tegmen pudendorum in carcere oblatum prohibere & rejicere: quale quid de dictis Anabaptisto-phanaticis Amstelodami captis refertur à *Lamb. Hortensio in historiâ tumult. Anabaptistic.* modo cit.

Coacta nuditas est, cum aut paupertate aut hostium violentiâ ad nuditatem quis adigitur, de quâ *Rom.* 8. 35. 2 *Cor.* 11. 27. *Ezech.* 18. 7. *Jesa.* 58. 7. *Jacob.* 2. 15. *Math.* 25. Hujus etiam particeps fuit Christus in cruce, *Math.* 27. 35. coll. cum *Psal.* 22. 19. De nuditate planè innocente & sine pudore in statu ante lapsum, agunt commentatores ad *Genes.* 2. & locor. cōmm. scriptores. De naturali & necessariâ, Apostolus 1 *Tim.* 6. 8. & *Job.* 1. *v.* 21.

§. 3. His præcognitis, usus & abusus vestium istis conclusionibus determinamus,

1. *Concl.* Vestitus simpliciter & in genere spectatus, non tantum utilis est, sed etiam ex hypothesi lapsus, & mandati divini, ac indigentiæ & mortalitatis humanæ necessarius. Quod est contra inverecundiam & nuditatem modo indicatam. Rationes sunt 1. *Quia* Deus suo facto & exemplo ita constituit *Genes.* 3. 21. 2. *Quia* lex, necessitas, & ratio naturalis hoc postulat, ad vitam, sanitatem, & corporis humani nitorem contra æstum, frigus, sordes, &c. conservanda. Et hâc in parte etiam homines à brutis infra, & à beatis supra distinguuntur. 3. *Quia* ex eâdem lege ac necessitate facit ad honestatem, decentiam, & continentiam in tegendis præcipuè partibus corporis, quas Apostolus vocat ἀσχήμονας & ἀτιμοτέρας 1 *Cor.* 12. 23. coll. cum *Genes.* 9. 22. 23. Imprimis ad evitandas occasiones & allicia libidinis. 4 *Quia*, Nuditas sive totalis, sive partialis numeratur inter hujus vitæ calamitates & adversitates, *Rom.* 8. *v.* 35. immo & speciales pœnas ac Dei maledictiones,

ctiones, *Hoseæ* 2. *Jesa.* 3., quibus opponitur vestitus, tanquam Dei benedictio à piis omnibus postulata ac desiderata *Genes.* 28. *v.* 20. 1 *Timoth.* 6. 17. & defectum vestium supplere tenentur omnes pii, *Jesa.* 58. 7. *Math.* 25. 36. *Jacob.* 2. 5. 5. *Quia*, Deus materiam, unde vestes fiunt, linum scil., lanam, pilos, vellera animalium, & similia usui hominum concessit, artes etiam docuit, atque approbavit, quæ vestibus parandis inserviunt: Jam vero Deus, & natura nihil faciunt frustra.

11. *Concl.* Ad necessarium, aut quasi necessarium vestitum non tantum referimus vestes illas quæ proximè corpus, aut artus tegunt sed etiam quæcunque vestibus interioribus commodè superinduuntur; qualia sunt pallia, togæ, vela, pepla, pallæ, tunicæ, pænulæ.

111. *Concl.* Vestium sacarum & peculiarium ad sacra obeunda aut peragenda, nullum usum in N. T. agnoscimus; nec præter commune civile decorum, ullum mysticum aut sacrum in iis sectamur & quærimus. De quo alibi (ad secundum præceptum scil., & in *Polit. Eccles.*) ex professo agendum.

1v. *Concl.* Vestes non tantum simplices ac sine arte factas, quod ad materiam, & quod ad formam, & præcisæ necessitatis ergo (quales e. g. antiquorum Schytarum, aut Johannis Baptistæ) ut licitas concedimus; sed etiam varias, operosas & artificiosas magis, & ex materiâ plus quam vulgari ac ubivis obviâ; idque ad τὸ bene esse corporis, ejusque munditiei & nitoris. Rationes nullas adfero, nisi quæ pro esu carnium, piscium, vini, cerevisię &c. adferri possunt, & analogicè huc applicari. Ad vitam sustentandam sufficiunt, aut sufficere debent non raro glandes, pisces indurati, nuces *cocos*, radices cassaviæ, &c. cum aquâ aliove liquore; absque pane, vino, carnibus: hinc tamen non sequitur, usum tritici, vini, &c. esse illicitum. De vestibus videtur Apostolus tale quid innuere 1 *Tim.* 2. 9.

v. *Concl.* Nec plane illicitum, ut superindumento aut ornamento, quod ad materiam, formam, usum, à vulgaribus & quotidianis hominum vestimentis distincto, quis utatur ad decorum & dignitatem secundum rationem personarum, statuum, temporum, locorum in vitâ civili designandam, conservandam ac promovendam, quasi per signum morale. Probatur. 1. *Quia* tale quid suadetur Eccles. 9. v. 7. *Omni tempore sint vestimenta tua candida*, &c. 2. *Quia* hoc pertinet ad civilitatem in humana conversatione: uti docent Ethici. Virtutem civilitatis, non repugnare juri divino, per singulas partes probari potest. Vide *Ethicam Althusii.* Et de speciali actu civilitatis in salutando commentatores ad *Luc.* 10. *v.* 4. & 2 *Reg.* 4. *v.* 29. aut *P. Martyris locor. class.* 2. *cap.* 14. §. 15. 3. *Quia* Deus distinguendo hominum occupationes, vocationes, status, tempora, fundavit

Matt 6. 17.

jus

jus permissivum; & rectæ rationi determinationem pro cujusque opportunitate ac necessitate concessit. 4. *Quia* horridus & incultus vestitus (cum scil. melior ad licitam commoditatem, decorem, & ornatum haberi non potest) refertur inter calamitates & afflictiones, *Hebr.* 11. 37. 5. *Quia* in cibo & potu, τὸ esse non tantum, sed & τὸ bene esse, non tantum præcisæ necessitatis expletio ad vitam sustentandam, sed & modica affluentia ac ciborum delectus ad meliorem corporis curam, atque ad honestam voluptatem & oblectationem inde capessendam permittitur. Hinc ergo à pari argumentum ducatur. 6. *Quia* 2 *Sam.* 1. 23. coll. cum *Hoseæ* 2. 10. 11. & *Proverb.* 31. 19. 21. videtur innui, esse partem benedictionis divinæ, si cui obtingat. Et hæc determinatio juxta communem sententiam, contra Pelagium, qui teste *Hieronymo* (*lib.* 1. *c. Pelag.*) volebat omnem ornatum ab Apostolo Petro 1 *epist. c.* 3. prohiberi. Sed de hoc forte infra in problematis. Interim, quia mala sunt vicina bonis, & nusquam citius exorbitatur, quam circa ea quę ad melius esse conceduntur, observandæ sunt cautelæ & restrictiones partim generales, partim speciales. *Generales* sunt vel circa causas & intentiones, vel circa ipsum modum vestiendi.

Prioris generis sunt. 1. Ne sit ex vana ambitione, & mendaci deceptione, quâ proximus circumveniatur: quod fit cum quis eo mentitur familiæ nobilitatem, ordinis dignitatem, status & conditionis excellentiam; Cujus vitii characterem exhibet *Erasmi colloquium*, cui tit. *Ementita nobilitas.* 2. Ne levi, vano & inhonesto splendore, varietate, figurâ suâ signa & incentiva sint illicitæ voluptatis. Hic enim est ornatus meretricius, de quo *Prov.* 7. *v.* 10. 3. Ne faciant ad deceptionem proximi. Quod fit tripliciter, *Primo* hypocriticâ ostentatione bonorum animi, ex. gr. sanctitatis, humilitatis, devotionis, contemtus mundi. Familiare hoc monachis hodiernis, Beguinis, Cloppis, &c. & olim pseudoprophetis *Zachar.* 13. *v.* 4. ac philosophis quibusdam Gentilium barbâ, baculo, pallio sapientiam promittentibus. De quibus *Gellius lib.* 9. *cap.* 2. De Diogene & Cynicis, *Laertius in Diogene. Secundo*, mendaci ostentatione bonorum corporis, ut cum quis staturam, partes corporis, partiumque ordinem ac συμμετρίαν quâ caret, fabricatis ad id vestibus fingit ac præ se fert. *Tertio*, ostentatione bonorum fortunæ, quæ non adsunt; cum quis divitias, genus, statum ac conditionem inter homines (ex. gr. Medici, Jureconsulti, Mercatoris, &c.) ornatu suo mentitur, & sic hominibus turpiter imponit.

Conditiones generales, *quod ad modum* vestiendi sunt. 1. Ne quis evagetur ultra & extra statum atque ordinem suum. 2. *Nec* facultates. 3. *Nec* moderatam ac tolerabilem consuetudinem ac morem antiquitus civibus suis usitatum. 4. Imprimis, ut modum & formam vestis, necessario non abjiciendam,

ciendam, primus aut inter primos in gente, aut regione, aut civitate suâ novâ & peregrinâ formâ commutet: ut possit oculis signari & digitis monstrari. Hoc enim vanæ ac stolidæ ambitionis & desultoriæ levitatis signum est.

Speciales conditiones sunt.

I. *Quod ad fines.* 1. Ut magis sint ad sanitatem, quam ad ornatum. 2. Ut ad conservationem, promotionem, atque expeditionem actionum naturalium, vitalium, animalium, præsertim locomotivæ, non ad læsionem aut impeditionem. 3. Ut commodę sint & maximè inserviant cuique ad expeditas actiones suæ vocationis, ex. gr. militi, mechanico, agricolę, nautæ, &c.

II. *Quod ad materiam*: ne affectetur minus apta & nimium rara, nimisque operosè, longè, sumtuosè quæsita ac parata; neve contra respuatur magis apta, & facilius comparabilis.

III. *Quod ad quantitatem discretam*: Ne vestes nimis varię sint, & nimis multę, avaris possessorum oculis, vanæ curiositati, & blattis tineisque pascendis tantum; non corpori tegendo. Contra 1 *Tim.* 6. 8. *Genes.* 28. 20. coll. cum *Jacobi* 5. 2. 3.

IV. *Quod ad quantitatem continuam* 1. Ne sint fenestratæ, ut nudum corpus, aut fenestratum & quasi transparens lineum immediatè corpus tegens, & per illud aliqua pars corporis alicubi transpareat. 2. Ne sint nimis curtæ, aut aliqua parte, sæpe dimidia, resectę, ut partes corporis denudatæ appareant; quas omnes tegendas docet ipsa vestium natura; exceptis manibus, actionum externarum communibus ὀργάνοις ὀργάνων, & vultibus, ad homines dignoscendos; prout infinita Dei sapientia ac potentia singulis distinctos vultus creavit. 3. Ne sint nimis angustæ, ut membra nonnulla vix capiant, aut honestè tegant. 4. Immo ne quod ad nonnulla membra quibus major debetur honor (1 *Cor.* 12.) sint adęquatæ; ita ut illa exprimant & exhibeant: quod de antiquorum Germanorum vestibus referre puto Tacitum in Germaniâ: si bene memini. Nec mulierum tunicæ sint nimis curtæ. *Clemens Alexandr. lib.* 3. *Pædagogi cap.* 16. *p.* 151. tales taxat „ Neque enim, sicut Lacænas virgines supra genu vestiri honestum est: „ nullam enim partem fœminę nudari decorum est. Atqui posset quidem „ honeste dici urbana & faceta illa vox quæ dicta est ei qui dixerat, Pul„ cher cubitus, at non publicus, & tibi Pulchræ sunt tibiæ dicenti, sed so„ lius mei mariti: & speciosa facies, sed est ejus tantum qui me uxo„ rem duxit, Ego autem nolo pudicas fœminas præbere talium laudum „ causam iis, qui per ejusmodi laudes ut probrum eis afferant venantur. „ Nec verò solum calcaneum est prohibitum ut nudent iis, verum etiam

„caput ut tegant atque obnubant, illis est impositum: neque enim ho-
„nestum est corporis pulchritudinem esse hominum aucupium: nec par
„est ut purpureo utens velo fœmina velit aspici. 5. Ne sint nimis laxę, &
consequenter minus idoneæ ad opera peragenda; sed tantum ad ostentandam profusionem. 6. Imprimis ne pensilibus, volantibus, altè exstantibus, tractis & terram verrentibus laciniis atque appendicibus deformentur.

v. *Quod ad figuram* 1. Ne quadratæ, rotundæ, triangulares, pyramidales, conicæ, cylindricæ, ubi necessitas & decorum naturale nihil tale requirit 2. Ne nimium variegatæ, & ex multis variisque figuris mixtæ. 3. Ne rimis, fissuris, incisionibus, fenestris, valvulis, violatæ, ut sint vestes non vestes, nuditatem non satis tegentes, laceræ ante tempus & absque necessitate. 4. Ne tuberibus, bullis, nodis, limbis, sine modo, sine mensurâ oneratę, clitellas potius & episagmata, aliaque onera referant, quam vestes. 5. Ne exprimant & imitentur brutorum figuras, præcipuè in illis membris, quæ natura homini negavit; qualia sunt cornua, caudæ, alæ, cristæ, &c. Voluit enim Deus, hominem à brutis non tantum, sed & ab aliis hominibus externâ figurâ, forma, voce, incessu, gestibus distingui. 5. Vestes viriles ne immitentur muliebres, aut propius ad illas accedant, ubi Deus vult & natura docet eas distinguendas esse.

vi. *Quod ad formam*: ne raris, variis, admirandis, & splendidis coloribus, oculos spectatorum præstringant, & πολύκοιλον vanitatem ac levitatem vestiti prostituant. De splendidis coloribus sic olim philosophatus est *Clemens Alexandr. lib. 2. pædagogi cap. 10. pag. 151.* „Atque utinam posset etiam à veste eximi purpura, ut non utentium faciem spectatores converteret. Atque illæ quidem cum reliquæ vestis ad-
„modum parum texant, fecerunt quicquid est purpureum, suas inflam-
„mantes libidines. Quæ autem his stolidis & mollibus purpureis impense
„delectantur, eas, ut sunt verba Poëtæ, *Purpurea arripuit mors.* Propter
„hanc itaque purpuram, & tyrus, & Sidon, & quę regio est mari pro-
„pinqua Laconico, maxime desiderantur; quin etiam earum tinctores,
„& purpuræ infectores, & ipsa conchylia in magno preio habentur,
„propterea quod eorum sanguis producat purpuram. Ad etiam delicatis
„pannis admiscentes dolosæ mulieres, & qui sunt viris effeminati, frau-
„dulentas dolosasque tincturas, insano quodam amore mod modestiæque
„limitem transiliunt, non amplius lintea ex Ægypto, sed qiædam alia ex
„terra Hebręorum & Cilicum comparantes. Amorgina autem taceo &
„bysina: delitiæ enim jam eorum appellationem immodice ludificando
„transmiserunt.

VII. *Quod ad adjuncta* 1. Ne multum curæ, & temporis ponatur in vestibus parandis, & quotidie aut pro re natâ induendis: juxta illud Terentii in Adelphis; *Dum moliuntur dum comuntur, annus est.* 2. Breviter vestes illæ posthabeantur; quæ te requirunt, & servilem te reddunt, non vero tibi inserviunt.

VI. *Concl.* Quicquid ergo in vestitu à restrictionibus & legibus præscriptis recedit, suspectum tibi sit. Quot autem modis hic deviari possit, ex supradictis restrictionibus, & communi experientiâ colligendum est: quamvis locum hic habeat illud vulgatum: facta sunt infinita. Interim, si cui vacat, consulantur. *Thomas* aut aliquis ex recentioribus *commentar. 22. qu. 169. artic. 1. Sylvester in summâ, in voce ornatus.* Juvabuntur etiam forte juniores, si icones vestium in quâque gente, qui vulgaribus libellis eduntur, perlustrent, & tanquam in speculo hominum multiplicem vanitatem ibi contemplentur. Nec contemnenda scripta satyrica, quę vulgaribus linguis, exstant, inter quæ eximium poëma nobilisſ. & Clarisſ. viri, cui tit. **Het hoofteljick mal**, 1. *sumtuosa stoliditas.* Theologos practicos, paulo post nominabo, inter quos eleganter has vanitates χαραχτηίζει *Godefr. Udemans* p. 485. 477. & p. 423. tract. vernaculi ad 2 *Cor.* 5. 17. Καινοζηλίαν studioſorum theologiæ in vestibus exoticis affectandis canonibus suis prohibent ecclesiæ Hungaricæ anno 1640. & speciales quasdam formas ibidem designant. Idem agit *Pareus lib.* 1. *Exercitat. Exerc.* 12. ubi designat *pileos* ὑμοπλαῖς, *fascias coruscantes: circulos dodrantales, corollaria luxuriosa, thoraces prægnantes,* &c. *calceos fenestratos,* &c. § 4.

Nunc classes ac fontes argumentorum indicandi contra hæc mundi excelsa, imprimis propter eos, qui putant peccata hic nulla committi, aut saltem tam exigua aut dubia, ut iis dissuadendis prudentes concionatores occupari non debeant. Sit ergo.

1. *Arg.* Ex scripturæ textibus, *Jesa.* 3. *Zephan.* 1. 8. 1 *Timoth.* 2. 1 *Petr.* 3. Quæ multiplicia argumenta suppeditant, diligenti lectione & meditatione inde educenda. Consuli poterunt comentatores ad loca citata, tum antiqui, tum recentiores.

11. *Argg.* Quia repugnant naturali usui vestium, & finibus à Deo statutis; quos supra retulimus.

111. *Arg.* Quia repugnant simplicitati Christianæ, de quâ alibi agendum. Videatur *tract. Savanorolæ* de simplicitate vitæ. Nos etiam aliquid de eâ diximus in 2. *part. select. dispp. tit.* de *simplicitate & hypocrisi.*

IV. *Arg.* Repugnant temperantiæ & continentiæ; quæ uti in omnibus (1 *Cor.* 9. 25. *Tit.* 2. 11. 12.) ita etiam in vestitu requiritur.

V. *Arg.* Repugnant humilitati, modestiæ, & gravitati Christiani: suntque

vexilla & signa elationis, superbiæ, mundanæ vanitatis, levitatis. De quibus virtutibus & vitiis suo loco ab Ethicis & theologis dicta, huc conferantur. Augustinus de serm. in monte lib. 2. *Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitu, vel cæterarum rerum nitore præfulget, facile convincitur rebus ipsis pomparum sæculi esse sectator, neque quenquam fallit dolosâ imagine sanctitatis.*

VI. *Arg.* A noxiis effectis; concitant ac promovent κοσμικὰς ἐπιθυμίας & peccata contra septimum præceptum (*Prov.* 7. 10. *Ezech.* 23. 8. 28.); tempus pretiosissimum (*Ephes.* 5. 16.), rem familiarem, ingenium, memoriam & affectus cordis gravant & absumunt, atque à cœlestibus abducunt; pauperibus, & familiæ damnum inferunt; proximum multis modis scandalizant.

Præter hæc argumenta sunt & aliæ motivæ & amplificationes quamplurimæ, quæ à scriptoribus Practicis adferuntur: ad quas suffecerit hic digitum intendisse. Sunt autem potissimum istæ 1. *Quia* origo vestitus post ingressum peccati in mundum *Genes.* 3. 7. ita ut stigma sit peccati. Quis sanus illo superbiat? 2. *Quia* vestitus, quem Deus ipse protoplastis aptavit, simplicior erat Genes. 3. 21. 3. *Quia* omnia fere ornamenta vestium à brutis emendicata sunt; itaque stultum est iis superbire. *Chrysostom. homil.* 50. *in Math.* 4. *Quia* nimis se abjicit, qui tam vilibus rebus honorari affectat. *Chrysost. homil.* 37. *super Genesin & homil.* 50. *in Math. & Cyprian. tract.* 2. *de habitu virginum* 5. *Quia* Christum pudefacit & de novo denudat, qui in cruce nudus pro nobis pependit, ut nuditatem nostram tegeret, & pro luxu ac vanitate nostrâ in vestitu satisfaceret. Confer concionatores in passionem. 6. *Quia* mollibus, curiosis, & corruptulis hominibus nihil aut parum temporis superest ad salutem animæ procurandam. *Chrysost. homil.* 50. *in Math. Augustin. serm.* 19. *de verbis domini.* Confer comment. & conciones, *ad Rom.* 13. 2 *Cor.* 5. *Coloss.* 3. *Apocal.* 3. 18. & 16. 15. & 19. 8. *Math.* 22. 13. 14. *Psal.* 45. 14. ubi docemur alteri vestitui studendum esse. *Cyprian. Tract.* 2. de habitu virginum, *Augustin. ad Possidonium epist.* 37. 7. *Quia* vestes corruptionem corporis non impediunt. Cogita corporis mortalitatem, ejus statum post mortem, & vide an saccus vermium tantâ curâ ornandus sit? 8. *Quia* stoliditatis, aut saltem exigui judicii argumentum est, si quis talibus vanitatibus serviat, & in se aut in aliis tantopere eas æstimet. *Cyprian. tr.* 2. *de habitu virginum.* 9. *Quia* malè sabbathum sanctificatur splendidis vestibus. *Chrysost. homil.* 8. *de Resurrect. & homil.* 1. *de Lazaro, & Hieron. lib.* 2. *in Amos.* 10. *Quia* ornatu immodico homines se deformant, & in psittacos ac pavones quasi transformant; corpus deliciis vestium magis insolescit, & caro curatur ad voluptates;

luptates; sanitas animæ læditur ejusque nuditas procuratur, & vestimentis Jesu Christi non vestitur. *Cyprian. tract. 2. de habitu virgin.* 11. *Quia* exempla judiciorum Dei in vanitatum istarum sectatores nos absterrere debent. Vide *Josephum lib. 19. antiquit. cap. 7.* aliaque apud *Honsdorfium*, & similes scriptores exemplorum, & *Trugillum disc. 29.* 12. *Quia* præit nobis exemplum Christi, qui in omnibus se præbuit exemplar humilitatis *Math.* 11. 29. & exempla sanctorum 1 *Petr. 3. 4. 5.* aliorum laudatorum Christianorum, de quibus scriptores exemplorum, & Vitarum. 13. *Quia* assidua meditatio mortis & judicii est ἀποταξις cum hac vanitate & περιεργία. 14. *Quia*, luxus in cibo & potu detestabilis est: uti præc. disp. ostensum: ergo à pari & simili, etiam luxus in vestibus. Hinc etiam in divite epulone conjunguntur. *Luc. 16. 15. Quia* in universum omnes mundi vanitates condemnantur 1 *Johann. 2. v. 15. 16.* Sub quibus subsumende sunt vanitates in vestibus. Atque hæ rationes, quas apud autores mox nominandos amplificatas vide.

Accedat nunc consensus sapientum, inter quos

1. Qui peculiaribus tractatibus, aut pluribus aut datâ occasione ex professo hoc agunt. 1. *Ex* patribus *Tertullianus de Velandis virginibus, de cultu fœminarum, de habitu muliebri, de Coronâ militis; Cyprianus de disciplinâ & habitu virginum*; *Chrysostomus in Genes. 16. homil. 37. & in 3. ad Philipp. homil. 10. & in 1 Timoth. 2. homil. 9.* & in *Coloss. 3. homil. 7.* & in *cap. 4. homil. 10.* & in *Matheum homil. 31. Basilius in Jesa. 3. Hieronymus. 2. Ex* recentioribus *Joh. Cono, Daneus, Teellingius* (linguâ Belgica), *Thomas Trugillus Dominicanus*, cujus tract. ex Italico latinum fecit *Joh. Frid. Mathenesius tit. De Luxu & abusu Vestium.* Quibus adde Savonorolam in libro de simplicitate Vitę, *Taffinum de Emendatione vitæ lib. 2. c. 12. Godefr. Udemans in tract. Belgico ad 2. Corinth. 5.*

11. Qui in Casibus conscientię, aut explicationibus decalogi, ut *Perkinsus lib. 3. Casuum cap. 4. Amesius, Balduinus lib. 4. cap. 1.* & Belgicè *Udemannus in praxi fidei, spei, caritatis ad 7. præc. Ex Pontificiis* imprimis *Sylvester in voce ornatus*, & *Navarrus cap. 23.* Et *Buseus in panario.*

111. Qui in locis communibus, ut *Thomas 22. qu. 169. art. 1. & 2.* & ad eum commentatores. *Ex nostris* imprimis *Martyr. locorum classe 2. c. 2. Aretius probl. part. 2. p. 256.*

1v. Commentatores, & concionatores ad *Luc. 16. v. 19.* & 1 *Tim. 2. v. 9. 1 Petr. 3. v. 3. Jesa. 3. Prov. 7.* imprimis *Corn. à Lapide*; Et *Didacus Celada in Judith. 10. v. 2.* ex nostris *Cowperus ad Roman. 8. v. 35. Lavaterus in Proverb. 30. v. 22.*

v. Politici, Jureconsulti, Historici, Philologi: quales *Lipsius monit. l. 2. c. 15. Scornborn. politic. l. 2. c. 27. Camerarius centur. 2. cap. 39. Adami Contzen Daniel* sive aulicus *cap. 68. Luc. Vives Institut. fœminæ Christianæ, Georgius Viviennus de officio probæ matrisfamilias lib. 2. cap. 1. - 13.* Ex illis notandæ leges vestiariæ, præclara dicta & consilia, facta & exempla. Quæ hic à nobis indicari vix operæ pretium: cum exstent Florilegia, libri exemplorum, apothegmatum, &c. Et selectiora ab autoribus cit. exhibeantur.

§. 5. Objectiones & exceptiones pro vanitate vestiariâ sunt istæ.

1. Vestes sunt adiaphorum quid, nec exstant in scripturâ regulæ de earum materiâ, aut formâ, &c. *Resp.* 1. Usus earum in particulari non est adiaphorus. Et loca supra cit. ostendunt regulas quibus mediocritas in genere circumscribitur: quæ analogicè ad speciales circumstantias applicandæ à prudentiâ tum privatâ cujusque fidelis, tum publica & ecclesiastica & politica. 2. Idem dici posset de materia, forma, quantitate cibi; potus, somni, &c. circa quæ tamen locum habet excessus, aut defectus, & consequenter bonitas aut malitia moralis.

11. *Obj.* Pauperibus aut hominibus vulgaris sortis videtur hic lex posita, non vero nobilibus aut divitibus. *Resp.* Contrarium patet ex *Zeph.* 1. 8. 1 *Petr.* 3. 1 *Timoth.* 2. *Jesa.* 3. ubi non tam pauperes aut vulgares taxantur (quippe qui auro & pretiosis monilibus non abundant) quam divites, & nobiles. Eodem colore quis excipere posset, luxu in mensis opiparis, tantum peccari à pauperibus.

111. *Object.* Pervulgatus nunc mos est ornatu illo uti, qui supra reprehenditur; nec videtur exorbitare, qui tempori, loco, mori seu modo, & sui similibus se conformat. *Resp.* Christus non dixit ego sum consuetudo, sed ego sum veritas. Nec multitudo, nec consuetudo, nec antiquitas, nec novitas est norma conscientiæ nostræ, aut morum magistra; sed sola voluntas domini. Vide *Rom.* 12. 2. 1 *Petr.* 4. *v.* 1. 2. 3.

1v. *Object.* Derisui est, quisquis communem errorem & consuetudinem in hac parte non sequitur. *Resp.* Hinc tamen malum non fit bonum; nec causa Dei deserenda est. Immo hoc potius sit γνώσιμον, placere vias nostras domino, cum mundo displicent. Vide *Psal.* 14. 6. *Genes.* 21. 9. 1 *Petr.* 4. 14.

v. *Object.* Sunt qui objiciunt censorum quorundam querelas de luxu & vanitate in vestibus esse meram μωροσοφίαν, Pharisaicam præcisitatem, ac desinere tandem in superstitionem. *Resp.* Quid sit superstitio, & quę vitiosa præcisitas, quę vero spiritualis ἀκριβεία, distinctè docuimus in *3. part. select. disp. tit. de Præcisitate*, & *de Superstitione.* Quæ huic negotio applicanda.

canda. Est enim hæc communis objectio, quâ singulæ partes pietatis peti solent.

VI. *Object.* Alii conqueruntur, minutias illas excolari à concionatoribus, & quæri peccata perstringenda, quę vix talia sunt, immo nulla sunt: interim exemplo Pharisæorum nota aut gravia peccata potius exstirpanda præteriri. *Resp.* Hæc communis exceptio, quâ quisque dilectum sibi peccatum, ebriosus scil. ebrietatem, aleator aleam, histrio choreas, & dramata, usurarius mordaces usuras &c. palliare conantur. Falsis hypothesibus negatis, ipsa exceptio sponte concidit. Vide etiam eam egregiè refutatam ab *Udemanno in tract. ad 2 Corinth. 5, de novâ creatura p. 516.* Sed quæso dicant quæ sint illa peccata, quæ prætereant ministri, & publicè privatimque non redarguant: quacunque datâ occasione. Sed hoc solitum peccatorum contra redargutiones, alexipharmacum: Sunt alia & graviora peccata: sunt alii & excellentiores peccatores: Ego solus non sum.

VII. *Object.* Prora & puppis, summa & vis pietatis in abstinentiâ ab excelsis mundi constituitur: cum in verâ respiscentiâ, fide, caritate, humilitate, pacis studio; omniumque mandatorum divinorum observatione consistat. *Resp.* 1. funis aliquis nauticus, non est prora aut puppis, nec clavum, nec malus, nedum tota navis, ejusque apparatus: ergo non facit ad navalem apparatum, & cursum, nec est navi aptandus. Bellula consequentia. Ei gemina est, opponentis. *Resp.* 2. Pudet me, quod talibus calumniatoriis objectionibus acies fidelium admonitionum hebetatur aut declinatur. Ostendat διαβολὴ ab orthodoxis & fidelibus Dei viris in solis minutiis, nugis, titivillitiis & culicibus illis (quæ ipsi ita appellant) omnem pietatem, aut saltem potiorem ac maximè necessariam ejusdem partem constitui. Illud imprimis faciendum; nec istud ideo omittendum. Imagines, idoleia altaria, horrenda, sacrificia Molochica tollenda sunt; nec tamen excelsa, nec vel ungula aliqua exeuntibus ex Ægypto relinquenda. Sed talibus vanitatis mundanæ parasitis, ideoque fidelium ministrorum calumniatoribus stat illud vulgatum: *Calumniare audacter; semper hærebit aliquid.*

VIII. *Object.* Non determinatur in scripturis contra talem aut talem vestium quantitatem continuam aut discretam, formam, figuram, modum, adjuncta, &c. Nec etiam in publicis consensus formulis, confessionibus, catechesibus, canonibus ecclesiasticis, liturgiis; &c. Ergo talia pro concione reprehendenda non sunt, nec abstinentia ab iisdem hominibus suadenda? *Resp.* Methodus hæc Neo-Verronica; quam refutavimus in 1. *part. selectar. disp. tit. de Ratione humanâ*, &c. Applicent eam ad expositionem decalogicam, ad libros practicos & Casuisticos: & videbunt, quæ & quanta inde tol-

tollenda; etiam ab omnibus concionibus, catechizationibus, datis consiliis, scriptis libris. Quod ad publicas formulas; discant tum, multò minus suas antitheses, dubitationes, exceptiones, quas vivâ voce & scriptis spargunt, iisdem exprimi.

Ad uberiorem hujus doctrinæ explicationem subjiciemus nonnulla problemata: quorum quædam solummodo hic indicamus, alia alibi. *Illa* sunt magis canonico-juridica; ista magis theologica. *Posterioris generis* pertinent *ad part. 1. Polit. Ecclesiast. lib. 4. tr. 4. sect. 3. cap. 4.* ubi aliqua determinamus. *Prioris generis* sunt vel de vestibus sacris (uti vocant); vel de vestibus conjugalibus. De vestibus sacris particularia Pontificiorum problemata sunt ista.

Quæ sint dicendę vestes clericales? An ex vestibus profanis fieri possint? An & quomodo tales fiant per consecrationem? An possint in alios usus converti? An sit peccatum mortale, si sæcularis ludi causa utatur veste religiosa maris aut fæminę? & reliqua istius commatis apud casuistas, Barbosam in collectaneis, Gavantum in Thesauro rituum, conquirenda. De vestibus relatè ad conjugium ista determinata vide apud *Thomam Zanchez.* in operoso volumine *de Matrimonio lib. 6. disp. 25.* Vestes pretiosæ & quotidianæ datę uxori consummato matrimonio, an censeantur donatæ, & an sint restituendæ soluto matrimonio? Quid de annulo & aliis jocalibus datis per virum? Quid si vestes datæ uxori excedant dotis fructus? Quid si excedant decimam bonorum sponsi partem? Quid de vestibus datis filiæ per patrem nuptiarum tempore? Quid si pater donet vestes nurui, an censeantur donatę filio, teneaturque in suâ legitima computare? Quid si uxor donet viro vestes? An vestes viduales sint dandæ viduę de bonis viri, & an perdantur à vidua secundò nubente? Hæc pluraque istius generis, videat, cui vacat, apud *Zanchez.* Nos hujus certaminis tantum spectatores erimus.

DE

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

QUARTA,

Quæ est

DE LUXU ET VANITATE IN VESTIBUS, DOMIBUS, ET SUPPELLECTILE.

PARS POSTERIOR.

Resp. ABRAHAMO RODENBORCH Rheno-Traj. 25. *Nov.* 1643.

AD illustrationem *materiæ* de *Vestibus*, addimus has quæstiones. §. 1.

I. *Quæst. An leges divinæ de vestium usu & abusu referendæ ad legem moralem, seu legem æternam, & jus naturæ. Resp. Aff.*; siquidem jus naturæ quod ad nos; & quidem hypotheticum per lapsum ingressum, non vero primigenium, intelligas.

II. *Quæst. An & quomodo fuerint, aut non fuerint virtutes illæ ante lapsum? Resp.* Formaliter non fuerunt virtutes moderantes vestitum, sed tantum radicaliter: haud aliter ac virtutes misericordiæ erga proximum, & justitię distributivæ criminalis. Unde sequitur formaliter & actu nullas leges fuisse de vestitu, ejusque modo.

III. *Quæst. An & cur viri ac fœminæ, distinctâ formâ vestium uti debeant? Resp. Aff.* tum propter necessitatem naturalem; tum ut distinguatur externè sexus: quo non distincto, per confusionem illam inordinatæ & vagę libidines, aliæque noxiæ deceptiones oriri possent.

IV. *An ergo quis extra honestum finem & casum necessitatis, alterius sexus vestitu uti debeat. Resp. Neg.* juxta *Deut.* 22. Ex Pontificiis Casuistis *Navarrus*, *Sylvester*, *Bonacina*, ob vanitatem si fiat, dicunt esse peccatum veniale. Et sic *Thomas* 22. *qu.* 179. *art.* 1.

V. *Quæst. An vestibus quam maximè similibus, alterius sexus vestes imitari liceat? Resp. Neg.* Ad quid enim illud periculum & occasio deceptionis? ut tum in istis tum in aliis quamplurimis viri effæminatos se ostendant, & non ineptè titulo *hic mulier* ornentur: quali titulo libellus quis verna-

culo idiomate Londini anno 1620. in 4. editus est; cum apologiâ eodem anno & titulo submissâ.

VI. *Quæst. An omnibus ac singulis viris, aut fœminis, una & definita ratio vestium, quod ad materiam & formam, præscribi debeat? Resp. Neg.* Non quod ad materiam; quia non omnis fert omnia tellus: ut alias rationes præteream. Non quod ad formam: quia forma, quæ huic vocationi & vitæ generi maximè apta & commoda, alteri minus apta & commoda est. Ne quid dicam de mutationibus temporum & occasionum, quæ huic homini mutationem vestium decorè suadent & concedunt, alteri extra illas occasiones constituto non ita concedunt. Ante annos non ita multos Sinensi Imperio per Regem Tartaricum Regni *Niuche* occupato, Sinenses Tartaricæ tonsuræ modum coacti sunt assumere: teste *Martino Martinio in historiâ belli Tartarici.*

VII. *Quæst. An magnates, potentiores, & divites abusu vestium peccare queant? Resp. Aff.* ex *Zephan.* 1. 8. coll. cum *Jesa.* 3. 1 *Petri* 3. 1 *Tim.* 2. *Jacob.* 1. *Luc.* 15. Accedat ratio à pari, quia peccant intemperantiâ in cibo, potu, utensilibus, &c. *Amos* 6. 4. 5. 6. coll. cum *Jesa.* 5. 12.

VIII. *Quæst. Quid de vestibus, quibus uti solent nostrates in luctu mortuorum? Resp.* In se ac per se adiaphoras esse, & in signis civilibus numerandas, non minus quam alia rerum, & actionum signa: sic tamen ut absit φαντασία, vanitas, vacua observatio, nec tandem materia fiat superstitionis.

IX. *Quæst. An antiquorum Ascetarum vestes laudandæ aut imitandæ? Resp. Neg.* si enim formaliter non habuerint superstitionem, saltem posteris fertilissimam & proximam ejus materiam atque occasionem præbuerunt: uti docuit eventus in Papatu. Confer 2. *part. polit. eccles. ubi de Monachis.*

X. *Quæst. An ministri ecclesiarum in vitâ ac conversatione communi, aut saltem in publico ministerii exercitio uno ac definito vestitus genere, ab omnium aliorum hominum vestitu, quod ad materiam & formam distincto, uti debeant? Resp. Neg.* utrumque: quamvis prius tolerabilius esset. Rationes sunt. 1. *Quia* Deus nihil tale præscripsit, præsertim illis locis, ubi conditiones & requisita ministrorum enumerantur, ut in epistolis ad Timotheum & Titum. 2. *Quia* videretur hâc ratione symbolizari cum vestitu ceremonialiter & typicè sacro in Vet. Test. 3. *Quia* præscribitur aut tanquam commune decorum, & symbolum civile, quo ab omnibus distingui & dignosci possint: aut tamquam peculiaris ritus sacer, seu quasi mysticus ad esse aut τὸ bene seu melius esse cultus divini pertinens, aut ad exemplum modestiæ & humilitatis. *Non illud* quia nec mandata superiorum, nec mores & consuetudines Gentium tale symbolum & gnorisma huic hominum

minum ordini constituerunt ; præterquam quod verbo veritatis, morumque prudentiâ & integritate inter omnes alios ita lucere debeant, ut latere non possint (*Math. 5. 14.*) nec egenis ejusmodi gnorismatis distingui opus habeant. *Non istud*; quia esset hoc pseudo-sacrum & merè superstitiosum. Quam κακοζηλίαν Judaicam, & Pontificiam in agitato alibi superindumento detegunt & refutant, doctissimi harum rerum examinatores: *Didoclavius in altari Damasceno*, & *Amesius* in scriptis suis *contra Mortonum*, & *Burgesium de tribus ceremoniis*, *Anglicè*. *Non hoc*; quia una certa materia ac certa forma, in quâvis gente & quovis tempore, à quibusvis concionatoribus non potest semper medium illud modestiæ & humilitatis determinare. Quod enim hic & hoc tempore, in hoc concionatore esset modestum & decorum ; alibi & alias in alio aliquo posset esse insolens, aut novum, aut vanum, aut Phantasticum.

XI. *Quæst. An uxoribus, liberis, & domesticis eorum una eademque specialis ac definita vestitus ratio, in toto orbe & perpetuo præscribenda. Resp.* Neg. rationes ex modo dictis petendæ, & huc applicandæ.

XII. *An omnis ornatus corporis, qui fiat auro, argento, lapidibus pretiosis, simpliciter sit illicitus? Resp.* Neg alioquin numerari non posset inter Dei bededictiones. Vide *comment. in* 1 *Timoth.* 2. 1 *Petr.* 3.

XIII. *Quæst. Quid de lege Deuter. 22. v. 11. Levitic. 19. 19. ubi prohibetur vestis ex lino & lanâ. Resp Thomas* 1. 2. *qu.* 102. *art.* 6. censet hanc commixtionem vetari in detestationem idololatriæ Ægyptiorum, quî diversas has commixtiones instituebant in venerationem, hâc ratione repræsentando diversas earum conjunctiones. *Flavius Joseph.* putat fuisse hoc prohibitum, ne vestirentur homines ut Pontifices, cujus vestes erant variegatæ. Quæcunque specialis ratio legis fuerit, saltem constat non esse absolutè & in se illicitam hanc mixturam : alioquin Deus non præscripsisset eam in vestibus sacerdotalibus. Ita ut hæc lex fuerit politica aut specialis, ambulatoria seu mutabilis : quippe non juris naturalis, atque adeo obedientiæ perpetuæ ; sed specialis cautelæ & obligationis populo Israelitico illis rerum circumstantiis conveniens. Nec tamen negandum, quin faceret ad abundantem cautelam, pro simplicitate & modestiâ in vestibus.

XIV. *Quæst. An vestis diversis coloribus distincta simpliciter sit illicita? Resp.* Neg.

XV. *Quæst. An licita sit ea forma vestium, quæ nonnullas partes corporis tegendas exhibeat plane nudas, aut quæ saltem ita tegat, ut transpareant: e. gr. faminarum mammas, aut humeros, aut partem dorsi? Resp.* Neg. rationes contra nuditatem supra allatæ, huc applicandæ.

XVI. *Quæst. An licitum sic opificibus novos modulos, formasque vestium vanarum inventre?* Resp. *Thomas Trugillus, discursu* 28. hoc dubium à se motum, ita solvit. „ *Respondet*; inquit, *Henricus de Hassiâ in lectione* „ *supra Genesin*, quod non. Quia non est licitum provocare alium ad va- „ nitatem, aut superfluam ostentationem, nec frivolas vanasque cogita- „ tiones virorum aut mulierum in luxu vestium fovere. Nihilominus ve- „ rum est (ut dicit quidam autor gravis) usum & consuetudinem istarum „ pomparum, propterea quod familiaris quodammodo fiat & domesti- „ cus magna ex parte, excusare à peccato, cum non magnam admiratio- „ nem causet, nec ad noxia ad inhonestatem sit illicebra. Cæterum ille qui „ tali varietate & formâ vestitur, non habens honestam intentionem, „ peccatum grave facit ob occasionem, quam porrigit ex parte suâ aliis, „ ut & malis cogitationibus in gravia peccata cadant. Nos malimus favere sententiæ *Henrici de Hassia*, posthabitis σόφοις φαρμάκοις à consuetudine & intentione desumtis: quibus semel admissis, pars hæc theologiæ practicæ & conscientiæ cura subvertitur, ut & omnes *Trugilli* discursus contra vanitatem vestiariam.

XVII. *Quæst. Quid de exceptione & distinctione ejusdem Trugilli discurs.* 28. „ *Unde non adeo videtur convenire Principibus & Regibus attalico auro se* „ *convestire, & ordinariè tam pretiosis monilibus sese adornare, quæ fortasse* „ *videntur summo Pontifici posse convenire in suo ministerio, tempore & loco* „ *talibus, quibus propriæ personæ respectu non uteretur, sed altissimi Dei intui-* „ *tu, quem repræsentat, & propter summam excellentiam dignitatis illius, de-* „ *bitamque reverentiam, quæ cultui divino convenit. Resp.* Esse multis modis absurdam & atheologam. Ejusdem farinæ sunt (preterquam quod blasphemiæ propriora) *quæ Cor. à Lapide pro triplici coronâ Pontificis* philosophatur *in comment. ad Zachar. 6. v. 11.*

XXIII. *Quæst. An luxus & vanitas in vestibus (in fœminis præsertim) magis toleranda sit, cum ad templa & sacra se conferunt?* Resp. Neg. cum *Trugillo disc.* 36. Ex illis enim circumstantiis magis aggravatur peccatum.

XIX. *Quæst. Quid censendum de exceptione & limitatione, quam ibidem innuit* Trugillus: *licet, inquit, maritatis fœminis aliquid permittatur. Et discurs.* 37. „ *Res digna est, quæ in notam colligatur, solis maritatis datam esse li-* „ *centiam se adornandi & artificiose expoliendi, ut pulchriores appareant, ve-* „ *rum non omnibus illud maritatis permittitur, sed illis duntaxat, quæ tali* „ *modo magis putant se viris suis posse placere. Alii Casuistæ passim hanc con-* *cessionem extendunt ad fœminas maritari cupientes?* Resp. Nos lubrica hæc omnia censemus, & mera κρυπτὰ τῆ ἀιχύνης: Quæ enim vanitas fœminarum non faciet has exceptiones cujusvis vanitatis & luxus latibula.

XX.

XX. *Quæst. An quis ornari possit ad tegendam turpitudinem aliquam, & defectum corporis? Resp.* Fæminis inprimis concedunt Casuistæ Pontificii *Sylvester, Navarrus, Bonacina*, ex *Thoma* 22. *qu.* 169. *artic.* 2. ubi opinionem suam probat ea 1 *Cor.* 12. *v.* 23. Negat *Trugillus disc.* 26. Nos velimus ab ipsis ostendi, quomodo hęc semper sit licita deceptio quod ad homines, & quomodo hic magis liceat Dei opus corrigere aut adulterare, quam per fucum; de quo disp. sequenti.

XXI. *Quæst. An etiam ad fingendam pulcritudinem, quam non habet? Resp.* Idem fere fæminis concedunt: Quamvis enim fiat ad vanitatem, tamen mortale non est, etiam in religiosâ. Sic *Navarrus cap.* 23. §. 18. & cum eo „ *Bonacina*, in voce *Ornatus*. Quod si quis alius inde sumat occasionem „ peccandi mortaliter, tunc mortale esse quidam ajunt, sed melius alii ne„ gant. Ibid. Nos putamus hanc Casuisticam nimis laxam & lubricam esse. Rationes fere eædem contra eam militant, quæ contra fucum. Idem censendum de iis quæ habet *Thomas* 22. *qu.* 169. *art.* 2. & ex eo Sylvester in Summa ad quæst. *Quid de ornatu mulierum quod ad vestes, & fucos, & capillos.* Ubi sic respondet. *Igitur nupta potest licitè operam dare ut placeat viro suo*, &c. *si hâc intentione se ornet, non est peccatum. Quæ vero non habet, nec vult habere, nec est in statu habendi virum, non potest absque peccato appetere placere virorum aspectibus*, &c. *Si vero se ornet ex quâdam levitate vel etiam vanitate propter jactantiam quandam. non est semper mortale*, &c. Ubi de suo adjicit Sylvester: *Et multo fortius intellige istam levitatem vel vanitatem non esse semper mortale illi, quæ intendit habere virum: & multò minus est mortale, si virgo se ornet, ut placeat honestè alicui, ut eam ducat.* Melius tamen sentit autor summæ, quæ *Rosella* vocatur, statuens omnem fictionem & fucationem, quæ sit ad fingendam majorem pulcritudinem, semper esse peccatum mortale. Quem propterea arguit & perstringit *Sylvester loco cit.*

XXII. *Quæst. Quid de habentibus ornamenta honesta sed superflua, & plura, quam sit necesse? Resp.* Sylvester sentit videri peccatum mortale, si in eo sit enormis excessus. Sed nos absque illa limitatione sententiam ejus probamus. Regulæ quas ibidem adfert ad cognoscendam superfluitatem, non sunt contemnendæ, quas videat, cui vacat.

XXIII. *Quæst. Quid de ornatu Dramaticæ Judith, de quo libri istius apocryphi cap.* 10. *imprimis de ejusdem precatione cap.* 9. *v.* 13. *Resp.* Siquidem talis Juditha fuisset in rerum naturâ, & tale quid perpetrasset, non leviter fictionibus & lusibus illis meretriciis peccasset. Et vel hoc nomine libri illius lectionem imprudenter pueris & puellis, si non ut sacri, saltem ut quasi sacri atque ecclesiastici, commendari aut permitti contendimus. Vide

apud *Didacum Celada comment. in Judith*, quam miserè hic se torqueant Pontificii, ut factum hoc à peccato excusent.

XXIV. *Quæst. An liceat inordinata calceorum seu crepidarum magnitudine parvitatem staturæ emendare, & ad proportionem reducere?* *Resp.* negat *Thomas Trugillus disc.* 26. ubi rationes nonnullas affert; quas, quia eædem sunt, quibus fuci, pigmenta, & aquæ pretiosæ pulcritudinem faciei fingentes arguuntur, hic non repeto. Una hæc & propria addi potest: quod hac ratione ineptas se reddant ad incessum, & ad opera peragenda; adeo ut aliquando uno atque altero ductore seu con-ambulone ambulantes indigeant, qui ipsis sit instar fulcri subalaris.

XXV. *Quæst. An rectè faciat Magistratus, qui modum aliquem furori vanitatis vestiariæ statuit.* *Resp. Aff.* Vide leges vestiarias ex Jure Romano, ex Orientali Græcorum, ex statutis regnorum & Rerumpubl. notatas à *Tholosano lib.* 9. *Jurisprud. cap.* 19. Et supra à nobis notatas. Confer *Ælianum lib.* 14. ubi de legibus vestiariis Lacædemoniorum; & ex recentioribus *Alexandr. ab Alexandro lib.* 5. *cap.* 18. *Bapt. Fulgosum lib.* 1. *cap.* 4. imprimis & *Ant. du Verdier lib.* 3. *variar. lectionum cap.* 25. ubi legem Philippi Pulchri anno 1294. latam, de verbo ad verbum exhibet. Denique *Tholosani politicam lib.* 4. *cap.* 11. ubi docet pertinere hoc ad curam Magistratus. Collegit ibidem non pauca ad vanitatem hanc vestiariam pertinentia.

* *Appendicula.*

1. GEmmas, quarum usus est in mundo muliebri, describunt historici naturales, ubi de lapidibus. Inter recentiores *Anselmus de Boot* Brugensis Medicus Cæsareus anno 1609. gemmarum & lapidum historiam edidit. Cui addi potest *Abrahami Gorlæi dactylotheca anno* 1609. ubi variarum gemmarum, quibus antiquitas in sigillando uti solita, scalpturæ exhibentur. Gemmas, in scripturâ memoratas explicuit *Ruens*, cujus tractatus cum *Valesii Philosophiâ sacrâ* excusus habetur. Luxum fæminarum in gemmis tangit Apostolus 1 *Tim.* 2. *v.* 9. ubi Chrysostomi exscriptor aut quasi epitomator *Theophylactus* fol. 166. „Venit enim ut oret, non ut „chorum ducat. Quomodo igitur plicaturas adhibes capiti? cæsariem ni„mirum plicans & calamistro adornans, & margaritas alias quidem su„spendens, alias corpori tuo circumponens, alias verò calciamentis etiam „adjiciens & accommodans, quæ est extrema injuria, idque ex lachry„mis pauperum, viduarum, & orphanorum. Privas viduam lacera veste, „ut tu pedibus calces margaritas: nonne igitur magna Dei tolerantia? Ve„nisti petitura remissionem peccatorem, ac tanquam scenam sis ingressu-

ra

„ra comica muliercula, te exornas? Bella hæc compunctio, teque omni-
„no exaudiet Deus, quæ pauperum lachrymis es amicta. Si quæ divitiarum
„tantum sunt indicia, prohibet Paulus, multò magis quæ curiositatis sunt
„& luxus, ut infectiones genarum, subscriptiones & picturas oculorum,
„vocem infractam, oculum udum, idque genus alia. De luxu fœminarum
in ornatu gemmarum, *Plinius lib.* 12. *in proœmio. Lipsius ad* 3. *annal. Taciti num.* 102.

2. *Auri* abusus in ornatu corporis notatur 1 *Petr.* 3. *v.* 3. & 1 *Tim.* 2. *v.* 9. ubi videndus commentar. Danei; qui distinctione adhibitâ de aliquo usu licito, abusum improbatum dicit à *Tertulliano*, *Cypriano*, *Concil. Gangrensi c.* 21. cujus canon insertus est dist. 41. c. *parsimoniam*: subjecto hoc epiphonemate: *Ne res nova, aut nullius momenti esse censeatur.*

Porro circumpositio auri, potissimum spectatur, in annulis, catenis, torquibus.

3. *De annulis* digitorum & brachiorum *Genes.* 24. *v.* 47. *Jacob.* 2. *v.* 2. *Luc.* 15. *v.* 22. *Esther. v.* 12. Sunt etiam annuli auribus inserti, vel ex iis dependentes; quales *Exod.* 32. *v.* 2. *Judic.* 8. *v.* 24. 26. Et annuli in veste, qui sint fibulæ vestem perstrictam ornantes, *Exod.* 28. *v.* 26. 27. De annulorum usu & abusu ex variis autoribus ibi cit. plurima congessit *Lorinus in comment. ad Jacob.* 2. Nos insuper indicamus, *Abrah. Gorlæi dactylothecam*, seu promtuarium annulorum sigillarium, è ferro, ære, argento auro, & gemmarum sigillarium, quorum apud priscos tam Græcos quam Romanos usus. Qui ibidem in præloquio differit de annulorum origine, variis eorum generibus, & usu apud Priscos. Ubi etiam digitum intendit ad *Genes.* 41. *v.* 42. & 38. *v.* 18. *Exod.* 28. *v.* 11. & 39. *v.* 6. 1 *Reg.* 21 *v.* 8. Præterire nequeo, cultissimam orationem de *annulo*, in hâc Academia habitam anno 1639. ab Academiæ nostræ lumine, amico & collegâ, cum viveret, percharo *D. Antonio Mattheo*; quæ anno 1655. cum reliquis ejusdem orationibus denuò edita est. De eodem *Petrus Messias lib.* 5. *variar. lect. cap.* 1. *Alexander ab Alexandro lib.* 2 *cap.* 12. *&* 28.

4. *Catenæ* aureæ aut argenteæ, & torques caput aut collum aut pectus cingentes, aut dependentes, in ornatu mulierum non tantum sed & virorum, & olim & nunc frequentes. In quibus etiam peccari posse discimus ex *Jesa.* 3. *v.* 19. Videndi commentatores, in *Daniel.* 5. *v.* 29. *Cantic.* 4. *v.* 9.

5. *De calceis*, *Jesa.* 3. *v.* 16. *Basilius in quæst.* diffusè explicatis *quæst.* 22. „Eadem autem ratio mihi etiam de calceamentis est ut quod minimè
„curiosum & parabilius, & ad necessitatis scopum sufficiens, in omni
„tempore præferatur. Agit de iisdem *Clemens* 2. *pædagogi cap.* 10. quod legi velim.

6. *De*

6. *De coronis*, supra quid notavimus: & multa de carum usu apud philologos occurrunt: sed instar omnium sit Paschalius de coronis. Ex quo *Corn. à Lapide ad Zachar. 6. v. 11.* nonnulla repetiit.

7. *De pileis*, tiaris, aliisque capitis tegminibus & ornamentis; infra *part. 5.* agetur.

DE DOMIBUS ET UTENSILIBUS.

§. 2. AGendum nunc de vanitate in domibus & utensilibus. Ubi præmittenda hæc prægnita.

Utensilia distribui possunt, 1. secundum vitam animalem & statum œconomicum. 2. vitam civilem & statum politicum: quo refer statum scholasticum. 3. vitam spiritualem, & statum ecclesiasticum. 1. primi generis sunt vel continentia, vel contenta. *Illa* sunt partim communia, partim specialia pro ratione vocationum & occupationum: ut ut domus, horti, naves, currus, horrea, stabula, tentoria, fabricæ, &c. *Illa* sunt vel *communia*, e. gr. supellex domestica, culinaria, cubicularia, &c. vel *specialia*, ut utensilia quæ vis mechanica, rustica, nautica, piscatoria. Utraque rursum dispesci possunt in ea quæ vel ad necessitatem, vel ad utilitatem, vel ad oblectationem, vel ad abundans ornamentum. 11. Secundi generis sunt vel *continentia*, ut curiæ, Xenodochia, porticus, theatra, scholæ, bibliothecæ (de quibus consulenda architectonica): vel *contenta*, ut tabulæ, subsellia, &c. Utraque vel pace, vel bello potissimum usum suum habent: quæ requirenda in architectura militari, & arte Bellica. 111. Tertii generis sunt templa, & utensilia templorum, quæ vulgò vocant utensilia sacra. De quibus hic loco non agendum, sed in *Politicâ Ecclesiastica*. Circa omnia ista posse evenire excessus aut defectus, recta ratione corrigendos, atque adeo hic locum habere virtutes & vitia, ex analogia vestium facile colligitur. Ut mirandum sit Calvinistas ac practicos Pontificios nunquam, alios vix unquam hæc attigisse: cum tamen tanta in istis passim grassetur exuperantia vanitatis & luxus. Nos ergo breviter sic determinamus.

§. 3. 1. *Concl.* Utensilia quævis ad esse vitæ animalis, civilis, ecclesiasticæ per se necessaria aut utilia, licita esse nemo ambigit. Argumenta ex naturali, ratione, necessitate, & jure non est quod otiose hic conquiramus.

11. *Concl.* Non tantum licita sunt utensilia præcisè & ad esse rei necessaria, quod ad numerum, quantitatem, materiam, formam, figuram: sed etiam utilia ad commoditatem & τὸ bene esse. Neque enim Diogenis dolio, haustro cavæ manus, domibus antris, tuguriis pastoralibus aut militaribus, curribus & tentoriis hamaxobioon Schytarum & Nomadum, lectis

ex

ex retibus, poculis ligneis, mensis ex aggestâ terrâ & similibus astricti sumus, siquidem meliorum & commodiorum occasio divinitus concedatur. Probatur hoc 1. *Quia* Christus melioribus & commodioribus illis datâ occasione usus est, in contubernio aliorum, & familiari conversatione. Expendatur convivium Mathæi, *Matth. 9. Luc. 5.* nuptiæ in Canâ Galileæ *Joh. 2.* hospitium Petri *Luc. 4.* convivium Lazari *Joh. 12. & Luc. 10.* Ibi enim Christus utensilibus illis culinę, triclinii, cubiculi usus non fuisset juxta cum aliis, siquidem in se & per se malum fuisset. 2. *Quia* possessio & fruitio eorum numeratur in benedictionibus divinis ; contra carentia & privatio refertur ad malum paupertatis, & ad pœnas aut castigationes. Expende textum *Matth. 8. 23. & Exod. 12.* ubi Deus donavit Israelitas utensilibus aureis & argenteis.

III. *Concl.* Utensilia ex abundanti & ad honestam oblectationem per externos sensus, oculorum, & aurium imprimis, hauriendam comparata, qualia ex. gr. picturæ, instrumenta Musica, hortorum artificiosa cultura, &c. in se non sunt illicita, si debitus modus adhibeatur. Circumscriptio modi istius ex conditionibus & requisitis vestium analogicè colligenda. Ne scil. cum bonorum & temporis profusione, aut magis necessariorum neglectu, nec ad vanam pompam & ostentationem, nec in alimentum vanæ curiositatis, nec cum cordis & affectuum servitute 1 *Corinth. 7. 31.* coll. cum *Ps. 62. 11.*

IV. *Concl.* Utensilia publica ad vitę civilis, & status politici, non tantum necessitatem atque utilitatem, sed etiam decorum, dignitatem, magnificentiam, atque adeo ad distinctionem aliquam externam dignitatum atque ordinum inter homines, licita sunt: servatis analogicè conditionibus modo recensitis. Probatur ab exemplo Salomonis. (1 *Reg. 3. & 7.*), quod à Deo probatur, & inter benedictiones ejus numeratur. Confer commentator. in *Ecclesiast. 1. & Pinedam de rebus Salomonis lib. 6. c. 8.* Confer etiam quę vulgares Ethici commentantur de virtute Magnificentiæ.

V. *Concl.* Quamvis in utensilibus ecclesiasticis τὸ bene esse, & decorum aliquod servari possit, cum ecclesiæ status & ratio ita fert: non tamen pari passu cum politico decoro hic ambulandum, nec ad modulum eorum ecclesiastica efformanda. Hanc κατασκευὴν in ecclesiâ N. T. tangimus *part. 1. Polit. Eccles. lib. 4. de Templis.* Nam quod in V. T. utensilia splendida & magnifica adhibita fuerint, id peculiaris erat observationis ; & ex expresso mandato Dei. Sed de hoc alibi.

VI. *Concl.* Quidquid ergo extra hos limites evagatur ; illud est à malo. Specialia genera vanitatum istarum non enumeramus : contenti lectorem nostrum ablegasse ad spectacula quotidiana ędium, suppellectilis, curruum,

&c. immo ad ipsas casas rusticorum in Fœderato Belgio, præsertim in Hollandiâ; ubi ipsam vanitatem & luxum lararia sibi erexisse merito dolent pii, & præsagiunt judicia divina *Amos* 6.7.8. *Jesa.* 5. 9. idque eò magis, quò minus vident hæc ad animum revocari, imprimis à quibusdam eorum, quos domus suę speculatores constituit Deus. Quotusquisque enim Casuista aut practicus apud nos hæc seriò & ex professo examinat & perstringit. Non defuit tamen officio suo inter celeberrimos nostrates practicos *Udemannus in Praxi fidei, spei*, &c. *p.* 300. postremæ, edit. in 4. & in *Gubernaculo Mercatorum pag.* 27. & in explicatione 2 *Corinth.* 5. *p.* 535. Nos illis vestigiis insistentes obtestamur studiosos nostros, ut in Casuistica & concionatoria sua huic subtitulo locum concedant, & aliquando meridianum hoc nostratium dęmonium pro virili oppugnatum & ejectum eant.

Argumenta quæ contra luxum in conviviis & vestibus militant, pleraque huc applicari possunt. Nos breviter ista nunc indicamus. 1. *Quia* Deus abusus illos reprehendit *Amos* 6. 4. *Ezech.* 27. 5. 2. *Quia* est contra naturalem & proprium usum utensilium. Locum hic habet argumentum Aristotelis contra immodicam pecuniarum coacervationem, quod dicantur gr. χρήματα, à χράω, id est, utendo. 3. *Quia* est mera profusio bonorum; & tantum pauperibus, aliisque usibus magis necessariis subtrahitur. 4. *Quia* pretiosum tempus consumitur & perditur iis adornandis, custodiendis, purgandis, disponendis, tantumque subtrahitur curę animæ & meditationibus atque exercitiis spiritualibus tum privatis tum publicis (*Hag.* 1. 4), ut & aliis honestæ vocationis operibus. Quanto concionum publicarum, scripturæ lectionum, precationum, piarum meditationum neglectu, detestanda vanitas & superba curiositas constat matribus familias, imprimis ancillis, quarum animæ non magis excoluntur & curantur, quam si porci essent; quibus animas, dicebat Varro, datas esse pro sale, ne caro putrescat. Quam bene cogitant miseræ ille fœminæ, Regnum cœlorum vim pati, angustam esse viam, & justum ægre servari. 5. *Quia* vanæ curiositati, ostentationi, superbiæ, æmulationi, contentioni, contemtui proximi nimium indulgetur. *Jesa.* 9. *v.* 9. 6. *Quia* homines reddunt molles, delicatos; incitant ad voluptates, luxuriam fovent, *Prov.* 7. 16. 7. *Quia* homines, præsertim fœminæ, & in iis imprimis nostrates, ad cultum & servitium se totas devovent, ita ut contra naturam utensilia ipsis minime inserviant, sed ipsę potius utensilibus. Quæ insania desinit in idololatriam quandam, non minus ita dicendam, quam avaritia & gula *Coloss* 3. *v.* 5. *Ephes.* 5. *v.* 5. *Philipp.* 3. *v.* 19. Pavimenta, postes, januæ, scamna, gradus, spondæ, aliaque utensilia nonutenda, cubiculorum, atriorum, vestibulorum, assiduò tot deterendis & pudendis peniculis fricantur ac teruntur, ut instar speculi splendeant: atque adeo

adeo ad Deastri cosmici & cosmetici adyta nulli, ne quidem patri familias accessus detur, nisi exutis calceis : quasi oraculum Deæ Moriæ simile quid dicere velit, quale olim Deus Mosi : *Ne appropinques huc. Solve calciamenta tua è pedibus tuis, quia locus, super quo tu stas, terra sancta est.* Exod. 3. v. 5. 8. *Quia* cum homines circa vanitates & curiositates terrestrium utensilium tam miserè languent, vix ad cœlestem mansionem suspirant, aut ad ornatum ac decorem domus Dei, contra 2 *Cor.* 5. 6. 7. 8. *Hebr.* 11. *v.* 9. Nec ad beatam migrationem se præparant, nec cogitant se esse peregrinos in hoc mundo. 9. *Quia* hâc ratione minimè, se conformant exemplo Christi, & sanctorum, qui procul fuerunt ab hâc insaniâ, modicis utensilibus contenti. 10. *Quia* tempora difficilia & calamitosa, in quæ aut incidimus, aut quæ nobis impendent, requirunt potius continentiam Rechabitarum *Jerem.* 35. & primorum Patriarcharum *Hebr.* 11. 13. 16. 11. *Quia* denique omnia hæc fluxa & caduca (*Math.* 6. 19. 20 coll cum *Jacobi* 5. *v.* 2. 3.) & verbo dicam, vanitas vanitatum Eccles. 1.

Pro Exuperantiâ harum vanitatum nihil obtendi potest, nisi mos, consuetudo, suus cujusque animus, & voluptas, quæ eum trahit : quæ communia cum sint, proprias responsiones non requirunt. Sunt & sophismata fœminarum nonnulla, quibus curiositatem & vanitatem suam palliare satagunt, nomine munditiei, εὐταξίας œconomicæ, industriæ circa rem familiarem curæ & fidei suæ commissam. Sed nec illa responsionem merentur. Talem munditiem & industriam sanctæ fœminæ ignorârunt ; nec in matre familias requiritur aut laudatur. *Proverb.* 31. Legant hoc caput, & verbo Dei se subjiciant, non stolidis suis affectibus. Addimus nunc hæc problemata, §. 5.

1. *Probl. An hortorum, umbraculorum, pergularum,* &c. *cultura & ornatus, cum hydraulicis aliisque rarioribus inventis atque artificiis solummodo temporis fallendi, & externæ oblectationis causâ, simpliciter sint illicita ? Resp.* Videndum est quid tempora, opes, personæ, earumque vocationes atque occupationes ferant. Saltem illis, qui ecclesiastici dicuntur aut videri volunt, haut ita conveniunt : quamvis Cardinales, Episcopi, Abbates, omnibus aliis hic plerumque palmam præripiant. De quibus delitiæ Apodemicæ. Numquam videntur perpendisse illud apostoli, *Quis ad hæc idoneus ?* Verè de talibus Isidor. Clarius in notis ad 1 Timoth. 3. *Quum vero episcopatum cogitas, ne referas animum ad hæc tempora : quibus Episcopi nihil minus nôrunt, quam eas partes quæ illis à Paulo assignantur; neque quid quam aliud nunc intelligitur appellatione episcopi, quam fructus & vectigalia, & immanes honores.*

11. *Probl. An species quædam insaniæ sit apud nostrates, quâ Floristæ (uti*

vocant) seu Anthomori (vernaculè Blom-gecken/) *insaniunt circa colores florum quorundam, præsertim tuliparum; ut rem familiarem, pretiosum tempus, omnes denique cogitationes & affectus suos iis impendant. Resp. Aff.* Rationes ex 1 *Cor.* 7. 31. & 9. 25. & ex trito illo μηδὲν ἄγαν *nequid nimis*, petendæ sunt: applicanda præterea argumenta generalia contra vanitatem in utensilibus modo proposita.

III. *Probl. Quid censendum de curiositate & ἀκριβείᾳ Jesuitarum in suis collegiis seu potius palatiis (e. gr. Monachii in Bavariâ,) hortis, xystis, lautâ ac splendida supellectile? Resp.* Esse splendidam & ementitam paupertatem, atque adeo præposterum eleemosynarum usum; si cum sordidâ mendicitate Discalceatorum, & Capuchinorum conferatur.

IV. *Probl. Quid de nostrarum scrupulosa curiositate, qui domos & supellectilem suam ita exornant & excolunt, ut iis vix uti audeant, nec aliis earum honestum & tempestivum usum concedant. Resp.* Esse solicitudinem ingloriam, molestam servitutem, spiritus vexationem, vanitatem vanitatum, Tantalicam sitim: de quâ merito usurpes illud vulgatum: Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.

V. *Probl. An picturæ & tabulæ quævis promiscuè in atriis & cubiculis ad ornatum suspendi debeant? Resp.* Negatur, 1. De obscœnis. 2. de nudorum virorum ac mulierum, quamvis tectis τοῖς ἀιδοίοις. 3. de picturis Dei, trinitatis, spiritus s., aliisque quas vocant, sacris, idololatriæ & superstitioni inservientibus, & proximo scandalum præbentibus. 4. De luxu in supellectile sæculari, non tantum, sed & templari, præsertim indecoris immo & pudendis imaginibus multa hic commemoranda essent: sed quia initium facilius, quam finem inventurus essem, abstineo; & solum hic indico prostare statuas Sibyllarum in templo aliquo Venetiis: Quod memini me notatum legisse in Itinerariis Italiæ. Præterea *Ambr. Catharinum*, Archiepiscopum Compsanum *in præfat. quâdam ad Concil. Trident.* (apud *Illyricum in lib. de sectis*, &c. *Papistarum pag.* 155.) hæc publicè scripsisse: „Est, „inquit, pictor & sculptor in Italiâ, nostrâ ætate egregius, qui admirabilis „est in exprimendo nuda hominum corpora & pudenda. Commendo artem in facto: at factum ipsum vehementer vitupero ac detestor. Nam „hæc membrorum nuditas indecentissimè in *Aris & præcipuis Dei sacellis ubique conspicitur.* Verum annumeretur & hoc cum *cæteris multis & magnis „abusibus, quibus fœdatur ecclesia Dei, sponsa Christi.* Hæc Catharinus. Quam verè aliquis ipsorum poëta de Româ cecinit:

I. Pudor in villas, Roma est jam tota lupanar.

Et,

Sanctus ager scurris, venerabilis ara cinædis,
Servit honoranda divum Ganymedibus ædes.

Ipsæ

Ipsæ aræ, ipsa templa tum intra tum extra sculpturis, picturis, statuis suis interſignia lupanarium ostentabant. Concil. Tridentin. sess. 25. non frustra monuit: *Omnem lasciviam vitandam; ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.* Quid factum sit; aperit *Molanus in libro de picturis sacris c. 29.* (citato ibi in margine Friderici Scenckii à Tautenburch ultimi Episcopi Ultrajectini librode imaginibus cap. 12. 13.): Visæ, inquit, quandoque in locis, „ ubi non decuit, Divorum imagines viventium adhuc hominum ora vul„ tusque referre, ut hoc umbratico velamento illorum, quos amabant, effigie „ *pascerent oculos.* Ad quas selectas & proacriter venustas formas pingi solent imagines deiparæ virginis, probè nôrunt pictores. Sed de his in transitu. Inter eos qui luxum & vanitatem in supellectile tangunt, ex antiquis est *Tertullianus apolog. 6. & de Pallio cap. 5.* coll. cum *Plinio lib. 33. cap. 12.* Ex recentioribus *Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 23. Joh. Ludov. la Cerda in comment. ad Tertull. de pallio cap. 5.* Præter practicos nostrates supra indicatos.

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

QUINTA,

Quæ est

DE ORNATU FACIEI, ET CAPILLORUM.

Resp. ADRIANO MUNNINX Mediob.-Zeland. 16. *Decemb.* 1643.

Vanitates & abusus in *ornatu capitis* (quod superstitioni Gentili sacrum erat) multiplices, partiemur melioris doctrinæ causa in eos.

I. *Qui circa faciem.*

II. *Circa verticem, præsertim sinciput, occiput, & tempora.*

III. *Circa collum capiti conterminum*, committuntur.

§. 1. CIrca FACIEM vanitas se exserit vel totam, vel partem ejus; ut frontem, oculos, nasum, labia, mentum, malas: idque

1. *Quod ad figuram*, ut cum frons aliter configuratur, quam à Deo naturę autore fabricata est: dum aut capillorum exstirpatione, quantum pote, majorem, aut eorundem superinductione minorem reddere co-

nantur. Idem censendum de naso, mento, labiis, quæ tractionibus, fuctionibus, morsibus, pressionibus, instar ceræ, in aliam quam naturalem figuram à fatuis hominibns, sive in tenellis infantibus, sive in seipsis jam adolescentibus si non optato successu fingi & refingi, saltem infeliciter sollicitari videas. De malis & genis per capistra & compedes seu argenteas numellas (ita loqui liceat) pressis & coercitis, jam pervulgatissimum est fœminis nostratibus, ne scil. facies nimis longa, aut nimis profunda & crassa, seu prominens appareat. Ad vanum ornatum faciei referenda monilia illa quibus nares, labia, mentum non absque pertusione à Barbaris nonnullis ornari solent. Quę tamen nostris hominibus inusitata.

11. *Quod ad formam & colorem*, variis modis. Nam 1. aut nigris emplastris seu sparsis epithematis, quasi maculis aut punctis facies notatur, ut candor ejus tanto magis appareat: juxta regulas Optico-pictorias, & vulgatum illud Philosophi; *Contraria juxta se posita*, &c. 2. *aut* oculi pinguntur; de quo cacoëthe Cyprianus sermone de lapsis: *Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit*, &c. *rutilos & depictos oculos serpentis imitata es. Aut* 3. Picturis supercilia & barbæ, exornantur; de quibus infra. 4. *aut* tota facies medicamentis cosmeticis, & fucis seu pigmentis colorum transformatur: quò scil. cutis lævitatem & faciei nitorem, ac coloris suavitatem ostentent. 5. *aut* intempestivâ inedia, sanguinis ab exterioribus partibus laboriosâ retractione, manducatione eorum quæ stomachum debilitent, aliisque excarnificationibus; ut morbus, & inde pallidus color concilietur. 6. *aut* denique larvis nativa facies in totum tegitur atque obvelatur: etiam cum utile est eam videri, atque ex eâ homines dignosci. Quomodo autem, & quando honestè velari possit, indicavimus disp. præcedenti. 7. Vanitati illi perficiendæ imprimis inserviunt specula, quorum abusum infra attingemus.

§. 2. Problemata circa ornatum faciei sint nobis precipua de pigmentis seu fucis, & de speculis. *Probl.* principale:

An pigmentis seu fuco facies expolienda & ornanda, sive à viris sive à fœminis? Resp. Concedunt ex Pontificiis non pauci cum istâ limitatione, si scil. fœmina sit maritata, & in hunc finem ut placeat marito; aut si quæ innupta maritari cupiat in hunc finem ut conciliet sibi alicujus amorem; aut alioquin ad propriam venustatem. Vide *Ludovicum Bejam* ex professo pro fuco disputantem *colleg. Bononiensis part. 2. casu 5. de emtione & venditione.* Et *Lessium lib. 4. de de Justitiâ c 4. dub.* 14. Fumus in armilla aureâ, in voce *ornatus: Fucus*, inquit, *communiter veniale est, nisi aliud adjungatur. Potest etiam fucatio fieri sine peccato, ut cum celatur turpitudo, ex aliquo accidente proveniens, vel ex a-*

liquâ

liquâ rationabili causa. Confer *Navarrum cap.* 23. § 20. & 23. Et *Sylvestrum*, *Bonacinam* alioſque recentiores Caſuiſtas, &c. in voce ornatus. Et *Trugillum* diſcurſu 32. Plerique fundamenta deciſionis ſuæ petunt ex iis quæ ad 22. *qu.* 169. *art.* 2. tam laxè diſputat *Cajetanus*. Ex noſtris ſolus, quod ſciam, *Alſtedus* ex Pontificio aliquo, uti ſuſpicor, hanc opinionem tranſcripſit in Theol. Caſuum cap. 19. caſ. 2. *Famina poteſt fucare faciem ſuam ad occultandum defectum*, &c. *item hoc fine ut placeat marito, vel alium ad caſtum ſui amorem invitet. In his autem caſibus oportet adhibere ejuſmodi fucum, qui ſit uſitatus fœminis honeſtis, & formam liberalem conciliet.* Reliqua quæ ibidem attexit de capillis. & nudis pectoribus, infra ſuo loco inſeremus. Sed contrarium ſtatuunt antiqui patres, *Tertullianus de cultu fœminarum*; *Cyprianus de habitu virginis*, *& in ſermone de lapſis*; *Clemens Alexandrin. lib.* 3. *padagogi cap.* 1. *Nazianzenus in orat. adv. mulieres* ambitioſè ſe ornantes, & *orat. in laudem Gorgoniæ ſor. Ambroſius l.* 1. *de Virginib.*; *Chryſoſtom. in Math. homil.* 50. *Hieronymus in epiſtol. ad Marcellam de ægrot. Blæſillæ.* Et ex ipſis Pontificiis *Iſidorus Clarius*, & qui eum citat *Philippus Diez* in ſummâ prædicantium, tit. *ornatus corporis. Buſeus in Panario* in voce *Veſtium luxus. Molanus in theol. tract. p.* 52. *Celada in Judith* 10. *v.* 3. & *Tiraquellus ad leges connub.* Et ante illos *Innocentius Papa l.* 2. *de contemtu mundi c.* 4. Imprimis *Drexelius in Triſmegiſto lib.* 3.

Conſentit eccleſiæ noſtræ communis doctrina, & praxis eccleſiaſtica concionatorum. Videantur ex ſcriptoribus Theologis *Martyr claſſe* 2. *cap.* 2. qui doctè & ex profeſſo vitium hoc explicat & refutat. Et ex recentioribus *Balduinus lib.* 4. *cap.* 1. *caſu.* 5. ubi impietatis nomine traducit, & rationibus aliquot perſtringit. Quibus addatur *Conr. Rittershuſius J. C.* in opere poſthumo lectionum ſacrarum *lib.* 5. *cap.* 9. *Philippus Camerarius centur.* 1. *meditat. hiſtoric. cap.* 10. & *centur.* 2. *cap.* 38. Ex Pontificiis *Thomas Trigillus* patribus modo cit. videtur aſſentiri: ſed mox fluctuat & ad *Cajetanum* inclinans, linguam mutat. Melius *Iſidorus Clarius oratione* 53. *tom.* 1. & qui verba illius excerpit *Philippus Diez* in ſummâ Prædicantium, in voce *ornatus corporis.*

Nos eorum & noſtram ſententiam explicamus iſtis Concluſionibus.

1. *Concl.* Ut totum corpus ad ſanitatem à ſordibus ſive intrinſecus per evaporationes, ſudores aliaque excrementa, ſive extrinſecus per fumum, pluviam, pulverem, &c. advenientibus purgare licet, ita & faciem. Quod fit lavando, abſtergendo. Probatur 1. *Ex Matth.* 6. *v.* 17. 2. *Ex* ratione: quia neceſſitas & ratio naturalis ſuadet iſtam munditiei & corporis curam. De quo conſulatur Medecinæ pars διαιτητική. 3. *Ex* civilitate morum & gratâ cum aliis converſatione: ne quis immunditie illâ aliis moleſtus, atque

que adeo contemtus & abominabilis sit. Vide Ethicos, & peculiares tractatus de civilitate morum.

11. *Concl.* Etiam ad necessarias unctiones capitis & faciei, quibus fœtores abiguntur, & nativus faciei nitor conservatur, hæc licentia se extendit: illis scil. locorum, temporum, complexionum circumstantiis observatis; quæ honestam hujus curæ necessitatem suadeant, non vero superfluam curiositatem, & τὸ ὑπερογκον τῆς μαλακίας. Probatur ex *Math. 6. v. 17.* Confer quæ supra *disp. 3. thesi 2. probl. 9.* & *thesi 5. probl. 8. de unctionibus* dicta sunt.

111. *Concl.* Nec abnuendum, si quis cutis transeuntem deformitatem ex subitâ passione, aut ustione sive ignis sive solis, aut venti frigorisve vehementiâ contractam, una ad nativum colorem & nitorem revocet, dum hoc vel illo simplici, ex. gr. lacte butyrato, aut butyro, aut fecibus, aut composito quocunque medicamento dolorem lenit, Ratio est, quia faciem ita inunctam nemo ostentat, ut pulcritudinem aliam quam nativam mentiendo homines decipiat: hinc est quod cura illa procul absit à fuco.

1v. *Concl.* Ut vitia permanentia cutis & faciei sive naturâ insita, sive casu aliquo divinitus immissa (ex morbillis, elephantiasi, scabie, aliisque morbis figuram aut colorem vitiantibus) pigmentis quis emendet, aliumque colorem & figuram sibi fabricet; non ausim concedere. Saltem præstat abstinere, quam indulgentiæ laxorum Casuistarum in Papatu accedere. Non enim video, quomodo argumenta *Tertulliani, Cypriani*, &c. contra fucum (quę mox indicabimus & primam classem nobis constituent) contra hanc metamorphosin aliquo modo non militent: imprimis si à nativitate, vitia illa adhæserint.

v. *Concl.* Quod si colli & capitis monstrosæ incurvationes sint, aut turpes cicatrices, abscessus, excrescentiæ, &c. quæ medica manu licitè tolli possunt, ea tegenda potius quam fingenda aut pingenda, ne scil. aliis præsertim fœminis prægnantibus aspectu horrenda & molesta sint, quamdiu scil. sublata non sunt, aut tolli nequeunt.

v1. *Concl.* pigmenta omnia, quæ superinducuntur ad augendam & ostentandam faciei & oculorum aliam, quam nativam, pulcritudinem, sive quod ad figuram, sive quod ad colorem, simpliciter sunt illicita: quod probamus istis argumentis.

1. *Arg.* respectu Dei, cui contumelia fit non uno modo 1. Mutando nativam faciem singulis hominibus mirabili quâdam providentiâ datam, quò per eam aliasque conditiones individuas ab omnibus aliis distinguantur, 2. atque ita contendendo cum ejus sapientiâ & arte, quasi illum arte tuâ supe-

ſuperare, illique inertiam & defectum exprobare velles. 3. Et ſic revera deformando & corrumpendo ipſius opificium primitus ſcil. conditum; immo & templum Chriſti, ſiquidem per fidem Chriſto uniti ſint. 4. Detrahendo veritati ſervatoris, qui dicit. Neminem poſſe pilum facere nigrum aut album, *Matth.* 6. Primum hoc argumentum vide eleganter amplificatum à *Tertulliano in libr. de cultu fœminarum cap.* 2. *&* 5., *&* *Cypriano in epiſtolâ de habitu virginum*; Et *Ambroſ. lib.* 4. *Hexamer. cap.* 8. & *Auguſtino ſerm* 237. *de tempore.* Aliquid etiam habet *Hieronymus ad Helvidium*, & *in epiſtol. ad Lætam.*

II. *Arg.* reſpectu ſui ipſius: quia multis modis lædit ſeipſum, imo & adulterat ac deformat. 1. *Quod ad animam*, ſeu bona animi, ſuperbiâ, vanitate, levitate, hypocriſi aliiſque vitiis modeſtiæ, humilitati, gravitati, ſimplicitati Chriſtianæ oppoſitis. 2. *Quod ad corpus*, & ipſam faciem; quæ tamen ad ſimilitudinem cœleſtis pulcritudinis, figurata eſt, uti loquitur Conſtantinus *l.* 17. *ſi quis in metallum C. de pœn.* Turpi enim ſtigmate notatur, dum pigmentis illis ſanitas læditur, & maceratur cutis atque exeditur ac corrugatur atque ita ante tempus anilis deformitas procuratur; uti docet experientia, & rationem reddent Medicorum filii. Rubor purpuriſsâ; candor ceruſsâ, nigror ſtibio, nitor & lævitas cutis fumo, fuligine, ſputo, ſpumâ, crocodilorum excrementis (teſte *Clemente Alexandrino lib.* 3. *pædag. c.* 2.) lacte aſinarum (*Plin. lib.* 11. *c.* 41. & *lib.* 28. *c.* 12.) aliiſque ſordibus, immo & venenis curatur & quæritur. Vide argumentum hoc amplificatum à *Clemente & Chryſoſtomo loco cit. in Matthæum homil.* 31. Idem attingit aliquo modo *Tertullian. de velandis virgin. c.* 12. Quin & faciem ſuam faſtidit, eamque ideo deformat. *Ambroſ. lib.* 1. *de Virginibus.* 3. *Quod ad bona quæ* vocant externa, jacturam facit rei familiaris, imprimis & pretioſi temporis; quod laborioſis illis vanitatibus excogitandis, exercendis & obſervandis tam inutiliter abſumitur.

III. *Arg.* reſpectu proximi: 1. *Quia* ille decipitur, ſubſtitutione τῦ *quid* pro *quo*, artis ſcil. pro natura, opificii humani & κτίσεως manufactę pro divinâ, alieni pro proprio. Quod ſpecialiter & acutè reſpectu maritorum exaggerat *Ambroſius lib.* 1. *de Virginibus*; quem vide. Et eſſe de genere deceptionum notat *Jus Canonicum c. Fucare de conſec. diſt.* 5. 2. *Quia* nota hæc fucatio comparata eſt ad irritandam alienam libidinem; & ad placendum iis, quibus non debet; aut ad amorem conjugalem infeliciter & fallaciter aucupandum. Rectè applicat huc *Martyr. ex* 1 *Cor.* 5. 8. de colenda ſinceritate & veritate. Vide *Ambroſ. l.* 1. *&* 3. *&* 6. *de Virgin.* Et *Hieronymum epiſt. ad Furiam*, eandem in *epiſt. ad Lætam*, & *Auguſtinum in epiſtol. ad Poſſidium.*

IV. *Arg.* Quia nullos ſanctos in ſacris literis fucatos legimus, quamvis

nonnullos legamus præ aliis, ornatos fuisse. Vide hujus argumenti amplificationem, apud *Tertull. de cultu fœminarum.* Fucationis exempla præbuerunt semper pessimi, ut maledicta Izebel 2. *Reg.* 9. 33. & fœmina hæretica Diaboli instrumentum Maximilla apud *Euseb. lib.* 5. *c.* 15., & Papa Paulus II. (teste *Platina*) inter Antichristos Antichristianissimus, omnis eruditionis & virtutis hostis; uti monstrum hoc describit *Genebrardus in Chronologia.* Ne quid dicam de Poppea Neronis conjuge, aliisque fœminis Romanis, apud *Plinium loc. cit.* De barbaris olim Britannis refert *Julius Cæsar lib.* 5. *de bello Gallico* quod glasto se pingerent, ut tantò magis terribiles apparerent. Breviter ornatus est meretricius, perditis ejusmodi fœminis quasi quarto modo proprius, uti colligitur ex *Ezechiel.* 23. 40. & *Jerem.* 4. 30. Quæ loca diligentur expensa, validum suggerent argumentum. Nec prętereundum, quod dramatica Judith (libri istius *cap.* 10 *vers.* 3.) meretricis speciem induens, ut dolosè circumveniret Holophernem introducatur fucata. Ad quem locum egregiam digressionem intertextis patrum sententiis concinnavit *Didacus Celada comment. p.* 344. *Hieronymus in epist. ad Furiam tom.* 1. inter meretricia lenocinia commemorat *orbes* (oculorum) *stibio fuliginatos.*

V. *Arg.* à pari seu potius à minori ad majus: quia ornatus vestium tantum vanitatis in se continet, aut post se trahit (ut ostensum est *disp.* 4.); ergo multo magis, ornatus corporis per ascititiam, & deceptitiam formam. Vide argumenti hujus deductionem apud *Augustinum in epist. ad Possidium*, & *Chrysost. in Math. homil.* 31. Applicentur huc analogicè omnes rationes contra vanitatem vestiariam supra allatæ.

VI. *Arg.* Non licebat faciem mutare, ut quis ostentaret jejunium *Math.* 6. *v.* 16. quod tamen revera tale erat, & quidem per se bonum: Ergo à minori ad majus, non licet fucare faciem ad ostentandam pulcritudinem, quam quis non habet. Sic *Martyr.* loco cit. Ego malim sic argumentari, extrahi inde saltem quod ad genus, seu analogicè, alienam ac nativam faciem non esse vanè fingendam nec ostentandam.

VII. *Arg.* ab analogo. Quia Deus vetat fictionem & trasformationem, quam homines peragunt formâ vestium & capillorum *Deuter.* 22. 5. 1 *Cor.* 11. 5. Ergo multo minus licita est illa, quæ fit per formas fucatas.

VIII. *Arg.* Rursum ab analogo; non licebat leges in naturâ divinitus positas, refigere & arte & industriâ humanâ quasi velle superare, vanâ aut nullâ de causâ, in procurandis scil. animalibus monstrosis ex commixtione diversarum specierum. *Levitic.* 19. 19. Inter rationes istius legis à commentatoribus *Corn. à Lapide*, & ex nostris *Willeto* ibidem allatas, nec non à *Thoma* 1. 2. *qu.* 102. *art.* 6. *resp. ad* 8. illa huc applicari potest, quod sit contra

tra legem naturæ & creationis, atque adeo contra nativam simplicitatem, quam colere tenemur. Atque hæc argumenta puto sufficere, ad problema morale in hanc partem determinandum: unde saltem constare possit ingeniis piis & minime contentiosis, nihil hâc in parte hominibus ad vanitatem plus satia proclivibus à Theologis indulgendum. Occurrunt & alia sive probabilia & verisimilia (uti *Martyr* sua vocat,) sive piæ amplificationes potius quam rationes, apud patres modo citatos & apud *Martyrem.*

Ex quibus illa nunc digito solum indico, quæ hominibus tanquam remedia harum vanitatum suggeri possunt.

1. Ut cogitetur corporis præsentis fragilitas, ejusque deformitas & fœtor post mortem: cur ergo illius pulcritudini procurandæ, immo & mentiendæ tantum laboris impenditur.

11. Cogitetur ab alterâ parte pulcritudo illa pulcherrima, Dei nostri, & servatoris Jesu Christi; cui anima spirituali pulcritudine ornata occurrat & ei se jungat necesse est. Accedat & pulcritudo nostra post hanc vitam, cum fulgebimus ut sol, &c. *Matth.* 18. Et expendantur *Psal.* 45. Et *Canticum Canticorum.* Hujus tantæ pulcritudinis possessio, affectatio, cura, non negligenda est per evanidas istas vanitatum plasmationes. Non malè amplificat hôc citatus modo *Isidor. Clarius,* & ex illo *Phil. Diez.*

111. Pudorem nobis incutiant Ethnici, qui fucum in Republicâ prohibuerunt; quod ex Heraclidis politicâ Lacedemoniorum refert *Tiraquellus*; ex quo *Celada loc. cit.* Vide quid referat *Plutarchus in apothegmatis* de Philippo Macedonum rege, qui ex judicum numero submovebat eum, qui barbam & capillos tingeret; & *Ælianus lib.* 8. *de var. histor. de Chio* quodam qui cum tinctura canitiem tegeret, ab Archidamo Laconum rege explosus est.

Objectiones & exceptiones laxorum Casuistarum pro fucis & pigmentis, §. 3. desumemus ex recentiori Casuista *Ludov. de Beja*; qui ex reliquis pleraque congessit; cui addemus Martyrem loc. cit. Ubi observandum est pium ipsius judicium, §. 71. *Sunt qui affirmant licere, ac multi præsertim ex Scholasticis, qui potius palpant & adulantur vitiis, quam ea infectentur, ac exstirpare nitantur.* Accedamus nunc ad ipsas exceptiones & objectiones: quas ex dicto de *Beja colleg. Bononiensis part. poster. tit.* de *Emtione & Venditione*, *casu* 5. & ex *Martyre excerpimus.*

1. *Quia* fucatio est indifferens, immo est bonum inserviens ad occultandam turpitudinem & deformitatem faciei inhærentem; juxta illud Pauli 1 *Cor.* 12. 23. & *Thomam* 22. *qu.* 169. *art.* 2. *in resp. ad.* 2. *Sic Beja Resp.* 1. τὸ indifferens & τὸ bonum strenuè negant Patres immo & Pontificii nonnulli, nominatim *Celada in comment. ad Judith.* 10. 3. à nobis

ſupra citati, & rationes quas contra fucum congeſſimus. Quin *Cyprianus* apertè refert ad diabolum, à quo nullum bonum exſpectandum. Idemque & *Tertullianus* tantopere hoc tanquam flagitium exaggerant, ut mirandum ſit, quibus oculis Caſuiſtæ tantum boni in eo viderint. 2. Locus ex *epiſtola ad Corinthios*, malè adducitur: per ignobiliora membra non faciem, ſed pedes intelligunt interpretes, & per inhoneſta membra generationi & egeſtioni excrementorum deſtinata. Vide *Lyram*, & *Corn. à Lapide. ad locum.* Illa ergo tegenda ſunt. Facies ſi honeſtè revelatur, pigmentorum larvâ tegenda atque adulteranda non eſt. *Martyr ad textum* „hic ob„jectum ſic reſpondet: *Quod dicit*, inquit, *apoſtolus*, ad fucos pertinere „non poteſt: quia illa nequaquam ſunt ornamenta, ſed potius fictiones „ac fallaciæ. Quis deinde quæſo honos adhibetur membris turpioribus? „is nimirum ut contegantur: Nam cavemus ne videri poſſint, vel aliis „patefiant. Contegant ergo & illæ vultum ſi fœdum putant, minuſve „decorum. At dixerint, non in omnibus regionibus ea conſuetudo, ut „facie contecta mulieres incedant. Hoc ſi fieri non poteſt, æquo animo „ferant fœditatem ac turpitudinem ſibi divinitus inflictam. Quid ſi natæ „fuiſſent claudæ aut gibboſæ? Certe non poſſent hæc emendari, ſed fe„renda eſſent. Studeant itaque naturaliter deformes, virtutibus & mo„ribus quam honeſtiſſimis ſe commendare atque approbare.

11. *Except. Quid* ſi fictio, quæ eſt in fucatione, ſit mendacium; eſt ſaltem officioſum, non pernitioſum: cum non vergat ex ſuâ natura in detrimentum alicujus, ſed inſerviat ad utilitatem pulcritudinis non habitæ oſtendendæ. Sic *Beja. Reſp.* Pari ratione omnes fraudes & deceptiones defendi poſſent; modo quis prætendat privatam ſuam utilitatem. De mendacio officioſo quid ſtatuendum, alibi ex profeſſo diſſeritur.

111. *Except. Quia* fucis & pigmentis uti poſſunt mulieres, immo forte pleræque utuntur ad bonum finem, ad occultandam ſcl. turpitudinem ex ægritudine provenientem, vel ad propriam venuſtaem, & ad augendam pulcritudinem. Sic *Beja p. 52. 56. Reſp.* Petitur principium. Hoc enim in quæſtione eſt, an media illa ad talem finem legitimè comparata ſint. Nos cum patribus cit. negamus.

1v. *Except. Quia*, ornatus ille per fucum non eſt ex ſe provocativus ad laſciviam, niſi eo modo, quo pulcritudo; immo hæc magis allicit: nam ornatus exterior eo ſolum provocat, quatenus ad pulcritudinem conducit. Si pulcritudo naturalis habita aut retenta, aut appetita, aut adhibita ex ſe culpabilis non eſt: ergo nec artificialis. Probatur conſequentia; quia effectus qui à natura & arte fit aut fieri poteſt ejuſdem rationis eſt; ſaltem in eſſe morali, ut patet in ſanitate, aliiſque. Sic *Beja* Similia occurrunt

runt apud *Martyrem*; ubi additur, peccatum si hic interveniat, hoc esse non ex natura ipsius rei, sed ex circumstantiis & mala intentione; consequenter totum hoc esse per accidens. Ita ut distinctione hic elabi se putent, provocationis scil. ad lasciviam in eam quæ est secundum naturalem conditionem, & in eam quæ est ex vitio intentionis & cupiditatis. Addunt & alteram distinctionem inter causam & occasionem. Concedunt fucatas esse aut esse posse occasionem scandali & ruinæ proximi, sed ideo non esse causam. Jam vero si omnia omittenda essent, quæ tantummodo sunt occasio mali, tum omnia fere omittenda essent; pulcræ fœminæ nunquam exeundum esset; nec optima quæque hominibus exhibenda, quia possunt esse occasio mali.

Resp. 1. Dato intrinsecè aut per se hoc non esse malum, est saltem in eo species mali tam perspicua, ut negari non possit, inquit *Martyr.* Dicimus ergo ex Pauli sententia non tantum à malo, verum etiam à specie mali cavendum esse. Sic *Martyr.*

2. Negamus in genere naturalia & artificialia ejusdem rationis esse; & in specie, esse parem rationem formæ naturalis, & fucatæ. Illa est opus Dei, & culpari non potest; nec ambitiosam aut vanam operam dedit mulier ut talj vel tali forma à Deo crearetur. At quę vultum fucant, id maxime quærunt, ut cum pulcræ non sint, nihilominus tales videantur, & simul detegunt corruptum suum animum, & pravæ concupiscentiæ dant indicia. *Adde* quod utrinque eadem effecta non producantur: nam naturale temperamentum veram efficit pulcritudinem; pigmenta vero fictam & ementitam. *Præterea*, si naturalis forma aliquos provocat (quod modestæ & castę fœminæ præstare nequeunt, non magis quam formam suam abjicere) ergone fucis & picturis homines magis incitandi erunt? *Denique* dici posset, exemplum sanitatis minus appositè adduci, est enim illa à natura tanquam causa principali & univoca, cujus Medicus solum minister est. Hæc omnia *Martyr ibid.* breviter.

3. Accidentium, conditionum, & circumstantiarum rei duplex est genus: unum commune quod à re vel plerunque vel quandoque separatur; alterum tam fixum & constans, ut minimè abjungatur. Et ex his aliquid peccatum esse judicatur. Hac egregia distinctione docte & subtiliter exceptionem retundit ibidem *Martyr*, eamque per exempla crapulæ, furti, adulterii explicat. Quam contra laxas aut imperitas casuum decisiones, verè incrustationes & fucationes, à studiosis nostris observari velim.

4. Ad distinctionem illam, quà dicitur peccatum esse in rebus vel ex naturali conditione, vel ex utentium affectu & corrupta voluntate: Atqui in fuco non est, nisi ex utentium intentione & affectu. *Resp.* Si hanc

regulam, inquit *Martyr*, sequeremur uti perpetuam & certam; multa sceleratè facta defendemus, ut indifferentia, quæ tamen à scripturis & judicio sanorum virorum condemnantur. Et addit ibidem exempla adulterii, & furti.

5. Ad distinctionem inter causam & occasionem doctè respondet *Martyr*, secundum occasiones nonnunquam judicandum esset de actionibus; atque adeo culpæ affinem esse eum, qui aut malè agendo aut non abstinendo à quibus posset, vel suo exemplo vel alia ratione quempiam incitat ad peccandum. Quod ex jure civili, & ex theologia pluribus ibidem probat: allata distinctione inter occasionem datam & acceptam.

IV. *Except. Quia* sequeretur tunc pulcram fœminam, non posse exire ad conciones, aut ad afflictos & ægrotos visitandos, aliaque officia caritatis præsertim liberis, & cognatis præstanda? *Resp.* Consequentia negatur: longe enim dispar ratio est primo quod tunc versetur in re utili & necessaria: à quâ propter hominum malitiam non est abstinendum. Et si quid mali inde eveniat, erit occasio accepta non data. 2. *Secundo*, quod spectetur, si quid ab aliquo spectetur, forma ejus vera ac nativa, purum opus Dei; nihil vero quæsitum aut ementitum.

V. *Except. Quia* sequeretur non posse ostendi aurum, gemmas, ullasque res præstantiores; ne spectatores in pravas cupiditates incidant. *Resp.* Neg. consequentia: longè enim diversa ratio est inter fucos, & rerum istarum naturalem speciem; inter facies fucatas & mentientes ac deceptrices formas fœminarum, & inter alias res naturales; inter utilem aut necessariam rerum pretiosarum exhibitionem, & inter otiosam ac vanam formæ humanæ fucationem ac fucatæ ostentationem.

VI. *Except. Quia*, quæ ad fucos adhiberi solent, sunt bonæ Dei creaturę, & consequenter indifferentes, atque iis uti licet? *Resp.* Sic panis, vinum, simplicia omnia & ex iis mixta apud seplasiarios, immo & venena sunt Dei creaturæ: sed ad ebrietatem, ad miscenda pocula venenata, ad procurandos abortus iis uti non licet.

VII. *Except. Quia* mulieres nuptæ debent placere viris 1 *Cor.* 7. 34. *Resp.* 1. Studeant per nos viris suis honestè placere, non sint totæ squalidæ, & in sordibus, abluant immunditiem, expurgent sordes: at non sint cerussatæ, purpurissatæ, stibiatę, ac denique fucatæ. Nam id est larvas agere, personatas incedere, fallere, decipere, nec non ad libidines provocare. Sic *Martyr* §. 78. 2. Honestis & piis maritis non debent hac ratione velle placere; nec ipsi mariti hoc expetunt, aut saltem expetere debent. Vide quid egregiè de hoc *Chrysostomus homil.* 31. *in Mattheum* 3. Denique nec maritis etiam improbis hâc ratione placebunt, dum illos tam turpiter decipiunt; sed

sed potius iis displicebunt, & eos ad illa adigent, à quibus per fucos averti fingunt. Hic videant *Ambros. lib. 1. de Virgin.*

VIII. *Except.* Ex 1 *Tim. 2. v. 9. Resp.* Nihil ibi de fuco: sed potius oppositum inde eliciendum.

IX. *Except.* Ad tam illustria & pathetica testimonia patrum supra cit. excipiunt *Cajetanus ad 22. qu. 169. art. 2.* & post illum atque ex illo sequentes Casuistæ *Navarrus, Bonacina*, &c. & novissimè *Lud. de Beja p. 57.* loquuntur de illis mulieribus, quæ contemtis propriis maritis se ornant, ut alios ad inhonestam sui concupiscentiam alliciant; has enim peccare lethaliter constat, non quod fucis utantur, sed ratione pravæ intentionis quam in tali usu habent, &c. *Resp.* Væ glossæ quæ corrumpit textum. Nullam rationem adhibent patres, quæ falsitatem hujus glossæ non evincat. Provocamus ad ἀυτοψίαν & lectionem contextus. Et agnovit hoc satis *Busæus*, *Celada* aliique rectius hic sentientes: qui sine ulla distinctione hæc loca patrum, fucationibus opponunt.

Aliquorum verba hic exhibemus, ut ἐπαυτοφώρῳ deprehendatur opponentium prævaricatio.

Tertullianus tom. 2. habitu muliebri *cap. 2. pag. 183.* Angeli (lapsi scil.) „proprie & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ „contulerunt, lumina lapillorum, quibus monialia variantur: & circulos „ex auro, quibus brachia artantur: & medicamenta ex fuco, quib. lanę „colorantur: & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia „producuntur. Hæc qualia sint, interim jam ex doctorum suorum qua„litate & conditione pronunciari potest, quod nihil ad integritatem pec„catores, nihil ad castitatem adamatores, nihil ad timorem Dei deserto„res spiritus aut monstrare potuerunt, aut præstare. Si doctrinę dicen„dę sunt: mali magistri male docuerint necesse est. Si mercedes pro libi„dine, nullius rei turpis, merces decora est. Quid autem tanti fuit ista „monstrare sive conferre; utrumne mulieres sine materiis splendoris, & „sine ingeniis decoris placere non possent hominibus, quæ adhuc incul„tæ, & incompositę, & (ut ita dixerim) crudæ ac rudes, angelos mo„verant. Nota errorem ipsi cum *Fl. Josepho, Philone, Justino, Clemente Alexandr.* communem de concubitu Angelorum cum mulieribus.

Ibid. cap 4. pag. 84. „Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, „cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vo„cant: Ornatum, quem, immundum muliebrem convenit dici. Ille in au„ro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: Iste in cura capilli, „& cutis, & earum partium corporis quę oculos trahunt. Alteri ambitio„nis crimen intendimus, alteri prostitutionis.

Idem

Idem de cultu fœminarum cap. 5. & 6. pag. 189. „ Quantum autem à „ noſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſunt, quam indigna nomine „ Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis inducitur: „ effigiem mentiri, quibus lingua non licet: appetere quod datum non ſit, „ quibus alienum abſtinendum: ſpeciem exercere, quibus ſtudium pudi- „ citię eſt? Edite benedictæ quomodo prȩcepta Dei cuſtodietis, lineamen- „ ta non cuſtodientes: Video quaſdam & capillum croco vertere. Pudeat „ eas etiam nationis ſuę, quod non Germanę aut Gallæ ſint procreatæ, „ ita patriam capillo transferunt. male ac peſſime ſibi auſpicantur flammeo „ capite, & decorum putant quod inquinat. Atqui & detrimentum cri- „ nibus medicaminum vis inurit, & cerebro pernitiem etiam cujuſlibet ſyn- „ ceri humoris aſſiduitas reſervat, tum ſolis animando ſimul & ſiccando „ capillo exoptabilis ardor. Quis decor cum injuria? quę cum immunditiis „ pulcritudo? Crocum capiti ſuo mulier Chriſtiana ingerit ut in aram. „ Quodcunque enim immundo ſpiritui excremari ſolet, id niſi probis & „ neceſſariis & ſalubribus uſibus adhibeatur, ad quod creatura Dei eſt pro- „ ſpecta, ſacrificium videre poteſt. Sed enim Dominus ait, *Quis veſtrum,* „ *poteſt capillum atrum ex albo facere album ex atro*; Hę quæ revincunt De- „ um. Ecce, inquiunt, pro albo vel atro, flavum facimus gratiæ facilio- „ rem; quamvis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad ſe- „ nectam uſque vixiſſe. Prô temeritatem! Erubeſcit ætas exoptata votis, „ furtum confitetur, adoleſcentia in qua delinquimus ſuſpiratur, occaſio „ fatuitatis interpolatur. Abſit à ſapientiæ filiabus ſtultitia tanta.

Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. c. 2. p. 159. 160. „ Carnem ergo tan- „ quam condimentum, mollem & ſuavem reddunt & interdiu quidem in „ thalamis verſantes, arti ornandi affixæ ſunt, ne floridis coloribus depi- „ ctę deprehendantur: veſpere autem tanquam ex antro ad lucernam pro- „ repit hęc adulterina pulchritudo. Nam & ebrietas, & lux exilior & pau- „ lò obſcurior, incruſtationi earum opem ferunt. Atque eam quidem, quę „ ſuos pilos reddebat flavos, Menander Comicus domo arcet:

„ *At nunc abi ex his ædibus: nam fœminam*
„ *Turpe eſt pudicam facere flaventes pilos.*

„ Sed & genas fucare, & oculos depingere. Non intelligunt autem miſeræ, „ ſe propriam perdere pulcritudinen, dum externam inducunt. Summo „ itaque mane ſe lacerantes & extendentes, variiſque ac confuſis mixioni- „ bus effingentes, vivum quidem cutis colorem refrigerant, carnem autem „ venenis effodiunt, curioſiſque ac ſuperfluis abſterſionibus proprium de- „ coris florem corrumpunt & marcidum efficiunt. Quocirca à cataplaſma- „ tibus quidem pallidæ cernuntur, à moribus autem facilè arripiuntur, ut

quæ

„quæ adumbratam carnem venenis jam liquefactam habeant, hominum „opificem contumelia afficientes, tanquam qui pro meritis non fuerit eis „largitus pulchritudinem. Jure ergo quod ad domum ſervandam, & ad- „miniſtrandam familiam attinet, ignavæ fiunt, ut quæ ſedeant, veluti de- „pictæ ad ſpectaculum, non natæ ad domus cuſtodiam familiæve admini- „ſtrationem. Et ideo apud Comicum circumſpecta ait mulier.

„ *Quid providi fecerimus nos fœminæ,*
„ *Vel ſplendidi, quæ tot colorum floribus*
„ *Sparſæ ſedemus, liberali fœminæ*
„ *Typum ac figuram deſtruentes funditus.*

„Domorum everſiones, & nuptiarum perniciem & liberorum in ſe accu- „ſationes concitantes. Hac etiam ratione Antiphanes Comicus in Mal- „thaca irridet meretriciam mulierum conſuetudinem: dicens verba om- „nibus communia, adverſus illam earum fricationem & intritionem. Ve- „nit ipſa, tranſit, accedit, non tranſit, venit, adeſt, abſtergitur, acce- „dit, ſmegmate ſaponeve purgatur, pectitur, ejecit, teritur, lavatur, ſe „contemplatur, componitur, unguentis perfunditur, ornatur, ungitur, & „ſi quid non habeat, enecatur. Ter enim non ſemel dignæ ſunt quæ pe- „reant: quę Crocodilorum excrementis utuntur, & ſpuma ſępiarum un- „guntur, & ſupercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt. Quæ ergo „vel Poëtis ethnicis erant odio propter mores, cur non magis à veritate „reiiciendæ fuerint? Alius itaque comicus eas reprehendens, Alexis, „ejus enim verba afferam, quæ curioſa & ſupervacanea rerum explicatio- „ne, perpetuam & immutabilem earum impudentiam pudore afficiunt: „neque enim erat quantum credo, tam ſuperflua. Me autem puderet fę- „minis, quę uſque adeo in comœdiis punguntur; ferre auxilium velle. Dein- „de verò marito quoque affert exitium, primùm quidem in lucro, & in „ſpoliandis proximis: omnia enim alia opera ab eis fiunt obiter. Eſt ali- „qua parva, ſuber in calceis inſuitur: longa eſt aliqua, tenues geſtat ſo- „leas: caput in humerum demittens egreditur. Hic ei detrahit de longi- „tudine: depreſſiores coxæ & femora ſunt alicui, eis aliquid aſſuit, ut qui „ingrediuntur eam pulchras habere nates exclament? mollem ac promi- „nentem habet ventrem, ut Comicorum nutricis, appoſitis nonnullis eum „erigit: depreſſior eſt venter, veluti contis quibuſdam adhibitis efficit ut „is anterius procedat: ſupercilia flava habet aliqua, depingit fuligine: „alicui ut ea nigra ſint contigit, tollit ceruſſa nigrorem: ſunt alicui nimis „alba, unguento ei rei facto deterit alborem: habet aliquam corporis „partem candidam, eam nudam oſtendit: bellos habet dentes, rideat ne- „ceſſe eſt, ut præſentes videant quàm ſit ei os venuſtum: & quamvis læta

„ non sit, toto tamen die ridet, in labris habens tenuem myrsinæ tabellam, „ ut velit nolit ea tandem cogatur diducere.

Nazianzenus in laudem Gorgoniæ pag. 441. „Non illam aurum arte ad „ eximiam quandam pulchritudinem elaboratum ornavit, non flavæ comæ „ tum perspicuæ tum sublucentes, & cincinnorum impostura honestum „ caput turpissimè inumbrantium, non diffluentis pellucidæque vestis ma- „ gnificentia, non lapidum splendor & gratia propinquum aerem colore affi- „ ciens, formasque undique collustrans, non pictorum artes & præstigiæ, „ ac vilis & exiguo precio comparabilis pulchritudo, terrenusque crea- „ tor contrarium opus moliens, infidiosisque coloribus Dei figmentum ab- „ scondens, atque hujusmodi honore dedecorans, formamque divinam „ procacibus & impudicis oculis in meretricium idolum objiciens, ut ea ra- „ tione nativam imaginem, quæ Deo ac futuro seculo servatur, adulteri- „ na fictitia pulchritudo suffuretur. Verum cum multos & varios mulie- „ rum externos ornatus nosset, nullum tamen moribus suis splendoreque „ intus recondito præstantiorem cognoscebat. Unus illi rubor placebat, „ quem gignit pudor: unus candor, quem parit abstinentia. Nam picturas „ & oculorum fucos, vivasque tabulas & fluxam atque caducam formæ „ venustatem iis relinquebat, quæ theatra & trivia consectantur, quibusque „ pudori & probro est erubescere.

Idem adversus mulieres ambitiosius sese ornantes & excolentes, pag. 991. „ Quin potius, ô mulieres, si naturæ beneficio formę elegantia vobis con- „ cessa est, pigmentis eam ne occultate: verùm puram eam solis maritis „ vestris conservate, nec procaces & impudicos oculos aliis quibusdam „ injicite. Oculos quippe cor nefariè sequi solet. Sin autem pulchritudo vo- „ bis à natura negata est, secundam deformitatem fugite. Sic enim pulchri- „ tudinem eam voco, quæ manibus atque arte comparatur: pulchritudi- „ nem inquam, eam quæ à terra producitur, atque à trivialibus muliercu- „ lis, & quidem paucis obolis emi potest. Pulchritudinem, inquam, quæ „ absterla, in terram fluit, nec ad risum consistere potest, simulatque effu- „ sior lætitia genas totas solverit: quæ etiam lachrymarum rivulis prodi- „ tur, & humido timore, guttisque exiguis adeò labefactatur atque dele- „ tur, ut gena, quæ prius gratissimo quodam nitore prędita erat, eadem re- „ pente non sine magno hominum risu bicolor, subatra, marmorea, nigra, „ minioque tincta appareat. Non ergo te pudet, pulchritudinem, quæ „ tam facilè prodi atque obliterari potest, retinere? Atqui hæc non statuis „ vivis motuque prædita conveniunt: ob idque turpe & flagitiosum tibi „ est portatilem formam multisque modis delebilem habere. Sic alterum „ corpus Dei est, alterum manus: illud vetus, hoc novum ac recens. Di-

cas

„cas pratum quoddam esse, duplices flores, jucundos nimirum, vicissim-
„que ingratos & inamœnos ferens, aut vestem quandam bicolorem, plu-
„ribus zonis tractam. Quo circa pictum ac fucatum corpus, vel fuge, vel
„conserva: nec turpe atque obscœnum tibi formę adjumentum ascisce.
„Quid enim alioqui agis, quàm quod Penelopes instar telam noctu solvis,
„interdiu texis, internèque Hecubam, externè Helenam refers. Enim-
„vero si qua arte hoc consequi potes, ut fucum maritus minimè persen-
„tiat, non tamen ferendum est, te formam divinam mortali forma ob-
„ducere atque occultare.

Hieronymus ad Marcellam de agrotatione Blasillæ fol. 154. (edit. Frobenia-
„næ 1557.) Illę Christianos oculos scandalizent potius, quæ purpurisso,
„& quibusdam fucis ora oculosque depingunt, quarum facies gypseę, &
„nimio candore deformes, idola mentiuntur. Quibus si fortè improvi-
„dis lachrymarum stilla eruperit, sulco defluit: quas nec numerus anno-
„rum potest docere, quod vetulę sint, quę capillis alienis verticem struunt,
„& præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt: quæ denique ante
„nepotum gregem trementes virgunculæ componuntur. Erubescat mulier
„Christiana, si naturæ cogit decorem, si carnis curam facit ad concupi-
„scentiam, in qua qui sunt, secundum Apostolum, Christo placere non
„possunt. Vidua nostra ante morosius ornabatur, & die tota quid sibi de-
„esset, quęrebat ad speculum. Nunc loquitur confidenter: Nos autem
„omnes revelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem
„transformamur, à gloria in gloriam quasi à domini spiritu. Tunc crines
„ancillulæ disponebant, & mitellis crispantibus vertex artabatur innoxius:
„nunc neglectum caput scit sibi tantum sufficere quod velatur.

Ambrosii lib. 1. *de virginit.* aliorumque verba non exhibeo: exhibita suf-
ficiunt ad exceptionem *Cajetani* & sequacium difflandam. Ex abundanti
commonstro *Didacum Cælada* in *Judith* 10. *v.* 3. §. 3. aliosque domesticos
testes supra indicatos: Quorundam verba, infra *part.* 3. exhibiturus.

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

QUINTA,

Quæ est

DE ORNATU FACIEI ET CAPILLORUM.

PARS SECUNDA.

Resp. ADRIANO MUNNINX Mediob.-Zeland. 23. *Decemb.* 1643.

§. 1. ADjiciamus nunc aliquot problemata ad uberiorem hujus controversiæ explicationem.

I. *Probl. An aliquo honesto fine & in casu necessitatis liceret faciem nativam sive tectoriis sive pigmentis tegere, aut quocunque alio modo transfigurare & fingere, ne agnoscaris: ut ita hostes fallas, eorumque tyrannidi te subducas, aut patriam liberes*, &c. *Resp.* Non videtur absolutè negandum: pari modo ac de mutatione vestium determinatum est. Modo προσωπίσις illa subsistat intra facta, nec ad verba mendacia procedat.

II. *Probl. An liceat fucos parare, aut vendere? Resp.* Affirmant Patroni istarum vanitatum apud Pontificios, inter quos serio & ex professo hoc agit *Lud. de Beja loc. cit.* Nos aliorum tutiorem sententiam istis conclusionibus explanamus.

1. *Concl.* Simplicia illa, unde quis fucos sibi miscere, aut quibus faciem tingere posset, vendere licet: siquidem alium aliquem ac promiscuum usum habeant in vitâ communi. Ratio Petitur ex 1 *Cor.* 10. 25. coll. cum 1. *Timot.* 4. 4.: Abusus enim hominum non potest tollere usum rerum, consequenter nec usualem & publicam venditionem ac commercia. Esset enim alioquin ex hoc mundo exeundum, uti alio in casu infert apostolus 1 *Cor.* 5. 10. Et incideret quis in vitium scrupulositatis & μωροσοφίας Pythagoricæ ant Diogenicæ; ac superstitionis Essenę, contra *Coloss.* 2. 21. Nihil enim tam utile aut tam necessarium est, quo quis abuti non possit: ut videre est in ferro, igni, ligno, vino, cerevisia, lino, lana, &c.

11. *Concl.* De Compositis & mixtis, quæ etiam formam & speciem fuci habent, sed non adæquatè, quandoquidem & aliis honestis usibus inserviunt (siquidem, inquam, talia exstent in rerum natura) idem statuendum est. Secus judicandum, si specie & formâ, atque adeo usu communi ac cognito tantum præstent fucos, seu medicamenta uti vocant cosmetica, non ad restituendam figuram & formam genuinam nec ad abjiciendam formam casu aut morbo ascititiam comparata, sed ad superinducendam ac mentiendam alienam, tectâ ac dissimulatâ nativa.

Rationes sunt 1. omnes quæ militant contra usum fucorum, quas supra attulimus; quasque hic urgent ex Pontificiis rectius sentientes, & ibidem *à Beja* ex parte citati. 2. Ex analogiâ, seu mavis à pari. Quia non licet vendere res illas, quę nullam habent formam aut usum communem ac publicè notum, quam utensilium & instrumentorum idololatriæ, aut perfidiæ Judaicæ. Ut nostri pariter ac Pontificii Casuistę determinant; & nos indicavimus in *disp. de Judaismo, & de Idololatriâ. indirectâ.* 3. Rursum à pari, aut analogo. Quia non licet Medicis promiscuè parare, nec seplasiariis vendere venena, aut pharmaca illa quæ abortum procurent: uti habent non tantum sanctiones Casuistarum; sed & Medicorum; quę alibi & suo loco allegandæ erunt. 4. Adhæc à difficultate, quam movent Casuistæ circa locationes ædium, circa delationes epistolarum, apertiones ostiorum, aliaque ministeria, quibus inservitur quæstui & impuritati meretricum. 5. Denique ex eo, quod non liceat alicui vendere arma, quem scimus aut scire possumus iis injustè usurum. Quod argumentum Casuistæ cum recentioribus fucorum patronis pro nihilo habere nequeunt, propter autoritatem *juris Canonici c. Notu. 2. q. 1. & Antonini part. 2. tit. 1. cap. 24. §. 11 1.* In omnibus illis casibus, si participatio esse putetur alieni peccati; utique non viderentur satis decorè his mangoniis se immiscere Medici qui hæc pharmaca cosmetica in Italiâ excogitata & usitata & publicis scriptis de Magia naturali, de Medicina juxta cum aliis medicamentis commendant, iisque hominum vanitatem irritant ac sollicitant; nec omnes alii qui ipsos imitati homines periculosè ac temere docent, quæ alioquin ignorant; nec seplasiarii qui miscent ac vendunt. Tutius ergo à Pontificiis concederetur in sententiam *Angeli de Clavasio, Alexandri de Ales*, & ejus quem citat *Sylvester*, qui dicunt venditores peccare mortaliter; quam in contrariam *Sylvestri*, in voce *ars*, & *Tabiena* in voce *ars & ornatus*, & *Cajetani in 22. qu. 169. art. 1.* & *Navarri cap. 23 § 90.*

Exceptiones *Lud. de Beja* pro suo Antonio fucorum venditore, in cujus gratiam casum determinat, sunt istæ.

„ 1. *Except.* Possunt fucis bene uti & malè uti: nec facile discerni potest,

„an plures sint, quę utuntur ad peccatum mortale, vel quæ ad nullum,
„vel quæ ad veniale solum: nec venditor tenetur numerum istum perpen-
„dere, & scire, sed satis est, quod vendat rem, quâ bene uti possunt mu-
„lieres, cum displicentia saltem virtuali, quod aliquæ illis malè utuntur.
Resp. 1. laborat tota exceptio falsa hypothesi; quia statuit fucum in se esse licitum. 2. Laborat ἀνισχρησία, ne dicam mendacio. Novit *Beja* & nôrunt omnes fucorum venditores in Italiâ pleraſque fœminas uti fucationibus ad impuritatem, aut ad superbiam & vanitatem. 3. Ficulneum illud tegumentum de displicentiâ virtuali, satis prodit actualem & formalem Casuistæ nostri laxitatem.

„ 2. *Except.* Qui meretricibus calceos, sandalia, vestes vendunt, qui-
„bus illę sæpius in meretricando utuntur, cum illa vendant absque eo, quod
„consentiant in peccatum, quod meretrices faciunt, nullius culpę rei sunt:
„quandoquidem ipsi non inducunt, nec juvant directè ad meretricandum,
&c. *Resp.* Vah consequentiam! Sunt illa per se utilia, immo & necessaria; fucus vero minimè. Quid si quis meretrici vendat panem, medicamenta, &c. an inde colliges venditionem fuci.

„ 3. *Except.* Dato quod omnes meretrices emant pigmenta ad usum
„pessimum & animæ proximorum nocumentum, quia tamen non inter-
„venit voluntas & consensus opificis vendentis, nec intentione directè
„feratur in tale nocumentum; sed solum fertur in ipsam venditionem & in
„pecuniis per illam mercantiam suscipiendis, &c. nec sola scientia usus
„mali efficit peccatum, nisi adjungatur complacentia, &c. *Resp.* 1. Applica hanc exceptionem venditioni veneni, aut pharmaci procurantis abortum, aut commodationi gladii quæ fit homini ebrio aut furioso, quem scis intentare homicidium innocentis; vide quas regulas consequentiarum tibi fabrices. 2. Perpetuo præsupponitur, falsum: esse scil. fucationem per se honestam ac licitam.

„ 4. *Except.* Licitum est invitare, aut provocare justa de causa alium,
„ad aliquem actum suo genere bonum aut indifferentem, nullatenus con-
„sentiendo in illum quatenus fit malè, aut est malus. Veluti Laurentius
„provocabat tyrannum ad assandum, & manducandum illius corpus, &
„alii martyres excitabant infideles ad mortem illis pro Christo inferen-
„dam: gaudentes quidem de hujusmodi actu, quatenus bono, & dolen-
„tes de eodem quatenus erat malus, juxta illud glossæ *cap.* 1. *de confer.*
„*eccles. vel altar. lib.* 6. loquens de passione Christi, *Actio displicuit, passio*
„*grata fuit*, & latè probat *Navarrus in Man. Confeſs. c.* 21. *num.* 25. Quam-
„vis ergo *Antonius* vendendo dicta pigmenta & fucationes invitet & pro-
„vocet mulieres ad ea emenda, & ipsæ emant, ut cum peccato mortali
utan-

„ utantur, non proinde facit illicitum, ut qui potest gaudere de illâ emptio-
„ ne, quatenus sibi est utilis; & dolere quod dictæ mulieres amant in animę
„ suæ nocumentum, ut de locantibus domos meretricibus determinavi-
mus alibi. *Resp.* Profanam & abominandam hanc sophisticam detexisse, est refutasse.

„ 5. *Except.* Non teneri quem ad impediendum peccatum mortale
„ (quod alioquin docetur 22. *qu.* 26. *art.* 5. *& cap. Non in inferendo* 23.
„ *qu.* 2. 3.) cum damno temporali, cum scil. peccant mulieres illę non ex
„ ignorantiâ aut fragilitate, sed ex malitia, ut quę licet non emant ab illo,
ement tamen ab alio. Sic Beja ex & cum suo *Navarro cap.* 24. *Manualis num. ult. Resp.* Applica ad lucrum ex venditione pharmaci, quo quis scit procuratum iri mortem Regis, aut hominis cujusque innocentis, aut abortum; item ex venditione gladii, quo scit hominem furiosum intendere homicidium.

III. *Probl. An fucatio sit, pustulas tollere, oculorum sinus mundare, dentes albificare, adhibitis etiam liquoribus, pulveribus, oleis, salibus,* &c. *& necessariâ quâcunque arte chirurgicâ? Resp. Neg.* siquidem non otiosè, aut vanè, nec etiam nimis operosè & impotenti cum desiderio & contentione id fiat, sed pro naturali & necessariâ rei exigentiâ, tum ad curandam sanitatem, tum etiam retinendum aut revocandum nativum decorem. Absit modo effæminata mollities, curiositas, pretiosi temporis & bonorum profusio. §. 2.

IV. *An ad fucationem referendum, quod quis jacturam dentium ebureis aut argenteis, nasi aut menti, aut oculi arte fabrefactis & substitutis sive tegere, sive resarcire studet. Resp.* Non videtur affirmandum: si utilitatem aut necessitatem quam habeat, ad tetrum & molestum aspectum aliis eripiendum, aut ad functiones animales vicariis his organis juvandas. Quod notum est usu venire in dentibus ad conformationem sermonis facientibus.

V. *Probl. Quid de excavationibus Indorum in fronte aut genis factas, quibus gemmas inserunt? quarum meminit Petrus Martyr loc. class. 2. c. 11. 71. Resp.* Esse otiosas & vanas. Cur enim naturalis & propria caro tollatur, aut dividatur, ut heterogenea sive mineralia, sive quęcunque alia corpora quis substituat, & carni inserat, ad stolidam ostentationem.

VI. *Probl. Quid statuendum de argumento Ambrosii, quo fucationes urget lib.* 1. *de Virgin. Quod de* adulterio vultus meditentur adulterium castitatis; *quodque istud illo tolerabilius sit, quia ibi pudicitia hic vero natura adulteretur. Resp.* Posteriorum amplificationis partem putamus esse nimis hyperbolicam: immo & simpliciter falsam; si quis eam tueatur, ut sonat.

VII.

VII. *Probl. Quid de argumento Cypriani, quo inter alia utitur. Fucum esse inventum dæmonum, qui cum deperirent filias hominum fuco usi sunt, unde artem fucandi homines didicerint. Resp.* Nititur falsâ expositione *Genes.* 6. 2.

VIII. *Probl. Quid de falso & ficto oculorum situ ac positione, menti, aut genarum configuratione; quò cavitatis, aut protuberationes, præter & contra nativam figuram atque habitum, in iis appareant. Resp.* Affinia esse fuco: quia situ per artem ficto figura aliena ostentatur, & propria occultatur. Porro de vanitate, & indecoro partium istarum situ aliquid occurrit *Proverb.* 6. 25. & 10. 10 Vide ibi commentatores.

IX. *Probl. Quid de speculis, eorumque usu ad ornatum faciei, statuendum? Resp.* determinamus istis conclusionibus.

1. *Concl.* Præter usus opticos & medicos, esse etiam aliquem licitum usum, ad custodiendam faciei munditiem, & decoram tegumentorum capitis, capillorum &c. compositionem. Si licet mundare, & decorè faciem, caput, eorumque adjuncta componere; licet ea intueri, si licet intueri, aliquis est usus speculorum, sine quibus hoc ita commodè fieri nequit. Uti colligitur ex similitudine, quam adhibet *B. Jacobus cap. 1. vers.* 25. & Methaphorâ Paulinâ (est autem Methaphora contracta similitudo) 2. *Cor.* 5. 3. Accipio autem hic speculum in latitudine, ut etiam naturale complectatur, aquæ scil. in quâ faciem suam, & tegumenta capitis contemplari solent, qui artificialibus speculis carent.: & hujus ἰκανότητος hâc in parte innuit Salomon *Proverb.* 27. *vers.* 19. Nam arte facta specula sæpe fallunt, dum rem objectam minuunt aut augent, aut distorquent. Vide *Plin. lib.* 13. *c.* 9. *Senecæ quæst. Natur. lib.* 1. *c.* 17. *Augustinum epist.* 150. *ad Nebridium.*

11. *Concl.* Esse tamen abusum speculorum docemur. *Jesa.* 3. *vers.* 22. Et consonat dictum *Tertulliani* lib. de velandis virginibus cap 12. *Jam & consilium formæ à speculo petunt.* Abusus autem committuntur, dum nimium speculis inhæretur, & nimis crebro aut diu usurpantur: quales abusus earum, quæ specula assiduò circumferunt, aut creberrimè ad specula recurrunt, aut horas aliquot continuas specularibus lustrationibus impendunt, aut speculis ante & retro se circumvolant, ut si fieri possit, etiam videant ea quæ in occipite & in tergo. Duo extrema hic vitanda. Unum est ne Narcissi instar in speculo nos contemplemur, & ex vultu nostro idolum faciamus. Alterum, ne instar Diogenis aut Francisci Assisii ex phantasticâ superbiâ & ἰδιοσυγκρασίᾳ omnem honestum corporis decorem & cultum, cynicè negligamus, aut ferociter contemnamus. Ne quid dicam de superstitionibus & hypocrisi Monachorum, quam antecessoribus ipsorum

ipsorum Pharisæis notat Servator noster *Math. 6.* Rectè *Hieronymus in epist., ad Nepotianum*, elegantias & sordes pari modo fugiendas, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. Vide & *Augustin. lib. 2. de sermone Domini cap. 12.* & *Lorini commentari in Jacobi 1. v. 23.* De speculis non malè Seneca lib. 1. quæst. Natural. c. ult, *Inventa*, inquit, *sunt specula ut homo se nosceret. Multa ex hoc consecuta, primo sui notitia, Deinde & ad quædam consilium. Formosus ut vitaret infamiam, deformis ut sciret redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset*, &c. Hinc & Socratis consilium, *qui suasisse fertur discipulis suis crebro, ut semet in speculo contemplarentur: ubi qui eorum*, &c. Ut refert *Apulejus apolog. 1.* ubi vide reliqua. Simile quid habet *Phædrus fabulâ 47.* Ubi introducit patrem formoso filio & deformi filiæ sic loquentem.

Cotidie, inquit, speculo vos uti malo
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis:
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

X. *Probl. An fuci, ut & larvarum aliquis usus sit licitus? Resp. Aff.* e. gr. in casu necessitatis; ut quis mutato faciei, superciliorum, capillorum, vestium colore, quantitate, figurâ, formâ, ignotus per medios hostes & insidiatores transire queat, & vitæ suæ ac publico bono consulere. Extra hunc, similesve casus, fucationes & larvas, cum patribus aliisque supra adductis, improbamus. Adde citatis *Polyd. Virgilium lib. 5. de inventor. c. 2. Adamum Contzen polit. lib. 3. cap. 13. Anton. Verdier lib. 2. variar. lect. cap. 19.* Ex nostris *Daneum lib. 2. Ethicæ cap. 14. Raynoldum in censurâ apocryphor. prælect. 222. Salvianum lib. 6.* de gubernatione Dei, ubi per totum patheticè invehitur in spectacula, larvas, aliosque impuritatum proxenetas.

Accedamus nunc ad designationem vanitatum circa verticem, sinciput & occiput. Sunt autem ea 1. circa externa adjuncta, seu adjacentia. 2. circa capillos. §. 3.

Adjacentia illa sunt *Primo* Monilia auribus infixa, aut ex iis dependentia; de quibus *Jesa. 3. v. 20. 21. Secundo* velamina & tegumenta capitis. Quæ vel Masculina, pilei: Vel fœminina, pepla, flammea, pallæ, vittæ, & similia formâ ac figurâ infinita. 3. Utriusque sexus, non tam tegumenta, quam ornatus superflui, plumæ, scil. & coronæ. De coronis exstat spissum volumen *Paschalii.* Abusus autem circa hæc adjacentia incidere, discimus tum ex *Jesa. 3.* & *1 Corinthios 11.* tum ex communi experientia. Nusquam enim se magis ostendunt muliebres vanitates, quam circa velanda capita. Aut enim velis & aplustris non necessariis, & nihil minus quam naturæ convenientibus se onerant, dum quantitate eorum peccant tum discreta

seu multitudine; tum continua, seu magnitudine, syrmaticis scil. & dependentibus limbis: *aut* figurarum ineptiis & vanitatibus, ac colorum varietatibus superbiunt; & quasi in theatro scenico constitutæ spectatorum oculos in se convertunt: aut tegumentis posthabitis nuda capita offerunt contra 1 *Cor.* 11. Breviter μικρόκοσμος hic exhibetur quasi, & compendium muliebris μακροκόσμου, quem habent in ornatu vestium, faciei, manuum, pedum.

Problem. I. *An forma pileorum, quæ in horas mutatur? certa & stata inveniri queat, climatibus, vocationibus & occupationibus Gentium atque hominum maxime accommoda.*

2. *An fœminis conveniat gestare pileos viriles, & an capitis tegumentis à viris distingui debeant?*

3. *An ipsis sufficiant capilli pro velamine verticis; an vero nuditas* 1 *Cor.* 11. *etiam de capillatis capitibus intelligenda sit?*

4. *An cristæ, plumæ, gemmæ item, monilia, aureæ cicadæ (qualibus lascivientes Athenienses capillos ornare solebant) adhæc limbi, nodi, ligulæ sive aureæ sive sericæ ullum usum aut ullum decorum naturale habeant.*

Hæc Problemata, sine ullâ additâ determinatione anno 1643. disquisitioni & meditationi nostratium proposita, hoc anno 1666. denuo, absque ullâ mutatione propono.

§. 4. Ad capillos referimus 1. supercilia, quorum colorem, & figuram laxurians curiositas haut rarò sollicitat. 11. Barbam, de quâ sive radenda, sive alendâ in magnam quantitatem, sive tondenda in novas figuras, adhæc calamistranda, crispanda, &c. certare videas artem tonsorum, & hominum curiositatem. Porro de origine, partibus, actionibus & passionibus ejus nonnulla notat *Hadrianus Junius cap.* 2. *tract. de coma*, qui una cum ipsius Animadversionum libris editus est. Invenio celeberrimum *Hotomannum* libellum scripsisse de barbis: quem nondum licuit videre, nec vacat nunc apud amicos eum inquirere. Problemata hic nobis sunto, de quibus disquiratur.

1. *An liceat barbam cum antiquis Romanis plane abradere?* Et an rectè hoc neget *Hadr. Junius cap.* 2.

2. *An & quomodo rasura monachorum, quam Junius ibidem excipit ac defendit, conveniat cum usu & decoro naturali?*

3. *An Germanorum, & Septentrionalium prolixæ barbæ, naturali usui & decoro, secundum climata eorum, satis conveniant?*

4. *Si media via tenenda sit; quæ quantitas & qua figura, usui & decoro naturali maximè conveniat?*

5. *An*

5. *An antiquorum Orientalium Barbæ, quas colligere est ex* 2. Sam. 10. 4. 5. & 20. 9. Esdræ 9. 3. & Ezechielis 5. 1. 2. *necessarium & naturalem ornatum ipsis præstiterunt; an vero pravæ consuetudini & vanitati eorum hoc imputandum sit?*

6. *Quid de Turcarum, præsertim aulicorum & militum rasura barbæ, servatis prolixis mystacibus (apud Busbequium in epistolis de legatione Turcicâ) statuendum?*

7. *An ministri ecclesiæ peculiari formâ barbæ, & quidem, longæ, latæ, crassæ seu profundæ, ab aliis distingui debeant?*

8. *Quod si alicubi fiat, an illud communi usu & consensu hominum sit in signum autoritatis, an vero in signum humilitatis, & neglectæ formæ, quæ viros graves deceat?*

9. *Cur Waldensium ministri, appellati sint Barbæ, & an satis decorè?*

10. *An antiqui sapientes & poëtæ Gallorum à barbâ sint denominati bardi, & hinc nomina propria Robardi*, &c.; *an verò à lat.* bardo, *ut vult* Bodinus in Methodo historiæ cap. 9.

11. *An supercilia abradenda, an potius prolixè alenda?*

Quæ ad figurationes, crispationes, calamistrationes, tincturas & colorationes, unctiones, pulverizationes barbarum pertinent, disquisitione de capillis capitis comprehenduntur, & de utroque pari judicio determinandum.

Et hæc Problemata anno 1643. ita posita; hac secundâ editione, sine voculæ unius mutatione, hic repono.

Accedamus ad capillos capitis, ubi vanitas arcem & sedem suam fixisse videtur: conniventibus aut etiam turpiter patrocinantibus quibusdam Casuistis, ut videre est in *Sylvestro*, & *Cajetano*, recentioribusque ipsorum asseclis *Navarro*, *Beja*, *Bonacina*, &c. Quod non tantum in laxis & carnalibus Casuistis notavit ex nostris *Martyr*, verbis supra cit. ubi de fuco, sed ex ipsorum Theologis *Isidorus Clarius in scholiis ad* 1. *Timoth.* 2. *vers.* 9. *Non in tortis crinibus*, Quam parum, atque adeo quam nihil potius hæc „curantur verba illius apostoli in quo loquebatur Christus, perinde quasi „non sint ad salutem necessaria. Atqui sunt qui non solum hæc defendant, „sed etiam affirmare audeant, licere mulieribus pingere genas, hoc est, „meretricios mores imitari. Ita miseri ad excogitandas contra apostolica „præcepta humanas rationes, in perniciem nostram sumus ingeniosi. Quæ verba inter alia compluria arbitror in causa fuisse, ut biblia ejus ab indice Hispanico prohiberentur. Hic sc. pietatis honos in irreformabili Papatu. Communis & contraria sententia est Ecclesiarum nostrarum, ut infra ostendemus.

Ut autem totam vanitatem capillorum tanto felicius detondeamus, 1. præcognitorum vice, sciographiam ejus præmittemus. 2. Conclusionibus aliquot contra eam determinabimus. 3. Argumentorum classes instruemus. 4. Objectiones & exceptiones diluemus. 5. Problemata subjiciemus.

Quod ad primum, Hic considerandа occurrunt.

I. Ipsa substantia capillorum quæ sunt excrementum corporis, non pars, suo tamen modo utile. De cujus causis & origine videantur problemata *Aristotelis*, *Aphrodisei*, *Zymaræ*, *Georgii Vallæ Placentini*, & vulgares physici atque anatomici.

II. Quantitas quæ gemina, *primo* discreta, densitas scil. aut raritas, quæ naturæ debetur, quamvis arte juvari possit, etiam nonnunquam debeat, ubi sanitas & commoditas corporis hoc requirit. *Deinde* continua, longitudo scil. quæ si in immensum servatur aut alitur, impedimento est partibus corporis, earumque functionibus, haut aliter ac ungues. De sylvâ cæduâ tondendâ, resecandâ, monet *Hadr. Junius cap.* 4.

III. Figurâ vel figuræ capitis, quod cingit, tondendo conformatur, vel longius à rotunditate illa abducitur, triangulis, conis, cylindris, pyramidibus inscriptis & adscriptis.

IV. Color naturalis pro climatibus, hominum ætate & complexionibus variat. Facitque etiam, juxta cum vultu ad homines ab hominibus promptè dignoscendos.

V. Adjuncta naturalia sunt primigenia, Crispatio, mollities aut rigor; & accessoria, profluvium, calvities, canities. Circa quæ an & quousque cura ingenii & industriæ humanæ occupari possit diligenter despiciendum est. Canitiei moralem usum indicat scriptura *Proverb.* 20. *v.* 29. Calvitiem oratione aliqua laudavit *Synesius*. De eadem, ut & de profluvio, alopecia Medici.

VI. Adjuncta artificialia seu asciticia ab industria hominum sunt tum communia, tum specialia. *Illa* sunt 1. *crispatio*, calamistratio. 2. *Plicatio*, texturæ, nexus. 3. *Figuratio*, *tum* quod ad totam sylvam, quæ fieri potest bene aut male: *tum* quod ad superfluas quasdam appendices, sive adjacentes, sive volantes & dependentes, sive exstantes. Illas melioris doctrinæ causâ, metaphorica appellatione dicemus jubas; istas caudas; has, cristas. 4. *Fucatio*, quæ variis modis fieri potest. *Primo* & crassissimè per substitutionem, aut admixtionem capilli alieni, qua proprium capillitium mentiuntur. *Secundo* per colorationem, ut nativo colore abolito introducatur alius, qui majori pulcritudine fulgeat. *Tertio* per pulverum aspersionem. *Quarto* per unctiones. 5. *Rasura* & tonsura, quæ prioribus actionibus inservit 6. *Nutritio*, quæ illi opponitur. Ad quam refer omnes modos provocandi & augendi capillos.

Spe-

Specialia adjuncta sunt, Cura, formatio, ablatio Capillorum, ex religione, uti sacerdotum in V. T. Et Nazaræorum: de quibus commentat. ad *Numer.* 5. & scriptores antiquit. Judaicarum. 2. Ex superstitione uti Gentilium tum sacerdotum, tum fœminarum; de quibus *Hadr. Junius tract. cit.* & commentatores ad *Lev.* 19. & 21. Quo refer Monachorum, & Clericorum tonsuras in Papatu: Cujus mentio in *disp. de Monachis.* 3. Ex usu civili & consuetudine humana: ut in nuptiis, in luctu. Quamvis huic posteriori intercurrisse plerumque superstitionem, constet ex *Lev.* 19. 27. & 21. 5. Et lege duodecim tabularum &c. De quo vide *Hadrianum Junium c.* 5. & antiquitatum scriptores de Funeribus. Quæ restant tertia parte absolvemus.

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

QUINTA,

Quæ est

DE ORNATU FACIEI ET CAPILLORUM.

PARS TERTIA & Ultima.

Resp. ADRIANO MUNNINX Mediob.-Zeland. 21. *Februarii* 1644.

HIs præcognitis accedamus ad conclusiones: quarum 1. *Concl.* De ipsâ substantiâ capillorum. Potest quis capillos proprios, si morbo vel alio casu deficiant, arte & ope humanâ sibi procurare, quibus caput tegatur. Aliter Casuistæ in Papatu, *Cajetanus* scil. *Sylvester*, *Navarrus*, *Bonacina*, *Beja* supra cit.: quorum aliquem vidit forte *Alstedus*, & inde in suam Casuisticam hæc verba transcripsit cap. 18. casu 2. *Fœmina*, inquit, *potest uti capillis alienis, si non habet proprios, aut si habeat deformes. Nam quemadmodum lino, lanâ, & panno utitur ad pulcritudinem, sic & capillis alienis uti potest ad eundem finem.* Verba ibidem prolata de fuco, supra, & alia de nudis pectoribus, infra citamus. Hæc quidem ille præter communem praxin ac pietatem antiquorum, & reformatorum, & contra quotidianas ac perpetuas conciones piorum §. 1.

concionatorum, & practicorum. Rationes huic opinioni nullas alias opponimus, quam quas supra contra fucum & mentitam formam deprompsimus, analogicè huc applicandas. Confer nominatim *Daneum tract. de Vestibus part.* 1. *cap.* 34. Rectè Cyprianus de lapsis : *Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati*, &c. *Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt : nescientes quid opus Dei est omne quod nascitur ; Diaboli, quodcunque mutatur.* Paulo post Deum judicem introducit loquentem : *Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est : cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est*, &c. *Hieronymus ad Marcellam de Blæsillâ, & Clemens Alexandrinus* supra citati.

11. *Concl.* De quantitate capillorum. Prolixitas aut brevitas capillorum absolutè & positivè haut ita determinari potest in singulis hominibus : sed bene negativè ac comparatè. 1. *Ne* quantitas obsit naturæ, aut functionibus humanis, sed illi accuratè inserviat : ad tegendum scil. caput, &c. Unde decurtatio nimia, quæ quasi rasura & decalvatio sit, aut nimia alitio (ita loquar) repugnat τῇ φύσει. 2. *Ne* itaque tegant oculos, aut nasum, aut labia, aut mentum, aut pectus ; ut impediant actiones necessarias. 3. *Ne* fœmina capillos suos detondeat ; aut vir tantos alat, ut alter in alterius formam hâc in parte involare videatur. 1 *Cor.* 11. *v.* 14. ubi conferendi commentatores antiqui & recentes. 4. *Ne* consequenter capillorum aut omnium aut aliquorum inutili & vanâ prolixitate, imitari quis videatur bestias, aves scil. cristis, aut caudis extentis ; equos & leones volitantibus jubis ; quadrupedes caudatos pendentibus caudis. Deus externam formam hominum ejusque adjuncta distinxit à formis brutorum, eorumque plumis, villis, jubis, ungulis, caudis, cornibus, &c. ; decet ergo nos naturali nostro decore contentos illam distinctionem retinere. *Nicol. de Clemangis pag.* 144. (Edit. operum in 4.) cornua illa perstringit : *Clemens Alexandrinus lib.* 2. *pædag. c.* 2. *mulierum vanitates capillares. Concil. Gangrense c.* 17. anathema dicit mulieri, quæ ob pietatis exercitium radit comam : quod subjectionis præceptum dissolvat ; cum Deus comam ei dederit in memoriam subjectionis.

111. *Concl.* De qualitatibus capillorum. 1. *Qualitates* patibiles tum primas tum secundas nonnullas debita arte & industriâ ad necessitatem & sanitatem conservare aut procurare licet, ut ex. gr. odorem molestum aliaque mala capillorum præveniamus, aut profligemus : minimè tamen colorem, & lævitatem inducere, quibus alios capillos mentiamur atque ostentemus, quam natura nobis tribuit. Prius assertionis nostræ membrum patescit ex iis, quæ disp. de luxu conviviorum, super unctionibus determinavimus :

poste-

posterius vero ex 1. conclusione modo posità, & ex problemate de fuco, *disp.* hujus parte 1. *thesi* 2. Vide etiam comment. in *Math.* 5. *v.* 36. Vanitatis ergo est & temerariæ præsumtionis, canos in nigros aut flavos, rufos aut nigros in flavos, & hos vicissim in illos mutare: sive id fiat aspersis pulveribus, sive auripigmento, sive alio modo. 2. *Qualitates* quartæ speciei, formas scil. & figuras, nullas alias alendo aut tundendo & radendo inducere decet, præter unam illam quæ necessitati & decoro naturali accommodate scil. ad formam capitis, quod tegunt capilli, convenit. Sunt ergo πέρασιν τῆς ματαιότητος, quęcunque viri aut fœminæ formant, figurant, producant, contrahunt, radunt, evellunt: ut aut tegendo capiti non inserviant, aut visus aliorumque sensuum operationes, aut sermonem impediant, aut hominem ad quascunque actiones minus expeditum reddant Imprimis puellarum nobilium vanitatem ostentabant, tonsiones frontalium; quæ ipsis erant tegmina frontium; quasi Judæos frontalibus redimitos in synagogâ referre vellent, aut psittacos, aut falcones; aut potius prostibula illa, quę scabie Hispanicâ exesas & maculatas frontes ejusmodi probrosis tegminibus occultare solent. Et certè ex lupanaribus & à meretricibus primam eorum originem esse constat ex etymo nominis *garsetta*. Sed nunc furor & tempestas *garsettarum* desevit; quæ Belgium nostrum ante annos aliquot, pertransibat. Huc refer sylvæ capillaris quascunque excogitatas figuras, per operosas copulationes, discriminationes, elevationes & intumescentias, aut minorum majorumve caudarum pendentium, jubarum volantium, cristarum erectarum efformationes; aut per artificiosas crispationes, undulatas variegationes, plicaturas seu plicas, texturas, cincinnos, &c. quæ technologematis Belgicis à brutotum formâ mutuatis designati solent nominibus, Kuyven/ Bleſſen/ Locken/ &c.

IV. *Concl.* de actionibus & adjunctis capillorum. 1. *Vanum* & otiosum est capillos virorum aut fœminarum, imprimis superfluos cincinnos, jubas, cristas, caudas &c. auro, aut gemmis, aut sericis vinculis, aut plumis, aut catenulis, quæ iis inseruntur, implicantur, aut annectuntur, splendidè ornare. 2. *Vanum* est, igni, aut ferro, aut medicamentis, aut operosâ tortura crispos aut undulatos efficere capillos, qui tales naturâ non sunt. Vide comment. in *Jesa.* 3. 24. 3. *Vanum* est quasi loricas aureas aut argenteas, aut ex quâcunque aliâ materiâ in capite erigere, iisque capillos super inductos & suffultos in formam galeæ aut cornu attollere, qualia ὑπέρογκα τῆς μαλλιότητος Belgæ nostri exotico vocabulo *parucas* appellant. Vide de iis Daneum cap. 24. partis 3. tract. modo cit. 4. *Vanum* est operosa fabrica ex capillis & immixtis atque intextis monilibus, gemmis, auro, sericis & versicoloribus vinculis, coronas efficere. 5. *Vanum* de-

denique est, si quis propriis suis capillis, quando non videntur sufficere, sine necessitate, alienos immisceat. Rationes modo indicavimus ad *Concl.* 1. & 3.

§. 2. Rationes quibus determinatio nostra per istas conclusiones probari possit, sunt istę.

I. *Arg.* ex 1. *Petr.* 3. 3. 1. *Timoth.* 2. 9. *Jesa.* 3. 24. ubi videndi commentatores, qui loca citata ad hodiernos hominum mores applicant: quippe qui præter usum naturalem & legitimum capillis abutuntur ad vanitatem, superbiam, lasciviam, & mollitiem.

II. *Arg.* Specialiter prolixi capilli virorum fæmineis similes prohibentur 1 *Cor.* 11. 14. 15. ubi perperam, C. à Lapide glosâ corrumpente textum lectoribus suis imponit: *Ut mulier comam alat, non autem vir, non est absolutè præceptum naturæ, aut divinum, aut ecclesiasticum.* Sed longè aliter patres, aliique infra cit.

III. *Arg.* ut externa omnia hominis exterioris subjacent moderamini rectæ rationis, ita & capillorum substantia, quantitas, qualitates, &c. Norma autem rectæ rationis hic est necessitas atque usus capillorum naturalis, quem præter Physicos & Anatomicos, describit *Ambros. lib. 6. Hexaëmeron. c.* 9. Vivendum est enim convenienter naturę, uti scil. illa à Deo creata atque ordinata est. Sed exuberantia, curiositas, vanitas in ornatu capillorum supra recensita, recedit à lege naturæ & rectâ ratione: uti in certo quodam casu loquitur Apostolus, & ad genuinum naturæ usum revocat 1 *Cor.* 11. *v.* 6. 15. & *v.* 14. *Nonne ipsa natura docet vos*, &c. Insuper non juvat, sed potius impedit hominem in vitæ hujus animalis, civilis, ac spiritualis officiis. Præterquam quod sit, signum levitatis vanitatis, superbię, mollitiei.

IV. *Arg.* Quia vanum ornatum, & abusus illos, proprios sibi fecerunt, homines improbi, impuri, mundani, idololatræ, apostatę Gentiles *Psal.* 68. 22. *Job.* 5. 5. & 18. 9. *Levitic.* 19. 27. & 21. 5. *Ezech.* 44. 20. 2 *Sam.* 14. 26. *Apocal.* 9. 8. Vide *Hadriani Junii tract. de Comâ* & *Dalecampium ad Plinii lib.* 16. *cap.* 44. & commentatores ad loca scripturæ modo cit. Ita ut hâc ratione abusus illi suspecti nobis esse debeant.

V. *Arg.* Quia ingenium, studium, tempus, facultates iis vanitatibus impenduntur; & tantum subtrahitur studio pietatis, honestisque vocationis nostrę laboribus.

VI. *Arg.* Quia communis praxis, exempla, monita, doctrina piorum quorumcumque & sapientum reclamat: quibus in ejusmodi quæstionibus moralibus & conscientiæ casibus, post verbum Dei & rectam rationem nihil non tribuendum est. Exemplum modestiæ & consuetudo Israelitarum hâc in parte colligi potest ex Nazareis, qui soli inter ipsos peculia-

ri

ri ratione comam alebant. Quod ad monita & doctrinam, indico, hic solummodo, non describo, Tract. *Cypriani de lapsis*, & alterum de disciplina & habitu Virginum; *Hieronymum* in *epist. ad Demetriadem*, *Marcellam*, &c. & *Chrysostomum in* 1 *Corinth.* 11. imprimis *homil.* 23. *ad populum Antiochenum*; *Basilium homilia* 25. ad adolescentes, quando ex Græcis, &c. *Epiphan. in Ancor. & in Panar hæres.* 80. *Ambros. lib.* 6. *Hexamer. c.* 9. *& epist. lib.* 4. *epist.* 15. *Augustin. de opere Monachor. c.* 31. 32. & *comment. in Psal.* 32. *Paulinum epist.* 4. *ad Severum*; *Salvianum lib.* 7. *de gubernat. Dei*; *Bernardum apol. ad Gul. Abbatem cap.* 4. *& serm.* 9. qui de modo bene vivendi. *Tertullianum lib. de cultu fœminarum cap.* 5. *Clementem Alexandr. lib.* 2. *pædagogi. cap.* 11. 12. *& lib.* 3. *cap.* 2. 3.

His addantur varia Conciliorum decreta, in tomis Conciliorum requirenda; quæ quamvis ut plurimum Clericos concernunt, hoc tamen docent, vanitatem hic esse Christianis minime convenientem.

Ex Synodis Reformatis *Noort-Hollandic. anni* 1640. *artic.* 59. *& anni* 1641. *artic.* 43. *& Zuyd Holland. anni* 1622. *art.* 35. *& anni* 1640. *art.* 55. *& Geldrica anno* 1643. *art.* 24. *& Transisylan. anno* 1643. *artic.* 30. *Constitut. Ecclesiast. Gallicar. Eccles iar. cap.* 14. *artic.* 26. 27. 28.

Ex Theologis Reformatis *Martyrem* in 2 *Sam.* 14. 26. Eundem & *Pareum*, *Hyperium*, *Calvinum*, *Bezam*, *Marloratum*, *Piscatorem*, *in* 1 *Cor.* 11. commentatores in 1 *Timoth.* 2. & 1 *Petr.* 3. *Bezam in passionem homil.* 30. *Daneum in tract. de Vestibus* gallicè & belgicè edito; *Perkinsum lib.* 3. *Caluum sect.* 4. *quæst.* 2. *& in Matth.* 5. 36. *Andr. Willetum comment. in* 2 *Sam.* 14. *Danielem Dijk in mysterio deceptionis sui ipsius* (exstat Angl. Gall. Belg.) c. 16. *Thomam Taylor* in Circumspecta ambulatione (Anglicè) cap. 27. q. 2. *Et in Speculo nobilium Fœminarum*; *Eduardum Raynoldum de peccaminositate peccati ad Rom.* 7. 9. (Anglicè) *Godefr. Udemans ad* 7. *decalogi præceptum* (Belgicè;) *Gulielmum Prynne celebrem JC. ac Politicum*, in tract. peculiari Anglico de plegmatis sive cincinnis. Notas marginales ad novam translationem Belgicam, 1 *Cor.* 11. 1 *Petr.* 3. &c. *Balduinum lib.* 4. *cap.* 1. *casu* 5. *Ireneum Poimenandrum tract. pecul. Belgico.* Addo nunc pereruditi & solidi Theologi *Caroli de Maets*, Collegæ, cum viveret, conjunctissimi disputationes textuales ad 1 *Cor.* 11. *anno* 1645. 1646. editas. Quibus postea submisit tract. anno 1650. excusum, tit. *Sylva quæstionum insignium.*

Objectiones & exceptiones pro cincinnorum, plegmatum, aliisque ca- §. 3.
pillaribus vanitatibus, nunc referendæ & diluendæ essent; sed quia angustia Thesium vix eas caperet, & eximius quidam Theologus practicus, sub nomine Irenæi Poimenandri vernaculo nostro idiomate plenè ac solidè hoc

præstitit, tractatu peculiari à Facultate Theologica hic approbato, cui tit. *Absolon*, studiosos nostros eò remittimus.

Sic ego anno 1643. in primâ disputationis hujus editione. Sed si prodiissent eruditiss. & accuratissima scripta laudati modo *Caroli de Maets*, ad illa studiosos, & Poimenandri oppugnatores ablegassem: uti nunc ablego, judicans in illo genere nihil accuratius & solidius, contra subtiles exceptiones & objectiones, unquam prodiisse.

I. *Probl. An quæstiones illæ morales & casus conscientiæ de capillis alicujus sint momenti, saltem tanti, ut Theologi, concionatores, & Ecclesiastici conventus ad ea attendere debeant. Resp.* Affirmat. Rationes sunt. 1. *Quia* Deus in scripturâ, locis jam citatis: quæstiones illas tangit, atqui nullum mandatum Dei posthabendum *Math.* 5. 19. coll. cum *Math.* 23. 23. *Psalm.* 119. 4. *Galat.* 3. 10. *Jacob.* 2. 10. Confer *part.* 3. *select. disp. tit. de Præcisitate.* 2. *Quia* ex minimis peccatis (nisi quis attendat ad majora, *ex vanitate ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta fluimus*, &c. *Qui spernit modica paulatim decidet: si enim parva curare negligimus, insensiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus*: ut loquitur *Gregorius M. lib.* 10. *Moralium cap.* 14. 3. *Quia* vanitas illa non tantum inhonesta & indecora est judicio scripturæ, sed & ipsius luminis naturalis 1 *Cor.* 11. 14. coll. cum *v.* 6. & 15. Adeo ut peccatum hâc ratione aggravetur, quippe quod sit peccatum contra naturam. Vide Scholasticos & locor. comm. scriptores de peccato contra naturam. 4. *Quia* vanitatibus hujus mundi, & Ethnicorum, qui Deum non nôrunt, Christiani conformes fiunt; & quidquid excusent sive consuetudinem, sive discrimen status ac conditionis prætexendo, saltem speciem mali committunt, & cum mundanis ac lascivis hominibus colludere videntur, multisque scandalum præbent. Quæ omnia peccatum hoc aggravant. 5. *Quia* antiqua ecclesia ejusque præstantissimi Doctores supra citati ita peccata hæc exaggerant, ut ex eorum judicio pro titivillitio haberi non debeant. legant aliquando juniores verba eorum, quorum nomina alio charactere signata exhibui.

II. *Probl. An tanti sint illæ vanitates, ut censuris ecclesiasticis & disciplinâ iis occurri debeat aut possit? Resp.* Quidni? Cum etiam minora, sed palam scandalizantia peccata, si quidem impudentia, contumacia, & contemtus admonitionum accedat, ecclesiasticis censuris in ortu sisti soleant; antequam totum cœtum inficiant, & remediis omnibus superiora evadant. De quo in locis communibus tit. de disciplina ecclesiastica.

III. *Probl. An ordinarii usus capillorum alii sint quam tres illi quos recenset Ambros. lib.* 6. *Hexaem. c.* 9. *ut tegant & muniant caput; ut virum distinguant à fœminâ; ut capiti suavem & naturalem decorem adferant. Resp.* Neg.

De

De usibus ordinariis & communibus. De specialibus aut extraordinariis, ex. gr. in luctu *Esdr.* 9. 3. in resipiscentia *Luc.* 7. 38. in religiosa ceremonia *Numer.* 6. 5. Ita judicandum, ne illos faciamus fines aut usus cuilibet perpetuò & ordinariò observandos. Adde, casum necessitatis & coactæ nuditatis, si e. gr. in pœdore diuturni aut perpetui carceris, quis promitteret capillos, vel usque ad hypochondria, aut coxas, aut ultra si fieri possit, ad corpus suum aliquâ ratione tegendum. Quomodo etiam mulieribus phreneticis & maniacis coma detonderi solet.

IV. *Probl. Quid censendum de usu prolixi capillitii, qui prætextitur tanquam signum lætitiæ publicæ aut triumphi; item de altero in discriminatione dominorum, liberorum, nobilium à subditis, servis, plebeis?* *Resp.* Usus illos videri otiosos, nec ratione aliqua niti. Siquidem signis diacriticis hic opus sit, alibi posse tutius ea quæri, absque lesione juris & decori naturalis (1 *Cor.* 11. 14. 15.) Quomodo capillos prolixos & quasi fæmineos virorum dicemus esse signa dominii? cum potius sint, effæminationis & subjectionis 1 *Cor.* 11. *v.* 10. Quomodo signa triumphi, quæ usu multarum Gentium signa luctus, squaloris? Iis enim ostenditur, negligi cultum corporis.

V. *Probl. An non in decurtandis & promittendis capillis imitatio fuit luctus, immo & superstitionis Gentilium?* *Resp.* Nolim negare ut plurimum hoc ita accidisse. Vide *Hadr. Junium de comâ cap.* 5. *& Willetum, Corn. à Lapide in Levitic.* 19. & 21. eundem in *Jesa.* 15. 2. & *Mich.* 1. 16. Aliter tamen judicandum censeo de *Jobo cap.* 1. 20. *Jerem. cap.* 7. 29. & 16. 6. & 41. 5. *Esra cap.* 9. 3.

VI. *Probl. An faminis necessarium sit velamen capitis, quo capillos tegant; idque ab Apostolo præscribatur* 1 *Corinth.* 11. *Resp. Disqu.* permittimus. Vide eruditiss. autorem *Altaris Damasceni pag.* 532.

Sic ego anno 1643. Sed annis aliquot post de velamine fæminarum naturali & ascititio, Clariss. *Car. de Maets* tam accuratè & plenè omnia ventilavit: ut non videam quid addi possit. Eò ergo lectorem remitto.

VII. *Probl. An propter infirmitatem liceat uti capillitio alieno?* *Resp.* Malim modum illum prætextu sanitatis conservandæ à multis nostratium certatim non affectari. Conferat, cui vacat, rationes contra fucum allatas, & illustria testimonia patrum ac practicorum supra cit. Certum est infirmos posse uti tegminibus ex panno lineo aut laneo. Saltem ut pueri, adolescentes, juvenes vegeti & sani, otiosè hoc agant; nullo modo probandum est. Sed nunc *modus* ille in Belgio perrumpit, & proficiet ni fallor: donec tandem *parucis* eveniat, quod *Garsettis*: quæ cum nostrates tandem earum puderet, putidis & effrontibus meretricibus, unde ortę, sunt relictæ.

VIII. *Probl. An Absolomi capilli* (1 Sam. 14. 26.) *detonsi æquarint pon-*

dus 200. *ſiclorum*, *hoc eſt*, *quatuor librarum & ultra*? *Reſp.* Si accipiamus non de pondere, ſed de pretio nummorum, quo tonſores vendebant capillos ad ornatum fæminarum, aut quemcunque alium uſum, omnis difficultas ſublata erit. Quod autem appendi ſolerent nummi & ſic valor eorum æſtimari conſtat ex *Geneſ.* 23. 16. Atque hæc quidem breviter dicta de capillis, ut ſtudioſis noſtris ſaniores & ſolidiores conceptus præformarem. Plura qui deſiderat, is conferat doctiſſ. tractatum *Iren. Poimenandri & Gulielmi Prynne*, ubi omnis generis autores & teſtimonia citantur. Imprimis in conceptibus concionum conducet lectio ac collatio patrum ſupra cit. tum ad autoritatem tum ad eloquentiam eccleſiaſticam. Non ſine fructu addetur. *Hadr. Junii tract. de coma.* Ita ſcribebam anno 1643. Nunc addo τῷ μακαρίτῃ collegæ noſtri tractatus omni exceptione majores. Quorum poſterior editus 1650. hactenus intactus ſtetit: quamvis adverſarii peremtoriè & ὑπερ ἐκπερισσοῦ ibi refutati, annis aliquot ſupervixerint. Eorum tractatuum lectionem quam maximè commendo omnibus cupientibus ſolidè θεολογεῖν, præſertim in maximè arduis hypotheſibus & theſibus moralibus. Quia non tantum locum 1 *Cor.* 11. & quæſtionem particularem, de abuſu comæ, explicat (uti vanitatis mundanæ ſectatores, & æmuli nonnulli ac malè faſtidioſi cavillantur); ſed & arduas ac illuſtres quæſtiones, ad hypotheſes & fundamenta moralis theologiæ pertinentes, occaſione diſputationis ſuper 1 *Corinth.* 11., ſingulari quadam ſubtilitate, ſoliditate & ἀκριβείᾳ, more ſuo ita pertractavit: ut non putem in hoc genere accuratius quid præſtitum fuiſſe. Quæ autem & quales ſint illæ quæſtiones, ipſe ὁ μακαρίτης in præfat. ad poſteriorem tractatum tit. *Sylva quæſtionum*, &c. anno 1650. lectori ſuo indicavit.

DE COLLO.

§. 4. REſtat tertia hujus diſputationis ſectio, de collo ſcilicet, in cujus ornatu & oſtentatione quadruplex vanitas vulgò committur 1. *eſt*, *quando* tegitur & oneratur monilibus &c. de quo cacoêthe Cyprianus de diſcipl. & hab virginum: *Nec diſtinctis auro lapillis, & margaritis, contextâ ſerie & numerosâ compage digeſtis monialia inſtituit, quibus cervicem, quam fecit, abſconderes: ut operiatur illud, quod Deus in homine formavit, & conſpiciatur id deſuper, quod diabolus adinvenit.* Huc conferenda, quæ de luxu in veſtibus dicta ſunt. 11. *Quando* falſa pulcritudine pingitur & fuco adulteratur. Contra quod militant rationes ſupra part. 1. hujus diſp. allatæ. 111. *Quando* nimium rigidè, compoſitè, affectatè, atque âltè, extenditur, & quaſi proſtituitur, contra *Jeſa.* 3. *v.* 16. ubi videndi comment.

IV.

IV. *Quando* nimium nudatur, etiam usque ad partes vicinas, humeros scil., dorsum, pectus, mamillas: quam impudentiam, lasciviam, & quæ lenocinia non decere pudorem, modestiam, & gravitatem fæminei sexus docet ipsa natura.. Semper tu id scito, inquit Comicus, flamma fumo est proxima. Et quid si tale in hac aut illa locum non haberet, nunquam tamen abest species mali, nec periculum seductionis aut scandali. Adeo ut scandalosa verba quorundam Casuistarum tanquam scopulos junioribus non possim non indicare. *Fæminam nudum pectus gestare sine mala intentione* Casuistæ (*Sylvester scil., Navarrus, Azorius*, &c.) *negant* esse peccatum mortale. Similiter determinat *Lessius lib. 4. de Justitia & jure cap. 4. dub. 14.* quem sequitur & citat Jesuita *Bonartius in comment. ad Esther 5. p. 196. Cajetanus in summulâ* in voce *ornatus*, docet peccatum ornatus exterioris pendere ex septem capitibus. 1. ex fine ornatus se. 2. ex ejusdem affectuosâ solicitudine. 3. ex consuetudine seu lege. 4. ex qualitate ornatus in se. 5. ex fuco. 6. ex pretiositate. 7. ex scandalo. De quarto sic determinat: Qualitas ornatus com-„muniter peccatum inducit veniale, si indecens est ac minus castus: ut or-„natus mulierum monstrantium media ubera. *Veruntamen ubi consuetus „ jam est, sine peccato videtur*: & in remedium ne forte pejora fiant introductus. O sanctitatem Romanam! ut homines ab infando scelere illic nimium frequenti abducantur, objicienda ipsorum oculis ubera mulierum, sive conjugatarum, sive viduarum, sive virginum: ut inde primordia intentæ concupiscentiæ, ac præludia affectæ aut expletæ impuritatis, ducantur. Nolo huc facientia ex profanis scriptoribus adferre: tantum indico *Math. 5. v. 28. Job. 31. v. 1.* coll. cum Proverb. 5. v. 18. 19. *quia ubera sunt illices amoris*, ut ibi notat à *Lapide*. Ex nostris unus & solus (quod sciam) Alstedus in Theologia Casuum loco supra cit. *Fæminæ possunt gestare nuda pectora, aut uti veste adeo tenui, & pellucidâ, ut pectora sint perspicua: si hoc sit more receptum in aliquâ provinciâ.* Quæ verba videtur descripsisse ex *Azorio part. 3. lib. 3. cap. 30.* Nos illi opponimus *Wendelinum part. 1. Ethicæ cap. 7. pag. 621.* cujus verba aliqua, mox infra exhibebimus. Et *Prucknerum in Manuali mille quæst. centur 2. quæst. 83.* Et *Camerarium centur. 2. c. 41.* ubi de verecundiâ virorum, in tegendis & non nudandis corporibus coram aliis.

COROLLARIUM RESPONDENTIS.

An Pontificii tantum in fidei dogmatis, an etiam in moralibus & casibus conscientiæ à doctrinâ antiquæ ecclesiæ, & patrum receßerint? Aff. *Idque imprimis patet in Excelsis mundi circa tertium, sextum, septimum, octavum, nonum decalogi præcepta.*

Ad Cl. D. Præsidem

ET RESPONDENTES
Harum de Excelsis Mundi Disputationum.

MAgne vir & nostri decus immortale Lycæi,
Altera pars animæ, tuque juventa, meæ.
Quêis Deus immundi mundi, Satanæque profunda
Atque excelsa dedit vertere; cuncta jacent.
Cuncta jacent veluti subductis tecta columnis:
Qui neget hæc, an non cum ratione furit?
Quid juvat insanis jactari membra choreis?
Fabula Comœdi quid malè docta juvat?
Quid juvat immodicum constante salute Falernum
Sumere? Num in potâ est ulla salute salus?
Quid juvat in Tyriis stratis discumbere & Ostro?
Quid nimis ornatâ (prò pudor!) esse comâ?
Hæc tamen immundo curarum maxima mundo est,
Et fermè hoc doctâ plus valet arte malûm:
(Belgica, væ misero nimium vicina Britanno:
An te vicini nulla pericla movent?)
Nam quod vis, non vult; quod non vis, velle videtur.
Ah nimis in proprio gens studiosa malo!
Lenis es, irridet; quod si acris, calcitrat: Et sic
Illico Præcisi nomen & omen habes.
Sit licet infestus mundus nobisque tibique:
Mundi immunda tamen crimina crimen erunt.

J. PETRI KUPIUS.

* *Appendix.*

ATque hæc de Excelsis Mundi anno 1643. ad informationem discipulorum, publicis *dispp.* fuere proposita. Ad eadem referri debuissent præfixæ ingurgitationes sub invocatione magnorum nominum, & per eadem quasi adjuratione; ut & sortes ludicræ: sed quia de illis jam ante anno 1636. in *disp. de sortis*, &c. *abusibus* (quæ anno 1659. *tertiæ parti selectar. disspp. inserta est*); & in *disp. de Ebrietate* 1636. (proximè hic inserendâ) egeram: nolui in *disp. de Excelsis Mundi* denuo discipulis nostris conceptus præformare. De *lusu aleæ*, datâ occasione peculiari libello apologetico a. 1660. edito agere coactus fui. Quò lectorem, si quem hæc tangunt, remitto.

Post

Post Approbatus fuit anno 1642. ab hujus Academię facultate theologicâ, hoc est *Meinardo Schotano*, *Carolo de Maets* & me, liber vernaculus Poimenandri, hoc est, *Godefridi Udemanni* eruditi, diserti, & veterani in ecclesiâ Zirizæanâ ministri, insignis in Belgio theologi practici (uti ejus scripta ostendunt); quo vir pius *synodorum* quarundam Belgicarum (*Goudanæ* 1640. *Gorinchemensis* 1622.) decreta contra grassantes vanitates capillares, adhæc judicia patrum & recentiorum Doctorum explicare, probare, defendere instituit. Post anno 1644. 23. Decembr. approbata est ab eâdem facultate, hoc est, à *Carolo de Maets*, *Joh. Hoornbeek*, & me concio *Jac. Borstii* celebris tunc concionatoris Dordraceni ad 1 *Corinth.* 11. *v.* 14. Sed cum his non obstantibus homines aliqui κομομανίᾳ dediti, cum uno forte atque altero συνευδοκοῦντι τοῖς πράσσουσι (*Rom.* 1. *v.* 32.), contra efflare non desinerent: consilium tunc ceperam quæstionem & causam illam Latino, hoc est, communi omnibus in Europâ scholis & literatis sermone, denuo illustrare. Et jam aliquem apparatum & ordinem animo præconceperam, & talem intenti opusculi titulum in chartam conjeceram: *Vindiciæ translationis Belgicæ, nec non communis & ecclesiasticæ interpretationis tam antiquæ quam hodiernæ loci*, 1 *Cor.* 11. *v.* 14. *Atque unâ decretorum synodicorum in Belgio, contra novellas quasdam exceptiones; quas avidè arripiunt & Christianæ simplicitati, ac postulatæ emendationi obtendunt hodierni* κομομανοῦντες.

Sed cum subacti judicii, & solidæ eruditionis theologus *Car. de Maets* collega tunc noster conjunctissimus ex prælectionibus ad *Math.* 5. a. 1645. 8. Martii disputationes textuales ad 1 *Cor.* 11. *v.* 14. 15. edere cœpisset: à cogitationibus illis & intento labore libens me liberatum videbam. Disputationes illæ 14. Decembr. 1646. ad finem perductæ, rem hanc ita confecerunt, at ut nulla antagonistis effugia restarent, nisi in cavillationibus, abductionibus, pseudo-graphematis, & inani verborum strepitu. Opus illud collegæ ipsius non tantum præmissâ approbatione tunc commendârant, sed & eidem promiserant, si quid humanitus illi accideret, contra novos adversarios pro viribus defensuros. Alter eorum satis petulanter & thrasonice cum tanti theologi primæ disputationi insultasset, sequentibus disputationibus, in linguâ Græcâ & Græcâ, in philosophicis ita institutus fuit, pręsertim in expositione scripturæ & theologicis ita ad ἐχεμυθίαν redactus; ut Harpocratem ab illo tempore egerit: quamvis minatus esset, si centum theses scriberent, se centum dialogos scripturum. Alter *antagonista* philologus, philosophus & theologus eruditissimus, quæ antehac contra explicationem nostri collegæ exceperat, ejusdem disputationibus textualibus excussa, peculiari libro, tit. *libertatis Christianæ*, &c. tuenda susceperat. Cui laudatus modo collega tractatum anno 1649. cœptum excudi, & a. 1650. de-

demum absolutum, reposuit, tit. *Sylva quæstionum insignium, philologiam, antiquitates, philosophiam, potissimum vero theologiam spectantium.* Post eam scriptionem omnes in Belgio nostro (quod sciam) conticuerunt. Noster anno 1651. mense Aprili; ejusque postremus & eruditissimus hac in quæstione exercitator anno 1658. ad meliorem vitam traducti sunt. Nec puto post lectum posteriorem collegæ nostri tractatum à quoquam quid movendum, quod vel in thesi vel in hypothesi meam alteriusve defensionem requireret. Ex strepitu magni alicujus viri in utrâque literarura & antiquitatibus versatissimi per epistolam quandam & dialogum de comâ excitatum, præjudicio aliquo non pauci extra Belgium contra concionatores & theologos nostrates occupati fuere: uti ex editis aliquot scriptis apparet. Inter alios *Conr. Danhauwerus* theologus Argentinensis in *polemosophiâ* seu *Dialecticâ sacra* anno 1648. *sect.* 2. *polemomoria artic.* 1. *comatas tonsorum Belgicorum controversias*, quas ibidem à *Salmasio in epistolâ ad Colvium* exagitatas dicit, refert ad *logodædalias* ad *argutiolas frivolas & inanes*, ad umbraticas de umbrâ asini controversias. Non possum, quin promissam collegæ τῷ μαχαίτῃ in hâc causâ defensionem aliquam, hâc occasione præstem. A judicio, candorer & prudentiâ illius theologi tam longè aberant *logomachiæ, verborum aucupia, fallaces loquentiæ, argutiolæ frivolæ & inanes, claudicantes speculationes, umbraticæ contentiones*, (sunt phrases *Danhauweri*); quam longè judicium, candor, prudentia, à viri illius, quem testem laudat *Danhauwerus*, libellis satyricis & scriptis eristicis certatim in Belgio effusis. Doluerunt omnes boni, quod otium illi hic factum, libertatem concessam, vastam lectionem & eruditionem philologicam in illustrandas tum profanas tum ecclesiasticas antiquitates, non impenderit potius, quam in satyricos quosdam libellos; quibus synodos Belgicas à se nunquam visas, concionatores nunquam auditos, scripta ipsorum Belgica nunquam lecta, clariss. Professores Leidenses alioque Jureconsultos, medicos, & viros literatos, pleroque vix præter auditum nomen, & fortuitam forte salutationem ipsi minime familiares aut perspectos, quasi χυμῇ κεφαλῇ, infrunitis sannis, ludibriis, convitiis insultationibus theatrizavit. Venerandis synodis Belgicis (quarum ego aliquoties partem feci), & Clariss. *Carolo de Maets* in utroque ministerio Ultrajecti collegæ ἰσοψύχῳ, ut & Cl. *Cloppenburgio* antehac in ministerio ecclesiastico patrio aliquamdiu collegæ, occasione quæstionum de vanitatibus capillaribus, & immanibus usuris trapeziticis, illatas ab illo injurias dico: atque unà obtestor omnes, in quorum manus forte incident viri illius epistola & *dialogus de comâ*, & 2. *tomus de usuris* (ubi trapezitarum Belgicorum causam agit); ne falsis delationibus, cavillationibus, εἰρωνείαις, illusionibus ipsius moveantur, quas ipse effutitas *verborum quisquilias*

lias alicubi appellat. Tantum ipse curare visus fuit illud Apostolicum, Coloss. 4. v. 6. *Sermo vester semper cum gratiâ sit sale conditus*, &c. cum Math. 12. v. 36. *Sed dico vobis, quodcunque verbum otiosum loquuti fuerint homines*, &c. pseudo-graphemata, sophisticos elenchos, sphalmata in scripturæ explicatione & theologiâ circa defensionem vanitatis capillaris ab illo commissa tam plenè detexit & castigavit laudatus noster collega *Car. le Maets in disp.* ad 1 *Cor.* 11. *v.* 14. 15. ut ultra verbum addi non debeat. Utinam impetrare queam ab extraneis, quos magnus ille philologus cavillationibus & fictionibus suis afflavit, ut accuratiss. & eruditiss. illos laudati collegę nostri tractatus, aut saltem priorem legere dignentur. Immanes usuras trapeziticas quam feliciter idem philologus ab archifœneratoribus aut eorum liberis, hæredibus, sociis miserè deceptus, & instructus defenderit: ex *D. Cloppenburgii* editis libellis constare poterit; & nos infra in pseudographemate usurario breviter ostendemus. Cæterum magno illi philologo dictaturam forte in literis, non itidem in philosophia, Jurisprudentiâ, Medicinâ, theologia, populi & sapientum suffragia concederent: minimè omnium in theologiâ practicâ & ecclesiasticâ, ac casuum conscientiæ determinatione. Tribuatur illi in mundo philologico, quod Scotistæ *Joh. Duns* doctori subtili tribuere solent, *Aquila in arduis posuit nidum suum*: quid hoc ad dictaturam supra & contra exercitatiss. & veteranos. Jureconsultos, Medicos, theologos in consiliis dandis, in casibus decidendis exercendam? Præsertim cum compertum sit, eum contra axiomata immo & elementa illarum scientiarum aliquando impingere, sæpe extemporanea sua commenta non sine contradictionibus fundere: uti hoc ad oculum demonstratum fuit à laudato collegâ nostro; & vel ex nudâ epistolæ & dialogi de comâ lectione à quovis mediocris judicii & profectus studioso facile deprehendi posset. Velim alii discant tanti viri exemplo, non docere nedum dictare, antequam probè didicerint. Archimedes ad pedes Bartoli & Baldi quamvis in suâ arte excellentium sedere non debet: nec vicissim illi ad pedes Archimedis. Nulla lexicographia, nulla chronologia, nulla historiarum & antiquitatum complexio, nulla Critica vel calidissima & audacissima in emaculandis & interpolandis scriptoribus, sufficere potest ad casus conscientiæ determinandos, in quæstione, An hic & nunc decorum aut tutum sit aliquid agere aut ab eo abstinere?

An si quid absolutè illicitum non sit, hic & nunc conducat aut ædificet? An & quale scandalum ex hâc actione aut abstinentiâ ortum, aut oriturum sit? Hæc ego pro synodis, collegis, ministris Belgicis, calumniosè dictis tonsoribus. Ne autem extranei rerum nostrarum ignari, magno huic viro

earundem juxta cum ignorantibus ignorantissimo fidem tam facile adhibeant, ac ipse cuivis susurroni ipsum adulatorio alloquio & encomio honoranti : affirmo nihil à dictis tonsoribus contra vanitates capillares, vestiarias, aliasque, dictum esse, extra aut supra dicta Doctorum antiquorum, nihil à Synodis Belgicis decretum ; quin immo non omnia ab iisdem dicta esse, quæ apud antiquos, & recentiores tum Pontificios tum protestantes reperiuntur. Si ab extraneis impetrare non possum, ut laudatas modo τῦ μακαρίτυ collegæ nostri *dispp.* ad 1 *Cor.* 11. *v.* 14 15. percurrant ; rogabo, ut saltem legant *Clementem Alexandrinum lib.* 2. *pædagog. cap.* 3. ubi notat *illiberalem* virorum & *meretricium tonsum*, eosque vocat *adulteros*, *androgynos* atque *effæminatos*, &c. „ *Pilis infestos*, *glabros*, *florem viri-*
„ *lem abhorrentes*, *comas autem non secus ac mulieres ornantes*, &c. *Propter*
„ *eos plenæ sunt civitates iis*, *qui effœminatos hos picant*, *radunt*, *& vellunt.*
„ Officinæ autem ubique constructæ sunt, & hujus meretriciæ fornicatio-
„ nis artifices multum pecuniæ lucrantur, ab iis qui seipsos pice oblinunt,
„ & pilos vulsoribus quoquo modo præbent vellendos.

Postea sub finem capitis, *concludit* : „ Nefas est barbam vellere, quę est
„ pulchritudo congenita, pulcritudo generosa & ingenua, &c. Immo vero
„ ii non viri, sed Batali & fæminelli dicendi sunt. Adde & *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Augustinum*, *loc. supra cit.* & judicent, an illi dicteriis, sarcasmis, cavillis, pariter cum dictis tonsoribus Belgicis, honorandi sint. Pontificii addant relectionem suorum, & desinant nugari, de novâ contentione, hæresi, sectâ capillari in Belgio ortâ : uti non nemine ita referente, circa annum 1645. in aulâ & foro Romano tale quid jactatum fuit.

Primus offert se *Bernardus serm. ad milites templi cap.* 2. „ Vos per con-
„ trarium in oculorum gravamen fœmineo ritu comam nutritis, longis ac
„ profusis crinibus à camisiis : propria vobis vestigia obvolvitis : delicatas
„ & teneras manus amplis & circumfluentibus manicis sepelitis.

Ei præiverat *Ambrosius tom.* 3. *lib.* 4. *epistol. ep.* 15. *pag.* 102. „ Pertulisti
„ ad me quasi filius, quæsiviisse aliquos de te, quid sibi velit quod tam seve-
„ re lex immundos eos dixerit qui alicujus sexus uterentur vestibus, vel
„ viros scilicet vel mulieres. Sic enim scriptum est : Non erit res viri super
„ mulierem, neque induetur vir stolam muliebrem, quia immundus est
„ domino omnis qui fecerit hoc. Et si vere discutias, incongruum est quod
„ ipsa abhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse quod natus es ?
„ Cur alienam tibi assumis speciem ? Cur mentiris fœminam, vel tu fœ-
„ mina virum ? Suis unumquemque sexum induit natura indumentis. De-
„ nique diversus color, motus, incessus, diversæ vires, diversa vox est
„ in viro & fœmina. Sed etiam in reliqui generis animantibus, alia species

leonis,

„ leonis, alia leenæ, alia vis, alius sonus, alia tauri, alia vitulæ. In cervis „ quoque quantum distat sexus, tantum discrepat species, ut eos etiam „ eminus possis discernere. In avibus vero etiam propria ad vestitum est inter „ eos & homines comparatio. In illis enim sexum naturalia ipsa indumen- „ ta dicernunt. Pavi mares speciosi, fœminæ non item pennarum vario pin- „ guntur decore. Fasianis quoque diversus color, qui distinguat sexus dis- „ cretionem. Quid in pullis? quàm canora vox galli? nocturnisque vici- „ bus solenne munus: ad excitandum & canendum? Nunquid illa mutant „ speciem suam? Cur nos mutare desideramus? & quidem Græco more in- „ fluxit, ut fœminæ virilibus quasi succinctioribus tunicis utantur. Esto ta- „ men, ut illæ imitari videantur melioris sexus naturam. Quid viri qui „ inferioris sexus mentiri speciem volunt? Mendacium & in verbo turpe „ est, nedum in habitu. Denique in templis ubi mendacium fidei, ibi men- „ dacium naturæ. Illic adsumere viros muliebrem vestem, gestumque fœmi- „ neum sacrum putatur. Unde lex dicit, quia immundus erit domino om- „ nis vir, qui stolam muliebrem induerit. Arbitror autem quod non tam de „ veste, quàm de moribus dixerit vel de usibus nostris atque actibus, quod „ alius virum, alius fœminam deceat actus. Unde & apostolus ait, quasi „ interpres legis. Mulieres nostræ in ecclesia taceant. Non enim permittitur „ eis loqui, sed subditas esse sicut lex dicit. Si quid autem volunt discere, „ domi viros suos interrogent. Et ad Timotheum. Mulier in silentio discat „ cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque do- „ mininari virum. Quàm deforme autem virum facere opera muliebria. Ergo „ & pariant, *ergo parturiant qui crispant comam sicut fœmina.* Et tamen illæ ve- „ lantur, isti belligerantur, Verum habeant excusationem qui patrios usus „ sequuntur, *sed tamen barbaros, ut Persæ, ut Gotthi,* ut *Armenii. Maior qui-* „ *dem est natura quàm patria.* Quid de aliis dicimus, qui hoc ad luxuriam „ derivandum putant, ut calamistratos & torquatos habeant in ministe- „ rio, ipsi promissa barba, illos remissa coma? Merito illic servatur casti- „ monia, ubi non tenetur sexus distinctio. *In quo evidentia naturæ magiste-* „ *ria sunt dicente apostolo. Decet mulierem non velatam orare Deum?* Nec „ ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam habeat, ignominia „ est illi: mulier vero si capillos habeat, gloria est illi, quoniam quidem „ capilli pro velamine ei sunt. Hæc sunt quæ referas requirentibus.

Ivo Carnutensis in sermone de adulterino habitu virorum vel fœminarum, qui anno 1610. „ à Fr. Jureto editus est cum ipsius epistolis: Impudicus, „ inquit, habitus corporis est in viris *superflua & inordinata capillatura,* „ vestiumque muliebrium affectata similitudo, *calciamentorumque metas ne-* „ *cessitatis excedens simulata longitudo.* In mulieribus fucata facies, virilium

„ veſtimentorum imitatio, capillorum nativi coloris adulteratio. *Et paulo poſt:* „ Nec præterire hoc debent amici ſponſi diligentes decorem domus „ Dei. Debent hujuſmodi adulteriis publicè adlatrare: ne de iis dicatur, „ *canes muti latrare non valentes.* Qui enim quantitatem vel formam, „ quam omnipotens & prudentiſſimus plaſmator finxit, in aliam transfigu- „ rare contendit, &c.

Et provocat *ibid.* ad 1 *Corinth.* 11. & *Cyprianum in epiſt. de habitu virginum,* cujus magnam partem exhibet.

Sixtus Senenſis lib. 5. *biblioth. annot.* 244. religioſam capillorum virilium tonſionem, à Dei, eccleſiæ, & naturæ lege acceptam dicit: adductis verbis 1 *Cor.* 11. *v.* 14. 15. & Chryſoſtomi ad locum cit. *Naturam,* inquit, *humano generi etiam in cultu capillorum dediſſe præſidentiæ ac ſubjectionis ſymbola,* &c. Et hæc contra *Hortenſii Landi* libellum tit. *De perſecutione barbarum.*

Alphonſus Mendoza in controverſ. theolog. quæſt. 5. poſitiva, fusè diſſerit, & complures autores adducit, de barbæ raſurâ, & capitis tonſurâ: contra eundem *Hortenſ. Landum.* En controverſias capillares: ne ſoli tonſores Belgici hoc egiſſe dicantur.

Bonaventura in comment. ad Luc. 7. „ Solent peccatrices mulieres in his „ quatuor maximè delinquere, ſcilicet in nutibus oculorum *Jeſ.* 3. in capil- „ lorum ſuperfluâ præparatione 1 *Petr.* 3. in voluptatibus oſculorum *Prov.* 7. „ in ſuavitatibus unguentorum.

Cujacius lib. 6. *obſervationum cap.* 5. *pag.* 250. „ Mœroris indicia hæc po- „ nuntur in l. 15. §. hæc autem ferè. D. de injur. ut ſi lugubri, & ſqualida „ veſte utatur, & eo habitu ſequatur nos aſſiduè, ut apud Senecam propo- „ nitur XXX. Controverſia libri VI. vel ſi publicè lugeat condicionem „ noſtram, qui rei judicio delati ſimus, quo genere quodam modo teſta- „ tur verè nos eo crimine teneri. Item ſi demittat barbam, ſubmittatve ca- „ pillos, id eſt ſi non tondeat, quod etiam mœroris & luctus fuiſſe ſignum „ idem Seneca eodem loco declarat. *Barba,* inquit, *demiſſa ſordidatus ad* „ *vos venit* & Suetonius in Auguſto. *Adeo conſternatum ferunt, ut barba,* „ *capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret vociferans, Quintili Va-* „ *re, redde legiones, diemque cladis quem dampnis mœſtum ac lugubrem ha-* „ *buerat memorans.* Sic habent veteres libri, quorum auctoritate & ſuperi- „ ores Ciceronis locos me correxiſſe lectorem neſcire nolo, Ovidi.

„ *Aſpice demiſſos lugentis more capillos.*

„ Sed ſunt hac de re & alii complures auctorum loci. Reis quidem ipſis li- „ cet barbam capillumque ſubmittere; & veſte ſordida uti atque etiam co- „ gnatis, & adfinibus qui in reos inviti teſtimonium non dicunt; non ta- „ men ceteris l. veſtem. D. de injur. nam ceterorum mœror in reos tacitum teſti-

„ testimonium est. Fuisse autem id summo dedecori Romanis barba & „ capillo uti majore, interpres Græcus ad eam l. 15. adnotavit his verbis, „ τῶν Ῥωμαίοις αἰσχύνη μεγάλη ἦν, quod verissimum est.

Contra tamen, veteres Romanos barbam comamque promissam gestasse, notat commentator in *Fastos Ovidii pag.* 54. edit. in fol.

Sed temporum distinctione hæc conciliantur.

Marcus Antonius Ulmus philologiam barbæ humanæ Bononiæ edidit anno 1602. in fol.

Baronius ad ann. 398. §. 15. ejusque epitomator *Spondanus pag.* 555. a. „ Sed, inquit, quod clerici prolixâ ac muliebri incederent comâ, ideo ille à „ Synodo canon editus esse videtur, ut clerici nec comam nutrirent nec „ barbam. Licèt enim nonnisi de comâ Augustinus adversus eos scribens „ agat; Synodus tamen, cui & ipse Augustinus interfuit, addidit quoque „ de barbâ minimè nutriendâ, quamvis nonnulla exemplaria habeant addi- „ tamentum illud, *Sed radant*, vel *tondeant*: tamen non nutriendam esse, „ communi codicibus omnibus lectioni concordat. Ut ex his satis convinci „ possit, ipsum Augustinum & alios Episcopos, necnon Africanæ Ecclesiæ „ clericos, minimè gestare consueviss promissam barbam; sed si non ra- „ sam, saltem præcisam & ex parte aliquâ decurtatam, quò omnis suspicio „ impensi in eâ nutriendâ laboris, omninò cessaret.

Mentem istorum discs ex *Epiphanio lib.* 3. *contra hæreses tom.* 2. *pag.* 512. „ Sed & in alia forma præoccupati sunt iidem venerandi nostri fratres, „ qui in monasteriis per Mesopotamiam degunt, quas & mandras, hoc est „ ovilia sive cohortes appellant, nam comas muliebres producunt, & sac- „ co conspicuo incedunt. Oportebat autem filios sanctæ Virginis matris „ nostræ Ecclesiæ esse reverendos in tonsura, & colere Deum occulte vi- „ dentem occulta, & retribuentem in conspicuo, velut scriptum est: at- „ que hoc honesto habitu, propter externos, & non velle accipere à viden- „ tibus mercedem ac gratiam. Alienum enim est à catholica Ecclesia, sac- „ cus conspicuus, & coma extenta à prædicatione Apostolorum. Vir enim, „ inquit, non debet nutrire comam, quum sit imago & gloria Dei. Quid „ vero sit pejus & contrarium? Hi barbam quidem formam viri resecant, „ capillos autem capitis sæpe nutriunt. Et de barba quidem in constitutio- „ nibus Apostolorum dicit divina Scriptura ac doctrina. Ne corrumpas, „ hoc est, ne seces pilos barbæ, neque meretricio more ob comam effera- „ ris, neque superbiam in progressu justitiæ exemplum habeas.

Ibid. provocat ad Constitutiones Apostolicas. „ Quod ad barbam atti- „ net in Apostolorum constitutionibus divino sermone ac dogmate præ- „ scribitur, ne ea corrumpatur; hoc est ne barba ponatur neve meretricius „ cultus & ornatus usurpetur, &c.

Constitutiones dictæ Apostolicæ sub nomine Clementis Romani *lib. 1. cap. 3.* (edit. Gr. Turriani in 4. Latino interpreti *Bovio* est *cap. 4.*) „Pulchri-„tudinem tibi à natura, Deo auctore collatam, noli adjecto cultu, ex-„ornare, sed humiliter eam adversus homines ita cohibe: capillum comæ „non nutriens, sed potius illum detondens; & adimens, ne tu pruritu vexa-„tus, & caput lacerationis expers conservans, vel unguentis perfundens, „inducas tibi mulieres, quæ hoc modo illaqueant, vel illaqueantur. Neque „verò vestitu uti velis comparato ad decipiendum: neque femoralia vel „crepidas pedibus tuis improba arte consuas, sed tantum iis utere, quæ ad „gravitatem, & usus necessarios pertinent. Neque auream palam in digi-„tos tuos induas, quoniam hæc omnia scortationis sunt argumenta, qui-„bus qui præter id, quod decet, studet, injustè facit. Fidelis enim cum sis, „& homo Dei, non licet tibi nutrire capillum, & in unum complicare, „quod est delicatum, & molle, vel discerniculo discriminare, neque verò „intortum calamistris crispare, vel flavum facere: quoniam quidem lex „vetat in Deuteronomio, inquiens, Non facietis vobis rotunditatem ex „coma capitis vestri, neque incisiones. Neque verò licet barbæ pilos cor-„rumpere: neque hominis figuram præter naturam mutare. Non incide-„tis (inquit lex) superficiem barbæ vestræ. Hoc enim mulieribus decens „creator Deus statuit, vivis indecorum esse judicavit. Tu verò hæc fa-„ciens, & ut tibi placeas legem violans, in odio eris apud Deum, qui crea-„vit te secundum imaginem suam.

Didacus Celada in *Judith* 10. *v.* 3. §. 2. „Profecto frugales fæminæ, quæ „in secessu abditæ publico carere procurant, quippe quæ impensius stu-„dent pietati, impexos & incomptos alunt crines.

Hadrianus Junius Medicus & philologus satis celebris Pontificiæ religionis in tract. suo de coma, animadversionibus ipsius inserto; quem φιλομαθῆς, quibus vacat, ipsi legant: totus enim hic exhiberi nequit.

Jacobus Durantius Cassellius J. C. Arvernus Pontificiæ religionis *lib.* 2. variarum anno 1582. *cap. 5. pag. 66.* „At horum non minus mos pudendus „qui comam in gradus frangebant, quàm eorum laudandus qui fori tyro-„cinium ineuntes verecundiæ ac pudoris ergò intra togam bracchia conti-„nebant. De isto circa comam nimio & præstigioso cultu, Tranquillus in „Nerone sic ait, *Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper „in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pene verticem summiserit „ac plerunque*, &c. Quintilianus lib. 1. cap. 11. *Igitur ut velli & comam in „gradus frangere, & in balneis perpotare quamlibet hæc invaserint civitatem, „non erit consuetudo.* Martianus Capella lib. de nuptiis Philologiæ 4. crines „ea forma compositos Dialecticem fabulatur. Ejus hæc verba sunt. *Cui*

crines

„ *crines tortuosi decentique inflexione crispati, & nexiles videbantur: qui ta-*
„ *men deducti per quosdam consequentes gradus ita formam totius capitis cir-*
„ *culabant, ut nihil deesse cerneres, nihil superfluum detineres.* Ut ergo apud
„ Romanos crines in gradus: sic in annulos comere moris fuit: à qua co-
„ mendi capitis religione quantum sibi cavere debeat Orator hæc Quinti-
„ liani verba docent. *Sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultra, de*
„ *tempori ne nigra toga sit non serica, ne intonsum caput, non in gradus atque*
„ *annulos comptum, cum in eo qui se non ad luxuriam ac libidinem referat ea-*
„ *dem speciosiora quoque sint quæ honestiora. Hæc levia sunt fateor, atqui floc-*
„ *civerit, mihi levis, vanus ac nugas erit.*

Idem lib. 1. cap. 18. „ Apud Romanos promittere capillos ac nutrire co-
„ mam neque ingenuum neque pudicum decebat, &c. veruntamen se-
„ nescente jam Imperio Romano, priscisque sublatis fere omnibus moribus,
„ tonderi ac radi ignominiosum fuit.

Isidorus Mosconius J.C. & in Archiepiscopatu Bononiensi Vicarius *lib. 2.* de Majestate ecclesiæ militantis *part. 1. cap. 9.* adducit omnia, quæ de capillaturâ, fuco, vestium ornatu in *Cypriano de habitu virginum, Augustino lib. 4. de doctr. Christ. cap. 21. Tertulliano* adversus ornatum mulierum, *Ambros. lib. 1. de virgin. Jure Canonico* c. *Fucare*, de *consecrat. dist. 5.* à nobis supra, & ab aliis indicata sunt.

Andr. Tiraquellus J.C. religionis Pontificiæ eadem ex autoribus cit. adducit, & probat, ad legem. 3. connubial.

Joh. Ludovicus de la Cerda in adversariis sacris cap. 139. §. 3. „ Quanto
„ magis spontaneum calvitium sannis excipi, infamiâ ignominiâque notari
„ debet & exsibilari. Propterea rasuram aversatur non sine causâ D. Hiero-
„ nymus in Ezechielem cap. 5. his verbis: *In cæsarie*, inquit, *& barbâ pul-*
„ *critudinis & virilitatis indicium est, quæ si radiantur, fœda nuditas apparet.*
„ Denique pari ignominiæ loco censeri debet in viris rasura, quo in fæmi-
„ nis tonsura, quippe quibus velamenti loco coma sit data.

Carolus Scribanius in Politico-Christiano cap. 15. pag. 125. „ Res parva,
„ inquit, & tamen indicium de hâc magnum, ut index animi vestis sit.

Et *pag. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232.* „ Intuere capillum. quis
„ credat in uno capite tot manus inerrare, tot ludere; quis ab una tonso-
„ ris dextra tam variè effigiari? hic in verticem capillum rejicit, ille in
„ frontem; iste in aures, in tempora alius; circumtonsum ille ostentat
„ caput, assurgit in cristam alius; protenduntur in humeros non uni crines,
„ *unaque interdum auris uni integitur, calvescit altera, utraque nonnunquam*
„ *obducitur*; post aurem deinde coguntur capilli, & in non paucis ante au-
„ res ludunt ventorum materies. sed & nihil propè in quibusdam capillo-

rum,

„rum, ita ad cutem rasi, ut novaculam passos arbitrere, nisi quòd in „fronte cristatos videas, reliqua capitis detonsi.

„ Numidas hîc videbis, veteres Sicambros, Germanos, Gallos, Afros, „Dacos, Scythas, Longobardos, Gothos, Wandalos, Alanos, Phartos, Per„sas barba. non & Macedonas, Maurusios, Thraces, Hunnos, Abaros, „Arabes, & quidquid ullo sęculo è gente in barba lusit barbarum, quid„quid ubique stetit cultum? nam & plus nunc in barba, quàm in capillis „luditur, forcipe, novacula, pectine, speculo, calamistris, manibus, „balneis, odoratis unguentis. Huic labrum superius silvescit, huic horte„scit & colitur. illi sub naribus ludunt capilli erecti, utrimque protensi, „remissi, crispi, neglecti, in se reflexi & retorti, substernunturque nari„bus tamquam prata rorem sitientia, inde os & labro integunt; quasi „non satis sit semel bibisse, bibitur à barba. Prominet hæc aliis, vel in la„tum sparsa, vel in acumen coacta, vel in orbem tonsa; bifurcata aliis, „aliis ut in ligonem acta, ad cutem non paucis derasa, ut radant etiam „quidquid ubique in vultu capillorum est. credas nolle videri viros; ita in„veste illis mentum, investes genæ, & feminâ dignæ. Nonnullis in solo „superiore labro, aliis in mento etiam tenues rarique ludunt capilli, ut „ætatem mentiantur. Prolixior aliis barba in pectus fluit. nescio an non „tota in barbam delapsa prudentia sit, adeò augustè spargitur. Et venerati„onem aliquam fatebor promittere barbam, veterum Urbis Senatorum ex„emplo. luxuriantes has barbarum segetes, messibus maturas & novaculis „meritò dixeris, nisi falcibus magis egere putes aut securibus, in tam den„sa silva & segete. Nulla dein dies abit aliis sine forcipe, speculo, pectine. „quem etiam circumferunt nonnulli, ut si quid minùs compositum, aut à „via deflexerit, docto reducant pectine. Miramur mulieres in crinali acu; „magis viros in barbali pectine. nam & frequentiùs hi inerrant barbæ, „quàm illæ vertici. adeò ut vix momentum quibusdam liberum à barba; „defatigatur hæc manibus, delassatque manus. O nimis eruditos digitos! „quot modis ludunt in re modica! mille si videas barbas, mille videas „formas. ô nimiùm doctos figuli-barbos! & plura jam discrimina barba„rum à forcipe, novacula, manibus, quam frontis & oris sunt. Vide dein „impexos & intonsos, & veterem Chironem fingentes, aut illutibarbum „Marsyam. quibus omne propè cum Samsone robur in crine & barba, ter„ror omnis, minæ omnes, veneratio omnis, prudentia denique omnis. „*nam mente omnes hi plerumque destituuntur.* Nec contenti gentem suam „imitari, per omnium eunt gentium barbas, ut in una nunc gentes vi„deas omnes. Barbatum ô nimis sæculum! quàm vereor, ne tota sæculi „nostri sapientia defluat in barbas, ingenium omne, mens tota. Neque ego

de

„ desiderari hîc quidquam posse video. quàm ut crinali muliebri pulvere,
„ virorum nivescant aut cinerescant barbæ, aut à veteri Roma volsellam
„ mutuemur: quanquam nec ille, nec hæc desit in non paucis. Felices bar-
„ bas tot modis studiisque cultas! beati, si tantum venerationis, tempo-
„ ris, sudorumque in Deum conferamus, quantum in has barbas. *O ubi*
„ *in Christiano nomine Christiana facta?* qui tot frictiones, pectinationes,
„ protrusiones, crispationes, flexiones, figulationes videat, non arbitre-
„ tur totam horum Christianorum salutem in barba esse? Misera salus, quæ
„ non ultra barbam protenditur! infortunata fatuaque prudentia, quam
„ sola barba nutrit, sola novit, ut meritò è satyrâ aliquis exclamet: O ni-
„ mis barbatam prudentiam, nimis prudentem barbationem! nimis tenui-
„ bus circumscriptam terminis prudentiam, unâ barbâ arctatam! quàm
„ metuo, ne, si quis pectinem & forcipes admoveat, prudentes capras
„ videat, prudentes inveniat.

„ Intuere dein capitis integumentum. quàm colore varium & formâ!
„ largum, repandum; acutum, retusum, villosum, scabrum; leve, den-
„ sum; tenue, molle, rigidum; limbis latè se spargentibus, recisis, me-
„ diis. inde quàm neglecto fune, quàm nullo, quàm divite stringitur! in-
„ tegræ urbes rarò ab uno fune pendent.

„ Jam quibus colla cinguntur laciniis! quàm variè ars in una cervice lu-
„ dit! ô nimis doctæ acus libidini ancillantes! quantum una circumfert
„ cervix! tegendo non rarò puero satis reperies, si explices nunc arctan-
„ tur, ac tanquam in contemptum artis implicantur, ac quasi mutuò opes
„ insepeliuntur, quàm variè diem exsurgunt, quàm variè jacent, quàm
„ flectuntur in orbem scitè, quàm neglectim aliquando devolvuntur, & in
„ pectus cadunt, aut in humeros, aut magnam capitis partem tegunt, &
„ subtrahunt oculis! nunc colli nuda protrudunt; nunc integram cervicem
„ nudant, humeros etiam & pectus prospectandum tradunt. quasi non sat
„ ignium frons, oculi, vultus jaculetur; petenda nova à cervice, humeris,
„ pectore fulmina & flammę.

„ Vestes verò reliquæ nescio an tegant, sæpè ne pudorem quidem: di-
„ scingunt, thoracem validè firmant, ubera ostentant, ventrem depri-
„ munt, protrudunt, demittunt infra umbilicum; vix pectus claudunt, ac
„ nunc in orbem, nunc in acutum finiunt; claudunt undique, secant un-
„ dique, quo validiùs ventum excludant, hauriant, & emittant, frigus ar-
„ ceant, admittant; calorem emittant, hauriant. quanta manicarum dein-
„ de discrimina! laxę, strictæ, arcuatæ, in manum projectæ, in brachi-
„ um, tot nodis sæpè fulgentibus, ut mutuò se fatigent; tot etiam liciis
„ astrictæ, tot reflexis retortisque, & in se recurrentibus superstructis, ut

„quasi ad indignationem invicem incumbentia videas, credas quærere „quî prodigant.

„ Jam caligas si intuearis, videbis nunc infra genua pendulas, nunc su- „pra astrictas, nunc vix coxendicem tegentes, nunc implentes; non rarò „autem fluidas, & ad invidiam materię contuberatas, quæ corpori univer- „so tegendo sufficiant, ut totam braccatam Galliam in unas migrasse ca- „ligas Juvenalis aliquis dicere non vereatur; nunc adeò tenaciter affixas, „ut pudorem omnem prostituant, nunc verò in summo protuberantes, „nunc pari utrimque laxitate, nunc etiam in innumera propè segmina „dissectas, divite ubique substratâ materiâ tanquam per fenestras specta- „torem sui in admirationem provocante; in orbem deinde actas videbis, „tot undique in circuitum limbis pendulis varia arte intextis, ut dubitare „possis perdere opes artifices voluerint, an contemptum illarum ostenta- „re, an onerare: tot verò etiam nodatas non infrequenter nodis, ut no- „dum unum caligas credas, mutuò se interimentibus, totque gyronum „flexibus reflexibusque, invicem secantibus, ac quasi fugientibus, ut hor- „torum labyrinthos migrasse in caligas credas; quin & mutuis super- „structuris, tanquam si gemma gemmæ incumbat, se tam densè premen- „tes, ut in mutuum interitum inædificatas arbitreris. Taceo aurum, quò „tam fatuè sæpè onerantur ac integuntur, ut insepultas auro meritò dixe- „ris. Quærimus nimirum, non quo involvantur, sed quo opes projicia- „mus. usque adeo fortunas perdere magnum est.

„ Substruuntur deinde tibialia tam variè, ut nullus calamus sufficiat. „Videbis ad tibias coacta, alibi neglectim pendula, tanquam in contem- „tum decoris; laxique adeò ambitus, ut non tibiam unam, sed totum „Caligulam induant; bina, ternaque etiam mutuò integentia, colorum- „que varietate de venustate pugnantia. Substringuntur denique illa tàm „variè, tam novè, ut quæ dixi nulla sint ad hæc discrimina, tot luden- „tibus inter se nodis nunc prementibus, nunc ultra etiam medias tibias „pendulis, ut alas credas involatum pedibus adnexas, aut admota mol- „liora calcaria, aut amica ventis vela longè lateque sparsa: idque tam densè „sæpè, ut non unam, sed utramque tibiam vincant; nec rarò tanto stu- „dio neglecta, ut aut incurios arbitreris, aut fatuos, aut in risum & ca- „chinnum facta.

„ Quid dicam de calceis? ô quales! cothurnos vincunt scenicos, eri- „guntur in posteriore parte & tenui orbiculo terram calcant. ita pudet „pigetque integro calcare pede. ungue vix toto non rarò calcant: & „assurgit cuique calcaneus pro voto mentiendæ staturæ. ita se lubet & ali- „os fallere. Variè deinde secantur, quo faciliùs aquam hauriant, effun-

dant

„dant hauſtam. diſplicent nimirùm integri, & quo citiùs terantur, ſe-
„care placet. faſtidio integritas eſt, & ad novos parantur. Mirum ſi non
„gemmas cum Poppæa calcamus: nam argentum vile nunc feminarum
„calceis eſt, aurum expectamus Auritos deinde ubi calceos videris, ni-
„hil vides, niſi innectantur aures mendaci roſa, quæ quo latiùs ſe diffun-
„dit, hoc gratior eſt.

„ Accedunt crepidæ medios nunc pedes tegentes, calceos medios. ne-
„fas ſit totos integere. juvat à majoribus diſcedere, qui integros tegebant.
„Quid? quòd ocreatos habeas, & calcaribus armatos etiam in curribus
„& navibus, & dum plateatim inambulant; nec equos cogitant, niſi la-
„pides illis maria, & rhedæ pro equis ſint, ut calcaribus agantur. Jam eti-
„am crepidas ſuas ocreę reperiunt, ſed & caligulas in nitorem & oſten-
„tationem.

Daniel Mallonius Theologiæ Profeſſor Bononienſis in elucidationibus ad Alphonſum Paleotum de ſtigmatibus Chriſti *cap.* 14. *pag.* 226. quæſtionem proponit, *An viro comam vel barbam radere liceat.* Ubi allatis utriuſque ſententiæ rationibus, & citatis *Cœlio Rhodigino*, *Muſcovio de tonſurâ*, *Antonio Ulmo de barbâ. Toſtato in Levit.* 19. *qu.* 25. per diſtinctionem determinat.

Martinus de Roa lib. 3. *ſingularium cap.* 15. *pag.* 326. „Nimis ferax vi-
„tiorum hoc ſæculum: nova quotidie profert, ſopita vetuſtate, novo cul-
„tu revocat, olim extincta nunc recens accendit. Ea non eſt in animo per-
„ſequi, neque enim tantus ad tanta. Unum abhorreo vehementer, perſtrin-
„git oculos, animum commovet, diſſimulare non poſſum. Adeò mores
„ad mollitiem prolapſi, ut viri fœminarum in modum compti, & cincin-
„nati procedant? Faceſſant iſthæc virorum opprobria, maſculæ virtutis de-
„decora, nobiliſſimi ſexus maculæ, atque ab equis & armis ad colum &
„penſa trudantur. O mores! ô tempora! ô judices integerrimi! Virtu-
„tem Hiſpanam, cujus vel nomen terrori barbaris, nationi gloriæ fuit, eo
„deductam, ut pro galeato Cirratum caput oſtentet, pro galea peregrinos
„pileos, pro hirſutis criſtis, molles, nitidoſque cincinnos? Bono fortaſſis
„exemplo, & fœlicioris ſæculi ritu. Scilicet, puerorum hoc inſigne, aut
„fœminarum, maximè cynædorum: libidinis teſtis, infamiæ nota: Chri-
„ſtianis minimè permiſſum, damnatum ab Ethnicis. Singula mihi breviter
„oſtendenda.

Quod ibidem quamplurimis Gentilium & Chriſtianorum teſtimoniis probat: additis in fine *pag.* 248. 1 *Petr.* 3. & 1 *Timoth.* 2. de quo *ibid.*
„Paulus crines intortos prohibuit, complectens formas omnes, quas Apo-
„ſtolica doctrina complexa eſt, ut optimè notat doctiſſimus Turrianus è
„noſtris in ſuis ad Clementem explanationibus.

„ Non dico amplius de cincinnis, tametsi poteram multa: satis enim ha-
„beo puerorum maximè cynędorum esse, aut puellarum, & certè meretri-
„cum præcipuè & 6. ostendisse.

Cornelius à Lapide in Levitic. 19. v. 27. exponit. „Nolo vos, ô Judæi, sequi
„Gentiles & dæmones, sed *naturam potius & dispositionem vultus* in capitis
„vestri attonsione, voloque vos docere omnem, etiam in vestibus & ca-
„pillitio, munditiem & decentiam.

Et paulo post: „Cincinnati & calamistrati capilli signum sunt mollis
„& effeminati animi, &c. S. Ambrosius lib. 3. de Virgin: *Cincinni non orna-*
„*menta, sed crimina sunt; lenocinia formæ, non præcepta virtutis.* Cincinnos
„fuisse quasi titulum meretticum, docet *Clemens Alexandr. lib. 3. pædag.*
„*cap. 3.* &c.

Ibid. subjicit hanc adhortationem: „Ite nunc adolescentes, ite nobiles,
„capillos religate, inungite, crispate, ite nova gloria dæmonum inferorum-
„que: vos ille amat, ad vestrum nomen exultat ac gestit: prostituite deco-
„rem ac formam. *Decalvabit* aliquando *Dominus verticem filiorum Zion,*
„*& erit pro crispanti crine calvitium Jes. 3.*

„ Facessant etgo isthæc virorum opprobria, masculæ virtutis dedecora,
„nobilissimi sexus maculæ, libidinis testes, infamię nota, atque ab equis &
„armis ad colum & pensa trudantur.

„ Audiant virgines illud S. Hieronymi ad Demetriadem: *Cincinnatulos*
„*pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quasi quasdam*
„*pestes & venena pudicitiæ virgo devitet.*

Ibidem *A Lapide* ex antiquis, & suis quibusdam scriptoribus, docet bar-
bam non tollendam, quod sit. 1. insigne viri. 2. virtutis. 3. perfectionis.
4. fortitudinis. 5. sapientiæ. Excipit tamen clericos eam tondentes, &
monachos eandem radentes.

Leonardus Marius in commentar. ad Levitic. 19 v. 27. prœceptum Clem.
Alexandr. lib. 3. pædag. c. 11. de pilis tondendis *non novaculâ, sed forficibus*
tonsorum, ait pertinere ad omnes Christianos.

Petrus Serranus in comment. ad Levit. 19. v. 27. pag. 170. „Deinde in ro-
„tundum attundere comam, & radere barbam, cum gentibus, & etiam in
„mortuis se cultris ferire & lacerare districtè prohibet: Illud equidem fa-
„cientes, Deum quodammodo videntur accusare, cum non contenti natu-
„ralibus ornamentis, artificiosa sibi alia confingunt, quasi non aptè eos Do-
„minus composuerit. Quod & faciunt qui exquisitis generibus vestium,
„membris quæ Deus proportione quadam aptissima connexit, alias for-
„mas & figuras excogitant. quod utinam nostris temporibus non usque
„adeò exorbitasset, ut non totius juris cancellos homines transgrede-
„rentur.

Et

Et paulo post: „Itaque luxum omnem vestium, fucum & omnem cu-
„riositatem habitus, sensu interiori hîc taxat, quando usque adeò à more
„gentium, attondentium comas in rotundum exteriori abhorret: & præ-
„cipuè in majoribus, qui cæteris exemplo esse debent.

Johannes Valerianus scripsit tractatum de barbis sacerdotum.

Alexander Alez. dictus Anglus in summâ seu destructorio vitiorum part. 3. *c.* 18. §. 4. *fol.* 29. b. „Per hoc quod dicitur, quod similitudines locustarum simi-
„les erant equis præparatis ad prælium intelligitur, quod ornatus vanus &
„superfluus mulierum est quędam præparatio ad hoc, quod Diabolus in
„eis tanquam in equis sedeat, & contra Deum sedens in eis pugnet. Per hoc
„etiam, quod dicit super capita eorum tanquam coronæ similes auro, in-
„telligitur, quod vanus ornatus auri & argenti & præciosorum lapidum,
„quibus utuntur tales mulieres in suis capitibus sunt tanquam corone, quas
„Diabolus posuit supra capita illarum pro multiplici triumpho, quem ha-
„buit ipse Diabolus per eas de filiis Dei. Unde sicut strenui milites in tor-
„neamentis solent in capitibus equorum suorum in signum victoriæ coro-
„nas de floribus ponere: Sic Diabolus equitans super tales mulieres, in si-
„gnum victoriæ quod per eas habent contra filios Dei supra capita illarum
„tales vaniratis coronas imponit.

Idem part. 6. *cap.* 2. §. 16. *fol.* 248. b. „Quarto peccant homines ex ap-
„petitu superfluitatis vestium, & hoc dupliciter, scilicet quantum ad ma-
„gnitudinem, & quantum ad multitudinem. Quantum ad magnitudinem
„constat, quod aliqui peccant & specialiter mulieres, quæ ad modum ser-
„pentis reptantis super terram trahunt post se longas caudas præciosis ve-
„stibus terram induentes. Sed de nuditate Christi in suis pauperibus mem-
„bris non curantes, caudis suis pulices colligunt & pulverem excitant.
„Christum verò quem in multis pauperibus seminudum aspiciunt, operire
„tepescunt. Natura enim caudam hominibus negavit, & tamen mulieres
„quasi contra naturam, & creatoris sui ordinationem esse caudatæ deside-
„rant: etiam aliqui homines superbi ad ostendendum suorum speciosita-
„tem tam curtas volunt habere vestes, quod vix eorum pudenda poterint
„operiri, sed latitudo, & quamvis videatur esse contra naturam, tamen in
„duplo & magis aliquando excedit longitudinem. Unde natura in suis
„operationibus ordinavit rerum longitudinem in debita proportione exce-
„dere, si tales miseri superbi attenderent, quod Dominus contra naturam
„peccantes igne, & sulphure combustos submersit in profundum inferni, ut
„patet *Gen.* 19. Aliqui etiam in vestibus suis in loco manicarum habent
„alas ad similitudinem draconis volantis, quarum latitudo tanta est, quod
„in utraque possit legio demonum satis spaciosè residere. Cuilibet enim

„tali dici poteſt illud *Hierem.* 2. In aliis tuis inventus eſt ſanguis paupe-
„rum: nam bona qui eis ſuperabundant, quibus deberent pauperes indi-
„gentes induere, conſumunt in talium veſtium ſuperfluitate.

Joh. Ludovicus Vivaldus ordinis prædicatorum in aureo opere de veritate contritionis, ubi agit de peccato luxuriæ, in ſeptimo remedio, ſic loquitur *fol.* 88. b. „Quia exterior ſuperfluitas vani ornatus eſt interioris levi-
„tatis indicium. Immo molli indumento animi molliciem indicant. Ex-
„citant quoque mobiles mentes ad levia. Atque corda hominum inclinant
„ad cogitandum laſciva. Unde pater doctorum Hieron. contra eos qui in
„ſimilibus ornamentis occupantur vehementer iraſcitur, & dicit talia o-
„mnino eſſe fugienda: cum ſint libidinoſe mentis indicia. Sed videamus
„pulchra atque aurea dicta ejus. Nam ſcribens ad Demetriadem, epiſtola
„incipit, Inter omnes materias quas ab adoleſcentia, dicit ſic. Fuge laſci-
„viam puellarum quæ ornant capita: crines à fronte dimittunt: cutem
„polliunt, utuntur pigmentis aſtrictas habent manicas veſtimenta ſine ruga
„ſoccoſque criſpantes ut ſub nomine virginali vendibilius pereant. Mores
„enim & ſtudia dominarum plerumque ex ancillarum & comitum moribus
„indicantur. Illa tibi ſit pulchra illa amabilis: illa habenda inter ſocias quæ
„neſcit eſſe pulchra quæ negligit forme bonum & procedens ad publicum
„non pectus & colla denudat nec pallio revelato crines aperit. Sed quam
„celat faciem & vix uno oculo quivie neceſſarius eſt patente ingreditur.
„Dubito an loquar, ſed velim nolim: quia crebro fit dicendum eſt. Non
„quo hæc in te timere debeam quæ iſta forſitan neſcias: nec unquam au-
„dieris: ſed quo per occaſionem cui cetera proponenda ſint. Cincinatulos
„pueros & calamiſtratos, & peregrini muri olentes pelliculas de quibus il-
„lud Arbitri eſt. Non bene olet quod ſemper bene olet. Quaſi quaſ-
„dam peſtes venena pudicitie virgo devitet. Hæc *Hieronymus. in eadem epi-*
„*ſtola ſic ait.* Digna res riſu immo planctu, incedentibus dominis ancilla
„virgo procedit ornatior: ut præ nimia conſuetudine quam incomptam
„videris dominam ſuſceperis. Hęc Hiero. *Etiam Hieronymus ad gaudentium*
„de paſchatula puella continentie deſtituta, epiſtola incipit. Cauſa eſt dif-
„ficilis parvule ſcribere: ita inquit. Uteris balneis, cute nitida rubicundis
„genis incedis, carnibus veſceris, affluis divitiis, pernicioſa veſte circumda-
„ris, & juxta ſerpentem mortiferum ſecure dormitare te credis. Et ad Fu-
„riam de viduitate ſervanda in epiſtola quæ incipit, Obſecras literis di-
„cit Hieron. Amorem monilium atque gemmarum ſericarumque veſtium
„transfer ad ſcientiam ſcripturarum, ingredere terram promiſſionis lacte &
„melle manantem. Comede ſimilem & oleum, veſtire cum Joſeph variis in-
„dumentis. Hæc Hieronymus. *Et ad Euſtochium virginem in epiſtola quæ incipit.*

„*incipit.* Audi filia & vide, dicit ſic. Veſtis nec ſatis munda nec ſordida & „nulla diverſitate ne ad te obviam prætereuntium turba conſiſtat. Aut „digito demonſtreris. Nec ſatis religioſa velis videri: nec plus humilis quam „neceſſe eſt ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis miſeriâ at„que jejuniis arbitros declinantes in hoc ipſo cupiunt placere quod placere „contemnunt. Et mirum in modum laus dum vitatur appetitur. Et iterum „Hieronymus ibidem. Alię virili habitu veſte mutata erubeſcunt femine „eſſe, quod nate ſunt: crinem amputant & impudenter erigunt facies eunu„chinas. Sunt aliæ quę ciliciis veſtiuntur & cuculis fabrefactis: ut ad infan„tiam redeant. Imitantur noctuas & bubones. Iterum ibidem ita ſubjun„git. Viros quoque fuge quos videris cathenatos, quorum fęminei contra „Apoſtolum crines: hircorum barba, nigrum pallium & nudi in patientia „frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt diaboli. *Et iterum ibidem ſic* „*dicit.* Sunt alii de mei ordinis hominibus loquor. Qui ideo presbyteratum „& diaconatum ambiunt ut mulieres licentius videant. Omnis his cura eſt „de veſtibus: ſi bene oleant: ſi pes laxa pelle non foleat. Ut crines calami„ſtrati veſtigio rotentur, ut digiti annulis radient. Et ne plantas humidior „via ſpargat vix imprimunt ſumma veſtigia: tales cum videris ſponſos magis „eſtimato quamque clericos. Hæc Hieronymus: *Et ad matrem & filiam in* „*Gallià commorantes epiſtola incipit*, Retulit mihi quadam frater è gallia, ſic „ait. Nitens cutis ſordidum oſtendit animum. *Iterum in eadem epiſtola dicit* „*ſic.* Libidinoſa mens ardentius honeſta perſequitur: & quod non licet dul„cius ſuſpicatur. Et iterum ibidem inquit Veſtis ipſa vilis & pulla animi „tacentis indicium eſt ſi rugam non habet. Si per terram ut altior videaris „trahatur. Si de induſtria diſſuta ſit tunica: ut aliquid intus appareat ope„riatque quod fedum eſt & appareat quod formoſum. Calliga quoque am„bulantis nigella ac nitens ſtridore ad ſe juvenes vocat. Papillæ faſciolis „comprimuntur. Et criſpanti cingulo anguſtius pectus artatur. Capilli vel „in fronte vel in aures defluunt. Palliolum interdum cadit, ut candidos „nudet humeros. Et quaſi videri noluerit celat feſtina, quod volens detexe„rat, Et quandocunque in publico quaſi præverecundia operit faciem lupa„narium arte id ſolum oſtendit quod oſtenſum magis placere poteſt. Hæc „Hieronymus,

Petrus Cantoris in verbo abbreviato cap. 10. *pag.* 26. „Eſt etiam ſuperbia „totius corporis (ſolis pudendis exceptis in quibus verecundamur, unde, „etiam ampliori honore ea tegimus.) Quidam enim ſtaturam pedibus ad„juvant, & ſutam ſuper ſuram ponunt, ventroſè incedunt, mole cor„poris & gaſtrimargiâ eos non cogente ad hoc. Quidam verò pectoroſè „quaſi arcuati:

Et

„ *Et multum referunt de mecœnate ſupino*,
„ Quidam manibus in omnem partem ſe extendunt. Unde:
„ *Ventilat æſtivum digitis ſudantibus aurum.*
„ Quidam erecto & extento collo, & quaſi affixi palo incedunt. Undè „ Iſaias; *Elevatæ ſunt filiæ Iſraël, & ambulaverunt collo extento.* De ſuper- „ biâ operis, ait David: *Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit ſu- „ perbiam*: Item: *Retribuet Dominus abundanter facientibus ſuperbiam*, Item: „ *Non ambulans in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*, &c. Singula vitia, „ ſingula membra poſſident in quibus domicilia habent; ſed hoc vitium „ in omni ferè membro dominatur.

Gul. Peraldus in ſummâ virtutum & vitiorum tom. 2. ubi de ſuperbiâ, *cap.* 12. ornantium ſe duodecim ſtultitias enumerat & explicat. Et *cap.* 14. *pag.* 261. enumerat cauſas, & modos, quibus veſtitus poteſt eſſe culpabilis: „ Quarta, inquit, cauſa eſt ſuperfluitas. Poteſt autem iſta ſuperfluitas eſſe „ duplex, vel quoad magnitudinem. Primomodo eſt ſuperfluitas in illis „ qui volunt habere veſtes longas ut majores eſſe videantur: quod vitium „ multum abundat in quibuſdam prelatis, qui pileos longos deferunt in „ capitibus, calopodia in pedibus, & veſtes longas per terram trahunt, „ volentes ſic adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum. Unde Luc. 20. *At- „ tendite Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis.* Stola veſtis eſt longa. Illi qui „ vel magnitudine vel altitudine corporis ſui dignitatem volunt honorare, „ non videntur attendere quod legitur de Saul, quod rex malus fuit, & „ *altior univerſo populo ab humero & ſurſum.*

Ibid. hunc ſubtitulum ponit: „ *De caudis mulierum.* Hoc vitio, inquit, „ laborant dominæ, quę longas caudas trahunt poſt ſe terram prętioſis „ veſtibus induentes, & de nuditate Chriſti in pauperibus non curantes cau- „ dis ſuis pulices colligunt, & pulverem movent hominibus, Chriſtum „ vero, quem in tot pauperibus nudum reſpiciunt, & non operiunt, timen- „ dum eſt eis, ne in caudis earum diabolus quieſcat. Unde legitur de quo- „ dam ſancto, qui vidit diabolum quendam ridentem: & quęrens ab eo „ cauſam riſus, dixit: Vidi ſocium meum equitantem ſuper caudam cu- „ juſdam mulieris, quę dum retraheret caudam, cecidit ſocius meus in „ lutum, & inde riſi.

Hieronymus Savonorola, de ſimplicitate vitæ Chriſtianæ, toto libro 3. agit de ſimplicitate externâ. Et concl. 4. pronuntiat, *eos, qui non amant ſimpli- citatem exteriorem; non poſſe Chriſtianè vivere.*

Mathias Feliſius Brouwershavius, in elucidatione decalogi, ad ſextum præ- ceptum *pag.* 455. „ Valeant igitur incentiva vitiorum, ut quæſitis colori- „ bus ora depingant, dum viris diſplicere formidant, & de adulterium vul-

tus

„tus meditentur adulterium castitatis. Pretiosa quoque, inquit *Ambrosius* „*lib.* 1. *de virgin.* collo pendent monilia, inde per humum vestis trahitur au- „rata, variæ quoque adhibentur odorum illecebræ, gemmis onerantur aures, „oculis color alter infunditur, &c. Et citat ibidem ac probat ex *Augustini serm* 47. de tempore, *Cypriano*, Concil. Gangrensi can. 13., *Chrysostomo.*

Thomas in 1 *Timoth.* 2. *lect.* 2. „Dicendum est, quod secundum *Augusti-* „*num*, duo sunt consideranda in ornatu mulierum. Scilicet simplex orna- „tus & fucatus. Simplex ornatus, puta in veste & auro & hujusmodi, quod „potest fieri cum peccato tribus modis, scilicet ex prava intentione ut si „intendant commotionem concupiscentiæ ostentationem vel inanem glo- „riam. *Proverb.* 7. Præparata ad capiendas animas. Secundo si fiat preter „consuetudinem patrie quod sit diversimode. Aut enim excedit modum „consuetum patrie quod ex levitate animi est, aut si conditionem sui sta- „tus excedit. Sed servata recta intentione, consuetudine patrie, & condi- „tione status non est peccatum. De fucato autem semper est peccatum. „Mulieribus enim non permittitur ornari nisi propter viros, & viri nolunt „decipi ut fucate eis appareant.

Gul. Durantes lib. 3. Rationalis, Joh. Baptista de Rubeis in Rationali novo *cap.* 65. 85. *Barthol. Gavantus tom.* 1. thesauri sacrorum rituum *part.* 2. *tit.* 1. aliique autores ab illo citati, de vestibus clericalibus, deque tonsurâ disquirunt & determinant, *Rodericus tom.* 1. *quæst. regular. & canonicar. quæst.* 64. *art.* 1. de quintuplici vestalium velo nigro. 1. professionis. 2. consecrationis. 3. ordinationis. 4. prælationis. 5. continentiæ & observationis. *Idem tom.* 3. *c.* 16. §. 27. de tonsurâ. *Bellarminus* de iisdem, *lib.* 2. de clericis *cap.* 40.

Joh. Filesacus lib. 3. selectorum tit. *Luxus mensarum*, & tit. *vestis & sermonis consensus*; & *lib.* 2. *select. tit. Uxor iusta cap.* 4. & 5. de ornatu faciei, capillorum, vestium, plurima collegit. Quæ omnia hic exhiberi nequeunt.

Santorellus Medicus & Professor Neapolitanus lib. 6. de sanitatis naturâ *cap.* 5. *pag.* 142. „Ne tamen erres, adverte, non probari à me illos, qui „putant licere virum capillos promittere, nam non video quem possit „usum habere immoderata copia capillorum, ni quis beneficium putet ani- „malium immundorum proventum, furfure, sordibusque scatere, malè „olente sudore madere: aut faciendum censeat, quod Hyberni, quos fe- „runt capillitio pro mantili uti ad detergendas manus à pinguibus cœnę „sordibus. Multò minus probo illos, qui crines intorquent, crispant, in „noduum colligunt, tingunt; non enim minus indignum est nos mentiri „fœminas, quam illas viros: fuere vel à veteribus effœminati, & meri- „torii habiti hi omnes, qui comam impendio colebant, indeque mana-

„vit proverbium, nemo comatus, qui non præcidatur. Quid ergò? Com-
„mendabimus nè, & barbæ, & pilorum omnium capitis abrasionem. Ni-
„hil vero minus omnis nam ut benè Ovid.

„ *Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus:*
„ *Et sine fronde frutex; & sine fronde caput.*

„Et 13. metamorph.

„ ----- *ovibus sua lana decori est,*
„ *Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.*

„Nec leve mollitiei argumentum præbent glabelli, hoc est, qui levore, &
„glabritie, fœminarum faciem exprimunt, idque ut asslequantur, tonsori-
„bus rasitandos, se præbent. Coli capillos volo, modicè tamen, nam ut
„bene ille

„ *Sine coli modico forma virilis amat.*

„Non sit itaque capillus inæqualiter hirtus, globosus, congestus, & diuti-
„na incuria inedonabilis: sed neque crines ad speculum studiosè compo-
„nas: nam ut squallentes, & impexi crines displicent, sic immodicum stu-
„dium pectendi, vix est in muliere tolerandum, viro prorsus infame.

Arias Montanus in Antiquit. Judaicis tit. Jeremias sive de actione: Unde
„hæc solummodo enoto, Capillus capitis ornamentum est, alio tamen
„modo viris quam fœminis, ut Paulus in Epist. ad Corinthios missâ
„disserit.

Ibid. pag. 152. „Unum ex humani corporis ornamentis barba est, oris
„videlicet decus & virilitatis argumentum: quæ composita dignitatem
„indicat.

Hactenus patrum & Pontificiorum aliquot determinationes & cautelas circa vestium, ornamentorum faciei, capitis, capillorum, barbæ usum & abusum congessimus. Plura accumulari potuissent: sed hæc sufficient, ad ostendendum non esse omnem corporis ornatum, reliquaque commonstrata excelsa mundi, adiaphoris annumeranda; nec omnes cautelas contra vanitates illas per novos tonsores Belgicos excogitatas fuisse.

Addenda nunc essent aliqua testimonia theologorum Protestantium & reformatorum in Germania, Galliâ, Angliâ, &c. Sed quia ab *Udemanno* & *Carolo de Maets* tract. citatis, ea exhibita sunt, abstineo; contentus loca solummodo indicasse: & sunt *Martyr*, *Pareus*, *Hyperius*, *Calvinus*, *Beza*, *Piscator*, *Marloratus*, *Fr. Junius* in 1 *Cor.* 11. 1 *Timoth.* 2. 1 *Petr.* 3. *Calvinus in Numer.* 6. *v.* 5. *Beza concione* 30. *in passionem*, prolixè. *Lambertus Daneus in tract. de vestibus*, *Gall. & Belgicè*, *Perkinsus in Math.* 5. *v.* 36. & in *Casibus lib.* 3. *sect.* 4 *qu.* 2. *Andreas Willetus* 2 *Sam.* 14. *v.* 26. & in *Levit.* 19. *Daniel Dyk* in eruditissimo tractatu, de deceptione cordis humani, qui variis linguis ex-

expressus est, *cap.* 16. *Thomas Tayljor*, in tract. tit. *Circumspecta ambulatio* cap. 27. & in *speculo fœminarum nobilium*, ubi fusè hoc agit. *Eduardus Raynoldus* in tract. tit. *Peccaminositas peccati*, ad *Rom.* 7. *v.* 9. Translatores Belgici in notis ad *Jes.* 3. 1 *Cor.* 11.

Addendi *Lavaterus in comment. ad* 1 *Paralip.* 19. *pag.* 70. *Joh. Raynoldus* in *censurâ apocryphor. lect.* 25. ubi ait prolixos virorum capillos tanquam argumentum mollitiei aut ferocitatis ab antiquis rectè prohibitos esse. *Joh. Taffinus de vitæ emendatione lib.* 2. *cap.* 13. ubi de luxu & vanitate in vestibus, in ornatu faciei, &c. Et cap. 14. ubi de luxu in conviviis.

Hotomannus in Franco-Gallià cap. 11. ubi refert olim capillos promittendi jus in Galliâ solis regibus & regiæ stirpis fuisse, reliquis civibus quamvis illustri loco natis inde exclusis: rationem addit, *ut propter assiduos (ut credi par est) in re militari labores, raso vel detonso capite incederent: quemadmodum de Julio Cæsare, & plerisque aliis Romanæ historiæ commemorant.* Cujus judicio, simile est

Camerarii hor. subcæs. seu medit. histor. *centur.* 2. *cap.* 40. Qui idem *cap.* 38. 39. 41. & *centur.* 1. *cap.* 36. *de comâ, barbâ, fuco, vanitate in vestibus* denudatione corporum, complura ex autoribus congerit. Verba ejus ex *centur.* 2. *c.* 40. *pag.* 246. 247. „ Facile autem assentior iis, qui putant, cum experientia „ testaretur, ex longioribus comis, in prælio & vulneribus multa impe„ dimenta & pericula inferri, tum quoque valetudini obesse, præsertim „ fluxiones capitis alere, nostrates & alios, de industria comas aliquo „ modo præsecuisse. Quo forte respexit Carolus Magnus, in privilegio „ quod Frisionibus, Romæ in Lateranensi palatio Anno Dominicæ incar„ nationis octingentesimo secundo concessit, in quo hæc verba inserta sunt: „ ITEM STATUIMUS UT FRISIONES VOLENTES MILI„ TARE, ET IN SUBSTANTIA HABENTES, SINT USQUE „ AD SUMMITATEM AURIUM CIRCUMTONSI, AURO IN „ EORUM PALUDAMENTO, UNDECUMQUE SPLENDEN„ TES, UT PER HOC SUAM VALEANT OSTENDERE LI„ BERTATEM, IPSIS A NOBIS ESSE COLLATAM. Hoc „ privilegium integrum inseruit Ludovicus Guicciardinus in sua descripti„ one Belgii. Cæterum plane diversa vel potius contraria ratione Clau„ dius vel Clodion II. Rex Francorum, qui ab habitu comatus, vel cä„ pillatus dictus fuit, cum Romanos continuis bellis, fere ex tota Gal„ lia feliciter expulisset, mandavit suis militibus, & subditis, ut in signum „ libertatis, comas & prolixos capillos portarent, cum antea Romani, tan„ quam notam servitutis ex decreto Cæsarum, tonderi Gallos jussissent. „ Accidit hoc circa annum Christi cccc. XLIII.

„ Athenis sane olim quoque mos hic fuit: Juvenes comam alebant ad „annos pubertatis, tum à parentibus ad tribules adducebantur, ut comam „tonderent, quæ μαλλὸς & σπόλλις dicebatur. Fere autem & Græci & Ro„mani, comam hanc primam alicui Deo consecrabant; & cum illam ale„re se in ejus honorem dicebant; tum ibi tonderentur, illam in ejus Dei „templo ponebant, cujus rei apud Pindatum, Æschylum, aliosque sunt „testimonia.

Joh. Isacius Pontanus lib. 6. origin. Francicarum *cap.* 10. & 18. quæ Hotomannus de Gallis tonsis, & promissis regum capillis attulerat, pluribus persequitur, & confert mores ac mutationes aliarum Gentium. De quibus etiam *Alexander ab Alexandro lib.* 5. *Genial. cap.* 18.

Fridericus Lindebrogius in notis ad Censorini de die Natali cap. 1. hæc verba. *Quidam etiam pro cæterâ bonâ valetudine crinem Deo sacrum pascebant*, plurima ex autoribus loca annotat de promissis virorum capillis, ex superstitione. Lindebrogii citatio ex Arriani Indicis, *Liberum patrem docuisse Indos* κομᾶν τῷ Θεῷ; illustrari potest ex *Solino cap.* 52. *Indis omnibus promissa cæsaries*: „ubi Salmasius notat p. 97. Malè ex suis ediderat Delrius, &c. Nam promissa „idem quod longa. Indi κομῶσι. Arrianus, τοὺς Ἰνδοὺς κομᾶν τῷ Θεῷ μιξοφορίαν τε ἀναδεῖξαι. Quæ observari velim, ut vel hinc constet quam sibi vir ille constet contendens pro significatione vocis κομᾶν 1 *Corinth.* 11. De quo videri potest erudita & accurata disceptatio *Car. de Maets disp. textualis ad* 1 *Cor.* 11. *part.* 4. Indorum morem nos etiam attingimus in 1. *part. select. dispp. tit. de creatione part.* 9. §. 5. ubi de unguibus & pilis.

Henr. Salmuthus ad Pancirolli memorabil. part. 1. tit. 43. & 44. quamplurima de vanitate vestiariâ & capillari, ex notatis autoribus collegit.

Gerh. Johannes Vossius, in epist. ad Salmasium. „ Naturalis interim in„clinatio docet, turpe esse viro, si mulierum instar in lumbos dimittat capillos. Quid *Vossius* diceret, si videret paruchas fere ad lumbos dimissas?

Idem lib. 2. *de Idololatriâ* cap. 54. cum Petro Gyllio lib. 2. de Bosphoro, putat capitum tegmina ad similitudinem turris, quibus Cilices, Mysiæ, Turcicæ mulieres hodie utuntur, referre Deam Cybelen seu Rheam, quę turritam circumdata erat coronam, & caput habebat turritum.

Ibidem cap. 53. Ex *Augustino lib.* 7. *de Civit. Dei cap.* 26. de inunctis capillis sacerdotum Cybeles: „ Crines, inquit, etiam aromatis erant delibuti „ præterea vultum candidâ velabant byssо. Sic molles isti, *corporibus luxu„rie diffluentibus fœmineum in morem* incedebant.

Augustini verba sunt: „ De mollibus eidem matri Magnæ, *contra omnem „ virorum mulierumque verecundiam* (nota), qui usque in hesternum diem, „ *madidis capillis*, facie dealbatâ, fluentibus membris, incessu fœmineo, per pla-

„plateas vicosque Carthaginis, etiam à populis, unde turpiter viverent, „exigebant.

Casaubonus Exercit. 14. §. 9. Explicat jactationem comæ & capitis; & docet, Baronium non intellexisse illud Apulei, *multa jactare.* De quo etiam Vossius *lib.* 2. *cap.* 53. „In hisce, inquit, sacerdotibus ac famulis Deæ „matris, novem ista præcipuè spectantur; eviratio, furor, vestitus multi- „color, capitis jactatio, capillorum inunctio, mollities incessus, lacertorum „sectio, ejulatus & æruscatio.

Daniel Heinsius in Exercit. ad Nonum cap. 4. docet Gentes præ cæteris in bello expeditas, in occipitiis aluisse comam, non in anteriori capitis parte pendulam ac prominentem, quam invadebant hostes; ideoque ab Homero describi epitheto ὀπισθοκόμων.

Ibid. de σισύῃ (Gr. interpretis *Levit.* 19.) & votivo Gentilium crine.

Grotius ad 1 *Timoth.* 2. *v.* 9. sic exponit: „Πλέγματα 1 *Petrus* dixit III. „3. ἐμπλοκὴν τριχῶν. Latinus interpres ibi capillaturam dixit, hic tortos „crines, bene. Sic flexum capillum dixit Juvenalis: idem in orbe coma- „rum annulos: Clemens Alexandrinus, περιπλοκὰς τῶν τριχῶν τὰς ἑταιρικὰς „Pædagogi III. 11. Naumachius:

„ Μηδὲ κόμας περίαλλα πολυσχιδέας πλέκε σειράς.

„Hoc est quod Esaï. III. 24 dixit מעשה מקשה, opus calamistri, „ubi crispantem crinem Latinus: Calamistratam comam Cicero pro Sex- „tio. Rabbinis πλέγματα dicuntur. טשבשות.

„ Ἀργυρίῳ ἢ χρυσῷ] Multus enim ex utroque ornatus mulierum. Vide Di- „gesta Titulo de Auro, Argento, mundo, & quæ ex Melissa modo attu- „limus. Phintys Pythagorica dans præcepta fœminis nuptis ait, χρυσὸν δὲ καὶ „σμάραγδον ἁπλῶς μὴ περιτίθεσθαι, καὶ γὰρ πολυχρήματον καὶ ὑπερηφανίαν ἐμφαῖνον πογτὰς „δαμοτικάς. De tota hac re vide. Clementem Pædagogi II. 10.

„ Ἢ μαργαρίταις] *Ludorum in publico fœminæ unionem dictant.* Plinius IX. „35. ubi multa de hoc fœminarum luxu. Erant enim patrimonia de auri- „bus pendentia. Lineas margaritarum חרוזים vocant Rabini.

„ Ἢ ἱματίῳ πολυτελεῖ] Propertius:

„ *Matrona incedit census induta nepotum.*

„Repete hic quæ ex Aristotele modo attulimus; hæc sunt μαλακὰ ἱμάτια „Matth. XI. 8. Inter Pythagoræ monita habet Justinus historiæ libro XX. „*Ornamenta matronarum, pudicitiam, non vestes esse.*

Wendelinus lib. 1. Ethicæ *cap.* 17. *pag.* 621. 622. 623. „Quæritur, *An per* „*castitatem fas sit fœminis in publico gestare nuda pectora.*

„ *Resp. Affir.* Quæstionis dubio procul in nostrâ Germania principes, no- „biles & civicæ fæminę non paucæ amplectentur & maritæ & virgines,

„ quæ castitatem profitentur hoc nostro seculo & nihilominus nuda in pu-
„ blico gestant pectora, mammillasque detectas & in occurrentium oculos
„ undiquaque incurrentes ostentant, neque magis occultas & tectas ha-
„ bent, quàm vacca ubera: imò tantò minus, quantò erectiores incedunt.
„ Mirantur & obstupescunt seniores, qui priscæ verecundiæ & pudoris
„ conscii ex inproviso in hæc talia incidunt spectacula & tam liberaliter &
„ sincerè exhiberi vident, quod nec prece, nec pretio, nec verberibus obti-
„ neri olim potuisset: mirantur in ea se incidisse temporæ, quibus pudoris
„ & impudentię, verecundiæ & inverecundiæ (si superiorum temporum
„ heîc standum sit judicio) tam prodigè confundantur limites. Mori olim
„ maluissent virgines & castæ uxores, quàm pretiosas illas merces venales
„ extrudere & prostituere, quàm incontinentium in se libidines & irritare
„ & inflammare. *Flagitii principium est*, inquit *Cicero*, 4. quæst. Tuscul. *nu-*
„ *dare inter cives corpora.*

„ Negativam igitur sanæ castęque mentis nemo non amplectetur & pro-
„ pudiosam seculi nostri licentiam & insolentiam damnabit. Audiamus
„ heîc concionatorem aulicum, quem attentissimè nuper audivere princi-
„ pes viri & fœminæ, & fortean attentius etiam audient. *Cum à lapsu pro-*
„ *toplasti*, inquit *libido & omnis generis fœdæ concupiscentiæ in membris nostris*
„ *jam ante nimium quantum, exardescant, nos infami huic incendio pabulum*
„ *insuper sufficimus & ardenti camino prælargè oleum affundimus: colimus &*
„ *comimus nos & sic cultos comtosque mutuis aspectibus propinamus, ut si forte*
„ *sopita dormiat lascivia ad has illecebras reviviscat. Memini, etsi non dum se-*
„ *nex, cum non tantum corpora, sed & vestes ipsæ honestissimè tegerentur; viri*
„ *suas promissiore nigro pallio, suas matronæ nigrâ & per totum corpus defluente*
„ *pallâ tegebant.*

„ *At nunc tantum abest ut vestes tegantur, ut penè etiam detegantur corpo-*
„ *ra & initium alicubi jam factum est, ritu planè non Germano, sed extero &*
„ *inverecundo. Non satis est pompaticæ ostentationis, curiositatem omnium*
„ *oculis ingerere, jam etiam, quæ olim velata, nudamus & paulatim pectus ape-*
„ *rimus. Quod quid aliud est, quam pudicitiam aperto Marte oppugnare?*
„ *Quid hoc aliud, quam irritare cupiditates hominum jam ante incitatas.*
„ *Annon hoc nobile speciemen est flagitiosæ stultitiæ & quæ primas merea-*
„ *tur?*

„ *Ex Italiâ* in *Germaniam* non ita pridem migravit hæc lascivia: sed quod
„ noveris, non ex honestioribus aulis & nobilium civiumque domiciliis,
„ sed è prostibulorum collegiis & infamibus gurgustiis atque fornicibus.
„ Hâc enim escâ publicè exposita & objecta irritant libidines & è vulgatis
„ nudatisque corporibus quæstum faciunt. Hos si natales honestæ castæ-

que

„ que nossent maritæ & virgines, porrò ne credas aucupium hoc ipsis arri-
„ surum.

Ibidem pag. 624. „ Interim videas interdum hypocritico velo tegi in
„ verecundiam, quando pudorem dictat conscientia, quem tamen non ad-
„ mittit lascivia: Tegunt, quas prostare & exstare volunt, pectoris aperti par-
„ tes pellucidâ telâ nihil celante, in quâ, ut *Seneca* loquitur, nullum est cor-
„ pori, nullum pudori auxilium, *video*, inquit idem, lib. 7. de Benef. cap. 9.
„ *Sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut cor-*
„ *pus, aut denique pudor possit: quibus sumtis mulier parum liquide, nudam se*
„ *non esse, jurabit. Hæc ingenti summâ ab ignotis etiam ad commercium genti-*
„ *bus accersuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus suo in cubiculo,*
„ *quam in publico ostendant. Seneca* pater ait, *adulteram tenus veste perspicuam*
„ *esse, & nihil in corpore uxoris suæ plus maritum, quam quemlibet alie-*
„ *num agnoscere.* Sed satis de his: antiqua est querela. *Quis credit predica-*
„ *tioni nostræ?*

Idem cap. 24. *pag.* 742. vanitatem vestiariam vocat insaniam. „ Et hinc
„ videas, inquit, in aulis potissimum, &c. nitere vestes *Attalicas, pictas,*
„ *palmatas, cycladatas, polymitas, Phrygias, undantes, segmentatas, fimbriatas,*
„ *paragiatas, rasiles, conchiliatas, surriculatas, auro virgatas, sericas, subsericas,*
„ *holosericas, byssinas, hombycinas, Cymatiles, prasinas, russeas, xerampelinas,*
„ *calculas, crocotulas, carbasinas*, &c. neque, proh dolor, in aulis tantum,
„ sed & in nobilium & civium multorum ædibus, neque divitum tantum,
„ sed & pauperculorum quorundam. Adeo pestis hæc grassatur in omnes
„ mortalium ordines. Habet insignia & quasi vexilla sua hæc superbia in
„ omnibus corporis partibus peculiaria, in capite, in auribus, in collo, in
„ pectore, in brachiis, in manuum digitis: in cruribus, in pedibus & pe-
„ dum digitis, &c. Nondum sunt deleti, ex humano genere *Sybaritæ*, qui
„ ad convivia fœminas anno ante invitabant, ne quid corporis cultui pa-
„ rando deesset temporis: velut & *Persici* reges fœminam non admittebant,
„ nisi per annum prius totum, comptam, politam, pumicatam, delibutam,
„ exornatam. Verè ut *Comicus* dixerit: *dum moliuntur, dum comuntur,*
„ *annus est.* Ut olim, sic & hodiè modum nescit luxus & fastus fœminini
„ sexus, qui auro gemmis & unionibus fere opprimitur. Quamvis, proh
„ dolor, in fœminas quoque viri modò abeant. Vide quæso contra insani-
„ am hanc detonantem *Chrysostomum*, homil. 50. in cap. 14. Matth. &
„ gravissimè differentem *Drexelium*, *Trismegisti* lib. 3. cap. 5. *Ego*, inquit
„ Chrysostomus, *sic arbitror, Romanorum nunquam Imperatorem fuisse, qui*
„ *se tantum propter trophea sua jactaret, quantum luxu perditi adolescentes*
„ *ob calceorum ornatum, ob vestes scite constrictas, obcæsariem in modum*

pilæ

„ *pilæ tonsoris opere circumductam.* Sed gravius tonantem eundem audia-
„ mus, *Qui gloriam serici, qui florem coloris qui ad aureos intextus curiosè*
„ *perspicit; quando in cœlum suspiciet, quando illam pulcritudinem admirabi-*
„ *tur, qui tincturas istas respiciens & ad terram flexus altius se non potest eri-*
„ *gere? Et DEUS quidem cælum extendit, ac solem accendit, ut oculos tuos*
„ *sursum erigat: Tu verò ad terram, quasi porcus, diaboli artibus persuasus*
„ *devolveris. Hæc enim omnia ille excogitavit, ut illâ tu beatitudine privatus,*
„ *ad hæc miserrima detrudaris, ita DEUS, qui cælum tibi offert, à diabolo se-*
„ *rica tibi licia offerente superatur.*
„ *Imò verò nec ista offert diabolus, opera enim hæc etiam DEI sunt, sed*
„ *mollitiem, luxum atque maleficas artes, quibus oppressi adolescentes adspicere*
„ *terram coguntur, qui Cœlorum philosophiæ studere jussi sunt, magis calceis suis*
„ *gloriantur, quam si novas res atque inauditas gessissent. Digitis enim pedum*
„ *sublevatis deambulant in plateis, nimio plerunque inde mœrore confecti, ne cæ-*
„ *no in hyeme, aut pulvere in æstate calcei sui maculentur.*
„ Ecce! rem novam non moliuntur seculi hujus nostri adolescentes
„ nonnulli stulti, qui corpora per naturam recta modo incurvant, inflexis
„ ad gressus singulos cervicibus, non tam de cœlo, quàm de harmonico pe-
„ dum motu soliciti & ad lutum abjecti. Tantum non cum conditore suo
„ expostulant infelices illi, qui
„ *Os homini sublime dedit, cœlumque tueri*
„ *Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.*
„ Omnes alias nationes insolentiâ vestium superat *Germanica.* De vetere
„ *Roma Leo* Pontifex, *Hæc civitas,* inquit, *ignorans suæ provectionis autorem,*
„ *cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat errori-*
„ *bus & magnam sibi videbatur assumsisse religionem, quia nullam respuebat*
„ *falsitatem.* Idem de *Germaniâ* verè possit dicere: quæ cum suos in omni-
„ um nationum terras emittat, omnium nationum ritus recipit, & ma-
„ gnum sibi videtur adscis. ere ornamenrum, si nullum respuat peregrinum
„ habitum. Vis videre vestitu *Gallos, Italos, Hispanos, Anglos, Polonos,* tan-
„ tum *Germaniam* lustra, & videbis. Quicquid levitatis & vanitatis circa
„ vestitum aliæ comminiscuntur nationes, avidissimè arripit Germaniâ &
„ ita totius se mundi fæcibus inquinat. Annus vix ullus elabitur, quin novę
„ *almodítatis* specimen exhibeat *Germania*, idque non suo excogitatum in-
„ genio, cui diffidit, sed à peregrino subministratum fastu. Pileus jam fasti-
„ giatus caput circumtegit, jam acuminatus placet, jam in rotunditatem
„ planus, jam cum spirâ, jam sine Spirâ eleganter habetur, *Pallium* modò
„ simplex, modò alatum est. Jurares, inquit Drexelius, *vespertilionis exu-*
„ *vias* esse. *Thoracis* patriam quis facile investigaverit? quem modò ex
Gallia,

„ *Gallia*, modò ex *Italiâ*, modo ex *Hiſpaniâ* petimus, jam diſſectum, jam „ inſtitutis obductum, jam ad imum vique ventrem productum, jam ad pe- „ ctoris ſummitatem contractum gerimus. Caligarum quam ſtulta & ridi- „ cula varietas! Nunc ad genua, nunc ſupra genua, nunc infra genua „ clauduntut: Nunc laxæ, nunc adſtrictæ ſunt & ita preſsè poſterioribus „ hærent muſculis, ut exactam eorum figuram exhibeant, anteriora etiam „ ægrè tegant: quo monſtroſo habitu jam pridem Satan deformavit *Sue-* „ *viam*. Si ex villoſo caligæ hujuſmodi panno conficerentur, non jam ho- „ mines, ſed hirſutos Satyros, Faunos & Sylvanos videres, præſertim ſi „ Suevis uſitati accederent *Priapi*, qui ſoli adhuc reliquis deſunt *Germanis*. „ Caligulæ breves nuper erant, jam à genibus ad ſummum uſque thoro pe- „ ctus excurrunt, brevi ut opinor, ad humeros excurſuræ & thoracem ex- „ cluſuræ: eædem jam volitant & genibus illudunt, jam in globum aptan- „ tur: jam ſollicitant, jam craſsâ farcturâ intumeſcunt. Jam ad imos uſ- „ que pedes deſcendunt: quas ut ante centum ferè annos ſubditis ſuis exo- „ ſas redderet laudatiſſimus princeps Wirtenbergicus, *Chriſtophorus*, ita por- „ rò carnificem veſtiri & omnes obire vicos voluit. Quis omnes enumeret „ ineptias? Olim ligularum erat uſus caligas thoraci nectere: nunc nume- „ roſa earum agmina totis caligis ſparſa, & ad ſuras uſque promiſſa puerilem „ & ridiculam concinnitatem exhibent. In *collaribus* quàm varia ſe prodit „ vanitas! cum lunâ ſe mutant, & ſingulis ferè menſibus nova ſurgunt. „ Jam denſa videas, & multò ſindonis volumine impedita, jam è ſimplici „ telâ collo affuſa, jam in quadrangulum diſpoſita, jam contracta, jam per „ humeros explicata, tergum veſtientia & mantilium inſtar cervicibus cir- „ cumpoſita. Taceo ad ſpeculi examen vibratos capillos, cirros, cincinnos; „ quibus materiem præbent, non tantùm quos ſuum cuique caput fundit, „ ſed & quos raſa cadaverum ſubminiſtrant capita; quia vario picti fuco vi- „ ventibus aptantur, & vel calvitiem, vel canitiem, vel ſcabiem, vel minus „ gratos colores alios tegunt. Quamvis non nova ſit ſuperba illa & ſtolida „ capillorum cura. Jam enim *Senecæ* ſeculo multæ apud tonſorem tranſ- „ miſſæ ſunt horæ, dum decerptum, quod proximâ nocte ſuccrevit, dum de „ ſingulis capillis in conſilium itum, dum vel disjecta coma reſtituta, vel de- „ ficiens hinc inde in frontem compulſa. *Quomodo*, inquit, *iraſcuntur, ſi* „ *tonſor paulo negligentior fuit! quomodo excandeſcunt, ſi quid ex jubâ ſuâ* „ *deciſum eſt, ſi quid extra ordinem jacuit, niſi omnia ſua in annulos ſuos reci-* „ *derunt? Quis eſt iſtorum, qui non malit rempublicam ſuam turbari, quam co-* „ *mam? Qui non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quam de ſalute? Qui non* „ *comtior eſſe malit, quam honeſtior*: De brevit. vitæ, cap. 12. Taceo deni- „ que fucos, unguenta & odores. Teſtis eſt *Antiphanes* feminas olim Cro-

„ codili excrementis faciem poliisse, *Poppæa*, *Domitii Neronis* conjux, quin-
„ gentas secum per omnia traxit fœtas asinas, quarum lacte corpus mace-
„ ravit. Ajunt enim hoc lacte cutem reddi nitidam & teneram, faciemque
„ erugari: Has ne in exilio quidem à se dimisit: quod ab aliis quoque fœ-
„ minis Romanis factitatum *Plinius* meminit. Caii principis uxor, *Lollia*
„ *Paulina* in mediocrium etiam sponsalium, cænâ muliebrem gestavit mun-
„ dum è margaritis & unionibus 1000000. Philippicorum. Unde *Seneca*,
„ *video*, inquit, *uniones non singulos singulis auribus comparatos: jam enim ex-*
„ *ercitatæ aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se & insuper aliis boni*
„ *superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna*
„ *patrimonia auribus singulis perpendissent. Nero* eandem vestem pretiosam
„ non nisi semel induit. Olim *Persarum* & *Syrorum* reges uxoribus suis,
„ quas plures habuerunt, civitates attribuerunt hoc modo. *Hæc civitas mu-*
„ *lieri in redimiculum præbeat: hæc in collum: hæc in crines.* Quomodo po-
„ pulos habuerunt universos non tantum conscios suæ libidinis & fastus, sed
„ etiam ministros *Cicero* 3. Verr.

Conr. Rittershusius lib. 5. lect. sacr. cap. 9. „ Non exigua est levitas &
„ vanitas hominum, sed maximè sequioris sexûs, in ea corporis parte,
„ quæ ut Christianus Imp. Constantius M. (in l. 17. si quis in metallum C.
„ de pœn.) ait, ad similitudinem cœlestis pulcritudinis figurata est, facie,
„ inquam pingenda, tingenda, fucandaque occupata est: Itemque in au-
„ ribus perforandis, gemmaque vel in aure appensa onerandis: deniqne
„ in capillis colorandis. De qua omni vanitate operæ pretium est Sancto-
„ rum Patrum cognoscere judicia. Et adducit ibidem *Tertullianum* & *Am-*
brosium, supra à nobis citatos.

Victorinus Strigelius in hypomænatis ad libros Novi Testamenti, 1 *Cor.* 11.
„ *Tondeatur* κειράσθωτ crines tondentur, id est, κείρονται. Ac tonsuræ, id est,
„ τῆς κουρῆς duo præcipua genera fuere κῆπος & σκαφίον. Quorum κῆπος or-
„ bem capillorum haberet, σκαφία autem rasura esset ad vivum. ξυρῶ
„ rado.

„ *Decorum*, πρέποντ πρέπον est servare in sermone & gestu convenientiam,
„ id est, non discedere à naturâ, & personæ ac locorum ordine.

„ *Natura* φύσιστ lex naturæ, seu notitia naturalis monstrans ordinem.

Danhauwerus collegii decalogici disp. 9. §. 3. „ *Superbia*, inquit, *vestiaria*
„ quà cum luxu & jacturâ patrimoniorum conjuncta, septimi, quâ fomes
„ libidinis sexti, quâ humilitati opposita quarti præcepti vitium est.

Ibid. contra usum vestimenti alterius sexus citat *Deuter.* 22. *v.* 5. &
Ambrosii epistol. ad Irenæum, quæ est *lib.* 4. 18. supra à nobis exhi-
bita.

Idem

Idem disp. 13. §. 8. „ Impuritas vestitus, corporis nudatio, de quâ supra „ *Exercit.* 9. vide interea *libr. Tertulliani*, de habitu mulierum veteri, deque „ habitu meretricio *Alex. ab Alex.* V. *genial.* 18. Cyprianus certè lib. de ha„ bitu virg. *ornamentorum scribit ac vestium insignia & lenocinia formarum „ non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè precio„ sior cultus est, quam quorum pudor vilis est.* Apocal. c. 17. describitur mere„ trix illa perdita amicta pallio purpureo.

Davidis Cythræi in librum Johannis Cuno de vestitu, epistola, quæ exstat in editis à filio epistolis anno 1614. pag. 430. „ S. D. Reverende & Cla„ rissime D. Superintendens, amice colende, Intelligo te altero jam scripto, „ occasione fœtus vestitu monstroso editi, cum visitata seculo nostro ve„ stium prodigiosarum levitate, fortiter dimicare, ac ut plus authoritatis „ & ponderis oratio tua habeat, veterum etiam Ecclesiæ patrum & alio„ rum sapientum ex omni antiquitate testimonia collecta ponere sub „ aspectum & oculos lectorum decrevisse. Etsi enim vestis nihil ad ani„ mum pertinere videtur: tamen adfectatio indecori vestitus, & in habitu „ toties monstroso variando levitas, stultitiam & vanitatem animi signifi„ cat, & honestos ac graves viros offendit. Cum Carolus VIII. Galliæ „ Rex, anno ab hinc centesimo, occupasset Neapolim, Pontanus in dia„ logo quodam alium interrogat, quid de rege illo Gallię sentiat, an judi„ cet eum esse sapientem? Respondit ille: Quomodo possit esse sapiens, „ cum adeo curta veste utatur: plerunque enim monstrosa vestis, monstro„ si animi character est. Ac ut vox quædam est animi, corporis gestus: ita „ animi habitus in corporis motu ac vestitu cernitur, ut vere & sapienter „ dixit sapiens Syracides, vestitus, risus & incessus produnt hominis inge„ nium. Vidi Torgæ plerorumque superioris ætatis Germaniæ princi„ pum effigies, in ampla quadam arcis illius Regiæ aula ordine expositas „ singulas, longa & ad talos demissa exteriore veste, pellibus suffulta, qua„ lis Electorum fere cultus adhuc pingitur: Et in Academiis ante 50. an„ nos adhuc Doctorum, & in hac urbe, Senatorum etiam & civium pa„ triciorum habitus, in nuptiis & aliis honestis congressibus, esse solebat „ documentum & specimen veteris Germaniæ gravitatis, verecundiæ, „ pudoris, probitatis. Nunc intra tam paucos annos, non apud Gallos so„ lum, quæ gens natura mobilior judicatur: sed apud Germanos etiam „ nostros, in omnibus fere aulis, urbibus & Academiis toties vestium for„ mis & subinde novis & monstrosioribus pileorum, thoracum, pallio„ lorum, caligarum, tibialum, ineptiis excogitatis: multo hæc eviden„ tiora & certiora monstrosæ levitatis ac impudentiæ ingeniorum, & im„ pendentium inde mutationum publicarum, indicia & præsagia, quam ul-

„ las eclipſes, cometas, vel alia in cęlo aut terris apparentia prodigia eſſe „ prudentes judicant. Toto genere honeſtiorem & verecundiorem Germa- „ nis & Gallis cultus formam Poloni, Tartari, Ruſſi, Turcæ & cæteri ori- „ entales populi retinent, dum omnes, ſummi & infimi, geminis tunicis, „ interiori ac exteriori, ad talos demiſſis, verecunde & accurate omnes „ eas corporis partes, quas abdi & occultari natura voluit, tegentibus „ utuntur, eaſque perpetuo & conſtanter, nunquam tot ſeculis immutatis, „ conſervant. Galli vero & Germani, quoties quam leviter hæc vertunt „ & variant? quales aſſiſtunt interdum ad menſas Principum virorum fœ- „ minarum & virginum, prægustatores, ſuſpenſo ex humeris amiculo bre- „ viſſimo, vix ad cinctum deſinente, nec podicem, nec anteriora magis „ pudenda, velante. Quam inſignem deformitatem & impudentiam tur- „ pem ac fere obſcœnam, honeſtorum & gravium virorum oculos & ani- „ mos offendentem, tolerari ab iis, qui pudoris, verecundiæ, caſtitatis & „ juſtitiæ in terris ſummi cuſtodes & vindices eſſe debeant. Quis non mi- „ retur, quanto cum dolore ſenes & prudentes in Academiis ſingulis fere „ bienniis aut trienniis habitum adoleſcentum mutari, & inuſitatas pile- „ orum, palliorum, aliorumque indumentorum formas ineptas fingi, ac „ refingi, & colores ſubinde variari cernunt, quod levitatis & inconſtan- „ tiæ, morum & animorum vanitatis notam & indicium eſſe intelligunt. „ Varia enim & verſicolor veſtis certiſſimum animi varii, perverſi & vani „ eſt argumentum. Talia autem ingenia, & mores perverſi & varii, va- „ rios motus & calamitates, privatas & publicas, & totarum ſæpe fa- „ miliarum, urbium & gentium mutationes & excidia attrahunt.

„ Coerceant ergo, qui Rempu. & poſteritatem ſaluam eſſe cupiunt Ma- „ giſtratus, & qui cum poteſtate ſunt, hanc ſtultæ inventutis & muliercu- „ larum otio & curioſitate laſcivientium φειδωλίαν καὶ ἀναλωτησίαν. Nos vero „ docentes, voce & cohortationibus noſtris, auditores ad modeſtiam & „ verecundiam, in veſtitu honeſto ſervandam invitemus. Ac ſi omnio de- „ ploratum erit malum, nos tamen noſtro officio defuiſſe non videamur. „ Probo igitur conatum & inſtitutum, in hoc argumenti genere accura- „ tius tractando, tuum; nec dubito, omnes, non monſtroſis ingeniis „ præditos, qui hęc legent, ſi non cohortationibus & clamoribus noſtris, „ attamen graviſſimis ſapientiſſimæ antiquitatis judiciis & teſtimoniis, à „ te collectis, ad modeſtiæ & virtutis ſtudium ardentius, Deo juvante pro- „ motum iri.

Atque hæc appendice anno 1666. adjectâ hactenus de vanitatibus & excelſis mundi partim in autoribus antiquis & recentioribus indicare, partim ex iiſdem hic exhibere volui: ut aliqui videant ſolos concionatores & theologos noſtrates talia monentes ſannis & ſatyris non peti.

DE

DE EBRIETATE.

Resp. JACOBO MIGRODIO, Aernem.-Zeeland. 14. & 22. *Octob.* 1636.

De Ebrietate acturi 1. *Vitii hujus naturam.* 2. *Modum & praxin illud expugnandi.* 3. *Quæstiones quasdam morales seu conscientia casus explicabimus.*

EBrium esse aut inebriari, Heb. שכר *schachar* significat in sacris, *primò* mentis perturbationem divinitus inflictam *Jes.* 29. 9. *Secundò*, plenitudinem bonorum spiritualium *Cantic.* 5. 1. cum *Ephes.* 5. de quâ spirituali ebrietate suo modo etiam philosophantur Platonici, & ex iis *Ficinus in argum. Dialogi* 2. *de Justo. Tertio*, debitam corporis refectionem *Hagg.* 1. 9. *Gen.* 43. 34. *Joh* 2. 11. §. 1.

Nos significationibus illis omissis, agimus hic de Ebrietate, quæ definitur: *Intemperantia seu excessus in potu.* Quod ad *definitum*, distinguitur Ebrietas ab Ebriositate, illa notat actum, ista habitum. *Genus* est Gula & intemperantia ἀσωτία *Ephes.* 5. est n. Ebrietas est species intemperantiæ, virtuti sobrietatis directè opposita; estque ejus disparatum *comessatio.* Temperies in genere requisita est, ut *homo temperet se vino, & sibi vinum*, ut non malè dicitur *Decretal. lib.* 3. *tit.* 2. *c.* 18. hoc est, ut proportionatè corporis necessitati ac complexioni suæ, insuper honorum, vocationis, conditionis, sexus, locorum, temporum circumstantiis & decoro, tali tantoque potu, tali tempore & toties se reficiat, ut aptior sit ad Deo & proximo suo secundum vocationem inserviendum. Peccat ergo contra sobrietatem, vel qui nimis frequenter aut intempestivè & indecorè *Jesa.* 5. 11. cum *Ecclesiast.* 10. 16. vel qui nimis multum concupiscit, aut bibit; vel qui pretiosiora & delicatiora appetit, quam conveniant statui; vel qui curiositate, insolentiâ, aut contentione modum excedit, ut e. g. in haustu Cleopatræ. Hinc definitio Glossatoris ad *decretal.* modo cit. *Ebrius est qui sine mensurâ bibit.* Et in conclusione Thomæ 22. qu. 120. art. 1. *Ebrietas, quæ inordinata vini concupiscentia est, vitium judicatur magis; quam illa, quæ in rationis privatione consistit*; & art. 2. *culpa ebrietatis consistit in inordinato usu & concupiscentiâ vini.*

Consectar. I. Nimis anguste Scholastici & Casuistæ Pontificii *Valentia*, *Toletus*, *Javel.* aliique definiunt ebrietatem per usus rationis privationem.

tionem. Quia illa privatio non est formaliter peccatum Ebrietatis, sed quid consequens. Ebrietas enim dupliciter potest accipi. Uno modo prout significat defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato. *Secundum hoc*, inquit Thomas 22. qu. 150. a. 1. *non nominat culpam, sed defectum pœnalem consequentem ex culpâ. Alio modo ebrietas potest nominare actum, per quem homo in hunc defectum incidit.* Et talis ebrietas propriè definienda est; non verò consequens illud impotentiæ mentis aut corporis, quod potest abesse aut adesse. Et sic scriptura in genere reprehendit omnem ἀκρασίαν & creaturæ Dei, temporis, bonorum, sanitatis abusum *Proverb.* 23. *v.* 20. 30. 1. *Tim.* 3. 3. 8. *Tit.* 1. 7. *Jesa.* 5. 22.

II. Periculosè etiam restringit *Thomas* cum *Cajetano in comment.* 22. *qu.* 150. *art.* 2. & Toletus lib. 8. c. 61. in eo *consistere actum ebrietatis seu culpæ mortalis, quando quis propter delectationem in potu sciens & volens privat se usu rationis.* Et Cajetanus in summulâ, *Nisi intenta sit, non est ebrietas formaliter sed materialiter tantum.* Quasi vero omnes ebrii illâ intentione voluptati suæ frena laxent, ut mentis impotes fiant. Sufficit incuria & negligentia ad constituendum τὸ voluntarium in hoc peccato; etiamsi quis directè defectum illum non intendat. Vide *Luc.* 21. 34. 1. *Thessal.* 5. *v.* 7. 8.

III. Pessimè consulunt conscientiis, qui dicunt esse peccatum tantum veniale ebrietatem illam, quæ turbat hominem in phantasiâ, ut videatur ei quod domus gyretur, *Cajetanus in Summulâ* in voce *Ebrietas.* Confer *Valentian. in* 22. *disput.* 9. *quæst.* 3. *punct.* 2. *Toletum loc. cit.*

§. 2. *Objectum ebrietatis*, circa quod excessus committitur, est omne potabile. Inter quæ excellit quidem vinum, proximo loco est hydromeli, cerevisia de quâ Plinius lib. 14. c. 22. *Heu mira vitiorum solertia, inventum est, quemadmodum aqua quoque inebriaret.* Vide *Dalecamp. ad loc. cit.* Adde & potum ex pomis, item ex dactylis, de hoc *Philostratus lib.* 2. *de vitâ Apollon. Thyanæi*; etiam ex hederâ, *Plutarch. in quæst. Roman. qu* penult.; adhæc ex radicibus, qualis est Brasilienſium *caovin*, de quo *Joh. Leryus in histor, navigat. Brasilienſ. c.* 9. Nec excludimus aquam aut lac, cum constet utriusque imprimis lactis haustu multos etiam præmonitos repentinæ mortis sibi fuisse authores; quod experientia affatim docuit. De aquæ & vini frigidi haustu vide *Dominic. Terillum Philosoph. & Medicum Venetum tract. de Causis Mortis repentinæ cap.* 2. Huc refer fumos illos, odoratos quibus voluptatis causâ se inebriabant Scythæ & Thraces *Mela lib.* 2. *c.* 2. *Solinus Polyhistor. c.* 15. *Maxim. Tyrius dissert.* XI. *Dio Chrysostom. orat. ad Alex.*

Consectar. I. Rationem non videmus quare Thomas distinguat d. quæst. art. 2.

art. 2. *Plus sumere in cibo & potu, quam necesse sit, pertinet ad vitium gulæ, quæ non semper est peccatum mortale.*

II. Vulgo nimis restringunt objectum ebrietatis ad potum inebriantem: quamvis enim primarium sit; non tamen solum est, circa quod sobrietas exercenda.

III. Puto non minus sed etiam aliquâ ratione magis contra sobrietatem peccare illos, qui Tabaci fumis inspirandis & exspirandis voluptatis causâ aut malâ consuetudine, aut in gratiam compotorum, aut ad provocandam sitim, magnam partem diei sæpe & noctis comburunt, atque adeo cum pretioso tempore fortunas, honorem, sanitatem dilapidant: ratio est, quia usus necessarius ejus tantum est ut medicamenti; cum usus cibi & potus sit ut quotidiani alimenti.

Causæ tum procreantes tum conservantes hoc vitium, sunt vel gene- §. 3.
rales vel speciales. Generales sunt non recordari Dei sui, non recordari miseriæ & maledictionis nostræ propter multiplicia peccata nostra, non timere Deum, non recordari novissima nostra, aliaque in loco communi de *peccato* recensenda. Causæ & occasiones speciales sunt partim ex ipso peccante, partim ex aliis. Ex ipso peccante sunt.

I. *Quod* obliviscatur aut non consideret severum Dei interdictum & gravissimas comminationes *Jesa.* 5. 11. 1 *Cor.* 6. 10. *Luc.* 21. 35. 2.

II. *Quod* securè appetitui suo indulgeat, & falsæ carnalisque libertatis, pacis & suavitatis studio ac gaudio sibi imponat *Rom.* 13. *v. ult.* 2. *Petr.* 2. 13.

III. *Ignavum* otium & bruta solitudo, cum homo nihil agendo malè agere discit: imprimis si domi aut foris tempus opportunum, bonorumque & potus copia suppetat.

IV. *Corporis* & complexionis infirmitas, aut *ἰδιοσυγκρασία* sive congenita, sive adventitia, e. g. melancoliæ periculum, senectutis frigiditas, juvenilis caloris excessus; quibus cum frequentiori aut abundantiori potu succurritur prætextu naturalis necessitatis facilis, in hoc vitium prolapsus est.

Causæ & occasiones aliunde suppeditatæ præsertim in Belgio nostro, quas hactenus observare potui, sunt istæ.

I. *Prava educatio*, & inde attracta consuetudo sæpe multumque bibendi; quod falsè satis exprobrat nostratibus Barclayus: *Infantibus*, inquit *adhuc ab ubere pendentibus lagunculas adsimilitudinem uberis effictas & hordeaceo potu plenas tradunt in manu.* Vide reliqua in ejus satyrici *part.* 4. *c.* 5. *p.* 370.

II. *Illiberale*, incivile & importunum illud convivatorum cacoëthes (libe-

(liberalitatem & aperti pectoris candorem vocant ebrietatis proxenetæ) quo convivas suos ad largiorem potus usum invitant & compellunt, tum verbo, tum exemplo, tum subsidio, advocatis auxiliaribus copiis & sociis in hâc palęstrâ exercitatis, cum quibus & per quos dum miseros suos convivas venantur, ipsi à doloso illo luctatore plerumque turpiter capiuntur.

III. Nimia splendidorum ac solennium conviviorum (seu conbibiorum) frequentia ac licentia: ubi pietatis & honestatis leges, tantisper silere, & de juris ἀκριβοδικαίῳ hâc in parte dispensari nemo non credit. Cum tamen si alibi, hic certe obtineat illud Ephes. 5. 15. Marc. 13. 35. 37. 1 Petr. 5. 8.

IV. *Leges*, artes, consuetudines convivales quam plurimæ, totidem diaboli insidiæ & manuductiones ad ebrietatem; quales sunt sortitiones, pocula pedibus truncata, suavia fœminis & puellis ad singula haustuum instertitia seu respirationes pangenda, strepitus cantionum & acclamationum (etiam tubarum in conviviis magnatum & militum, quibus tubicinum copia); quo tanto melius in Bacchicum hunc Martem animi incendantur.

V. *Diaboli Bacchici excelsa illa*, quæ *Sanitates*, vocant: de quibus infra.

VI. *Malus ille* mos omnes familiarium & amicorum conventus, alloquia, salutationes, confabulationes quovis tempore libamine Bacchico conspargendi: quasi scil. amicorum vivere sit bibere, & omnis amicitiæ suavitas à sola ansâ canthari ac ἀμφιβαφοῖς haustibus dependeat.

VII. *Nimia tabernarum* frequentia & licentia, quarum artibus & illiciis imprudentiores ad ebrietatem rapiuntur.

VIII. *Subdoli* quidam & malè feriati congerrones & combibones, seu præbibones, qui hoc unum agunt ut occultâ quadam & diabolicâ suadâ quamplurimos in ἀσυλίας societatem pertrahant.

IX. Nec minima hujus vitii illecebra est, impunitatis spes. Ne quidem infamiâ ullâ vulgo laborant ebriosi, etiamsi vel pulmones cum infelici animâ tandem evomerent; modo hoc caveant ne domus præ nimia crapulâ dominum suum evomat. Quod Tacitus olim de moribus Germanorum c. 22. *Diem noctemque continuare potando, nulli probrum apud Germanos:* Id hodie fere Itali & Hispani de Germanis & Belgis. Pudet legere illa, quæ habet Italus *Thomas Garsoni in suâ Piazza Universale discurs.* 108. Ita nos sumus illis quod Helices Spartanis.

X. *Exempla* potentiorum & ditiorum quamplurium; qui prosperitate suâ & Dei benignitate abutentes monstri hujus fœditatem fovere & palliare non desinunt.

XI.

XI. Multitudo & impudentia patronorum, qui clancularia aut publica præconia Baccho suo canunt, & conquisitis prætextibus, sophisticisque rhetoricationibus vitii hujus gravitatem extenuant: de quibus merito usurpes illud Hieronymi in Jovinian. lib. 2. c. 19. *Habet in exercitu suo plures succenturiatos, habent scurras & velites in præsidiis, crassos, comptos, nitidos, infidos clamatores, qui illas pugnis calcibusque defendant.* Et ibid. *Majori procaritate defendunt ebrietatem quam exercent.*

Adjuncta seu propria & effecta hujus vitii fere innumera sunt: Propria sunt, quod tam grave, turpe, indecorum & homine indignum; quod in proprium corpus committatur; quod tam universale & tam latè se diffundat per effecta sua; hinc insaniæ, phrenitidi, morbo caduco, apoplexiæ, opio, helleboro, veneno, feræ devoranti, tyranno, aliisque rebus comparetur. §. 4.

Effecta sunt, peccata vel erga Deum, vel erga proximum, vel erga seipsum. *Erga Deum* quidem, tum quod ebrius ventrem suum faciat Deum *Philip.* 3. 19. tum quod ineptum se reddat ad Deum colendum 1 *Thessal.* 5. 7. 8. tum quod abutatur Dei creaturis *Jesa.* 5. 11. 12. *Erga proximum* injurius est, Rempublicam scil. & Ecclesiam dum eam dehonestat, & neutri operam impendit; erga peregrinos, concives, domesticos, pauperes detractione, stultiloquio, contentionibus, pugnis, expilationibus & defraudationibus. *Erga seipsum*, dum se suaque omnia perturbat & corrumpit, bona animi, corporis, & fortunæ; imprimis spiritualia salutis media, ipsamque salutem, & omnium fere aliorum vitiorum sibi author sit. Quæ omnia quia thesium angustia non patitur, exposita vide apud *Basilium hom. de Ebrietate*; *Ambros. de Elia & jejunio*; *Augustinum de tempore sermon.* 231.; etiam passim apud *Chrysostom. Clementem Alexandrin.*, *Hieronymum*, &c. quibus adjungi possunt *Vivaldus* in aureo opere Contritionis, *Alexandri Angli Destructorium vitiorum*, *Peraldi summa vitiorum & virtutum*, *Busæi panarium*, &c. nec contemnenda quæ apud *Platonem in Symposio*, *Senecam* passim, aliosque Morales occurrunt. Imprimis judiciosè & practicè hoc egerunt ex nostris *Taffinus de Emendatione Vitæ*; *Joh. Downane*, *Nathanael Cole*, *Samuel Ward*, *Harris* peculiaribus tractatibus & concionibus, *Sixtinus Amama Oratione editâ*, cum scriptoribus de *Sanitatibus* infra citandis. Authores Ethicos, Oratores, poëtas non est quod indicem. Ex Jurisconsultis *Althusius dicalog. lib. 1. cap. 111.* Ex locor. commun. scriptoribus *Petrus Martyr.* Quibus adde commentatores in Decalog. & loca scripturæ jam cit.

Dividi potest ebrietas in quinque species: quomodo gulæ species quinque ponuntur à *Thomâ 22. qu. 158. a. 3. Navarro in Manual. c. 23. n.* §. 5.

119. aliisque Casuistis, quos versiculo illo includunt, *præpropere*, *lautè*, *nimis*, *ardenter*, *studiosè*: quos alii tamen vocare malunt, quinque modos in quibus non est lethalis culpa, sed tantum venialis (hæc scilicet ἀκριβεια Papistica) teste *Azorio tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 18. Dividitur etiam ex gradibus & effectibus in completam & incompletam, quarum illa omni usu rationis hominem privat, & ad omnia officia planè ineptum reddit.

Opponuntur ebrietati *primò* sobrietas, immo & ipse Deus omnis temperantiæ author, omnis σωφρων ossor & vindex. *Deinde*, vitia in defectu 1. delirium Severianorum qui vini usum damnabant, *Augustin. de hæres. c.* 24. quibus affines erant Tatiani, Encratitæ, Manichæi, de quibus vide *Augustin. de hæresibus*, cum commentar. Danæi. II. Malus mos eorum qui ex avaritiâ genium suum defraudant. 3. Vitium quodque in defectu, *quod quamvis raro contingat teste Philosopho* 3. *Ethicor. tamen si quis scienter in tantum à vino abstineret, ut naturam multum gravaret, à culpâ immunis non esset* sunt verba Thomæ 22. quæst 150. a. 1.

§.6. Delineandus nunc modus evitandi aut expugnandi hoc vitium: qui hic est. *Primo*, ut præservativa ac antidota rationum ab adjunctis, effectis & oppositis ebrietatis supra recensitis, nobis aliisque applicemus. *Secundò*, ut omnes, causas occasiones, signa, immo & omnem speciem hujus maleficii (de quibus thesi 3.) evitemus, ac quantum in nobis est, destruamus: memores ejus quod est apud Comicum: *Flamma fumo est proxima, Fumo comburi nihil potest, flamma potest. Tertiò*, ut Ecclesiasticâ disciplinâ secundum antiquas & hodiernas constitutiones, ac liturgias læviens hoc malum coërceatur. Nec etiam dormiant leges Politicæ; ne inferiores sint Christiani Gentilibus, de quorum legibus adversus ebrietatem *Plato de Legib. lib.* 7. in fine, & *Thomas Garsoni lib. cit. discurs.* 108. in fine. De pœnis jure civili irrogandis, deque inhibenda tabernarum frequentatione vide *Petr. Gregor. Tholos. in syntagm. Juris lib.* 39. *c.* 8. *&* 12. Et *Althus. lib.* 1. *c.* 11. *Quarto*, ut patres familias, imprimis ditiores, item Magistratus, Clerici exemplo suo aliis hic præeant, & vel aspectu suo epidemicum hoc malum profligent, *Proverb.* 31. 4. *Jes.* 28. 8. 1 *Tim.* 3. *v.* 3. 8. De Clericis vide Canones Eccles. universæ, & Photii Nomo-canonem, ubi statuta Conciliorum; adhæc Canonistas ad *decretal. lib.* 3. *tit.* 2. *c.* 18. Patres & Theologos in loc. comm. & tractatibus peculiaribus de officio pastorum, & in commentar. ad 1 *Tim.* 3. *& Tholosan. ac Althus. loc. cit.*

§.7. Restat breviter decidamus casus quosdam seu quæstiones morales; quarum.

I. *Quæst. An si ebrius non compos rationis fornicaretur, peccaret? Resp.* Aff. Contra Cardinalem *Toletum in Summâ lib.* 5. *c.* 11.

II.

II. *Quæst. An Lothus ab incestus immo & ebrietatis crimine excusari possit? Resp.* Neg. Contra eundem, & *Thomam* 22. *qu.* 105. a. 4. & *Pererium* in *Genes.* 19. *qu.* 7.

III. *Quæst. An ebrietas scienter, non ex delectatione potus, sed propter medicinam sit licita? Resp. Neg.* Cum summâ Angelicâ, *Antonino*; contra *Cajet. in comm. ad* 22. *qu.* 105. *a.* 2. & in *summulâ* & *Valentiam*, *Sylvestr. Toletum*, *Azorium*. Nec valet hic distinctio Thomæ in ebrietatem formalem & materialem. Ut nec illud, quod *Cajetanus* adfert de usu Opii & similium narcoticorum.

IV. *Quæst. An sit licita ad evitandam sævitiam tyranni aut infidelis? Resp.* Neg. Et sic melius hic Cajetanus loc. cit. *Non sunt facienda mala*, &c. Et quæcunque obtestatio, adjuratio, coactio, comminatio aut violentia prætendatur, tenendum semper illud Augustini sermon. 232. *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas aut morieris; melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.*

V. *Quæst. An aliquo in casu liceat alium inebriare boni publici, vel alterius causâ? Resp.* Neg. Contra Jesuitam *Lessium de Justit. & Jure lib.* 4. *cap.* 3.

VI. *Quæst. An Noachi ebrietas fuerit ex merâ ignorantiâ, atque adeo excusabilis? Resp.* Neg.

VII. *Quæst. An ignoranti plane potum aut vim potus inebriantis, sive in genere, sive in specie, liquidem haustus ei perturbet phantasiam, ebrietatis culpa imputanda? Resp.* Neg.

VIII. *Quæst. An homicidium nec prævisum nec præintentum, commissum ab eo qui culpâ suâ se inebriavit & se exposuit periculo occidendi in ebrietate, illi sit imputandum; an vero sit in voluntarium in se & in causâ? Resp. Aff.* pr. Neg. post. Contra *Navarr. in manual. c.* 27. *n.* 24. *Johannem Majorem in* 4. *dist.* 17. *qu.* 8. *Azor. instit. tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 13. Loquimur autem hic de foro conscientiæ; nam an & quomodo in foro externo pœna mitiganda sit, JCC. disceptandum relinquimus.

IX. *Quæst. An tempore & loco convenienti non tantum ad præcisam nutritionis necessitatem, sed etiam ad animi corporisque recreationem potus unquam sumi possit? Resp.* Aff. Cum omnibus Practicis, ex *Proverb.* 31. 6. 7. *Ps.* 104. 15. Vide ibi Commentatores.

X. *Quæst. An præservativis adversus mentis aut phantasiæ perturbationem munire nos debeamus, ut pari passu cum aliis convivis bibamus? Resp.* Neg.

XI. *Quæst. An vocatio cauponum, qui ebriosorum compotorum, aleatorum,* &c. *collegia recipiendo, volentes scientes fovent & promovent ebrietatem (quales*

les hodie non pauci) *Deo placeat, & tales ad ſacram communionem ſint admittendi? Reſp.* Neg.

XII. *Quæſt. Quid ſentiendum de recordatione aut mentione abſentis amici, quam inter bibendum injicere ſolent Angli? Reſp.* Per ſe quidem non eſſe malam, nec per ſe, ut ipſorum bibendi mos eſt, facere ad promovendam ebrietatem. Apud nos tamen, ut quidem alia hic præbibendi ratio, præſtat illas recordationes non introduci.

De Sanitatibus Seu Poculis Boni Ominis.

§. 1. CUm idololattriâ & cultu ſuo Diabolus plerumque ebrietatem, ſcortationem & ſimiles impuritates conjungit. Hinc Gentilium choreæ, ſpectacula, comeſſationes ſacris & feſtivitatibus permixta; & putabant ſe Diis ſuis λατρείαν præſtare ſi pluſculum ſe invitarent etiam ad ebrietatem, unde *Ariſtoteles* μεθύειν derivat à τὸ θύειν *Rodigin. antiq. lection. l.* 12. *c.* 2. Inſaniam illam imitati Iſraëlitæ, ut colligere eſt *Exod.* 32. 6. cum 1 *Cor.* 10. 7. Erat autem inter pocula illa dæmoniorum, *poculum delibatum* ut vocat *Minutius Felix*, ex quo Diis libabant ſalutantes primo Deos, deinde amicos, & bibentibus illud fauſta omnia precabantur, & tibicen plerumque libationi illi accinebat: ex *Livio*, *Plutarcho*, *Virgilio*, *Athenæo*, *Homero*, *Heliodoro* aliiſque *Jul. Cæſar Bulengerus de Conviviis lib.* 3. *c.* 34. Ab illis poculis abhorrebant Chriſtiani, teſte *Minutio in Octavio*, & *Arnobio lib.* 7. Erat poculum Διὸς σωτῆρος & ἀγαθοῦ Δαίμονος; illo claudebant, ab hoc auſpicabantur convivium: de quo *Dempſterus ad antiquit. Roſini lib.* 5. *c.* 30. Quod poculum imitatione legis ceremonialis, (ſecundum quam poculum ſalutis coram Deo bibebant *Pſ.* 116. *v.* 15. cum *Math.* 26. *v.* 27. Ubi vide *Bezæ* notas.) à Satanâ introductum eſt. Pocula ejuſmodi omnes convivæ κύκλῳ bibebant, ſæpe ἀπνόῃ abſque reſpiratione. Magiſter convivii, quem Græci dicunt συμποσιάρχην, ſolennitatem hanc inſtituebat & inchoabat: Deorem, Dearum, Amicorum abſentium aut præſentium, amicarum, procorum, quin & Regum; Principum magna nomina prætendebantur; reliqui convivæ bibenti acclamabant, ut quidem has aliaſque hujus formæ vacuas obſervationes annotârunt inter alios *Stuckius* & *Bulengerus*, *in convivalibus*, *& Lipſius antiquar. lection. lib.* 3. & *poliorcet. lib.* 1. *dial.* 10. *Dalecampius ad Plinii lib.* 14. *c.* 22. *Parthaſius in quæſit.* per epiſtolam, *Turnebus adverſar. lib.* 19. *c.* 13. *Roſinus* & *Demſterus in antiquit. Romanis*, *Adr. Junius animadverſ. lib.* 3. *c.* 7. *Johannes Frid. Mathenef. in tract. de More bibendi in ſanitatem.*

§. 2. Ritum autem hodiernum bibendi in ſanitatem hinc profluxiſſe & ex re-

reliquiis Ethniciſimi per medium Papatum cum ſexcentis aliis ſuperſtitionibus & vacuis obſervationibus in hanc ſeneſcentis mundi ſentinam ſe exoneraſſe nemo dubitabit, qui quidem deſcriptionem ejus ex obviâ obſervatione, aut ex tractatu Opſopœi de Arte bibendi, *Johannis Frederici aut Wilhelmi Prynne Tract.* de *Sanitatibus* didicerit. Eſt enim nihil aliud „ *Sanitas* „ ſeu *ſalus*, ſeu *poculum geniale*, aut *boni ominis*, quam certa quædam po- „ tus menſura exhauſta, cum præfatione & voto ſalutis alicujus ſive ab- „ ſentis ſive præſentis imprimis φιλτάτων κεφαλῶν & magnorum nominum, „ ut Regum, Principum, Magiſtratuum, patronorum; aut etiam in feli- „ cem ſucceſſum maximorum negotiorum aut ſuſceptorum munerum un- „ de familiæ, Eccleſiæ, patriæ ſalus imprimis dependeat: adhibitis geſti- „ bus apertionis capitis, erectionis in pedes, aut genuflexionis, aut cu- „ juſcunque alterius profundæ ac ſolennis reverentiæ: & quidem hac cum „ conditione ut poculum illud circumeat & omnes convivæ paria faciant, „ quippe adjurati & excorciſmo quaſi ligati per magna illa nomina, per- „ que ſalutem patriæ, Eccleſiæ, familiæ; quæ violare & quorum ſym- „ bola, ſigilla, profeſſiones, proteſtationes poculis illis factas, ſuſque de- „ que habere grande ſit nefas: utinam contumeliis, verberibus, venena- „ tis morſibus, aſperrimis cenſuris, & graviſſimis ſuſpicionibus (quaſi Pa- „ triam, Magiſtratum, & ſalutem utriuſque quis contemneret) expiandum. Si alicubi ritus varient, aut hanc illamque conditionem & ſolennitatem omittant, aut de rigore quid remittant, non tamen magis & minus variant ſpeciem & ideam ab authoribus illis ex intuitu perpetui moris in Germaniâ, Belgio, Angliâ, Galliâ, &c. depictam.

Coroll. An Joh. Fredericus rectè Salutum *iſtarum ſeu* Santearum, *ſi non primam originem, ſaltem inſtaurationem & alteros quaſi natales Luthero tribuat? Reſp. primo* Comeſſationes & ebrietatem, arteſque ac mores earum in Papatu & Clero proprias ſedes fixiſſe, infinitis teſtimoniis domeſticorum teſtium doceri poteſt. Si ſemel *Lutherus* in privato convivio indecoram illam *ſalutum* inſaniam inſaniit (quod Sermonum convivalium authoritate nondum ſatis perſuaſum eſt) utique habuit, & retinuit aliquid antiqui κακοήθους ex Papatu & Monachatu: ut quidem haud facile eſt plane *demonachare monachum* (*demoyner un moyne*) ſunt verba *Franc. Junii adverſus Charronum*: ubi cum aliâ in causâ ejuſdem *Lutheri* Unicum patronum agit. *Secundo*, factum *Lutheri* in vitâ & converſatione, non debet præjudicare ejus doctrinæ & toti Eccleſiæ Reformatæ. Et malè hinc colligit adverſarius hoc profano ritu ratificatam & ſtabilitam Reformationem. *Tertio*, ſciant *Lutheri* prætensâ *Salute*, antiquiores eſſe Clericos illos, quibus *Concil. Lateranenſe ſub Innocentio* III. *cap.* 15. Eas interdicit. Et Papam Johannem XXII.

qui in *Synodo Romæ* coram Imperatore ab omnibus Clericis accusatus, *quod in amorem Diaboli vinum bibisset.* Luit prand. & Schafnaburg. apud *Baronium ad ann.* 263. *n.* 17. Nec erant Clerici illi Lutherani quos restringit *Concil. Colonienſe* 1536. *sect.* 2. *c.* 24. *p.* 12. & *sect.* 5. *c.* 6. *p.* 24. & de quibus refert ipse adversarius lib. 1. c. 6. quod hauriant salutes in honorem sanctorum & angelorum: quo tamen sanctis maximam injuriam inferri, statuit *Augustin. serm. de Tempore* 231.

§. 3. Quæritur nunc, *An Ritus ille bibendi retinendus sit, an vero ab omnibus piis privatim, & ab anteceſſoribus in Eccleſiâ & Politiâ deſtruendus? Reſp.* Pr. Neg. & poster. affirmant præstantissimi quique Theologi. Rationes sunt istæ.

1. *Quia* repugnat caritati, justitiæ, & libertati Christianæ. *Caritati*, cum quis proximo suo reluctanti molestus est, iratus & infensus usque ad jurgia, indignationes, minas, verbera, Augustin. serm. 231. *Illa fœda & infelix consuetudo per quam grandi mensurâ ſine menſura tres homines aut volentes aut invita ſolent bibere, de Paginorum obſervatione remanſit: ideo tanquam venenum Diaboli de veſtris conviviis reſpuatis. Juſtitiæ*, quia non servatur justitiæ æqualitas, cum diversæ temperiei, ætatis, & conditionis homines ad æquales haustus rediguntur. De quo vide determinationem *Leſſii lib.* 4. *de Juſtitiâ & Jure cap.* 3. *dub.* 4. Et *Weſembecii in pandectar. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 12. *libertatis*, quia usum liberum creaturarum Dei Christianis adimit, eosque tyrannicâ servitute premit; contra primitivum Christianismum: dequo Tertull. apol. cap. 39. *bibitur, quantum pudicis eſt utile.*

11. *Quia* ut plurimum & ex suâ naturâ occasio & causa est ebrietatis, & abusus creaturarum Dei. Pari ergo ratione quâ hodiernæ choreæ, comœdiæ, similesque peccatorum illecebræ à Theologis ex methodo explicationis *decalogi ad* VI. VII. VIII. *præcept.* explodi solent, ritus hic exterminandus est.

111. *Quia* vanus est superfluus, indecorus, mundanus, carnalis, nec utilis, nec necessarius, inventus à Diabolo, frequentatus maximè Ethnicis, prophanis, ebriosis, lurconibus, &c.

IV. *Quia* scandalosus est, seducens imprudentiores & tristitiâ afficiens non paucos. Nunc applica huc analogicè illud 1 *Cor.* 8. *v.* 12. 13.

V. *Quia* nomina eorum profanantur, in quorum salutem bibitur. Huc enim applicari potest illud Augustini serm. 232. *Nullus tam gravem injuriam ſanctis angelis, vel ſanctis hominibus agnoſcitur irrogare*, &c.

VI. *Quia* nimis ambiguos & vulgares reddit serios, & religiosos illos gestus: Et nugacem, vilemque notat devotionem ac præcisitatem eorum, qui

cum

cum *Janitati* libenter assurgant, genuflectant, caput nudent, vix in publicis exercitiis pietatis tale quid præstarent.

VII. *Accedunt* authoritates *Ambrosii de Eliâ & jejunio c.17. Hieronymi in Tit.1.* aliorumque patrum, Conciliorum, statutorum Imperialium, Theologorum nostrorum, Politicorum, & Sapientum; quorum sententias, apophthegmata, judicia, hac vice non describo, quia Thesium angustia non capit, & magnam partem exhibuerunt ea *Johannes Fredericus Mathenesius* Historiarum & Græcæ linguæ Professor Colonienſis, & diffusæ lectionis Jurisconsult. *Gul. Prynne* in tract. Anglicè adversus *Salutes* conscripto. Restarent refutationes exceptionum & objectionum, pro reformatis & bene ordinatis scil. *Santeis*, quas in publicis prælectionibus soleo proponere, sed Typographus monet abrumpendum.

Quo tibi potarum plus est in ventre salutum,
Hoc minus epotis hisce salutis *habes.*
Una salus *sanis. nullam potare* salutem,
Non est in potâ vera salute *salus.*

Owenus part.1.lib.2.epigram.42.

Appendix ad disp. de Ebrietate anno 1666.

DIsputationem de Ebrietate totam uti 15. Octob. anno 1636. primum edita est, hic visum fuit reponere: idque ob quæstionem de *poculis salutis*. Eandem quæstionem de santeis totidem verbis, ex disp. de Ebrietate uncinulis marginalibus distinctam, ne literulâ quidem quod sciam mutatâ, denuò proponebam 21. Decembr. anno 1636. in disp. de sortis aliisque divini nominis abusibus; quæ 3. *part. select. disp.* inserta anno 1659. ubi pag. 219. & seqq. in appendiculâ de poculis salutis, hanc quæstionem repeto, & contra aliquem, cui determinationem meam admordere libuerat, defendo; cum provocatione, ut in terminis mihi contradicendo elenchum faciat, si quis *Santearum* usui patrocinari velit.

Anno 1646. *in disp. de theologiâ practicâ part.2. §. 1. & 5. & 7. part. 5. §.1. & 2.* determinatè vocavi, *signacula & artificia compellentium santearum, & poculorum encyclicωn: pocula votiva ac conditionata sub sigillo magnorum nominum: pocula votiva & salutis lege & modo Germanorum & Belgarum hodierno, quæ adjurati per magna nomina, pari hausu cum aliis convivis bibant: pocula votiva per adjurationem magnorum nominum justè, immo & religiosè, ac in orbem à convivis evacuanda more & modo apud Belgas & Germanos*

manos recepto. Hæc ſunt quæ nos abolita velimus, & diſſuademus. Quæ cum tangere auſus non fuerit cenſor noſtrorum theologematum; minus candidè aliud quid ſubſtituit, quod exagitandum proponeret. De quo nos a. 1648. in diſpp. de ſelect. problematis *part.* 8. §. 40. & in 3. *part. ſel. diſpp. tit. de ſortis*, &c. Nunc additiones ad diſp. de Ebrietate ordine ſubjicimus.

* *Ad §. 1.*

Ubi de Ebrietate ſpirituali], adde, hanc plenè explicatam ſi quis luſtrare cupiat, is adeat *Maximil. Sandeum lib. 2. theol. myſtica, comment. 5. Exercit.* 3.

Ibid. ad Corollar. 2.] adde citatis *Cajetano, Toleto, Navarrum cap.* 23. Leſſium de Juſtit. & jure, & Sandeum, qui eorundem veſtigiis inſiſtens loco cit. ita deſcribit: *eſt violenta rationis interceptio per nimium potum causâ voluptatis aſſumtum.*

* *Ad §. 2.*

Ubi inter media ebrietatem promoventia *num.* 4. indico ſtrepitum tubarum,

Adde exploſionem magnorum tormentorum prope domum convivii diſpoſitorum; qualem hic memini iteratam, præeunte & comitante tubarum & aheno-tympani cantu, quoties ſolennes ſanteæ circumeuntis potationes inchoarentur aut finirentur. Egregia ſcil. belli in medio otio nobis divinitus conceſſo, ſimulacra! *Nunquid domino retribueris iſtud populus ſtulte & non ſapiens?* Deuter. 30. v. 6.

* *Ibid.*

Ubi *num.* 9. cito *Thomæ Gerſoni Piazza* diſcurſum 108.] Adde, qui multa ex Gentilibus ſcriptoribus tum dicta tum exempla adducit. De Germanis autem ſic loquitur fol. 332. b. *Abominabile vitium ebrietatis tantopere amatum & reverıtum* (ſit venia verbo, quo Ital. *reverito* exprimitur) *inter Germanos, ut res honorabilis & glorioſa ſit ſe inebriare & vino ſepelire.*

Quid quod in Jacomo Caſtaldi balettis 3. vocum, uni tit. præfigitur *Il Tedeſco;* & in ipsâ cantione, quam ſaltanti Germano attribuunt, hæc verba: *Viva viva Baccho*, &c. *Brindes brindes jo jo jo.* Scio ex Germanis Vitum Amerbachium in commentariis ad Phocylidem repoſuiſſe exprobrationi Italorum, ab ipſis talia abominanda committi, de quibus Germani etiam ebrii non cogitarent. Alioqui viri inter Germanos præſtantiſſimi & celeberrimi inter Germanos, vitium hoc, non minus deteſtantur ac Itali, Hiſpani, &c. & monitis atque exemplo ſuo, hoc egerunt, hoc agunt, ut familiare hoc dæmonium laudatiſſ. genti tam infeſtum, inde profligetur. Vide *Camerarium Centur.* 1. *cap.* 93. 94.

Conr. Rittershuſium lib. 4. *lect. ſacr. cap.* 6. *lib.* 8. *c.* 3.

Pa-

Pareum in comment. ad Hoſ.7.

Scultetum, in concione in *Jeſa.28. pag.*346. ubi notat quoſdam ebrietatis non tantum pragmaticos, ſed & defenſores : „ Eò denique turpitudinis proceſſerant ſacerdotes iſti & prophetæ, ut in menſa vomerent, „ nec in ipſorum turpiſſimo confeſſu locus ullus purus à ſordium fœditate relinqueretur.

„ *Applic.* Mira hæc omnino videri poſſent, niſi hodieque ejuſdem farinæ „ſacerdotes & prophetas reperire eſſet, omnium horarum homines: qui „ cyathos epotos præmii loco à ſuperioribus ſuis auferunt, & ſcribunt publicè: Non improbandum in homine Germano, ſi ſe vino largiore obruat. Eſſe enim, qui inſomniam paterentur, niſi vino, velut culcitra „ eſſent ſuffulti. Quoſdam curas ægritudineſque ſuas non niſi vino diluere „ poſſe. Alios non niſi vino animari. Denique eſſe quoſdam bonos viros, „ qui nihil egregii ſcribere, nihil pangere, ſive lingua, ſive plectro poſſint, „ niſi à vino probè madidi.

„ Ac, in hujus rei fidem, de mortuis velut poſtliminio reductos teſtes „ nobis ſiſtunt viros principes, doctos, indoctos: quaſi verò hæc ætas „ heroas tales Germanos non ferat complures! atque ſunt hi, qui incomparabiles viri audiunt. Laudat populus hilaritatem & feſtivitatem hominum! Quid ergo miri, ſi ipſi poſtmodum judicia ſua in re religionis, „ quaſi pridianam crapulam, evomant? Quid item mirum, ſi errantes „ ipſi in viſionibus populum rudem habeant? Quid mirum, ſi prava „ ipſorum exempla in vulgi mores eant?

* §. 4.

Ubi quædam effecta & conſequentia ebrietatis numerantur] Adde, Ebrietatis pœna dicitur eſſe duplex: una quę comitatur ipſo jure & facto; altera quæ à judice inſuper imponitur & decernitur. *Prior* eſt detrimentum honoris, valetudinis, ſalutis. Eſt enim mater & nutrix omnium vitiorum *Jeſ.28.17. Luc.21.22. Proverb.31.23.* Aufert ſapientiam & cor, oblivionem juris inducit, & inſaniam voluntariam, arcanorum detectionem, vitiorum in homine latentium manifeſtationem, facit homines ridiculos, tumultuoſos, contentioſos. *Proverb.20.v.1.* & *23.v.28.* & ſeqq. *Hoſ.4.v.11.* Mortem ſæpe accelerat aut infert. Exempla novimus eorum, qui vini aduſti ſcyphos certatim haurientes repente mortui ſunt. *Poſterior pœna* eſt, in clericis remotio ob officio eccleſiaſtico; in aliis arbitraria. De quibus *Tholoſanus lib. 39. ſyntagm. cap 8.* Specialiter pœna eſt, quod ebrius, qui in actu ebrietatis eſt, eodem loco habetur & haberi debet quo dementes. *Carpzovius lib.2. Juriſpr. eccleſ. tit.2. defin.31.*

Non poteſt ergo contrahere, & ſi contrahat, contractus ipſo jure nullus

est *Ripa* in L. *Is, cui bonis*, 21. D. de verb. obligat. Idem in L. *generaliter*. 76. C. de revoc. don.

Non potest matrimonium contrahere, quia consensu caret *Covarr. Relect. in Decret. cap. 2. part. 2.*

Non potest testamentum condere. *Baldus in c. à crapulâ* 14. *de vitâ & honest. clericor.*

* *Ibid.*

Ubi de Adjunctis Ebrietatis] hic adde signa ebrietatis ratiionem perturbantis. Sunt ea vel *communia*, ut tremor, vertigo, visus geminatio, linguæ incontinentia, balbuties, proclivitas in risum, importuna locutio, lacrymæ, inflatio venarum capitis, capitis rubedo, capitis gravedo, propensio in somnum, desidia, stupiditas, frequens oscitatio; insueta morositas, absurditas in alloquiis aut responsis, quæsita contentio, in quoslibet verborum injuriosorum, etiam verberum immissio. Quales ebrios Belgæ nostri hâc phrasi describere solent: Hy heeft teuen quaden Dzonck.

De aliquibus istorum signorum quærit *Aristoteles sect. 3. problem. quæst. 10. & 23.* Juvenalis Satyr. 6.

Cum jam vertigine tectum
Ambulat & geminis exurgit mensa lucernis.

Hæc & longè plura ebrietatis signa atque effecta canit Theognis in sententiis suis.

Sed observandum, singula illa non esse πτμήεια, ne quidem æque probabiliter significare nec omnia in omnibus, neque omni tempore neque in omni ebrietate conspici; sed alia in aliis, ac aliis temporibus. Variant enim illa, pro vario temperamento, pro humorum qualitate & copiâ, pro ætate, pro vini quantitate & qualitate, pro ebrii naturâ & consuetudine, capitis aut stomachi debilitate aut virtute.

* *Ibid.*

Ubi scriptores indico de ebrietate] Adde, *Brunonem Seidelium*, qui tribus libris physicè & moraliter ebrietatem explicuit; & *Antonium à Balingem* ordinis Jesuitici theologum, qui anno 1624. sex colloquiis physica & moralia de excessu in potu & cibo tractavit, sermone Gallico, tit. *Apresdinees & propos de table contre l'Exces*, &c. Post illum *Petrus Andreas Canonhierus* 3. *libris* de admirandis vini virtutibus, medicè, physicè, historicè, mythologicè, Ethicè, Oeconomicè, de hac materiâ disseruit: indicatis more suo omnis generis autoribus, etiam religionis professione ipsi dissimilibus. Qui candor utroque pollice laudandus est. Ante *Canonhierum*, *Jani Cornari* libri tres de vitâ viniferâ prodierant Heidelbergæ anno 1614. quos *Canonhiero* lectos constat ex *pag.* 165. 251. &c. ubi *Cornarum* citat. Leges

&

& conſtitutiones contra ebrietatem imperialis ſunt Auguſtæ anno 1506. fol. 67. Coloniæ 1512. fol. 924. Auguſtæ anno 1530. fol. 270. De quibus *Chriſtianus Mathias* theologus *lib. 3. ſyſtem.* Ethici *Exercit. 3. ſect. 4. diſquiſ. 4.* „ Sed quemadmodum lex nova, uſu non recepta viribus caret & „ deſuetudine tollitur *De quibus ff.* LL. ita quoque hæ leges imperii contra- „ rio uſu abrogatæ & ſublatæ ſunt peſſimo exemplo, & quâdam turpitudi- „ nis infamiâ.

* §. 3. *Quæſt. 3.*

Ubi determino, non eſſe licitam ebrietatem, propter medecinam] Adde, quod ſicuti ſanitatis cauſa non licet furari pharmaca, aut nummos, quibus pharmacum comparari poſſet : & ſanitatis recuperandæ causâ coitu, extra legitimum conjugium, uti non licet : ſic nec inebriare ſe, ob ſanitatem. Breviter, non ſunt facienda mala turpia, ut malum triſte avertatur, aut bonum naturale acquiratur. Magis ergo piè & theologicè, quam notati Caſuiſtæ, Valeſius medicus de ſacrâ philoſophiâ cap. 27. ubi cum dixiſſet *jucunditatem eſſe ex vino, citra omnem ebrietatem, ex ſpirituum vitalium refectione, quorum penuriâ triſtes ſoleant eſſe melancolici*, &c. in fine concludit : „ Nobis tamen neque ſanitatis, neque hilaritatis causâ procedendum „ uſque ad ebrietatem unquam eſt, neque quæ ad mores ſpectant, pe- „ tenda à Medicis neque philoſophis ; niſi quatenus cum divinâ conſonant „ ſapientiâ : quę tantum vinum permittit in ſobrietate.

Similiter nobilis & literatus *Petrus Meſſias part. 3. variar. lection. cap. 17.* Refert ex ſententia quorundam medicorum, inter quos Avicenna & Raſis, ſalubre eſſe aliquando inebriari : *ſed*, inquit, *rationes eorum mihi non ſatisfaciunt, nec opinionem eorum probo.*

* *Ibid. Quæſt. 12.*

Ubi de recordatione vernaculè *remembrance*] Illam injectam commemorationem aut recordationem abſentis amici alibi uſitatam, tunc non rejeci anno 1636. 15. Octobr. cum diſp. de Ebrietate prodiret. Hinc quidam Santearum helluones, aut eorundem patroni inferre voluerunt, pariter probandas, promovendas, defendendas & doctrina & exemplo noſtro dictas *Santeas* ; Et hoc ni fiat, eſſe meram hypocriſin Phariſæorum, elephantem deglutientium & culicem excolantium, *Math. 23. Reſp.* Longè diſparem eſſe rationem *ſanteæ*, & *recordationis. Iſta* enim per ſe non facit ad promovendam ebrietatem : quia eſt μονόπλοορον. Titius bibiturus dicit Mævio, ſe recordari, aut memorem eſſe τῦ δεῖνα, hic non præſentis. Hoc totum eſt ; hic terminus eſto. Hauſtu facto, ſeponitur calix ; Mævius nullâ ſtipulatione, ſeu pacto intercedente, obligatur ad bibendum, nedum ad parem menſuram ; nec invitatur aut excitatur ad bibendum : ſed libertati

ipsius relinquitur, ut è vestigio petat infundi sibi vinum, & scyphum vel evacuandum, vel ori admovendum; vel nihil amplius in illo convivio bibat. Atqui longè alia est ratio bibendi & præbibendi, in Belgarum conviviis: ubi pragmatia hæc solet esse δίπλευρος: ubi Titius præbibit & præit scyphum evacuando; Et Mævius sequitur, eundem scyphum denuo repletum & sibi à Titio traditum evacuando. Hoc enim sonant formulæ illæ à majoribus ad tempora nostra derivatę, quibus Titius à Mævio ἀμοιβαῖαν ejusdem poculi jam traditi evacuationem, tanquam justam satisfactionem jure & suo & communi symposiaco exigere solet, **Doet my bescheyt**/ Gallicè aut Wallonicè, *fai moy raison.* Hunc Belgarum bibendi morem bonus quidem bibo mihi non ignotus, Gallico mori, secundum quem singulis convivis singulos calices alicubi viderat appositos, longè se præferre dicebat; quod Belgæ biberent, **By Transport ende Resignatie**; hoc est, quod eundem calicem à præbibente evacuatum, & denuo repletum combibenti, cui propinaverant, traderent, etiam manu stipulatâ in plerisque vicis & oppidis; alicubi etiam intercedente osculo, si mulieri traderetur: Alibi aliis ritibus adhibitis. Talia ego nostratium convivalia seu mavis symposiaca sacra inveni, cum primum ministerio ecclesiastico admoverer: talia sexennio post, ad ecclesiam patriam translatus. Quę nec doctrinâ nec facto, unquam probare potui, aut debui: quod viderem esse fertilissimam ingurgitandi occasionem. Quod ad santeas à me descriptas, ob rationes jam expositas, hoc egi, ut ab otiosis immo & periculosis ejusmodi factis abstineretur: quamvis in agris, & apud plebejos in oppidis, usus earum tunc ita frequens non esset, ac constrictionum ad dictas *responsiones.*

* *Ad diatribam de sanitatibus.*

Conferantur, quæ scripsi de *sanitatibus* in 3. *part. select. dispp. tit. de sortis*, &c. *pag.* 1219. & seqq. Et adde autoribus omissionem aut abrogationem *santearum* desiderantibus, ibidem & in hâc disp. de Ebrietate, indicatis; Cancellarium Anglicum, cujus dictum à Boltono tract. cit. refertur: *Ego precor pro sanitate regis, & bibo pro meâ propriâ.*

Augustini illic indicati *serm.* 231. *de tempore*, hæc sunt verba: „In tantum ut in conviviis irrideant eos, qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam adjurare homines non erubescant, ut potum amplius „accipiant quam optant. Qui enim alterum cogit, ut se plus quam opus „est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret.

In

In eodem sermone: „ Ad extremum tu eum noli adjurare, noli cogere: „ sed in potestate illius dimitte, ut quantum sibi placuerit bibat: & si se in- „ ebriare voluerit, vel solus pereat & non ambo pereatis.

Et post, „ Frequenter etiam usque ad vomitum ingurgitare se non eru- „ bescunt, & ad mensuras sine mensura bibere. Majora enim pocula provi- „ dentur, certa bibendi lege contenditur. Qui poterit vincere, laudem me- „ retur ex crimine.

Hieronymus in Tit. 1. „ Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum „ in faciem convivæ jacere, &c. Accusationis occasio est adjuratum per re- „ gem frequentius non bibisse.

Ambrosius de Helia & jejunio: „ Bibamus pro salute Imperatoris, & qui „ non biberit sit reus in devotione.

* *Ad §.* 2.

Cum dico in Papatu potari salutes sanctorum & angelorum] Adde, ex dicto *lib. Joh. Frider. Matheneſii cap.* 8. *pag.* 72. „ Diabolus vidit emissarios „ suos & satellites non latuisse post principia, sed ad ipsa signa in primâ acie „ præclare rem suam egisse; dum illum ritum bibendi super sanitate (in- „ sanià dixeris) in aulas regum, dynastarum palatia, immo antistitum ec- „ clesiasticorum, ac religiosorum communitates, ac cellas ac refectoria mo- „ nachorum victricibus armis intulerunt, & helluonum meri bibiorum fra- „ ternitates larvatâ pietatis purpurâ revincti, erexerunt.

Joh. Buschius in libro de origine capituli Windesdeheimensis per Heriberium Rosweidum anno 1621. publicato refert *pag.* 619. à quibusdam potatum fuisse in honorem S. Johannis: quorum aliquis bene potus inde cum discessisset, & in viâ equum ex rivulo largius aut iterum ad bibendum exstimulasset, addita formulâ, adhuc *in honorem S. Johannis:* nec tamen equus biberet: in hæc verba erupisse, *Certè equus est me sapientior.*

Plato (apud Bulengerum lib. 3. de conviviis cap. 1.) primum craterem ὑγιείας *sanitatis*, appellabat, secundum ὕπνου *somni*, ἔρωτος *amoris*; tertium quartum ὕβρεως *contumeliæ*; quintum βοῆς *clamoris*; sextum κώμων *comessationum*; septimum ὑπωπίων *ictuum* & *contusionum*; octavum μανίας *furoris.*

Sed *Salutes* plerumque denso quasi agmine in homines impetum faciunt, cum sat prata biberunt; duobus, aut tribus, aut quatuor aut pluribus poculis irrigata.

Abrah. Scultetus Ethicæ lib. 1. *cap.* 17. *pag.* 52. sic de poculis prætensæ ne- „ cessitatis. Nulla urbs, nullus pagus, domus fere nulla est, in quâ non sacra „ ebrietati fiant. Quin patronos quoque illa reperit: qui, si aliter neque-

„ant, neceſſitatis illam pallio involvant, eoque coopertam tutò intrà „parietes recipi poſſe autument. *Hoſpites habeo, viros honoratos habeo; „his aliquid eſt dandum.* O perverſi! Creonem in Tragœdia audite: quid „ille?

„ *Mihi, amice, longè ſatius eſſe duxerim,*
„ *Tibi nunc ut hoſtis reddar, ac gratus parum:*
„ *Quam ut levis in te, poſtea graviter gemam.*

„Et quid vereris, ne ruſticitatis tibi aſpergatur macula? *ob metum ne ruſti-„cior videarù, in laterum aut renum dolorem teipſum dare præcipitem, id „verè eſt ruſticani hominis, menteque ac ratione carentis, qua qui præditi „ſunt, norunt & abſque poculis & nidore cum hominibus convivere.* At tur-„pe eſt, vinci poculis! idque demiſſi & anguſti animi indicium eſt. Imo „verò *multo fortius eſt & ebrio & vomitante populo ſiccum eſſe & ſobrium.* „Jam quæ gloria eſt capere multum? *cum penes te palma fuerit, & propi-„nationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſaverint, cum ſuperſtes toti „convivio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, ac nemo tam vini ca-„pax fuerit, vinceris à dolio.*

Joh. Althuſius lib. 2. civilis converſationis *cap.* 11. „Incivile quoque eſt „eos qui menſæ aſſident, ad bibendum comedendumve invitare & urgere „inſtanter. Efficitur enim his invitationibus ut invitatus poſtea in convivio „minus ſit liber & pudore ſuffundatur, cum ſe quodam modo obſervari ar-„bitretur.

Quid diceret de importunis provocationibus ad certamen, de obteſta-tionibus & quaſi adjurationibus per amicitiam, per reverentiam ſuperio-rum, per amorem propinquorum.

Henr. Salmuthus ad Pancirolli novè reperta, *tit.* 1. de potatoribus, deque moribus, artificiis, legibus potandi, plurima ex autoribus exhibet: ex qui-bus paucula iſta decerpo *pag.* 108. „Etſi enim ipſe Plato etiam largiorem „paulò jucundioremque vini invitationem, quæ fieret ſub quibuſdam „arbitris & magiſtris conviviorum ſobriis non improbavit *in* 1. *&* 2. *de „Legib.* non tamen & ebrietatem iſtam turpiſſimam, quæ labefacere & „imminuere hominum mentes ſolet, laudavit, ut rectè illum Platonis „locum interpretatur *Gellius lib.* 2. *Noct. Atticar. cap.* 2. Ideoque illas „bibendi leges, quibus quis cogebatur à bibendi arbitro ſivè Magiſtro ca-„lices æquales exhaurire, Horatius *inſanas* vocat *lib.* 2. *Serm. Satyr.* 6. Et „abuſum illum, quoad potum æqualem ſuo modo ſe obligant potatores, „& ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœ-„cundiores exhaurit, pontifex penitus abolendum decrevit: ne ad biben-„dum quiſquam invitetur (ſicuti uſuvenire ſolet Salutipotorib.) cum ebrie-

tas

„tas inducat & mentis exitium, & libidinis provocet incentivum *c. à „crapula. 6. extr. de vita & honest. cleric.* sed & publica Imperii lege, im„moderata illa adbibendi consuetudo reprobata quidem fuit in comitiis „Augustanis Anno 1530. & 1548. *tit. de compot.* At contrario quasi „usu leges istas abrogatas fuisse, & quidem pessimo exemplo, & non „absque turpitudinis quadam infamia, meritò conqueritur Andreas Gail „*lib. 3. observat. 110. num 23.*

Adamus Contzen in tract. de statu, vitâ, virtute aulicorum, cui tit. *Daniel, cap. 56. 57.* agit de ebrietatis malis & incommodis. *Cap. 57. §. 2.* Periculo„sum est crimen ebrietas, non enim æstimatur gravitate sui, sed consuetu„dine, quæ in Germaniâ & in Indiæ Barbariâ invaluit.

Paulo post: „Tot Germaniæ nobiles diviteſque ad famem ad incitas re„dacti sunt: causam in prædones & bella non ante conferat quisquam, „quam sese examinârit, quam multa ipse per ebrietatem perdiderit, an pœ„nas ipse attraxerit?

Et pag. 399. „Gravissimum porro in aulâ crimen est, *mutua invitatio „& ad ebrietatem inductio*, tam usitata, ut videatur corrigi non posse; *tam „pernitiosa, ut inde omne malum oriri videatur.*

Et pag. 401. „Merito sane à Deo permissum, ut qui se mutuo *ad ebrieta„tis insaniam cogunt*, etiam ad exitia impellant. Una etiam ex causis est, „cur tot Germaniæ comitia in cassum abierint, ebrietas consulentium: non „infunditur ipsis gratiæ cœlestis adjutorium, qui rationem sopiunt, ut ne „terrenis quidem consiliis intendere valeant.

Petrus Andr. Canonhierus de admirandis vini virtutibus, *pag.* 530. „Qui „ad se inebriandum sodales cogit, pejor omni assasino seu sicario est cen„sendus, &c.

Pag. 531. „Quia nihil stultius, quam propriam corporis & animę salu„tem, principis sanitatem præbibendo, amittere.

Pag. 532. „Abusus ille bibendi super sanitate principum est *omnino à „civilibus conviviis exterminandus.*

Et supra *pag* 486. „Quarta assertio: Puerile esset in conviviis pares „scyphos singulis propinare, tum ob ea, quæ superius allata sunt, tum „quia consideratissima ac dementissima temeritas esset, ut tantum Pyg„mæi, quantum Gygantes, fœminę tantum, quantum viri, tantum na„nus, quantum Goliad, tantum imbelles senes, tenerique pueri, quan„tum robusti homines perpotarent: Si verò Pincerna singulorum cor„poris robur, & temperaturas exploratas haberet, vinum discretè, sano„que indicio convictoribus posset afferre; dummodò quilibet debita sibi „portione vellet esse contentus. At quia est impossibile, ut Pincerna, aut

Ma-

„ Magiſter convivii ſingulorum naturas agnoſcat, & ut convivæ naturarum „ ſuarum genios in bibendo ſequantur, vanus labor eſſet, præcepta bi- „ bendi in conviviis alicui tradere. Sed ſeveræ leges poſſent quidem iis „ dari, qui convivantes ad perbacchandum cogunt, quia vini hauſtus „ debent eſſe ſpontanei, & unuſquiſque naturam ſuam examinando, ſu- „ mere, quod velit, & tantum, quantum corporis robur tolerare ſine ſa- „ nitatis prejudicio poſſit.

Henricus Schraßer Harderovicenus in diſp. Juridicà pro doctoratu *de ſponſalibus & matrimonio* in Acad. Cadomènſi anno 1525. propoſitâ. Coroll. xx. „ Eſtne hodierna illa pro ſalute alicujus bibendi ratio (Dat geſontheyt „ drincken) toleranda? Negantium opinioni calamum applaudentem li- „ bens porrigo. *Arg. c. 5. c. 6. 8. dict.* (lege diſt.) 35. Salutis enim potato- „ res hoc modo ſalutem amittunt, &c.

Oliverius Bonartius in commentar. ad Eſther 1. digreſſ. 7. cujus titulus: *Barbarus mos inceſſitur ad æquales hauſtus convivas compellandi.*

In ipsâ digreſſione *pag.* 42. „ Utinam Reges & Magnates hoc Aſſueri „ edictum & ipſi in ſuis ſympoſiis cuſtodirent, & à populis, quibus præſunt „ accuratè tenendum ſtatuerent! Citat Serrarius, quæſt. quartâ in cap. „ Judith. 15. Beatum Rhenanum l. 2. Rerum Germanicarum, aſſeren- „ tem legem Salicam, à Gallis videlicet uſurpatam: *Nemo militiæ ſocium „ aut quemlibet alium ad potandum invitato: quod ſi quis ebrius repertus fue- „ rit, ejectus, quoad culpam agnoſcat, aquam bibat.* Producit & leges Ger- „ manicas in Auguſtanis Comitiis latas anno 1548. & 1551. & 1559. „ quibus propinationes & æqualium poculorum certamina interdicun- „ tur non ſolum patribus familias, ſed etiam principibus. Verùm tan- „ tum abeſt, ut præclara illa inſtituta in conviviis locum habeant: quin „ potiùs leges rectę rationi vel maximè repugnantes, Thracibus, Scythis, „ aut Braſiliis congruę feruntur, quibus pręmium proponitur bibonibus, „ qui plus uni exhauſerint.

Nic. Serrarius, eundem modum bibendi variis rationibus oppugnat, in commentar. ad *Judith.* 15. *qu.* 4. qui etiam à Bonartio citatur.

Baſilius in homil. de ebrietate: „ æquam convivis diſtribuit ebrietatem. „ Novum genus hoc menſuræ, ubi nullus eſt menſuræ modus: ut per po- „ culorum æqualitatem, inter eos nulla ſit invidia, nec alius alium bibendo „ circumveniat aut defraudet.

Weſembecius ad Pandectas ſupra cit. „ Juſtitiæ diſtributivæ contraria ſunt, „ ſuperbia, πολυπραγμοσύνη, tyrannis, invidia, injuriæ, & quævis proportio „ arithmetica, quæ perſonis adhibetur, ut cum in conviviis iliberalioribus „ ad æquales hauſtus imbecilles perinde ac robuſti urgentur.

Leſſius

Leſſius lib. 4. de Juſtitiâ & jure cap. 3. ſimiliter de injuſtitiâ hâc judicat.

In Epiſtolis Schuſſelburgii pag. 506. edit. in 8. (quæ eſt *Leon. Hutteri* ad Schuſſelburgium) referuntur judicia Dei in ſtudioſos, qui Diabolum provocârant, ut in poculis *ſalutis* hauriendis reſponderet.

Auguſtinus Wichmans lib. 1. Brabantiæ Marianæ cap. XII. triduanas & novemdiales ad loca Mariana peregrinationes à ſuperſtitione vindicaturus, non-vindicaturus, refert tria potiſſimum fuiſſe præcipua & ſacra pocula in conviviis Gentilium. „ *Primum Jovis ſoſpitatoris* quod dicebatur *bonæ valetudinis*, atque inde, inquit, *boire à ſanté. Secundum boni genii*, ſeu *fortunæ*, quod „ poſt cœnam in illius honorem hauriebatur, ita illam venerantes, & quaſi „ divinam providentiam abnegantes. Ex quo recentior ſuperſtitio manavit „ epulas nocturnas inſtruendi *dominabus bonis*, ſeu *Sibyllis albis*, earumque „ reginæ *Abundiæ*. (Nota, *hæc aliaque circa Feas, ſeu albas dominas*, (Belg. **de Witte-Vrouwen**) *in medio & dominante Papatu à ſubditis eccleſiæ Papalis in Belgio, Galliâ, & alibi, exercita fuiſſe*). „ *Tertium* vero bibebant ad honorem Mercurii, præſidis ſomni, ut nimirum hunc ſibi conciliarent; quod „ etiam vulgò bibunt Germani, vulgo **eenen Slaep-Dranck**. At quanto religioſior ſocius noſter inquilinus B. *Siardus, horti Mariani* in Friſiâ V. abbas, „ ordinis noſtri, de quo ſcribit Sibrandus ejus ſucceſſor, quod in potu ita „ moderatus fuerit, ut vitando longos hauſtus, non niſi ter, in honorem „ ſanctiſſimæ trinitatis, glutiendo cum biberet, ſitim ſolitus ſit reſtinguere.

Quod ille ita probat ternæ ſortitionis, aut terni hauſtus obſervantiam; de eo dicere poſſem, quod ipſe pag. 176. *Verum non eſt mei conſilii longam diſputationem inſtituere, cur hic numerus ternarius & novenarius curationibus morborum, vel corporalium vel ſpiritualium aptior cæteris videatur.* Præſertim, cum in 3. *part. Jelect. diſpp. tit.* de ſuperſtitione, de numerorum obſervatione egerim.

Hæc hactenus ex autoribus maximam partem Germanis & Belgis, contra morem illum bibendi à me deſcriptum, indicare & exhibere viſum.

His non obſtantibus, *Andreas Vallenſis* in Jure Canonico ſeu paratitlis decretalium lib. 3. tit. *de vitâ & honeſtate Clericorum §. 7.* „ Ubi qui calices „ fœcundiores exhaurit, & ad æquales hauſtus alium obligat (ſcil ad ſe mu„ tuò ingurgitandum & inebriandum), ſi monitus à ſuperiore non deſi„ ſtat, ab officio vel beneficio ſuſpenditur. *Alias ad æquales hauſtus potatio, „ quæ causâ honoris, aut votiva ſalutis pro principibus aut amicis fit, licita eſt; „ modo cautio adſit, ne inebrietur.* Qui citat ibid. Zypeum in jure Pontificio novo h. t. num. 8. Audiamus ipſum Fr. Zypæum. Sic ergo

Franc. Zypæus lib. & tit. cit. pag. 126. „ Clerici in conviviis debent ſe o„ ſtendere honeſtos, & ſobrios in cibo, potu, & verbis, &, ut ultra

„ tertiam vicem non biberent, decretum fuit *in cap. quando 44. distinct.*
„ Id tamen intelligendum est, nisi sitis naturalis amplius exigat, unde In-
„ noc. III. commode utitur his verbis in c. à crapula h. t. *Clerici à cra-*
„ *pula & ebrietate diligenter abstineant, vinum sibi temperent, & se vino.*
„ Atque ebrius quidem, à bria dicitur, quod genus mensuræ esse dicunt
„ quasi sine mensura bibens, sine mensura agat.

„ *Fœcundi calices quem non fecere disertum?*
„ *Tunc surgunt rixæ, tunc pauper cornua, sumit &c.*

„ Clerici ebrii pœnam suspensionis esse voluit ab officio & beneficio, In-
„ nocentius III. *d. cap. à crapula*, sed ebrietas est difficilis probationis, &
„ in ea plurimum laborat ratio intellectus *ut habet Gutier. Can qq. l. 2.*
„ *cap. 4. num. 113.* adeoque non creditur testi deponenti de ebrietate, nisi
„ assignet concludentem rationem, ideo ex constit. Provinc. Mech. 1607.
„ punitur hic pro arbitrio Judicis & modo scandali, ut grave scandalum
„ est totas noctes potando transigere, ut pernoctavit Acerra apud Mar-
„ tialem,

„ *Hesterno fœtere mero, qui credit Acerram,*
„ *Fallitur: in lucem semper Acerre bibit.*

„ Eodem *c. àcrapula* interdicitur potatio ad æquales haustus, videli-
„ cet quæ fit ad se mutuo ingurgitandum, non quæ caussa honoris, ac voti-
„ væ salutis Principum virorum, aut amicorum: modo tamen cautio adsit,
„ ne quis inebrietur: & in Conc. Laodicen. Carthag. 3. interdicitur Cle-
„ ricis ingressus tabernarum, nisi peregrinentur, quod & Synodus Prov.
„ Mech. h. t. 1607. mandavit.

Affinia ritibus his potatoriis, sunt Jurare per genium Cæsaris; de quo Desider Heraldus ad Tertulliani apologet. cap. 29. Gentilium in sacris suis, præsertim Annę Perennæ, potationes ad numerum, putantes tot vitæ annos sibi adjiciendos, quot cyathos in eâ solennitate haussissent. Ovidius 3. fastor., *Annoque precantur, Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt. Invenies illic, qui Nestorios ebibat annos*, &c.

Mart. Delrio in adagiis sacris adag. 810.

Sed dicat quis, posse illas Gentilium bibendi ritus transformari & verti in alios Christianos alteri inservientes: Ut sunt gratiarum actiones, aut vota & preces ad Deum, pro suâ aut aliorum salute. Quibus respondeo, Nusquam nos docuit religionis actus per petitiones, aut cum & sub stipulatione potus, multo minus æqualis, exercendos esse: aut voti ad Deum & precationis pro aliorum salute, signaculum esse, *haustum*; loco scil. *Amen.* Certè qui perpendit modum & morem bibendi *salutes*, hodie usitatum, quam religionem, devotionem, illic intendi aut exerceri dicet? Quod si

jam

jam saturi ad retaliandum invitati aut caritate aut jure compulsi in genua provolvantur, & omnibus orantium gestibus adhibitis, cum exsertâ divini nominis sive invocatione sive interpositione recipiant & exhauriant fæcundos calices; an putant, satis conforme hoc esse, tertio decalogi præcepto? Sexcenti ejusmodi ritus ab hominibus excogitari possent, & religiosi ac mystici quid signi aut sacramentalis iisdem attribui.

Alii dicent, esse signum benevolentiæ & amicitiæ civilis. *Resp.* Sed cur alios ad idem signum, & ad eandem potationem, sive ex lege sympositiacâ sive blanditiis amoris trahimus & obligamus: præsertim, si illi jam satis, aut plus satis biberunt? Et cur non saturos invitamus, trahimus, obligamus ad totidem libras carnis, aut assatum caprum cum librâ unâ atque alterâ panis, pariter devorandum?

Sympositiacam hanc sive devotionem, sive civilitatem æque ad alia in mensas inferri solita, applicari quid vetat? Tota enim mensa, etiam cujusque privati, imprimis regia, cum Deorum imagunculis imponi solitis, cum sale, &c. olim erat sacra: uti doctissimè hoc probavit *Joh. Filesacus lib. 3. select. tit. Mensa sacra.* Concludam comparando insanias *salutis*, cum Bonifacii VIII. indulgentiis nationi Germanicæ concessis, si quidem post dictam, finito convivio, gratiarum actionem, adhuc semel bibissent: quæ indulgentiæ in diverbium mnemoneuticon apud nostrates abiere: siquidem sub Germanis hoc privilegio gaudentibus, etiam Belgæ comprehendantur; uti memini me legere in *Augusti. Wichmans Sabbathismo Mariano.* Qui idem ibidem refert ab Adriano VI. has indulgentias fuisse renovatas, ejusque exemplar haberi à canonico quodam Antwerpiano, dicto Hemelario. Certe prætextu aut lusu religionis, Bonifacius Germanos sarcasticè notare voluit. Quid enim illi vulpi, leoni, cani, cum precatione post sumtum cibum.

DE SIMONIA.

Resp. HENRICO NISSEPADT, Goesâ-Zeeland. *16. Junii*, 1654.

A Casuistis & Canonistis in Papatu multum disquiri solet de peccato Simoniæ; quod illic nihil eo frequentius, quin & totus Papatus à vertice usque ad plantas pedis sit Simoniacus. Studiosis nostris solida ejusdem cognitio supervacua non erit, tum ut lubricam & præsenti sæculo subinde nimis velificantem Pontificiorum Theologiam corrigant; tum ut omnem labem simoniacam, immo vel speciem ejus procul habeant, & alios procul habere doceant. Paucula ergo hæc in chartam conjicienda duximus, ut conceptus iis præformemus, & ad aliorum autorum lectionem atque examen viam sterna-

mus. Constabit autem tractatio hæc duabus partibus: quarum 1. Descriptionem Simoniæ. 11. Quæstiones & casus, *proponet.*

§. 1. SImoniæ vox, deducta est à Simone Mago *Actor.* 8. *v.* 18. 19. qui oblato prætio potestatem conferendi charismata per impositionem manuum ab Apostolo Petro emere voluit; eoque nomine à Petro gravissimè fuit reprehensus. In quo loco scripturæ, ut & Matth. 10. v. 8. *Gratis accepistis*, &c. præcipua hujus argumenti sedes quærenda. Unde amentes aut emturientes sacra dicuntur Simoniaci; vendentes vero Giheſitæ, à Giheſi famulo Elizei 2 *Reg.* 5.

Describi potest, quod sit *commutatio, aut saltem voluntas commutandi rem spiritualem seu sacram pro temporali.* Scholastici ad Thomę. 22. quæst. 100. artic. 1. communiter definiunt, *studiosam voluntatem emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum, pro temporali.* Et sic communiter Caluistæ tit. de Simoniâ. *Jus canonicum* cap. *Quæsitum*, de rerum permutatione (qui est tit. 19. *lib.* 3. *Decretal.*), describit *pactionem circa spiritualia vel connexa spiritualibus.* Lancelotus lib. 4. Institut. cap. de Simoniâ duas adfert descriptiones, *Est studiosa voluntas seu cupiditas emendi vel vendendi spiritualia, vel spiritualibus annexa.* Vel, *est rei spiritualis vel spiritualibus annexa, cum aliquo temporali facta commutatio.* Sed omnes eodem fere redeunt: nec in ipsâ re, uti simpliciter proponitur, quidquam difficultatis. Tantum accuratè despiciendum, quomodo descriptiones evolvantur.

Tria in iis attendenda. 1. commutatio, seu contractus, seu pactio. 2. res commutanda. 3. res cum quâ commutatur.

1. Ratione primi, distinguitur vulgò Simonia in conventionalem, & mentalem. *Illa* est, cum aut aliquid datum est, aut de dando in posterum tractatus & conventio intercessit. *Ista* est, cum nullum quidem intercessit pactum, sed sola prava dantis aut recipientis mens & intentio. Sic *Lancelotus loc. cit.*

Alii (inter quos *Bonacina*, *Reginaldus*, *Toletus*, *Navarrus*, *Graffius*, *Azorius in Theol. morali* faciunt triplicem, mentalem, conventionalem, realem.

Mentalem dicunt dupliciter accipi, *vel* pro nudo proposito: seu desidetio committendi Simoniam; quę nullâ ratione cum externo actu conjungitur: *vel* pro illa actione, quæ fit quidem mente Simoniacâ, sed ex se & ex suis circumstantiis Simoniam non præfert, nec apparet exteriis ulla Simoniæ labes.

Con-

Conventionalis est, quæ consistit in pacto seu conventione expressâ vel tacita dandi aut recipiendi temporale pro spirituali; reipsa tamen nihil traditur.

Realis, est qua temporale reipsa traditur vel accipitur. Ad hanc revocari aut reduci potest tanquam species ad suum genus, Simonia *confidentialis*, dum beneficium ecclesiasticum reipsa renuntiatur, vel confertur cum pacto ut sibi vel alteri restituatur, vel ut sibi vel alteri pars fructuum tradatur. *Ficta Simonia*, an species sit sub genere constituta, an vero imago, simulacrum, & εἴδωλον & παιγνιῶδες, & hac ratione Simonia indirecta seu interpretativa, infra in problematis videbitur. Atque hę quidem distinctiones Pontificiorum, quæ omnes, aut pleræquæ à nostris satis probantur. Vide *Zanchium in decalogum cap. 17. & Amesi. lib. 5. Cas. c. 42.*

Una tamen distinctio addenda videtur, in activam & passivam; sicuti scandalum vulgò dividitur in activum seu datum, & passivum seu acceptum. *Activa* fuit Simonis Magi, *Passiva* est, quandocunque emtor venditorem, aut vice versa invenit.

II. Res commutanda est spiritualis, vel spirituali connexa. *Illa* aliquo modo est supernaturalis, ut dona Spir. S. sive extraordinaria, ut charismata; sive ordinaria, ut fides, spes, caritas, & media externa huc ordinata, preces, prædicatio euangelii, sacramenta, ministeria ecclesiastica. *Ista* connexa est rei spirituali (sive jure, sive facto) *vel* antecedenter, ut jus patronatus: vel consequenter, ut beneficia, stipendia, & bona ecclesiastica ministeriis & usibus ecclesiasticis deputata: vel concomitanter, ut labor in prędicando, sacramenta administrando, &c.

III. Res cum qua commutatur est temporalis, quæ ex pactione tanquam pretium traditur aut promittitur. Vulgo revocatur hoc pretium seu munus temporale ad hæc tria, munus à manu, à lingua, ab obsequio.

Munus à manu est quodlibet bonum humanum seu externum pretio æstimabile, sive sit mobile, sive immobile, sive corporale sive incorporale. Huc pertinet conditio exolvendę pensionis ex stipendio seu ex fructibus, remissionis debiti mutui, aut commodati gratuiti, venditionis aut locationis agrorum, Dominiorum, &c. minori pretio, emtionis eorundem majori pretio, item locationis & condictionis eorundem infra aut supra pretium; si scil. sub tali aliqua conditione, aut promissione petat, acquirat, accipiat rem spiritualem.

Munus à linguâ, est actio precum seu supplicationum pro aliquo interponendarum ex vi pacti expressi vel taciti, ut res aliqua spiritualis vicissim conferatur e. gr. si quis pecunia vel alio beneficio conducat Titium, ut inducat principem aut patronum, aut episcopum, aut collegium ecclesia-

ſticum, ad rem ſpiritualem ſibi conferendam. Huc refer laudes, & adulationes pro aliquo interponendas.

Munus ab obſequio eſt opus quodcunque hominis tendens ad utilitatem ſeu commodum alterius. Breviter complectitur omnia obſequia, ſervitia, officia alicui præſtita, præſtanda, ſub obligatione viciſſim conferendi rem ſpiritualem. Atque hæc vulgata diſtinctio muneris Simoniaci ſatis antiqua eſt, quippe tradita à Gregorio M. in tract. euangeliorum cap. 4. in fine, & inde derivata in corpus juris canonici *c. ſunt nonnulli* (quod eſt 114.) 1. qu. 1. Ubi ſic acute & breviter deſcribitur: *Munus quippe ab obſequio, eſt ſubjectio indebite impenſa: munus à manu, pecunia eſt: munus à linguâ, favor.*

2. Accidunt Simoniæ, *purgatio*, *pœna*, *reſtitutio.*

1. Purgatio fit, vel per facti juſtam negationem; vel per excuſationem, quod tale factum non ſit Simonia. Cauſæ autem ſeu tituli hujus excuſationis vulgo numerantur ſex, liberalitas ſeu gratitudo, ſuſtentatio; labor extrinſecus operi ſpirituali per accidens adjunctus; redemtio injuſtæ vexationis, quam quis patitur circa rem ſpiritualem: conſuetudo, quæ ſcil. ſolum locum habeat, ad tollendam Simoniam jure humano inductam. Ita paſſim tradunt Caſuiſtæ Pontificii; ex quibus titulos illos collegit recentiſſ. ſcriptor Eligius Baſſeus in floribus Theologię practicæ. Nos infra de iſtis; aliiſque omnibus judicium noſtrum feremus.

11. *Pœna*, eſt vel eccleſiaſtica, vel politica. *Illa* eſt cenſura ſuſpenſionis, excommunicationis, remotionis à gradu ſeu munere eccleſiaſtico: de quibus in diſp. de Clavibus regni cœlorum. *Iſta* poteſt eſſe varia pro varietate delicti, De priori pœna tantum agunt Caſuiſtæ Papales, nullamque aliam agnoſcere videntur, quippe qui cum Canoniſtis hujus criminis cognitionem & punitionem ſoli tribunali eccleſiaſtico vindicant. Nos tamen cenſemus pœnam politicam hinc non amovendam, ſimonia enim ad ambitum, honoris immeriti petitionem, indebitè affectatum officium referri poteſt: prout etiam ea à J. C. non tantum noſtris (ut *Althuſio lib. 1. dicaiolog. cap. 133. §. 40.*) huc refertur; ſed etiam à Pontificiis ibid. citatis. *Tholoſani verba lib. 36. ſyntagm. cap. 29.* ubi de ambitu §. 12. ſunt: „ In „ ſacerdotiis obtinendis etiam ambitum locum habere, & puniendum placet Modeſt. *Nemo*, inquit L1. *ad leg. Jul. de ambi. in P.* Leo Cæſar, *ſi* „ *quemquam 29. de epiſc. & cler. C. gradum ſacerdotii pretii venalitate mer-* „ *cetur: quantum quiſque mereatur: non quantum dare ſufficiat, æſtimetur* „ &c. Idem ſancivit Juſtinianus §. *ſed neque xenodochium, de ſanctiſſ. epiſc.* „ *in Novell.* Ut de aliis ipſorum ſcriptoribus, & comentatoribus ad leges civiles modo cit. nunc non dicam. Conferat, cui vacat, Athalarici Gothi

thi regis Romanorum constitutionis cap. 37. (apud *Goldastum tom. 3. constitut. Imperial. p.* 107.) ubi Simoniam tanquam sacrilegium & ambitum coercendam statuit. Et *capitulare Caroli M. cap.* 19. (*ibid. p.* 127.), Et *Caroli Calvi capitula cap.* 8. 9. (ibid. p. 272.) In jure Civili Orientali Græcorum omnis donatio & promissio in electione episcoporum & clericorum prohibetur. Ut videre est in *Michaëlis Attialiatæ pragmaticâ*, editâ cum jure Orientali à *Leonclavio & Frehero tom. 2. ubi tit. 8. cap. 3. & 7.*

III. Restitutio facienda intelligitur, vel ab eo qui Simoniace munus accepit, vel ab eo qui Simoniace rem spiritualem acquisivit. De prætio quæritur cui sit restituendum, ecclesiæ, an ei qui dedit. De re habitâ quæritur, an omnis, an aliqua & quo in casu possit ac debeat restitui, hoc est dimitti, aut non dimitti. De quo infra. Hoc saltem hic præsupponitur, in omni casu injustæ acquisitionis restitutionem requiri, juxta illud vulgatum: *Non remittitur peccatum; nisi restituatur ablatum.*

§. 3. Accedimus nunc ad quæstionem capitalem de Simoniâ, *An sit peccatum seu aliquid per se & intrinsece malum, & quidem tam turpe & tam noxium peccatum.* In qua quæstione thetice & in genere ita proposita nullos, quod sciamus, habemus adversarios, in theoria scil. & ex præscripto suæ sectæ aut professionis. Prob.

I. Ex loco *Act.* 8. coll. cum *Math.* 10. *v.* 8.

II. Ex ratione: *Quia* est peccatum irreligiositatis, cum avaritiâ, & superbiâ, complicatum, quantum autem quodque istorum seorsim sit peccatum suo loco docetur. Probatur antecedens seu minor, quia talis contractus est super materia indebita; re scil. spirituali, quæ sub venditionem & commutationem cum re temporali non cadit, ob tres rationes, quæ à *Thomâ* 22. *qu.* 100. *artic.* 1. non malè deducuntur. Quarum *prima*, quia res spiritualis non potest terreno pretio compensari *Proverb.* 3. *v.* 15. *Actor.* 8. *v.* 20. addi possunt *Psal.* 119. *vers.* 27. 127. *Rom.* 1. 16. *Secunda*, quia illud solum potest esse debita venditionis materia, cujus venditor est dominus. Atqui nullus præsumtus venditor, ne quidem præfecti sacrorum sunt domini rerum spiritualium, sed tantum ministri 1 *Cor.* 4. *v.* 1. *Tertia*, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuitâ voluntate Dei (addo, ex peculiari aliquâ dispensatione Dei 1 *Cor.* 12. per totum) proveniunt. Unde & dominus dicit Math. 10. *gratis accepistis, gratis date.*

III. Quia tales acquisitores & possessores Simoniacos in usu rei spiritualis, & exercitio officii ecclesiastici maledictio divina, mala conscientia, & ignominia ac contemtus apud homines istius Simoniæ conscios, perpetuo comitatur. Vide maledictionem Simoni Magi *Actor.* 8. *v.* 20. tributam.

tam. Ratio hæc deduci potest, Quia tales non intrant per ostium, sed alíunde, *non vocantur à Deo sed à diabolo*, ut loquitur *Alexander Anglus in destructorio vitiorum cap.* 21. §. 3. ubi cum *Gulielmo Paris. ibid.* cit. pronuntiat electionem *canonicam* (uti vocant) in Papatu tunc factam fuisse diabolicam, quod plures eligerent secundum voluntatem diaboli, quam secundum voluntatem Dei. Jam vero Dei benedictio non est exspectanda nisi illis, qui secundum voluntatem Dei seu cum Deo, intrant in sacrarium, &c. in eodem versantur. Profanos, & sacris abutentes atque irreligiose tractantes Deus abominatur *Ps.* 50. 16. 17. 18. Vide præter exempla Giesi & Simonis, profani Esaui *Hebr.* 12. *v.* 16. filiorum Eli 1 Sam. 2.

Ex historiâ ecclesiasticâ advertit *Baronius ad an.* 1047. & 1055. tria exempla, quæ ex illo enotat *Busæus in panario*. Sed exemplis illis suo loco relictis, Paparum, Episcoporum, aliorumque clericorum Papalium infinita exempla adferri possent: illic enim (juxta Mantuanum)

Venalia nobis,
Templa, *sacerdotes*, &c. *cœlum est venale*, *Deusque*.

Perlustra vitas Pontificum, ut ab ipsis Pontificiis descriptę sunt, & passim *Mysterium Iniquitatis Plessei*, aut *Zegedini speculum Pontificum*, ipsumque *Baronium ann.* 912. §. 8. Et *Concilium Basileense*, *seu pragmaticam sanctionem*.

IV. *Quia* hæc labes Simoniaca ingens fundi ecclesiastici calamitas est, Indigni enim ministri irrepunt, digni arcentur, & profani sanctis ambitu suo vocationes ac ecclesias prępripiunt; Pii enim & digni per conscientiam Dei hoc modo promoveri nolunt, nec promoventur. Hinc malo mercenariorum illorum exemplo, maloque studio aut otio multi pereunt, apud multos, seu potius plerosque *dignitas sacerdotii in despectu est*, *& sanctus honor in crimine*, &c. *Nam quis denuo veneretur*, *quod venditur? aut quis non vile putet*, *quod emitur*? ut egregiè Gregor. Magnus epist. 133. lib. 7.

V. *Quin* hæc pestis communiter damnata est ab antiquis Conciliis, patribus, Jure civili & canonico, scriptoribus recentioribus Canonistis, Casuistis, &c. eminet *canon* 2. *concil. Chalcedonensis*. Consule tomos conciliorum; aut, si ita mavis, compendio indicium facient *Photius in nomo-canone tit.* 1. *cap.* 23. Canones in posteriorum sæculorum conciliis sancitos, require in *epitiome Barth. Caranza*. Quod ad patres à multis testimonia eorum collecta, inter alios à *Busæo in Panario*, & à *Gratiano*, *in decreto causa* 1. *qu.* 1. *ab Alexandro Anglo in destructorio vitiorum*, & scriptoribus vulgatæ polyantheæ, similibusque collectoribus, ex quibus *Busæus* sua descripsisse videtur: quorum citationes cum delectu & cautione usurpandæ.

pandæ. *Gruterus* in ſupplemento polyantheæ, quem *tom.* 2. appellat, egregia quædam teſtimonia ex *Iſidori Peluſiotæ epiſt.* 71. *lib.* 1. & 60. 199. 221. *lib.* 2. & 17. *lib.* 3. addidit. De jure civili ſupra fidem fecimus.

Jus Canonicum vetus habes apud *Gratianum cauſ.* 1. *qu.* 1. *& lib.* 3. *decretal. tit.* 17. ejuſque compendium apud *Lancelotum in Inſtitutionibus lib.* 4. Jus novum in *bullario*, & *decretis Tridentinis*, cum remiſſionibus *Auguſt. Barboſæ.* Ejus compendium exhibet *Zypæus in analyt. explic. Juris canonici novi lib.* 5. Conferri poſſunt deciſiones Cardinalium, ſed quæ parciſſimè hoc malum attingunt, vix attingere auſi; uti patet ex deciſione 26. Junii 1607. (apud Barboſam in collectaneis): *Simonia in Materiâ ſacramentali & beneficiali, quibus caſibus committatur non expedit in conſtitutione exprimi: ſed juxta caſuum contingentiam reſponderi debet.* Plura collegit *Bochellus lib.* 7. *decretor. eccleſ. Gallic, tit.* 21. Pœnas Simoniæ antiqui juris canonici habes in *Decretis Barchardi lib.* 1. *cap.* 21. 22. 23. Et in antiquis collectionibus decretalium, *collect.* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. & *collect.* 2. *lib.* 5. *tit.* 3. *& collect.* 2. *lib.* 5. *tit.* 2. Denique in corpore juris canonici loc. cit. *Buſæus loc. cit.* eas ſummariè recenſet 1. Excommunicationem latæ ſententiæ 2. ſuſpenſionem ab ordine per Simoniam ſuſcepto. 3. reſtitutionem pretii & ſpiritualis rei reſignationem, cum poteſt reſignari. 4. infamiam. 5. inhabilitatem ad beneficium ſimoniacè acceptum. 6. privationem omnium beneficiorum eccleſiaſticorum, & ad omnia inhabilitatem. *Joh. Bernardus Diaz.* in practicâ criminali canonicâ cap. 85. eaſdem, ſed paulo aliter enumerat, & ad autores aliquot digitum intendit; quin etiam *cap.* 23. ad recipientes à Simoniaco ordines pœnam extendit. Quod ad privatos ſcriptores theologos, agunt de Simonia omnes, Caſuiſtę & inter alios prolixius *Zwarez tom.* 1. *de religione c.* 4. *Bonacina, Graſſiis & Azorius in theolog. morali*; *Leſſius de juſtitia & jure*; *Malderus in* 2. 2. *tract.* 9. *c.* 3.

Ex noſtris ſcriptoribus complures aliud, quaſi agentes, data occaſione ἐν παρόδῳ hoc vitium perſtringunt: alii qui in locis communibus, aut caſibus, ſecundum leges methodi illud inter alia vitia attingunt, admodum breves ſunt. Adde pœnas in eccleſiis reformatis ſtatutas, in Anglia ut ad beneficium Simoniacè promotus inhabiles judicetur ad illud retinendum, &c. Vide reliqua apud *Richardum Zochæum* in deſcriptione juris & judicii eccleſiaſtici *Angl. part.* 4. *ſect.* 8. In canonibus eccleſ. *an.* 1603. conſcriptis *cap.* 40. admittendis ad miniſterium imponitur ſolemne juramentum contra Simoniam. Confer & canones eccleſiaſtic. Hungariæ & Tranſylvaniæ ann. 1649. editos *cap.* 17. Alias conſtitutiones & decreta ſynodorum non vacat nunc conferre.

Non deſunt tamen, ſed anonymi, qui ſub diſtinctione commutatio §. 4.

nem ſpiritualis cum temporali à crimine liberant. *Balduinus lib. 4. caſuum cap. 4. caſu. 5.* „refert nonnullos theologos alioquin orthodoxos exiſtima-„re, pontificios, eo quod beneficia eccleſiæ vendunt vel emunt, aut ſal-„tem pretio & honorariis ſibi comparant, à crimine Simoniæ optimo „jure liberari poſſe, niſi ſeipſos per jura canonica illi ſe implicarent. Vi-„dentur autem illi reſtringere Simoniam ad venditionem rerum proprie & primo ſpiritualium: ſed cum ſint beneficia ſine annexa cura animarum, aut bona externa eccleſiis ab hominibus donata, ſequeretur circa ejuſmodi non committi Simoniam. Sed reſpondemus, Simoniæ varias dari ſpecies, varios gradus: Alia enim eſt propria, alia analogica, alia aperta, alia palliata, alia directa, alia indirecta ſeu interpretativa, alia formalis, alia participata: ſicuti magiam, idololatriam, mordentem uſuram, aliaque vitia diſtinguimus. Sed de hoc infra diſtinctius agemus. *Zanchius in decalogum cap. 17. Theſi 4.* cum dixiſſet nimis notum eſſe, Simoniam per obſequia, officia, & ſimilia, quæ pecunia æſtimari poſſunt, uſitatiſſimam eſſe in aulis non ſolum Papæ, Cardinalium, epiſcoporum, ſed etiam aliorum multorum principum, reſpondet ad has exceptiones; quæ quorum ſint tunc aut fuerint, non indicat.

1. *Except.* Licitum eſſe pro ſpiritualibus temporalia accipere, ut miniſtris pro prædicatione euangelii, & annexis *Luc. 10. v. 7. 1 Cor. 9. v. 11. 14. Galat. 6. v. 6. 7. 1 Timoth. 5. v. 17. 18.* Non eſt ergo peccatum pro ſpiritualibus rebus & actionibus temporalia accipere. *Reſp.* Aliud eſt juſtum ſtipendium accipere pro labore atque opera in eccleſiam impenſa, & totali vacatione in iſtam operam: & aliud emere aut vendere rem ſpiritualem, ut eâ queſtum facias, quod intendebant Simon Magus. *Illud* eſt licitum & juſtum jure divino, Luc. 10. *dignus operarius*, &c. ergo quà talis, hoc eſt, pro opera, & quidem pro ea, quæ requirit totalem vacationem ab aliâ quacumque operâ, vocatione, & vitę occupatione, qua alii ſibi & ſuis acquirunt. Vide *Politic. Eccl. part. 1. lib. 4. Tract. 3. de ſtipendiis Miniſtrorum. Iſtud* minime licitum eſt: neque enim pietas eſt quæſtus 1 *Timoth. 6. v. 5.* nec ſpiritualia vendi poſſunt *Actor. 8. v. 20.*

11. *Except.* Prophetæ receperunt munera: ergo Probatur antecedens ex 1 *Sam 9. v. 7. & 1 Reg. 14. v. 3. Reſp.* non conſtat prophetas recepiſſe, quamvis illi attulerint, & forte non ſine peccato. Sic *Hieronymus in Mich. 3.* Saltem non recepit Samuel 1 *Sam. 12. v. 3.* Nec Elizæus 2 *Reg. 5. 16.* Alias ſi acceperunt, non pro venditione ſpiritualium, ſed pro vacatione & ad neceſſariam ſuſtentationem acceperunt, ut 2 Reg. 4. verſ. 8. 10. & ſic ipſe Chriſtus *Luc. 8. v. 3.*

DE SIMONIA.

PARS SECUNDA,

Resp. LUDOLPHO vander MEER, Amstelod. 24. *Junii*, 1654.

Primâ hujus disp. parte Simoniæ descriptæ turpitudinem ostendimus: sequitur ad majorem hujus materiæ illustrationem, accuratiorem conscientiarum excussionem, latibulorumque propriæ deceptionis deprehensionem, quæstiones & problemata aliquot subjiciamus, distribuenda per tres classes: ut classis.

I. *Contineat textualia, seu sacra, ad historiam & textus aliquot V. & N. T.*
II. *Hypothetica, seu Historico-Ecclesiastica.*
III. *Dogmatica & casuistica, in Papatu agitari solita.*

PRoblemata ad historiam & textus aliquot V. T. sint ista. §. 1.

I. *Probl. An Esau venditione primogenituræ, & Jacob ejusdem emtione, commiserit Simoniam. Resp.* Graviter peccasse Esauum, & quidem peccato ἀθεότητος impietatis seu irreligiositatis, constat ex *Hebr.* 12. *v.* 16. ubi exserte vocatur βέβηλος. 1. profanus. Inter species irreligiositatis, quas Scholastici enumerant & tractant ad 22. *qu.* 92.-101. & ex nostris *Zanchius ad decal. c.* 17. §. 2. nulla huic facto Esaui tam propriè & directè applicari potest, ac Simonia; quamvis & alia vitia admixta fuerint. Erat autem primogenituræ annexum aliquid spirituale, (de quo comment. ad *Genes.* 25. *v.* 31. *Numer.* 3. *v.* 12. *Deuter.* 21. 17.,) saltem jus ad benedictionem patris: quidquid sit de jure sacerdotii, de quo disceptatur. Vide contra sentientem imprimis, *Willetum in Genes.* 25. Ex adverso stat *Hieronymus epist.* 26. & *in quæst. Hebr. ad Genes.* 27. Duo alia adduntur apud *Rivetum exercit.* 115. *in Genesin*, quod primogeniti essent Deo sacri, & quod Abrahamidæ haberent promissionem Messiæ ex sua familia nascituri. Intelligitur ergo hic prærogativa primogenituræ ex institututo partim divino partim humano tunc annexa. Hinc ergo est quod venditio *primogenituræ Simonia* dicatur. *Cajetanus ad Genes.* negat: contra affirmat *Cornel. à Lapide, Marius*, & plerique Pontificii & aliqui ex nostris.

Sed *dubium* est, quomodo potuerit Simoniam committere in venditione ejus prærogativæ, quam nunquam habuit. *Resp.* vendidit & contemsit jus hoc spirituale non reipsa, sed 1. *in* signo & externa professione. 2. *in* sua

opinione, quia ipſe putabat ad ſe pertinere. Sicuti peccantes contra conſcientiam quamvis errantem, aliquid committunt, quod putant à Deo prohibitum. 3. Quantum in ſe eſt: ſicuti repellunt & rejiciunt bonam conſcientiam, qui eam non habuerunt 1 *Tim.* 1. & perdunt fratrem, qui non perit 1 *Cor.* 8. *v.* 11. 12. & Abraham obtulit filium, qui tamen nunquam fuit mactatus *Hebr.* 11. *v.* 17.

Alterum, ſed majus *dubium* eſt de Jacobo. Eum ab omni peccato excuſant Pontificii, ad *Thomam* 22. *qu.* 100. *art.* 4. *ad* 3. hac ratione, quod cum revelationem matri factam intellexiſſet ſuam eſſe prærogativam, non fratris, eam à fratre nec emiſſe nec prætio voluiſſe emere; ſed dediſſe aliquid, tantum ad redimendam violenti illius hominis vexam; qua alioquin injuſte ſe vexandum videbat. Hanc Thomæ rationem prolixius ibi deducit *Cajetanus*, atque objectiones omnes ſolvit. Quem ſequuntur commentatores ad *Geneſ.* 25. *Lyra*, *Abulenſis*, *Mariana*, *Pererius*, *Marius Corn. à Lapide.* „Qui Poſtremus ſic concludit: Non ergo Jacob proprie „hic rem fratris emit, ſed rem ſuam aſtu ab injuſto poſſeſſore (aut po„tius, prætendente jus & poſſeſſionem) extorſit. Unde, quod ait, „*vende*, idem eſt ac da, trade, immo redde jus mihi debitum. Idem & al„teram excuſationem adfert ex Lipomano; Jacobum ſcil. non peccaſſe „Simonia, quod intenderit tantum emere jus primarium primogenitu„ræ, quod temporale & vendibile erat; ſicuti vendi & emi poteſt ager, „cui annexum jus patronatus. Sed hæc reſponſio nimis lubrica eſt. Nos priorem amplectimur cum *Martyre*, *Mercero*, *Fr. Junio*, *Piſcatore*, *Willeto*, notis anglicis ad *Geneſ.* 25. Cum his quod ad ſummam rei convenit ſententia Lutheri, & ex eo Andr. Oſiandri in notis ad locum: *apud Jacobum igitur eſt poſſeſſio, ſed ſine nomine: apud Eſau eſt nomen, ſed ſine poſſeſſione. Jam quia Jacob videt, Eſau nihil aliud intelligere, aut quærere in benedictione niſi ventrem, ideo objicit Cerbero offam, ne poſthac ſibi moleſtus ſit.* Ita Jacob non tantum à Simonia ſed etiam ab omni peccato excuſatur: idque magis patebit, ſi conſideremus poſſe quem abſque peccato proprio aliquando poſitis ponendis, alieno peccato uti. Quod quomodo intelligendum & probandum ſit, alibi ex profeſſo dicetur. Ex noſtris ſententiam nunc propoſitam rejicit *Rivetus Exercit.* 115. & totum hoc aut in medio relinquendum, aut ad extraordinarium aliquem inſtinctum cenſet referendum.

II. *Probl. An Bileamus commiſerit Simoniam conventionalem Numer.* 22. *&* 23. *verſ. Reſp.* Simoniæ manifeſtè arguitur ex *Numer.* 22. *verſ.* 6. 7. 17. 37. coll. cum 2 *Petr.* 2. *v.* 15. *Jud. v.* 11. ubi mercede injuſta conductus dicitur ad maledicendum. Sive enim fuerit propheta divinus, ſive diabolicus

bolicus & saltem vendere voluit imprecationes, diras, & devotiones suas; quæ si bene se habent, sunt res spirituales, non minus ac benedictiones. Utrarumque autem potestatem Bileamo adscribebant Moabitæ, & ipse vindicabat *Numer.* 22. *v.* 6. Si videatur cum *Hieronymo*, *Abulense*, *Eugubino*, aliisque fuisse propheta Dei, turpissimam Simoniam incurrit, quod voluerit benedictiones aut maledictiones propheticas pretio vendere. Si cum potioribus interpretum suffragiis (quibus ego accedo,) diabolicus pseudopropheta; nihilominus Simoniâ tenetur, quia sacra mysteria & anathemata (secundum opinionem aliorum, & præsumtionem ipsius) venalia habuit; & vendidisset, nisi Deus mirabili modo impediisset. Cur autem venditores sacrorum Simoniaci potius appellentur, quam Bileamitæ aut Giezitæ 1. quærit *Lorinus ad Act.* 8. & respondetur, quod primus fuerit, qui post prædicatum Euangelium, crimen hoc commiserit. Confer infra theor. 2.

III. *Probl. An Giezi* 2 *Reg.* 5. *Simoniâ peccarit? Resp.* Ex reprehensione Elizæi & plaga divinitus immissa constat illum peccasse, avaritiâ, inobedientiâ, injustitia, mendacio. Sed dubitari posset, an intenderit Giezi. munus oblatum admittere aut petere tanquam mercedem locatæ operę ex pacto & tanquam pretium pro miraculo in sanatione lepræ patrato; an vero tantum tanquam signum gratitudinis, aut etiam tanquam xenium aut stipendium sustentationis & subventionis necessariæ aut commodæ. Pontificiorum, qui Giezi Simoniam in forma & specie tribuunt, distinctio est apud *Cajetanum ad* 22 *qu.* 100. *art.* 3. stipendii in sustentationis, & locationis operarum. Si rem accuratius pensitemus, quandoquidem de Giezi intentione speciali, seu Simoniaca nobis non constat; nec etiam constat Elizeum repudiasse dona eo nomine quod essent Simoniaca, & sic toto genere illicita, (potuit enim aliam ob rationem repudiasse, sicuti Paulus stipendia Corinthiorum 1 *Cor.* 9) tutissimum est dicere, eum saltem graviter peccasse, quod ex avaritia importune (vide & expende 2 *Reg.* 5. *v.* 16.) fraudulenter, injuste acquisiverit injussu domini ea, quæ ipsius non erant, quocunque titulo aut mercedis, aut donationis, aut gratitudinis ea accipere voluisset: in medio relicta accusatione Simoniæ, aut saltem admissâ specie Simonię, non asserta Simoniâ directâ aut formali.

IV. *Probl. An Ephron Genes.* 23. *Simoniam commiserit in venditione agri, in sepulturam? Resp.* Dubium hoc movent nonnulli commentatores Pontificii ad *Genes.* 23. & *Thomæ* 22. *qu.* 100. *art.* 3. ubi respondet, quia apud Gentiles loca sepulturæ deputata, religiosa reputabantur; peccasse Ephronem vendendo, Abrahamum tamen emendo non peccasse, quod non intenderet emere nisi terram communem, aut quod tantum redemerit vexam.

Sed hæc responsio, ut nihil solidi habet (quę enim Simonia sic excusari non posset) ita duas falsas hypotheses præmittit : quarum una est, fuisse speluncam illam divenditam sepulcrum Gentilium: de quo ne χρῦ in textu compareat. *Altera* est, emendo & vendendo sepulcrum Simoniam committi, quod terra illa sit consecrata. Quod nos negamus. Confer *part. 1. polit. eccles. lib. 4., ubi de templis & de cœmeteriis. A Lapide in commentar.* ad locum cit. cum *Cajetano, Lipomano*, aliisque respondet, tempore Abraham necdum fuisse consecrationem, seu benedictionem ecclesiasticam, qua locus consecraretur ad sepulcrum ; unde sine Simonia vendi potuisse. *Ibidem addit*, Gentiles tamen sepulcra vendentes ex conscientia erronea, qua putant ea esse sacra, peccasse Simoniâ. *Malderus in 22. tract. 9. cap. 3.* putat excusari posse à Simonia : quod ager venditus non fuit locus sacer, ne quidem secundum superstitionem Gentilium.

V. *Probl. An Jeroboam fuerit Simoniacus? Resp.* Ita voluerunt nonnulli, cum *Lyra in postilla ad 1 Reg. 13. v. 33. quicunque volebat implebat manum suam*, &c. & glossa juris canonici ad *cap. eos 1. qu. 1.* Sed male intellexerunt verba textus, uti fatetur Malderus loc. cit. Neque enim dicitur affectantes sacerdotium impleviſse manum Jeroboami muneribus, sed manum suam, propriam scil. sacerdotis. Pronominis reciproci *suam*, quæ vis & quis usus sit, discendum est ex Grammaticis. Hic autem quomodo accipiendum sit constat ex locis *Exod 28. v. 41. & 29. v. 9. 35. 2 Judic. 17. v. 5. 2. Paralipom. 29. v. 31. Ezechiel. 43. v. 26.* Vide notas & commentar. ad loca cit. & *1 Reg. 13. v. 33.* inter eas *Casp. Sanctii.*

§. 2. Problemata ad N. T.

I. *Probl. An Judas venditione Christi commiserit Simoniam, & Judæi ejusdem Christi emtione. Resp.* Aff. si non formaliter & propriè, saltem eminenter. Quia si simonia sit, bona & dona spiritualia per Christum & propter Christum ecclesiæ destinata, vendere ; multò magis ipsum donum donorum, Christum scil., qui nobis datus est in justitiam, sanctitatem, salutem. *Basilius epist. 76.* ait Simoniacos Judam imitari, quod ob quæstum rursus prodant eum, qui semel pro nobis crucifixus est. *Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 19.* Simonem vocat δεύτερον alterum Judam, qui argento gratiam spir. s. se emturum existimaret.

II. *Probl. An Judæi in occupando Pontificatu tempore Christi, & post, constituto jam tempore N. T. Simoniaci fuerint. Resp.* De tempore Christi Aff. ex iis quæ refert *Flavius Josephus* sequ. thesi cit. De tempore constituti N. T. itidem Aff. cum distinctione: quod quamvis munus illud jure divino non esset amplius sactum & ecclesiasticum, ἀθεμιτείᾳ tamen & simoniâ peccarent, qui illud tanquam sacrum (secundum errantem ipsorum conscientiam)

tiam) emerent aut venderent. Haut aliter ac ἱεροσυλίας sacrilegii accusantur *Rom. 2. v. 22.* qui abrogatâ nunc per Christi crucem typicorum sanctimoniâ, iis abutebantur.

III. *Probl. An & cur Simon Magus præ omnibus aliis tanquam exemplar hujus peccati in ecclesiâ N. T. habitus fuerit & ab illo omnes Simoniaci denominati? Resp.* Rationes istæ adferri solent: quia tam aperte in scripturâ exemplum hoc proponitur, ejusdemque apostolica redargutio, & quidem cum anathemate: quia rem directe ac magis sacram seu spiritualem emere voluit, donum scil. & privilegium conferendi charismata, solis apostolis concessum: quia negotiatio ipsius præ aliis nimis aperta & pudenda fuit; voluit enim emere, ut aliis vendere posset. Sic patres nonnulli & cum iis communiter Pontificii scriptores. *Non enim* (ait Cyrill. Hierosolymit. catech. 16.) *dixit: date & mihi spiritus S.* κοινωνίαν 1. *communionem sed* ἐξουσίαν. 1. *potestatem: ut aliis venderet, quod non erat venale, quod ipse non emerat.* Et sic *Augustinus tract. 10. in Johannem, & in Psal. 130.*

IV. *Probl. An ementes & vendentes è templo per Christum (Joh. 2. v. 14. 15. & Math. 21. v. 12. coll. cum Marci 11. v. 11. 12.) ejecti fuerint Simoniaci? Resp.* Nusquam hoc in textu innuitur: peccatum enim eorum fuit geminum, quod templum typice sacrum & rebus divinis speciatim orationibus consecratum, facerent domum negotiationis; & quod sacerdotes per suos institores iniquis usuris atque extorsionibus avaritiam suam palam ostentarent, & sic templum Dei in contemtum adducerent. Quod ad priorem rationem, ea & ex verbis textus, & collato loco *Marc. 11. v. 16.* patescit: ubi dicitur prohibuisse, ne quis vas per templum portaret. Quod autem nonnulli patres aliique post illos, præsertim in ἀκμῇ Papatus hunc textum Simoniacis subinde applicârint ad amplificationes, allusiones & accommodationes potius, quam ad directas probationes referendum est. Sicuti enim Christus ejecit ex templo collybistas, &c. sic emtores ab ecclesiâ sua & rebus ecclesiæ arceri vult, eosdemque puniet. Esse autem hanc allusionem per modum similitudinis, agnoscit *A Lapide in Math. 21. v. 12.* „cum ait, tropologice nummularii sunt Si„moniaci, immo omnes peccatores. Posset nihil ominus hinc argumentum ex analogia, & à minori ad majus contra Simoniacos educi. Si enim Christus templum lapideum, & res typice sacras non passus fuit profanari emtionibus; multò magis arguet & puniet eos, qui ecclesiam corpus suum, ejusque res sacras & spirituales per turpes nundinationes suas profanant.

Problemata historica. §. 3.

I. *Probl. An recte ortus secta simoniacæ ducatur à Simone Mago, apud Polydor.*

lydor. Virgilium lib. 8. *de inventor. rerum cap.* 3. *Resp.* Satis improprie hoc dicitur. Neque enim secta est, consistens in certa & successive tradita opinione: sed abusus quorundam, in praxi exorbitantium. Adhæc non incepit à Simone Mago, sed jam ante hoc malum in ecclesia Judaica grassatum fuerat; imprimis cum imperarent Romani per quorum reges & præsides non sine simonia, Pontifices mutabantur. Vide exempla mutationum apud *Fl. Josephum lib.* 18. *Antiquit cap.* 3. *& lib.* 20. *cap.* 8. *& lib.* 15. *cap.* 2.

II. *Probl. An primis post excessum apostolorum sæculis in antiquâ ecclesiâ simonia obtinuerit? Resp.* Aff. idque patet ex dictis patrum, & decretis conciliorum, quorum supra *Part.* 1. meminimus.

III. *Probl. An jus patronatus, quomodocunque in Papatu, & novissime in Concil. Tridentino limitatum sit, ab omni labe simoniæ excusari possit? Resp. Neg.* Est quidem distinctio simoniæ in majorem & minorem: sed cum magis & minus non varient speciem, utraque earum est & recte dicitur simonia. Rationes diducimus in 2. *part. polit. eccles. lib.* 3. *ubi de ministrorum vocatione*, & Jure patronat.

IV. *Probl. An investitura episcoporum, pallia archiepiscoporum, annatæ, & similes nundinationes implicent simoniam aut sacrilegium. Resp.* Pontificii investituram ab Imperatoribus petitam aut acceptam stylo curiæ simoniam, Nicolaismum & sectam simoniacam appellabant. Vide historias de Henrico 3. & 4. & 5. & vitas Pontificum ab anno 1000. & deinceps. Quidquid Pontifices hic usurparunt, simoniacum fuit. Quod ad Imperatores jus investituræ sibi vindicantes, quamvis ego eos ab omni simoniâ aut sacrilegio excusare non tenear; tamen ad hominem, si disputemus, satis per Pontificiorum proprias regulas, & distinctiones eos tueri possemus.

Regulæ & distinctiones sunt istæ.

1. Aliquid inter corruptiones legum fieri potest, & quandoque debet, in casu scil. necessitatis & pro tunc inter tales. *Cajetan. in* 22. *qu.* 100. *art.* 5. Atqui dicunt & probant Imperatorum patroni per exorbitantias Paparum talem tunc fuisse statum rerum.

2. In diminutâ curâ animarum, & in casu corrupti regiminis ecclesiastici & malæ provisionis secundum receptam tunc consuetudinem exspectandæ, petitiones curæ pastoralis, aut archipresbyteratus sunt licitæ, si modo persona petens digna sit & caritatem habeat: licet alioquin petitiones tales *sapiant aliquid infra recti regiminis limites stando. Cajetan. ibid.* Hinc analogice colligent Imperatorii, corruptissimo illo rerum statu, licitum fuisse ipsis episcopos idoneos absque damno fisci, sed potius aliquo cum emolumento, ex superfluo regalium sacerdotiorum, & bonorum promovere, & promotos vindicare.

3. Ad

3. Ad redimendam vexam, pretium pro rebus ecclesiasticis dari potest. Quam vexam longe lateque extendunt. Vide *Thomam qu. cit. artic.* 4. *ad* 3. & ibidem *Cajetanum nec non ad artic.* 1. & *Malderum tract.* 9. *cap.* 3. *dub.* 17. Jam vero episcopi in imperio, pro investitura sua summam quam pecuniæ in fiscum inferentes, nihil aliud quam vexam redimere poterant & defensionem sui in Episcopatu contra molitionem Papæ, ipsiusque assectarum petere, & imperatores talem defensionem sub conditione istius subsidii & tributi, quod ex superfluo regalium seu Episcopalium bonorum conferebatur, defensionem illam suscipere. Imperatores etiam ad redimendam vexam nummos illos accipere potuissent, ut hac ratione melius amoverent ab Episcopatibus juratos satellites Papæ, à quibus ipsi misere prodi & vexari solent.

4. Non potest sacerdos locare seu vendere actionem suam, quam prędicando, missas celebrando, &c. exercet; quia principale in istis quæsitum est spirituale: potest tamen vendere obligationem suam ad tali loco, toties in Hebdomadâ, tali horâ, &c. celebrandum; quoniam hæc sunt temporalia, & impedimenta propriæ libertatis notabiliter, & per accidens conjuncta sunt actui celebrationis. *Cajet. ibid. ad artic.* 2. 3. 4. Nunc applica distinctionem ad causam Imperatorum.

5. Si quis intendit aliquid suscipere, tantum ut stipendium suæ sustentationis, non vero ut pretium rei aut stipendium locatæ operæ, non est simonia. Sic *Thomas artic.* 2. *& ibid. Cajet. de artic.* 2. 3. 4. Nunc à minori ad majus conclude pro Imperatore, eum pro operâ Imperatoriâ & defensione temporali, sub hâc distinctione potuisse multò magis recipere.

6. Non est simonia, quamvis detur aliquid temporale pro spirituali; si modo non detur in pretium pro spirituali: possunt enim (inquit *Jac. de Graffiis lib.* 2. *aurear. decis. cap.* 95. §. 30.) dari obsequia non redundantia in pretium. Hoc applicabunt patroni Imperatorum ipsius causæ.

7. Quando temporale spirituali admixtum est, & principale est temporale, non est simonia, aliquid dare: intelligitur enim hoc dari pro temporali, non pro spirituali. Sic communiter Casuistæ de venditione juris patronatus. Nunc applica ad prælaturas in Germaniâ, quæ plus habebant dignitatis, potestatis, potentiæ sæcularis quam spiritualis, imo τὸ spiri-„tuale aliquando solo nomine istic aderat. Quum vero (inquit *Isidor.* „*Clarius in scholiis ad* 1 *Timoth.* 3.) episcopatum cogitas, ne referas ani-„mum ad hæc tempora, quibus episcopi nihil minus nôrunt, quam eas „partes, quæ illis à Paulo assignantur; neque quidquam nunc intelligitur „appellatione episcopi, quam fructus & vectigalia, & immanes honores.

Et cur non fiscus inde aliquid accipere, & prælati tanquam subditi, vasalli, principes Imperii, domino suo imperatori absque hęresi simoniæ ex immenso regalium redituum fundo aliquid penderent? In Galliâ omnes officiales aliquid inferunt in ærarium regis; insuper in Papatu necessitate ita postulante pendunt Clerici ex fructibus in sumtus bellicos. Quidni prælati in imperio magnam partem politiæ facientes sive in ingressu, sive in egressu, sive per totum curriculum annuatim aut alio quovis modo penderent suo Imperatori, qui ipsos & ipsorum dignitatem, potestatem, bona, tuetur. Conferantur scriptores Politici de oneribus & subsidiis. Confer quæ de investituris notamus loco cit. de *Jure patronatus* ad *object.* 10. *&* §. 3. *num.* 7.

V. *Probl. An ecclesiis Græcis, cum secundum novellas Isaaci Comneni, (vide eas lib.* 2. *Novellar. in Jure Orientali Græcorum pag.* 121. 123.*) singuli Episcopo pendunt septem nummos aureos*, &c. *videlicet unum cum simplicem Papam sive lectorem facit; tres, quando diaconum ordinat; & tres alios quando* πληροῖ 1. *perficit eum sacerdotem seu presbyterum. Resp.* Missâ disquisitione de gradibus ministerii & ordinatione per episcopum, sintne ea facti aut juris humani, an vero divini; non videmus quin talia tributa partem stipendii episcopalis facere possint, haut aliter ac decimæ sacerdotum, quas ex Levitarum decimis tributas recipiebant, absque ulla rerum spiritualium emtione aut venditione. Idque liquet ex textibus novell. citt. ubi aliud quoddam tributum in stipendium dicto episcopo exolvendum subjicitur. „Similiter, inquit, nomine τοῦ κανονικοῦ (sic vocabant ordinarium tributum) à vico habente 30. fumaria, similis nummus „aureus exigatur unus, argenti duo, aries unus, hordei modii sex, vini mensuræ sex, farinæ modii sex, triginta gallinę. Quæri hic posset de stipendii episcopalis quantitate, ut & de modo colligendi, an maximè expediat: sed hoc nihil ad simoniam.

§.4. Problemata sequentia magis pertinent ad novitatem ecclesiasticam.

I. *Probl. An patriarchæ Græcorum jam inde ab occupata per Turcas Constantinopoli ad* ἐνθρονισμὸν *seu investituram suam absque simonia pendere possint Imperatori Turcio tributum illud, quod charatzium vocant. Resp.* quamvis ille qui primus imperatori Turcico autor fuit exigendi istius tributi, *Raphael Servius*; ejus oblatione mercatus patriarcharum, à turpissima simonia excusari non posset: sequentes tamen patriarchæ post legem illam constitutam, si ab omni ambitu abstineant, imprimis à prensationibus & pollicitationibus in aula Turcica, & legitimè eligantur, possunt absque simonia, imprimis volente ita Ecclesiâ Græcâ, & *charatzium*, & *peschesium*, quod postea accessit, utrumque successu temporum admodum

auctum,

auctum, exolvere. Est enim mera & necessaria vexæ redemtio. Confer quæ de his tributis monemus loco cit. de *Jure patronatus part.* 2. §. 9. *probl.* 10.

II. *Probl. An Ecclesia Romana tum praxi frequenti seu potius perpetuâ & universali; tum professione & doctrina, etiam post decreta reformationis in Concil. Tridentino ostentata & Pauli* IV. *simulacra bellica contra simoniam, a.* 1556. (*de quibus histor. Concil. Trid. lib.* 5. *p.* 464. *edit. pr. in* 4.) *possit dici simoniaca? Resp.* De simonia ejus ante concil. Tridentinum consulatur *Illyricus in catalogo testium*, & *Plesseus in mysterio Iniquit.* De praxi simoniaca post concilium, fidem faciunt edita conclavia, seu historiæ obreptionum, subreptionum, prensationum, δωροφαγίων, per quas Pontifices ab illo tempore usque in hunc diem promoti sunt. Duo conclavia graphice descripta habes in epistolis Cardinalis Perroni. Romæ nemo ignorare potest Cardinales complures aut plerosque sive pensionibus annuis, sive extraordinariis muneribus Regum Galliæ & Hispan. & aliorum suffragia sua in electionem hujus aut istius ad pontificatum conferenda vendere. Quin indulgentiæ & apotheoses ibi sunt simoniacæ: de quo 3. *part. sel. dispp. tit. de Indulgentiis:* & *in* 2. *part. sel. dispp. tit. de Canonizatione sanctorum.* Jam vero ubi Divi & Papæ eorum simoniace promoventur, quid de reliquo clero melius sperandum? Ut enim in natura unumquodque, generat sibi simile, sic & Papæ simoniaci simoniacos Cardinales, archiepiscopos, & episcopos, &c. parturire credendum est: siquidem vera sit consequentia *Baronii* à Papis monstris ad monstrosos Episcopos, ad a. 912. §. 8. Sed de praxi nemo dubitabit, qui curiam Romanam, curias Episcopales, capitula canonicorum, præsertim cathedralia, vel leviter inspexerit. De doctrina ipsorum simoniaca constat ex Casuistis eorum, qui distinguendo potiorem pœne veritatis partem exstinguunt, & in injustitia detinent: uti sequenti parte cursim subinde indicabimus, Quin consuetudo in legem ita ibi transiisse videtur, ut in ipso *Concilio Tridentino* cum ageretur de reformatione simoniæ, non puduerit quosdam has nundinationes aperte defendere, alios distinctiunculis & prætextibus eleemosynæ atque oblationis adhibitis magnam partem simoniacorum justificare. Vide historiam *Concil. Tridentini lib.* 6. *p.* 576.

III. *Probl. An archiepiscopus potestatem ad abolendum ambitum simoniacum sibi tribuere aut usurpare possit, sic ut non incidat in simoniam. Resp.* Neg & merito hoc nomine taxatur ab eruditiss. autore *altaris Damasceni pag.* 24. politia hierarchica, quæ talem potestatem Archiepiscopo tribuit. Ille enim si exerceat hanc potestatem & quidem interposito munere à manu, aut à lingua, aut ab obsequio; manifeste incurrit simoniam. Si enim dispensa-

tione ſua legitimè immunem quem præſtat à cenſuris ſecundum leges iſtius eccleſiæ ſimoniaco imponi ſolitis, jam gratis debebat concedere, quod ratio & jus concedendum ſuadet: ſin illegitime, jam bis peccat, & ſimoniâ & injuſtitia. Præterquam quod talis poteſtas Archiepiſcopi autoritate hierarchico-eccleſiaſtica confirmata & in legem traducta, ordinem illum implicat ſimoniæ participatæ & indirectæ: quippe ſimoniacis proclivis peccandi illecebra, impunitatis ſpes. Quæ porro *Brightmannus in Apocal.* 3. & *Cartwrightus in Replicâ pag.* 227. Et autores petitionis ad reginam Elizabetham ibidem ab autore altaris Damaſceni adducti, de multiplici & frequenti ſimoniâ in illâ eccleſia referunt, juri & doctrinæ publicæ ejuſdem eccleſiæ nec imputari nec præjudicare debent, ſed inter facta & mores corruptos numeranda.

IV. *Probl. Quid cenſendum de contractu Leonis* X. *cum Franciſco* I. *rege Galliæ, quo Regi acquiſitum fuit jus abſolutum eligendi prælatos regulares & ſæculares: uti jus illud regi vindicat Servinus in Vindiciis ſecundum libertatem*, &c. *pag.* 274. *Reſp.* Illum & jure divino, & eccleſiaſtico antiquo, & canonico Pontificio, fuiſſe ſimoniacum & formaliter & eminenter. Hiſtoriam & graviſſimam hujus nundinationis cenſuram, vide apud *Thuanum hiſtor. lib.* 1.

V. *Probl. An ſapiat ſimoniam, quod alicubi moribus receptum, etiam lege cautum, ut miniſter in defuncti locum vocandus teneatur relictam defuncti viduam, aut filiam, ſi nubilis ſit, in uxorem ducere? Reſp.* Alicubi hoc fieri docuit me Clariſſ. quis ſcriptor J. C., qui etiam morem illum ſeu legem probat: Loci & autoris nomen ſtudio nunc non edam. Fateor me non videre, quomodo talis ſucceſſor, qui præ aliis candidatis miniſterii quamvis ipſo longe præſtantioribus ad hanc conditionem præſtandam ſe offert, & ambitu in tali hac re omnibus aliis prævalet, ab omni ſubreptione & munere ab obſequio, ſatis liquidè excuſari poſſit. Quod ſi neceſſitas prætexatur, & Lex, ac perpetua conſuetudo; eo ambitus, curſitatio, oblatio & præoccupatio ipſius non purgatur. Quod ad ipſam legem, eruditis diſquirendum relinquo, an talis lex non præjudicet liberæ electioni eccleſiaſticæ: quippe per quam ab electione excludantur omnes miniſtri conjugati; omnes qui in alterius viduæ aut virginis conjugium propenderent illudque ex voto & de conſenſu parentum peterent; omnes qui ſponſalia cum aliqua legitime jam contraxiſſent; denique omnes illi, quamvis cœlibes & conjugium meditantes, quibus viduæ aut filiæ defuncti ætas, aut ingenium, aut mores, aut forma conjugaliter non placerent. Quam ergo in anguſtum cogitur jus & libertas electionis, cum omnes modo memorati, quamvis præ omnibus, aliis digniſſimi abſolute excluduntur?

VI.

VI. *Probl. An ministro aut candidato ministerii simonia imputari possit, quando patronus aut patroni ei præsentationem conferunt, sub hac conditione, ne gaudeat omnibus reditibus pastorali curæ annexis. De quo modo agendi alicubi frequentato, videatur Johannes Acronius in tract. de Vocatione ministrorum. Resp.* Neg. Siquidem ille hac oblata conditione præsentationem non ambierit, nec aliquid aliud munus à manu, à lingua, ab obsequio interceſſerit: sed tantum patroni præsentationem, non tamen sine annexa hac conditione, communicato cum ecclesia seu synedrio & classe aut ejus deputatis, consilio, passus sit seu tolerative admiserit: siquidem ipse, classis, synedrium, patienter & prudenter tolerant, quod tollere non possunt. Quid autem de patronorum ejusmodi ἀθετησία censendum sit, alibi disputatur.

DE SIMONIA.

PARS TERTIA.

Resp. HENRICO LEUSING, Daventriensi 5. *Julii*, 1654.

Problemata de Simoniâ apud Pontificios Scriptores proposita, in quinque Classes distribuimus: quarum 1. *circa definitionem.* 2. *circa subjectum.* 3. *circa pretium.* 4. *circa rem spiritualem.* 5. *circa adjuncta aliqua, versantur.*

PRobl. I. *An prohibitio Simoniæ sit juris naturæ, seu juris* §. 1.
divini moralis & perpetui? Resp. Aff. Pontificii, & post alios *Corn. à Lapide in commentar. ad Matth.* 10. *v.* 8. Nos in genere ab illo dictis assentimur: Sed minimè rationi, quam subdit, „ Quod Christus in N. Test. „ nulla nova præcepta juris divini positivi sanciverit, „ nisi fidei & sacramentorum; uti passim docent Theo„ logi ex 1. 2. *q.* 100. *a.* 3. *& qu.* 107. *a.* 2. *&* 3. Commentum illud de Christo novo legislatore, ejusque novâ lege (quam ita vocant) Euangelicâ, ab Antagonistis Socinianorum ex professo refutatur. Nec admittimus elogium illud *& gratis* Ignatianæ Societatis, juxta regulam in constitut. quod per modum consectarii aut applicationis ibidem annectit. Longè aliud sonant Scriptores Anti-Jesuitici alibi indicati, imprimis in ipso Papatu Craco viæ ante annos aliquot liber editus, tit. *Jesuitarum gratis.*

II. *Probl. An ad Simoniam requiratur studiosa voluntas emendi aut vendendi, &c. Resp. Aff.* Communiter Pontificii Caluistæ, & Scholastici ad 22.

qu. 100. *art.* 1. Quod admitti posset, nisi studiosam voluntatem explicarent per deliberatam rationem & voluntatem, & sic excluderent *motus non plenè deliberatos* : ut loquitur recentiss. Caluista *Eligius Baßeus.* Nos & hoc & generalem ipsorum errorem de motibus primo primis contra quodvis Decalogi præceptum rejicimus, & cum Catechesi nostrâ *qu.* 113. tales motus ad peccata referimus, quippe humanos, intellectuales, voluntarios tum in causâ, peccato scil. originali, unde procedunt; tum etiam in se, quamvis inchoatos, incompletos, quasi informes, à completis & deliberatis mentis ac voluntatis actibus distinctos, gradu scil., non specie; ferè ut dispositio distinguitur ab habitu.

III. *Probl. An ad rationem Simoniæ sufficiat non dare gratis, aut pacti qualiscunque interceßio; an vero requiratur respectus ad pretium temporale? Resp.* Prius Aff. & posterius Neg. *Franciscus Victoria in Relect. de Simoniâ.* Probationes desumuntur.

Primò, ex *Matth.* 10. *v.* 11.

Secundò, ex ratione: Quia quomodocunque non dare spiritualia est peccatum: inordinatè enim convertuntur in favorem privatum, quæ data sunt pro utilitate communi, 1 *Cor.* 12. *v.* 11. *Ephes.* 4 *v.* 7.

Tertiò, ex Jure Canonico cap. *quam pio* 1. qu. 2. & cap. *Quæsitum*, De re-
„ rum permutat: ubi ita verbis Urbani 3. decernitur: generaliter teneas,
„ quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim
„ pactione præmissâ, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem
„ semper continet Simoniæ.

Quartò, ex *Thomâ qu. cit. artic.* 1. *ad* 5. ubi in definitione Simoniæ venditionem & emtionem explicat per quemvis contractum non gratuitum. Ibid. in corpore dicit, deformitatem Simoniæ in eo propriè consistere, quod dentur spiritualia non gratis, sicuti gratis à Deo accepta sunt.

Quintò, accedit Scholasticorum antiquorum consensus. Sed hanc sententiam variis exceptionibus & effugiis infringere student recentiores, propter permutationem beneficiorum, quam volunt fieri posse accedente auctoritate. Vide *Caietanum ad Thomæ artic. cit. Reginaldum libr.* 23. *prax. fori pœnit. cap.* 11. *quæst.* 3. *Malderum ad Thomæ* 2. 2. *tract.* 9. *cap.* 3. *dub.* 1. *Leßium de Jußit. & jure lib.* 2. *cap.* 35. *dubit.* 3. imprimis *Zwarez tom.* 1. *de religione libr.* 4. *cap.* 30. & seqq. ubi prolixè disputat, si beneficium, quod est res spiritualis, cum beneficio simpliciter permutetur, non esse Simoniam contra jus divinum, sed tantum contra jus ecclesiasticum; quæ cessat cum Ecclesia aut prælatus approbat talem permutationem.

Contra locum *Matth.* 10. *v.* 8. coll. cum *Actor.* 8. communiter excipiunt,

piunt, de pecuniâ illic agi tantum, & de re temporali quæ pecuniâ æstimabilis est; non autem de re spirituali. Sed nos tamen illam beneficiorum, hoc est, munerum sacrorum nundinationem per permutationem, quæ æquivalet emtioni & venditioni, ad Simoniam referimus; idque per consequentiam analogicam ex textibus *Matth.* 10. *& Actor.* 8. educimus. Debet enim omnis electio & collatio muneris sacri, & exercitium ejus esse liberum, nec ab aliquo contractu, aut commutatione, suspendi. Adde quocunque modo excusetur illa beneficiorum mutatio à pretio, quomodo excusabitur à munere à linguâ & ab obsequio? An non aliquid promittunt, offerunt, negotiatores illi, quod est in ipsorum potestate? an non sollicitant prælatos eorumque officiarios & amicos; ut viâ permutationis tale aut tantum beneficium ipsis obtingere possit? Et quomodo tunc dicent, divinitus per legitimam & liberam vocationem sibi illud officium collatum esse? Ubi & qualis hic erit interna vocatio? Quod ad actus religiosos e. gr. preces (hoc enim exemplum proferunt) ad quas per contractum commutationis aliquis obligatur, pro eo qui alium actum aut aliud munus religiosum pro illo exequitur, respondemus, justum suâ fide vivere, *Rom.* 1. *v.* 17., & quemque ex vi communionis sanctorum absolutè teneri ad omnia spiritualia dona, ministeria, bona impendenda in bonum fratrum, absque ullo contractu aut stipulatione precum aliorumque bonorum vicissatim ex justitiâ tribuendorum.

IV. *Probl. An detur peccatum Simoniacum veniale ex levitate materiæ? Resp.* Quærunt de hoc Pontificii ex hypothesi falsæ suæ distinctionis, Aff. *Molina tom.* 1. *de justitiâ & jure tract.* 2. *disp.* 92. *Reginaldus lib.* 23. *cap.* 15. *qu.* 5. *num.* 156. ubi restringit ad parvitatem rei temporalis, quæ datur aut accipitur; quam ait ab Ecclesiâ quasi pro nihilo haberi seu pro non precio; quòd non sit verisimile aliquem propter tam exiguum velle quid injusti facere. Sed contra ex professo disputat *Zwarez lib.* 4. *cap.* 3. §. 4. nullum hic esse peccatum veniale ex parvitate rei spiritualis, aut pretii temporalis; sed tantum ex inconsideratione vel ignorantiâ habente admixtam venialem negligentiam. Et sic ferè alii recentiores: inter quos *Bonacina tom.* 1. *fol* 968. *n.* 1. *&* 2. disputat Simoniam tam intrinsecè malam esse, ut nunquam licita fieri possit, ne quidem per divinam potentiam. Nos hujus certaminis spectatores sumus: & rejectâ distinctione peccati in mortale & veniale, dicimus pretium temporale pro re spirituali datum, sive magnum sive parvum sit, non variare speciem peccati. Quod ad inadvertentiam aut ignorantiam, facti scil. (de quâ *Zwarez* cum suis), ea si invincibilis sit, ab omni peccato & hic & alibi excusare dicenda est: secus, si vincibilis sit.

V. *Probl. An Simonia sit hæresis ? Resp.* Ita quidem determiant Canonistæ ad cap. *tanta* de Simoniâ, & ad *cap. 1 & ult. 1. qu. 7.* Et sequuntur *Lutzenburgus*, *Alphonsus à Castro*, *Prateolus*, *Sebast. Medices*, *Theodorus Petrus in Catalogis hæresewn*; eandemque *A Castro* & *Medices* imponunt Græcis & Armenis; uti etiam Papæ Imperatoribus, eorumque assectis, qui post ann. 1100. cum ipsis contenderunt. Vide *Lorinum in Actor.* 8. Inter recentiores *Reginaldus*, & *Lessius loc. cit.* idem statuunt; adhæc *Busæus in panario pag.* 451. denique *Scholastici ad* 4. *dist.* 25. Inter eos *Nicolaus Orbellis* ex mente Scoti cum rationem adfert, satis ostendit formaliter non esse hæresin, posset enim quodlibet peccatum eâdem ratione per accidens propter conjunctam subinde hæresin, aut per remotam consequentiam ac reductionem tanquam hæresi affine, hæresis dici, & sic omnis specifica distinctio peccatorum tolli. „Dicitur, inquit, hæresis secundum quandam „similitudinem seu exteriorem potestationem; quia in hoc quod aliquis „vendit rem spiritualem quodammodo se protestatur esse dominum spiri„tualis rei, & se habet, ac si æstimaret donum Dei quod est spirituale & im„preciabile, posse aliquo terreno pretio compensari: quod sentire est hæ„reticum. Applica hanc rationem ad scortationem clerici, præsertim cum moniali, ad inebriationem sacerdotis celebraturi missam, ad sacrilegium quodcunque clericale, ad monachorum proprium, ad mendacia & fraudes clericorum, ad inobedientiam monachorum erga superiores, & quorumvis Papistarum erga prælatum aut Papam, &c. & Romanam Ecclesiam facies sentinam hæresewn, hæreticorum receptaculum. Zwarez lib. 4. cap. 3. à communi opinione se dissentire profitetur, cum ait: *sine dubio majus peccatum est hæresis (simoniâ scil.) & omnia quæ directè opponuntur Virtutibus Theologicis.* Et Paulo post ad excepta juris canonici respondet: *intelligendum ergo est, omnia illa dicta esse per exaggerationem ad explicandum esse hoc acerbissimum & gravissimum peccatum Malderus tr. 9. c. 3. dub. 2.* negat propriè esse hæresin.

§. 2. Problemata de committentibus Simoniam sunt ista.

I. *Probl. An Simonia committatur tantum ab illis, qui sunt sub lege novâ; an etiam ab illis committi potuerit, qui erant sub lege veteri ? Resp.* Prolixè de hoc disputat *Zwarez lib. cit. cap. 5.* & determinat *Aff.*: cujus rationem desumtam ex sufficienti materiâ Simoniæ (gratiis scil. gratis datis, Pontificatu, sacerdotiis, sacrificiis, sacramentis, templo, &c.) & ex infirmitate seu corruptione hominum istius temporis, probamus. Addit ibid. in lege peccatum hoc prohibitum fuisse tum in genere *Exod. 23. vers. 8.* ubi omnis injusta munerum acceptio prohibetur, tum in specie *Micheæ 3. vers. 12.* quod non improbamus: Ut nec rejectionem exempli Giezi,

zi, quod ad probandum illius temporis Simoniam ab aliis adduci soleat.

II. *Probl. An ante legem Mosis Simonia committi potuerit? Resp.* De hoc disquirit *Zwarez cap.* 6. Intelligit autem per tempus legis naturæ, illud tempus Ecclesiæ Dei, quod fluxit post lapsum usque ad Mosen; quod etiam Ecclesiæ Patriarchalis seu sub Patriarchis vocari posset. Alii ex Pontificiis vocant *Ecclesiam ante legem*; cujus legem seu normam vocant *legem naturæ post peccatum datam à Deo primis parentibus, quam B. Jacobus cap.* 2. *vers.* 8. *vocat* νόμον βασιλικὸν *legem regalem, seu fundamentalem, quod cæterarum legum basis est: quâ docemur unicuique reddere quod suum est.* Sic Jacobus Boulduc. lib. 1. de Ecclesiâ ante legem cap. 1. Quod nunc non examinamus. Quod ad propositam quæstionem, non malè determinant Aff. nec opus est prolixâ probatione. Si enim fuit cultus divinus, verbum Dei, ministeria sacra, sacrificia, typi & ceremoniæ aliaque ordinaria ad cultum pertinentia, præter charismata & typos extraordinariò datos, utique fuit materia sufficiens Simoniæ. Et si fuerint homines avaritiæ, profanitati, aliisque vitiis obnoxii, utique erant subjecta Simoniæ capacia. Quod ad exempla Ephron, & Josephi, rectè ea à probatione removet; non rectè exemplum Esau, (ut part. 2. ostensum), de quo prolixè disputat.

III. *Probl. An potuerit committi Simonia ab illis, qui sunt sub lege naturali purâ: ab Adamo scil. in puris naturalibus creato, aut post lapsum in Republicâ humanâ invincibiliter ignorante totum ordinem gratiæ, & colente aliquo modo Deum? Resp.* Quæstionem hanc movet *Zwarez cap.* 6. *& cap.* 8. refert esse hic adversantes suorum opiniones. Ipse autem per prolixas subtilium distinctionum ambages pro more, sic determinat:

1. *Spiritualia* dona more naturali intellectualia sive speculativa sive practica, eo modo, quo de facto ab homine vendi possunt, nec esse, nec posse esse materiam Simoniæ: quod Simonia sit peccatum contra religionem; atqui hic nihil agitur contra religionem, &c. & citat ibid. *Thomam.* 2 2. *qu.* 71. *a.* 4. *& qu.* 100. a. 3. aliosque complures.

2. *Naturalia bona moralia* quæ inter homines tantum versantur, non esse materiam Simoniæ. Ratio est, quia hæc materia, & actiones circa illam versantes non pertinent ad religionem. Et provocat ad Thomam modo cit. aliosque authores.

3. *Religionem naturalem*, quæ exercetur inter Gentiles mera ratione naturali utentes, posse esse materiam Simoniæ, non esse improbabile: distinctam tamen esse specie ab illa Simonia quæ nunc committitur. Sed nos corrigendam putamus hanc tertiam conclusionem: Quod tanquam certum & necessarium asserendum sit ibi committi Simoniam, sicuti sa-

crilegium à talibus committi, nemo ſanus negabit ; idque educitur ex communibus illis regulis & tota diſputatione Apoſtoli. *Rom.* 1. *verſ.* 19. 25. & *verſ. ult. & cap.* 2. *verſ.* 1. *uſque* 17. Quod ibidem addit de Simoniâ hominis in puris naturalibus creati tanquam nugatorium & commento Pelagiano ſubnixum rejicimus.

IV. *Probl. An Papa poſſit committere Simoniam ? Reſp.* Communiter Scholaſtici *ad Thomam qu.* 100. *artic.* 1. & Canoniſtæ ac Caſuiſtæ hanc quæſtionem agitant. Diſtinctione prœmiſsâ Simoniæ in prohibitam jure naturali & divino, & prohibitam ſolo jure poſitivo Eccleſiaſtico (de quâ diſtinctione prolixè agitur apud *Zwarez. cap.* 2.), pleriquæ ferè determinant, Papam Simoniam primi generis committere poſſe; quod æquè ac alii legibus ſubjectus ſit: non verò ita Simoniam ſecundi generis: ibi enim poteſt diſpenſare, ſi rationabilis cauſa ſubſit. Sic *Navarrus cap.* 23. *num.* 108. aliique, & cum iis *Baſſæus in voce Simonia* 1. §. 6. Ubi addit §. 7. nullius Simoniæ cenſuras ſeu pœnas Eccleſiaſtico jure ſtatutas poſſe incurrere: *quia princeps non ſubeſt legibus ſuis quoad vim cogendi per pœnas.* Alii ſic limitant: poſſe Papam Simoniæ ſecundi generis culpam contrahere, niſi ſecum ante diſpenſet, ſicut cum ſubdito. Sic *Zwarez. c.* 25. §. 7. & quidam innominati apud *Leſſium libr.* 2. *de Juſtit. & jure cap.* 35. *dubit.* 5. Ipſe tamen *Leſſius ibid.* negat diſpenſationem hic locum habere: & contendit Papam incurrere culpam Simoniæ juris humani exigendo pecuniam pro officiis vel beneficiis jure vendi prohibitis ; niſi rationabilis cauſa ſubſit, ob quam illâ lege cenſeatur exemptus. Rationem atque unâ authoritatem adfert ex textu juris civilis. L. 1. tit. *Quod quiſque juris* ; & ex textu juris canonici cap *cum omnes*, de Conſtitutionibus. *Unde ſequitur*, inquit, *principem non poſſe ſeipſum ſuo arbitrio lege ſuâ eximere, cum jure naturali teneatur ſe ſuis ſubditis conformare.* Hæc ſatis animosè à Jeſuitâ videntur efflari. Sed in fine hoc lenitivo ſeu correctorio concludit : *adverte tamen, ſi abſque juſtâ cauſâ fecerit contra ſuam legem, non peccaturum mortiſere; modo ſcandalum abſit.* Idem *Leſſius cap. cit.* dubitat. 2. num. 19. ſtatuit beneficium à Papâ vendi poſſe abſque Simonia, ſi ſcil. conſideretur materialiter, nempe pro jure ad illos fructus, qui beneficio ſunt annexi: & ratio eſt, quia poteſt jus ad illos fructus ſeparare ab officio. Sed *Thomas* & *Cajetanus* abſque ullis ambagibus, aut diſtinctionibus abſolutè determinant, quamcumque pecuniam Papa recipiat ſive prophanam à laico, ſive eccleſiaſticam in pretium rei ſpiritualis, Simoniam committere. *Neutra enim eſt ſua*, ut loquitur Cajetanus: *de prophanâ patet* : de *Eccleſiaſtica vero in literâ declaratur.* Sic autem ſonat litera 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 7. *Quamvis enim res Eccleſiæ*

ſint

sint ejus (Papæ scil.) *ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius ut domini & possessoris.* Quod in transitu notari velim ad confusionem eorum pseudo-reformatorum, qui dominium & possessionem peculii Ecclesiastici sibi vindicant, inque illud sine scrupulo, ut videtur, involant. Contra quos alibi ex professo disputatum est. Quod ad Papas, videtur ipsis omnis Simoniæ species prohibita per *Bullam Pii* V. Kal. April. 1566. & 13. Julii 1570. qua revocat privilegia & consuetudines Ecclesiarum aliquid recipiendi in collatione provisione, aut admissione & Clementis VIII. an. 1599. Quas videat, cui vacat, in *Bullario*, aut ejus compendio, aut in *Quarantæ summa Bullarii*; ubi & varii Authores citantur; Adde *decreta Tridentina sess. 24. cap. 14.* de reformat. cum *August. Barbosæ remissionibus ad Concilium Trident.*

V. *Probl. An liceat beneficia Ecclesiastica vendere authoritate Papæ? Resp.* Movet hoc dubium *Cajetanus in Quodlibetis* & ad *Thomæ 22. qu. 110. art. 4.* Et primum quidem pro negante disputat: postea tamen cauda venenatâ benè dicta corrumpit: „ Cum his tamen stat, quod Papa alio modo, puta „ per viam unionis ad mensam suam, vel subsidii caritativi, posset ex causa „ rationabili proventus vacantis Ecclesiæ sibi applicare, & post alienare, „ prout opus fuerit, & ratio sua fuerit Ecclesiasticæ pietatis. Hic scil. pietatis honus.

VI. *Probl. An à competitoribus inter se in beneficii concursu circa ordines Simonia committi possit? Resp.* Recentiores communiter Aff. & ostendunt tribus modis id fieri posse. *Primò*, si alter alteri pretium det, ut à concursu desistat, vel suæ electioni cedat. *Secundò*, si paciscatur non opponere exceptiones, quas habet & qui beneficium consequetur, alteri pensionem solveret, cum beneplacito sedis Apostolicæ. *Tertiò*, si pecuniam det viro potenti, ut metum alteri inferat, quod à concursu cesset. Ita *Flavius Cherubinus* in scholiis ad compendium bullarii, ad bullam Pii V. anno 1566. ubi laudat Authores seqq. *Majolum, Navarrum, Parisium, Ugolinum.* Eadem habet *Barthol. Quaranta in summâ Bullarii* ad vocem *Simonia* pag. 593. Et hęc quidem in genere ita dicta probamus; nostrisque studiosis, imprimis eorum parentibus, tutoribus, consanguineis, fautoribus, mœcenatibus, ad abundantem cautelam suggerimus. Sed de casibus & dubiis negotia nostrarum Ecclesiarum propius spectantibus forte infra agemus.

VII. *Probl. An mediatores Simoniæ culpam incurrere possint? Resp.* Aff. Communiter. Et probamus. Ratio enim manifesta est, quod particeps fiat peccati, qui alterius peccato opitulatur aut inservit.

VIII. *Probl. An qui sponsionem faciat, vel, (ut Itali dicunt) la scommessa, Hispani apostanda cum Episcopo in centum aut mille, quod non conferat beneficium*

cium tali, e. gr. filio aut nepoti suo; & Episcopus, ut ille centum aut mille lucretur, confert illi? Resp. Jac. de Graffiis lib. 2. decis. aurear. cap. 25. §. 24. & Reginaldus cap. 1. qu. 3. num. 146. & Navarrus cap. 23. Manualis §. 105. hunc casum determinant Aff. & postremus addit casum seu exemplum cujusdam magnatis, qui regi percupienti, ut successor cujusdam Episcopi mortui solveret 20000. scutorum, quæ illi debebat, dicebat: *si placet suæ Majestati, ego solvam illa omnia ex legitimâ parte, quæ debetur ex bonis matris filio meo*, &c. *qui erat dignus Episcopatu*, nihilo expresso de episcopatus præsentatione, pro qua tacitè promittebat; nam si rex nihil alias respondendo præsentasset illum ejus filium, & Magnas solvisset illud debitum, censenda fuisset Simonia realis, &c. Sed de his hactenus: quis enim infinitas illas artes recenseat. *Zwarez* prolixè disputat, An Simonia posset cadere in curiam Pontificis; in inferiores prælatos eorumque ministros, & familiares; in alios homines cujuscunque status. *cap. 52. 53. 54.* Sed hęc ex jam dictis facilè determinari possunt.

DE SIMONIA,

PARS QUARTA.

Resp. JOHANNE CRUCIO, Dordraceno-Batavo 10. *Julii* 1654.

Problemata inter Pontificios agitari solita, supra distribuimus in quinque Classes. Duabus prioribus classibus perlustratis, accedimus nunc ad tertiam; quæ versatur circa pretium Simoniacum, seu circa munus: quod vulgò triplex statuitur, à manu scil., à linguâ, ab obsequio.

§. 1. MUnus à manu est non tantum pecunia, quod est propriè dictum pretium, sed etiam omnis res materialis tum mobilis, tum immobilis, quæ quomodocunque pretio æstimabilis est; item omne illi æquivalens, ut pecuniæ mutuatio, locatio, commutatio, debiti remissio, solutionis dilatio, &c.: breviter quidquid directè aut indirectè involvit debitum justitiæ commutativæ, adeoque gravamen aliquod ac onus. Circa munus à manu quæritur.

I. *Probl. An & quibus in casibus pecuniæ dari & accipi possint pro re spirituali absque labe Simoniæ. Resp.* Prius communiter affirmant sub hac conditione; si scil., temporale accipiatur non in pretium spiritualis, sed aliâ de causa honesta, nec repugnante legibus. Modos autem istos enumerat *Reginaldus lib. 23. cap. 11. qu. 3. num. 123.* Pri-

Primus est, quando quid datur vel accipitur ob gratitudinem exhibendam benefactoribus, seu ob remunerationem, & ut vocant *ad antidota.*

Secundus est, quando datur in eleemosynam: Sic damus pauperibus, ut pro nobis orent.

Tertius est, quando datur & accipitur aliquid in pœnam peccati: ut cum quis absolvitur ita ab aliqua censura: ut simul ei imponatur mulcta pecuniaria.

Quartus est, quando datur vel accipitur ut spirituali annexum sive antecedenter, sive consequenter. Illius exemplum sit, cum alicui Ecclesiæ legatur certa pecunia cum onere celebrandi missam. Istius exemplum est, cum datur beneficium habens certa onera annexa.

Quintus est, quando datur vel accipitur ob consuetudinem receptam, & approbatam.

Sextus est, quando datur ad sustentationem: ut concionatori, quo se sustentet.

Septimus est, quando datur vel accipitur ad redimendam injustam vexationem. Quid de singulis modis statuendum sit seqq. Problematis indicamus.

II. *Probl. An sit Simoniacum ratione beneficii Ecclesiastici seu rei spiritualis, quidvis accipere, non tanquam stricte sed laxè debitum, quasi obligatione remuneratoriâ ex gratitudine, amicitiâ, aliove titulo? Resp.* Communiter plerique Casuistæ negant, *Reginaldus*, *Bassæus*, *Malderus*, *Toletus*, aliique ibid. citati. Rationes has adferunt. 1. *Quia*, non accipis tanquam pretium, nec comparantur res spirituales, quasi venales cum temporalibus tanquam pretio æquivalentibus. 2. *Quia*, nunquam committitur peccatum Simoniæ absque contractu; ex quo sequitur stricta obligatio. Atqui hoc in casu nullus contractus intervenit. „Hâc regulâ (inquit Jesuita „*Bresserus lib. 6. de conscientiâ cap.* 18. sæpe excusantur tum qui benefi„cium alteri resignant spei temporalis commodi ac muneris; tum qui „hoc promittunt, scil. ex grato & libero animo, non ex contractu & „stricte debito. Sed negare non poterunt, speciem mali hinc non semper abesse; nec etiam (ut sunt mille profunda Satanæ, ac corrupti cordis humani) abesse pacta tacita, implicita, virtualia, interpretativa, indirecta. Certè distinctiones has usuræ, magiæ, superstitioni, vanæ observantiæ, aliisque vitiis applicant: & quidni donationi & acceptioni munerum ratione rei spiritualis, omnique adeò δωροφαγίᾳ in genere. De noxiis & illicitis δωροφαγίαις videantur Commentatores ad *Exod.* 23. inter nostros *Rivetus*; & inter Jureconsultos *Tholosanus lib.* 36. *syntagm. cap.* 28. & *lib.* 28. *cap.* 12. ubi rationes, leges, & varii autores indicantur. Et tractatus peculiaris

de δωροφαγίᾳ. ,,Sed de hoc alibi. Certè *Bresserus loc. cit.* fateri cogitur: ,,facile in similibus præsumi Simoniam in foro externo, immo & interno ,,de laxis conscientiâ, etiam in aliis; secus quam de teneris conscientiâ, ,,ac Deum timentibus. Vident ergo magnam cautionem hic adhibendam: & cum in aliis jure Ecclesiastico ac legibus positivis, de sacrilegio, missarum celebratione, horarum canonicarum recitatione, irregularitate, &c. non pauca prohibuerint, quæ tamen jure divino & naturali prohibita esse negant; mirum est, quod circa hanc munerum acceptionem, sepimenta moliti non sint: præsertim cum leges civiles & canonicæ à *Tholosano* adductæ facem præferant.

III. *Probl. An absque Simoniâ aut saltem absque alio quocunque vitio possit quid dari in eleemosynam, pro precibus? Resp.* Aff. Pontificii, apud *Reginaldum loc. cit.* ,,qui hanc rationem adfert, quod hoc in casu non detur temporale ,,pro spirituali: est enim eleemosyna res spirituali annexa consequen- ,,ter, sicut & omne aliud opus meritorium, tanquam procedens ex ,,supernaturali Dei gratia. Probat ibid. antecedens: quia est impetratoria remissionis peccatorum *Dan.4. v.24.* imo & regni cœlorum *Matth.13. v.46.*

Nos sic censemus, eleemosynam tanquam fructum veræ resipiscentiæ cum precibus & jejuniis rectè conjungi: non tamen ex pacto & stipulatione appendi eas cum precibus, nec per contractum innominatum, do ut des, aut ut facias, per earum elargitionem nos genuinos pauperes ad preces, seu mavis ad numeros, verba, & opus operatum precularum velle obligare, aliter ipsorum necessitati non subventuros. Hilarem enim datorem diligit Deus 2 *Corinth.9. v.7.* De praxi & more Papistarum per eleemosynas suas mercantium & obligantium pauperes, præsertim imbelles & deliros senes, homines fatuos, (quos vulgò innocentes vocant), puerulos orphanos, similesque miserabiles personas, aliquid monuimus in 2. *part. sel. disp. tit. de simplicitate & hypocrisi.* Quod ad opinionem Papistarum de merito aut satisfactione eleemosynæ, alibi ea refutatur.

IV. *Probl. An absque Simoniâ, aut quocunque vitio excusetur onus ab Episcopo pro dispensatione aliquâ impositum largiendi eleemosynam pauperibus vel monasterio; modo ipse inde nullum temporale commodum captet? Resp.* Ita Aff. *Lessius lib.2. de Instit. & jure cap 55. dubitat. 9.* & hoc prætextu eludit decretum *Tridentinum sess.25. cap.18.* de reform. Nos opponimus, eleemosynam per sententiam judicis Ecclesiastici impositam non esse eleemosynam, sed veram mulctam & tributum justitiæ.

V. *Probl. An absolvi quis possit ab aliquâ censurâ, ut simul ei imponatur mulcta pecuniaria, quæ absque Simoniâ detur & accipiatur in pœnam peccati?*

Resp.

Resp. Pontificii apud *Reginaldum ibid.* Aff. Sed subnituntur falsis hypothesibus, de pœnâ & mulctâ pecuniariâ censuris Ecclesiasticis miscendâ aut substituendâ, deque totâ praxi criminali canonicâ : quas strenuè negamus, cum Apostolo 2 Corinth. 1. *Non dominamur vestræ fidei*, &c. & 2 Corinth. 10. v. 3. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia*, &c. Hinc constat quid statuendum sit de *Lessii excusatione lib. 2. cap. 35. dubit. 9. num. 58.* quâ Pontifices & Episcopos purgat à Simoniâ, si causâ dispensationis aliquid „accipiant, modo illud non exigant in pretium dispensationis, sed velut in „quandam mulctam, per quam alter compensetur recessum à communi lege. „Probatur, quia cupienti sibi concedi exemtionem à lege, licitum est im„ponere aliquod onus, quo compensetur hanc deformitatem. Subdit ibi„dem, fideles obtinentes ejusmodi dispensationes, & aliquam pecuniæ „summam prælatis exigentibus persolventes, excusari à Simoniâ partim ra„tione ignorantiæ inculpatæ; partim quia dant in sustentationem prælato„rum & officialium, vel saltem in quandam redemtionem vexationis „(præsertim si exigatur dispensatione jam obtentâ) nullo modo volentes „emere ipsam dispensationem. Sic illi ex legibus divinis & ecclesiasticis, „tum antiquis tum novis faciunt nasum cereum.

VI. *Probl. An sapiat Simoniam, cum pro spirituali temporale quid datur aut accipitur, sed prout spirituali annexum ? Resp.* Neg. Pontificii apud *Reginald. loc. cit.* & adferunt pro exemplis, pecuniam datam Ecclesiæ cum onere celebrandi missas, & beneficium Ecclesiasticum habens certa onera annexa, Hæc nituntur falsis hypothesibus, de missâ, quæ sit opus spirituale, deque beneficiis ecclesiasticis sine officio & labore ecclesiastico, aut quibus onera temporalia sunt annexa.

VII. *Probl. An Absque Simoniâ possit ob consuetudinem temporale accipi pro spirituali ? Resp.* Ventilatur hoc dubium à Casuistis, inter alios à *Jacobo de Graffis lib. 2. cap. 95. §. 43. - 51. Reginaldo cap. 11. qu. 3. §. 134. - 138.* Distinguunt autem consuetudinem, ut alia sit laudabilis, quæ habuit initium & fundamentum bonum ac laudabile, & introducta est ex mera devotione & spontaneâ oblatione ac liberalitate populi ad sustentationem pauperis clerici; & hæc valida est & observari debet, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 14.* de reform. & laici ad eam observandam compelli per c. *ad Apostolicam* de Simonia; immo etiam in expressum pactum deduci, dummodo vitetur scandalum, *Thom. 22. qu. 100. art. 3. Cajetan. in summula*, in voce Simonia. Ubi applicant ad sacramenta, sepulturam, &c. Hac tamen cum limitatione, ne parochus propter hac solum dimittat aut deneget administrationem sacramentorum, sed administret & postea agat

ad

ad obſervantiam conſuetudinis. *Alia* mala, quæ habuit initium & fundamentum vitioſum, quando exactio & extorſio præcedens dedit cauſam conſuetudini: & talis eſt corruptela, & lex moris, adeoque velociter exſtirpanda, juxta diſt. 8. c. *mala conſuetudo*, &c. fin. *de conſuetudine.* Sed non pauca contra præſcriptionem conſuetudinis, ab aliis, ex jure canonico adducuntur, inter quę eminent capp. *Non ſatis*, & *in eccleſ. corpore*, & *Jacobus*, de Simonia, &c. *abolenda* de ſepulturis. adverſantes ſententias conciliat *Reginald. loc. cit.* duabus regulis quarum *una*: „Simonia commit„titur, cum miniſter non vult ſpirituale conferre, niſi prius vel detur „temporale, vel promiſſio fiat de eo dando. *Altera* eſt, Non eſt Simonia „poſt adminiſtratum ſpirituale, exigere temporale (etiam implorato offi„cio judicis), quod ſolitum eſt ea cauſa conferri. Hæc deſumitur ex c. *ad Apoſtolicam*: & habent eam, *Thomas & Cajetanus loc. cit. Zwarez cap.* 48. *Navarrus cap.* 23. §. 100. *aliique.*

Nos ſit ſtatuimus.

1. *Concl.* Si ex conſuetudine, aut potius lege, id quod datur eſt loco ſtipendii, ſeu reducitur ad honeſtum ſtipendium & debitam miniſtri ſuſtentationem, non eſſe Simoniam tale quid accipere; immo & poſt adminiſtrata ſacra, concionum ſcil. aut catechizationum aut ſacramentorum idem exigere, ſi ſponte non exſolvant, ab illis qui exſolvere poſſunt, non verò à pauperibus: quomodo Medici, advocati, notarii, ludimagiſtri honeſtè & hac cum diſcretione exigunt mercedem ſuam. Hoc probatur omnibus illis argumentis, quibus ſtipendia miniſtrorum ex *Luc.* 10. 1 *Cor.* 9. *Galat.* 6.: de quo 1. *part polit. eccleſ. lib.* 4.

2. *Concl.* Longè tamen præſtat, alia quapiam ratione miniſtris ſtipendia curari, & conſuetudines aut leges tales abrogari, aut ipſum miniſtrum ſtipendio aliquo inſtructum ei generosè renuntiare. Rationes ſunt: *quia* apud multos odioſum & vile redditur miniſterium: *Quia* periculum eſt, ne miniſtri in adminiſtratione ſpiritualium pluris faciant ditiores, aut liberalius dantes, quam pauperes aut tenuiores nihil aut parum dantes; quamvis in ſpiritualibus excellerent: & ſic occinatur noſtris quod olim Papatui,

Curia Romana non quærit ovem ſine lanâ.

Et,

Dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit.

Quia, ſcrupulis obnoxia redditur miniſtri conſcientia, an non acceperit aut exegerit ab illis, qui quamvis publicè non audiant pauperes, aut ſe tales non profiteantur, anguſtia tamen rei familiaris tacitè laborant, & lachrymis ac tacitis gemitibus tegunt altare domini, hoc eſt, exercitia ſacra.

cra. *Quia*, periculum est ne ministri carnaliter quid agant, aut in aliquo nimis indulgeant, aut ad multa illicita conniveant; ut ad suas cœnæ, & concionum administrationes (ubi plures ministri & templa) plures ditiores alliciant: & hinc tandem periculosæ æmulationes ac contentiones inter unius urbis ministros oriantur.

3. *Concl.* Si quid subinde, occasione administrationis sacramentorum, aut habitæ eximiæ alicujus aut solennis præ aliis concionis, aut visitationis diuturnæ ac laboriosæ in morbo aliâve calamitate, in liberale donum, vel in reverentiam, vel in signum gratitudinis à divite aliquo sponte offeratur ministro, imprimis si tenuioris fortunæ sit, non videtur absolutè & semper aspernandum, non magis, quam si ab illi ad amicum convivium invitetur: hâc tamen conditione, ne ejusmodi munusculis aut xeniolis inhiet, aut ea captet, aut sive directè sive indirectè ea petat; nedum ut consuetudinem & legem hinc faciat: & impotentiores juxta cum potentibus, nolentes juxta cum volentibus pariter, & semper, & ubique ad talem oblationem obligatos velit; & sic ex extraordinario faciat ordinarium ac perpetuum. Hoc enim in casu longissimè recedimus à Casuistis Pontificiis (*Reginaldo loc. cit. & Zwarez. libr.* 4. *cap.* 48.), qui consuetudinem laudabilem, & fundamentum ejus laudabile huc usque extendunt; ut dicant non tantum ex consuetudine dandi quid pro spiritualium administratione in subsidium vitæ & debitum stipendium, censendum populum se voluisse ad id obligare, sed etiam meritò ex longa observatione dandi quid in liberale donum, vel in reverentiam, vel in oblationem, vel alia de causa; *recognoscendo scil. Deum in ministris ipsius, & redimendo eleemosynis peccata sua.* ut habetur, de pœnitentiâ dist. 1. c. *medicinam. Jacob. de Graffiis c. cit.* §. 46. 47. qui adducit *Bartolum ad l.* 1. C. *de servis*, & Abbatem in c. *tuam nobis* de Simonia, distinguentes inter donationem & consuetudinem introductam circa ea quæ sunt meræ facultatis relatè ad certum quid e. gr. si rusticus per longum tempus solvit par caponum, aliquâ causâ prætensâ, quia erat domino in aliquo obligatus: & inter donationem puram ac non relatam ad certum quid, per quam nunquam in his, quæ sunt meræ facultatis, introducatur consuetudo, nec ex datione annuâ gratis. Et sic *Soto de justit. & jure libr.* 1. *qu.* 7. *art.* 1. Omnia tamen hęc exstinguit ibid. *Graffiis*, cum dicit d. c. *ad Apostolicam* posse sic intelligi, ut in his, quæ sunt meræ facultatis introducatur consuetudo favore Ecclesiæ, à laicis inter laicos, vel à laicis in favorem clericorum: secus si clerici à clericis quid exigant spectans ad repletionem ventris, vel propriam utilitatem. Sub quâ distinctione latere potest ἄδυτον pelagus δωροφαγίας.

4. *Concl.* Pro curâ sepulturæ Ecclesiasticæ & religiosæ, & marrimonii

ſolennizatione quod eſt ſacramentum, ſecundum Pontificios, ex conſuetudine ſi alicubi adhuc quid detur, ubi tamen nec ſepultura formalirer ſacra, nec matrimonium habetur ſacramentum; de eo analogicè judicandum eſt, uti 2. & 3. concluſſ. de donis ordinariò aut extraordinariò oblatis. Quod ad Pontificios, illi circa hæc, ipſorum opinione ſacra, committunt Simoniam, quotieſcunqne in dando aut accipiendo irreligiosè ſe gerunt.

VIII. *Probl. An pro adminiſtratione ſacrorum licitè detur & accipiatur ad ſuſtentationem miniſtrantis? & an liceat de eo paciſci. Reſp.* Pontificii communiter affirmant utrumque. Vide *Leſſium libr. cit. cap.* 8. §. 48. Alii reſtringunt ad miniſtrum pauperem; ut *Cajetanus* ad *Thomæ qu. cit. art.* 3. Qui idem tamen etiam Miniſtro diviti concedit: ſi ſcil. ſtipendium à Prælato ſit taxatum. Quod ſi miniſter ſive dives ſive pauper nimium exigat, hoc eſt, ultra neceſſariam ſuſtentationem, aut taxationem, negat *Leſſius ibid.* §. 51. eſſe Simoniam, ſed tantum injuſtitiam. Nihilominus fatetur cum *Thoma art.* 5. *ad* 3. præſumi in foro externo ſubeſſe Simoniam. Idem ibid. §. 49. aliique recentiores communiter fatentur, antiquo jure fuiſſe Simoniam ſic paciſci, ſive dives ſit miniſter ſive pauper. Idque evidentiſſimè patet ex *cap. fin.* de pactis, cap. *quæſitum*, de rerum permutatione cap. *tua nos*, de Simonia, cap. *quam pio* 1. qu. 2. Huic tamen juri per contrariam conſuetudinem derogatum eſſe, docet ibid. & ante illum *Soto lib.* 9. *de Juſtit. & jure qu.* 6. *attic.* 1. aliique complures apud *Zypæum in juris Pontif. novi analyt. enarrat. l.* 5. *tit. de Simonia*: qui autor & hic & in aliis materiis compendiosè & tanquam in tabella aut ſpeculo exhibet concordem diſcordiam juris antiqui & novi? & hoc ſemper ferè defendit aut præfert. Ut vel hac in parte noſtri videant Proteum Romanum & novitatem Papatus.

Nos Romana littora littoribus contraria, fluctibus undas ex ſcripturæ ſpeculâ ſpectantes, dicimus.

1. *Concl.* Licitum eſſe accipere ſtipendium ad neceſſarium ſuſtentationem, & pro tali vacatione ad operas ſpirituales & publicum communitatis eccleſiaſticæ bonum procurandum. Vide *part.* 1. *polit. eccleſ. lib.* 4. *de ſtipendiis miniſtrorum.*

2. *Concl.* Pactum tamen de tali aut tanto ſtipendio in ſpecie, eſſe indecorum, & ſcandaloſum: ſic enim inverſo ordine videtur beneficium eſſe ἔργον & principale, officium verò ſacrum παρεργον & acceſſorium. Nec diſſimulare hoc potuit ipſe *Leſſius* §. *cit.* „Optandum tamen eſſet, ut „hæc conſuetudo abrogaretur, quia ſpeciem quandam negotiationis ha„bet, præſertim apud imperitos,

3. *Concl.* Ut non excuſantur ab avaritia & rerum mundanarum ſtudio, qui-

quibus nunquam sufficit stipendium, quamvis sufficiens & honestum: sic à profanitate, ἀθρησκείᾳ, & contemtu ministerii ac sacrorum se purgare non possunt, quotquot tam exilia stipendia tribui velint ministris, & quidem ex peculio ecclesiastico in gratiam & usum ministrorum imprimis, antehac abunde collato, ut aut ad mendacitatem, aut ad cœcam impiamque obedientiam eos redigant. Quibus nihil aliud nunc subjicio, quam illud Apostoli Gal. 6. v. 7. *Deus non irridetur*, &c. Nec hic prætereundum, quod Casuistæ suo Pontifici prętextu sustentationis nihil non pro confirmationibus, dispensationibus, indulgentiis & gratiis attribuunt. Vide *2. part. sel. disp. tit.* de indulgentiis.

IX. *Probl. An absque Simoniâ pecuniæ causa rei spiritualis dari possint ad redimendam injustam vexationem. Resp.* Pontificii tum Scholastici ad *Thomam loc. cit.* tum Canonistæ ad *capp. cit.* tum Casuistę hactenus à nobis adducti, aliique complures affirmant. Et nos in genere ita dictis non repugnamus: minimè tamen nimiam extensionem vexæ & redemtionis probamus. *Molanus in Theol. practica, tract. 2. cap.* 42. sic distinguit, si vexatio sit per vim, licet eam super acquirendo beneficio redimere: secus si sit, non licet, juxta *Thomam. Jac. de Graffis sic limitat. §. 51.* „Non licet nisi quando vexatus habet jus certum & plenum in re, & vexans „nullum habet jus, sed vexat de facto propter potentiam, super aliquo „beneficio. Et adfert ibi exemplum juris certi & quæsiti, non tamen plene, cum quis consecutus fuit bullas à Pontifice, sed non potest habere „confirmationem & possessionem beneficii, nisi aliquid solvat Episcopo „pro investitura, confirmatione & possessione. Hic, ait ibid. Simoniam esse, si detur aliquid temporale ad vexam redimendam. Et ita *Sotus lib. 9. qu. 7. artic.* 1. Addit de *Graffiis ibid. §. 54. 55.* licitum esse occupatori beneficii, quod omni jure nostrum est, numetare pecuniam, siquidem gratis dare nolit; nec tamen nos cooperari malo; aut inducere illum vexantem ad malum. „Duo enim, inquit, inveniuntur in qualibet redemtione. Alterum „licitum, quod petit redemtor e. gr. dare filium, vitam, libertatem, beneficium, &c. Alterum iniquum, quod non petit, sed patitur redemtor: „quamvis per modum petentis se habeat, quia offert materiam illius iniquitatis parato ad illam vel majorem, vel forte non minorem, quam sit „acceptio pretii. Sicut qui redimit Filium à latrone, petit ut accipiat latro tantum pecuniæ, quasi hoc volens, sed offert pecuniam patiens. Sed semper strictè tenenda est distinctio *Molani* modo allata; & altera quam *Reginald. §. 124.* propius exprimit: Dupliciter quis injustè vexatur: vel cum spoliatur re spirituali, seu beneficio, quod jure jam habet & possidet: vel cum impeditur à consecutione ejus quod ei aliquâ ratione debetur, ut à

consecutione beneficii, quo est dignus; aut cujus jus quæsitum jam habet, non tamen plenum. Priori modo vexam redimens immunis est à Simonia: quia per talem redemtionem non datur pecunia pro re spirituali acquirendâ, quæ supponitur jam haberi, sed pro injuria vitanda. Posteriori modo redimens vexam, incurrit simoniam: quia mediante pecunia, acquiritur res spiritualis, quæ antea non habebatur. *Graffius ibid.* & *Reginaldus* §. 47. 48. quosdam particulares casus ponunt, in quibus redemtio vexæ per nummos, sit illicita: sed illi, ne prolixior sim, ex limitationibus jam expositis facile determinari poterunt. Atque hactenus de modis, quibus absque Simonia intuitu spiritualis temporale dare & accipere licet, aut non licet.

§. 2. X. *Probl. An dari aut promitti possit pars fructuum beneficii, pro electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel aliâ provisione, sive admissione ad possessionem alicujus beneficii?* *Resp. Pius* V. *in Bullâ* 13. *Julii* 1570. refert hos abusus constitutionibus aut consuetudine cathedralium Ecclesiarum obtinere, non obstante *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 14. *de reform.* Ipse autem ibidem strictè prohibet. *Navarrus*, qui in consiliis suis *consil.* 7. & 15. rigidè secundum *Decretum Trident.* determinârat, in *Manuali cap.* 23. §. 102. vincula hæc laxat dicendo: in adeptio„ne possessionis alicujus beneficii, seu canonicatus, ubi talis adest consue„tudo, aliquid posse solvi, convertendum tamen in aliquem pium usum. Nos de cathedralibus Ecclesiis, deque canonicis irregularibus, atque adeo totâ præbendarum, vicariatuum & turnorum pragmaticâ usurpare possumus illud heroicum symbolum: *Nec habeo, nec careo, nec curo.* Erimus ergo hic spectatores. Si analogicè quæstionem hanc rebus Ecclesiæ nostræ applicemus, dicimus nullam partem stipendii ab electoribus aut promotoribus ministri peti aut accipi posse absque Simoniâ.

XI. *Probl. An candelæ à promovendo ad beneficium dari aut promitti possint?* *Resp. Toletus libr.* 5. *Casuum cap.* 88. putat periculum esse, si Episcopus aut ipsius Vicarius in sacris, Episcopus scil. titularis, pro collatione, aut literis dimissoriis, aut sigillo quidquam accipiat: idque ex vi *Decreti Tridentini sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.*, quod generalissimè loquitur.

XII. *Probl. An notarius quidquam accipere possit?* *Resp.* Negant ex vi decreti Trident. excepto uno casu in hoc negotio, pro literis scil. dimissoriis: sub tribus tamen conditionibus; quarum *prima*, ut ante Concilium ibi fuerit consuetudo pro dimissoriis aliquid accipiendi: *Secunda*, ut notarius ille ex publico salarium non habeat. *Tertia*, ut nihil lucri inde ad Episcopum redundet. Sic *Toletus cap. cit.* Et *Zwarez cap.* 53. ubi etiam de advocatis & procuratoribus in causa spirituali salarium accipientibus quærit, &

& aff. de testibus verò distinguit : ita ut dans pretium excusetur à Simoniâ, quippe redimens vexam ; testis verò minimè, qui absque pretio recusat testimonium. Hæc quidem non malè, ex hypothesi moris & regiminis Papalis.

XIII. *Probl. An pecuniæ alicui mutuo dari possunt eâ lege, ut conferat beneficium? Resp.* Communiter negant. Sic *Reginald.* §. 147. ex & cum *Navarro in comment. de Usuris num.* 17. & *Soto lib.* 6. *de just. & jure qu.* 1. *art.* 2. Tale enim mutuum gratuitum reducitur ad munus à manu : ut notum est. Et in hoc illis consentimus ; idemque de alio quocunque contractu nominato aut innominato respondendum putamus. De pensionibus, transactionibus, beneficiorum permutationibus, compensationibus, &c. infra quæremus.

XIV. *Probl. An Simonia sit dare pecuniam janitori, ut pateat accessus ad Episcopum, à quo literæ dimissoriæ, aut testimoniales, aut ordo recipiendus est? Resp. Sylvester, Angelus,* & cum iis *Azorius lib.* 22. *cap.* 5. *qu.* 4. Neg. si tantummodo dedit ut aditum haberet ad Episcopum : quia talis accessus non est per se necessariò conjunctus cum re spirituali, quam ingrediens ab Episcopo accepturus est. Secus se res habet, si quis janitori det, ut per ipsum habeat suffragium, patrocinium & favorem apud Episcopum, eique janitor pro petente loquatur rogando, persuadendo, consulendo, ad rem spiritualem impetrandam. Et rectè : præsuppositio scil. & dato regimine hierarchico Papali.

Munus à linguâ sunt, preces, supplicationes, laudes, adulationes, favores. §. 3. De hoc quæritur.

I. *Probl. An sit Simonia, si spirituale ob solas humanas preces seu supplicationes petemti, aut alteri alicui, pro quo petit, conferatur. Resp.* Quidam simpliciter Aff. ut *Adrianus* VI. *in quæst. quodlib. quodl.* 9. *art.* 2. *dub.* 1. *pag.* 189. edit. in 8. ubi valdè refellit eos, qui excipiunt in precum fusione nullum „ munus intervenire. Regulariter enim, inquit, preces audimus, vel ob „ speratam benevolentiam, vel quia apud nos meruit audiri, vel quia magni „ pendimus à tali viro rogari, aut quia indignationem veremur, aut certè „ timemus ejus contristationem, &c. Sed quolibet horum modorum aut „ similium munus in precibus quæritur, videlicet favoris, aut carentiæ in„ dignationis, vel mœstitiæ, aut honoris. Ibid. addit hanc rationem, Dare beneficium propter adulationem est Simoniacum ; ergo & propter preces : quia preces non minus muneris continent, quam adulatio. Respondet etiam ad exceptionem, quod preces adhibeantur in vim consilii & testimonii : & asserit antiquos Canonistas magnam partem huic sententiæ adhæsisse. *Sylvester in summâ qu.* 16. etiam validè & pluribus pro hâc sententiâ con-

tendit, ex *Thomâ* 22. *qu.*300. *art.*4. „ Quia laus pertinet ad humanum fa-
„ vorem, qui sub pretio cadit, & ex actu linguæ initium sumit: sicut cum
„ quis ex hoc quod precibus alicujus satisfacit, favorem expectat: unde eti-
„ am à linguâ dicuntur preces, ex quibus acquiritur favor humanus; vel
„ etiam ex quibus evitatur periculum, ut quæ sunt armatæ: cum carere
„ malo sit quiddam bonum 5. Ethicor., &c. Inducit autem Simoniam hoc
„ munus sine dubio, ut dicit, si propter hoc detur spirituale; quia ordi-
„ natur ad utilitatem temporalem mensuralem (forte legendum, *mensura-*
„ *bilem*) pecuniâ. *Bartholom.* Fumus in armillâ aureâ in voce *Simonia* §. 10.
in eandem sententiam absolutè determinat, simoniacum esse qui pro se
aut pro alio laudat aut precatur Prælatum, ut propter hoc inclinetur ad dan-
dum aliquod spirituale sibi vel alteri *Ibid.* §. 11. determinat, Simoniam com-
mitti ab eo qui exauditis precibus pro indigno porrectis, dat beneficium:
etiam si propter preces pro digno, siquidem non ad dignitatem, sed pre-
ces respiciant. Nihilominus contra hanc sententiam antiquorum Canoni-
starum & Theologorum (qui apud dictos autores citantur) obnituntur
post *Cajetanum in summulâ*, *Navarrus c.* 23. §. 101. & 106. *Zwarez. cap.* 40.
aliique ab in ipso citati, *Reginaldus* §. 141. 142. distinguendo inter preces
nudas, quæ nullum includant pactum aut promissionem expressam vel ta-
citam alicujus boni, quod rationem habeat pretii, aut comminationem
alicujus mali, quod tali bono æquiparetur: & inter preces, quibus emo-
„ lumentum aliquod temporale prætenditur, vel speratur, nempe si epi-
„ scopus ad preces hominis qui regi est à consiliis beneficium det sive
„ digno, sive indigno, sperans fore, quod eâ de causa apud regem negotia
„ promovebuntur. Posteriores preces Simoniâ pollui concedunt: *Quia*
meditatè pretium accipitur pro spirituali; & quia motivum dandi tunc
non sunt preces ut preces, sed commodum temporale, quod eæ censen-
tur habere adjunctum. De prioribus negant: quod talibus precibus ali-
quid obtinere sit emere; sed per gratuitam donationem accipere. Subd-
dit tamen ibid. *Reginaldus*, licet non fit simonia: esse tamen aliud pecca-
tum, sed veniale. Nos distinctionem hanc frustra adhiberi censemus; cum
preces nudas merum ἀδηρόξυλον esse, hoc est, preces non preces, evin-
catur validis rationibus ab *Adriano* & *Sylvestro*, loc. cit. expositis, quas vi-
deat, cui vacat. Adde quod Reginaldus ipse cum Victoriâ ibi cit. pecca-
tum agnoscit in precibus etiam pro promotione digni oblatis. „ Ratio-
„ nes sunt, *Quia* in eo injuria fit rebus sacris; tum vili eas æstimando:
„ tum quia res sacras sic distribuere alienum est à ratione; quia cum gra-
„ tis acceptę atque communes sint, consentaneum est, ut sine persona-
„ rum acceptione distribuantur. Ubi videtur sibi manifestè contradicere.

An

An non hoc peccatum reductivè interpretative & virtualiter Simonia dici poterit, æque ac pactam magicum occultum seu implicitum, seu virtuale interpretative pactum cum diabolo, & magia, Scholasticis & Casuistis ipsorum dicitur.

II. *Probl. An Simoniacæ sint preces, quæ armatæ dicuntur; quando scil. rogatur pro potente aliquo, & adjunguntur minæ? Resp. Aff. Barth. Fumus in armilla §. 12.* & sic plerique alii: Quos & nos sequimur. Est enim hæc simonia in gradu excellentiori.

III. *Probl. An preces, quas vocant, carnales sint simoniacæ: quando scil. quis rogat pro consanguineo aut amico, intendens tantum amicitiam, & non dignitatem personæ; & propter hoc collator dat beneficium? Resp. Fumus §. 13. Aff. & recte.* Sed de hoc infra circa munus ab obsequio iterum quid dicendum erit.

IV. *Probl. An omnis appetitus officii sacri, etiam externa petitio sive tacita sive expressa sit simonia, aut saltem illicita? Resp. Negat Fumus* in voce *beneficium §. 37.* additis his conditionibus, si sciat se habere conditiones requisitas ad tale beneficium; & si respectum habeat ad alios, ne se dignioribus vel æqualibus præferat: hoc enim esset acceptio personarum: denique ut bono fine & modo desideret. Nos desiderium sic limitatum probamus, cum Apostol. 1 *Tim. 3. v. 1. 2.* Quod ad formalem, expressam & absolutam petitionem, apud synedrium, aut ecclesiam, aut electores quoslibet seorsim, indecoram esse putamus; apud Principes verò, Magistratus, patronos turpem. Si tamen interrogatus ab illis, ad quos cura illa pertinet, candidè declaret, se quidem si legitimè opera ipsius in hâc aut illâ ecclesiâ postularetur, non alienum ab eo aut imparatum fore, non putamus hoc repugnare bonæ conscientiæ; nec etiam, si tacitè absque verbis ipso opere voluntatem, seu mavis indifferentiam suam aut non-repugnantiam hâc in parte ostendat, habendo concionem illâ in ecclesia, à quâ legitimè hoc postulatur.

* *Appendix ad Disp. de Simoniâ, anno 1666.*

ANtiquiores moralistæ in Papatu, satis acriter vitium simoniæ oppugnârunt: quales *Petrus Cantoris in Verbo abbreviato, Gul. Parisiensis in summâ vitiorum, Alexander Anglus in destructorio vitiorum, Vincentius in speculo morali, Peraldus in summâ vitiorum & virtutum, Antoninus in summâ.* Sed scholastici ad 22. *quæst.* 100. & non pauci Casuistæ, præsertim recentiores, sæpe distinguendo, exstinguendo, excipiendo ex simoniacis non-simoniaca facere allaborant: velificantes, ut opinor non tantum moribus & factis suorum, sed & legibus seu quasi-legibus. Nôrunt enim dispensa-

tiones,

tiones, absolutiones, indulgentias, pretio vendi & apertè venum exponi ac taxari. De quo nos in *2. part. sel. disp. tit. de Indulgentiis.* Nôrunt etiam Papas, Cardinales, prælatos, parochos, canonicos, non fieri, nec sanctos canonizari, sine intercedente munere à manu, aut linguâ, aut obsequio. Quin & hodie non possunt ecclesiam suam à continuâ praxi simoniacâ purgare, ut videre est in Jesuitâ *Sylvestro de petrâ sanctâ*; *quem Rivetus noster cap.* 10. *&* 18. ad silentium redegit.

Restat quęstio mota apud *Thomam à Jesu lib.* 5. de procurandâ salute omnium gentium, &c. *part.* 1. *dub.* 2. *An Simonia sit infideles donis, officiis, obsequiis ad fidem allicere*? Sed rectè Neg. & ibidem adducit *Thomam Sanches lib.* 1. *de matrim. disp.* 36. & *Azorium* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 24. Et ratio est, quia nulla intercedit emtio aut venditio; nec temporale commodum pro re spirituali datur; nec ullum emolumentum est ex parte dantis: Sed tantum promissis, donis, officiis, obsequiis infidelium animos nobis conciliare studemus, ut nos audiant, propositam fidem expendant, ad eandem attendant, & saluti suę consulant: breviter ad salutis suæ studium & amorem eos inducimus, & ad id eos allicimus ac nobis devincimus, ad quod præstandum jure divino tenentur. Quod si infidelis oblatum aut collatum commodum temporale solummodo respiciens, propter illud hypocriticè fidem amplectitur & profitetur: graviter quidem ille peccat; sed promissor, aut donator, aut benefactor non peccat, nec simoniam committit.

Missâ simoniâ Papali, imprimis cavendum ne venenum illud irrepat in ecclesias reformatas. *Jesuita Sylvester de Petrâ s.* mussitate quid voluit de factis quibusdam in Angliâ: sed jura, leges, consuetudines, vim legis quasi obtinentes, aut Casuistas simoniaca facta à peccato liberantes, adducere non potuit. Quid decreta parlamentaria, quid jura ecclesiastica, quid canones ecclesiastici istic ferant, supra *in disput.* ostendimus.

Quod si heri aut nudiustertius cum patrono quis clam & subdolè quid egerit, redolens labem simoniacam, id ecclesiæ imputari non debet, non magis, quam latens quodcunque aliud peccatum.

Libellus anno 1663. Cantabrigiæ editus tit. *Icabod*, conqueri videtur de occultis quibusdam patronorum nundinationibus; & vanis exceptionibus, verè κρύπτοις τῆς ἀιχύνης, quæ ibidem refert, & rejicit.

1. *Except.* Non emo aliquod charisma, aut gratiam quam, uti Simon intendebat: sed aliquod incitamentum (**encouragement**) ad dona & gratias meas exercenda.

2. *Except.* Ego non ago aut tracto cum ipso patrono.

3. *Except.* Tantum civilem & urbanum me præbeo erga œconomum, seu dispensatorem.

4. *Except.*

4. *Except.* Solummodo deponebam pignus, emebam equum, ducebam patroni filiam in uxorem, aut dabam obligationem ad resignandum.

5. *Except.* Tantum emebam reversionem *(advow∫on)* spiritualis promotionis.

Quod ad Belgium nostrum, studiosè semper candidatos ministerii, eorumque parentes, fautores, tutores, promotores monui, & etiamnum monendos duco, ne sponte offerantur nummi, aut cimelia, aut quęcunque alia pretio ęstimabilia; nec petentibus promittantur, sive à candidatis, sive ab ipsorum parentibus, tutoribus, patronis, fautoribus, &c. ad habendam præsentationem (ubi scil. prætensum jus patronatus adhuc viget & exercetur), aut ad habendum unius, aut plurium concionatorum, aut seniorum, aut diaconorum electivum suffragium.

Ne per candidatos aut per alios offeratur electoribus ecclesiasticis, aut petentibus promittatur summa aliqua in ærarium diaconiæ nunc egentis, inferenda, ad obtinenda suffragia elective.

Ne iisdem electoribus offeratur, aut promittatur summa aliqua ad instaurationem templi.

Ne iisdem offeratur aut promittatur, ministerium in illâ ecclesiâ absque stipendio, propriis expensis, anni aut biennii spatio, exercendum.

Nec annum gratiæ pro viduâ concionatoris defuncti suis expensis se expleturum.

Nec offerat aut promittat patrono, aut toparchæ, aut alicui ex consistorio, pædagogicam institutionem filio aut filiis ipsorum gratis pręstandam, ad obtinenda suffragia.

Nec quidquam offerat aut promittat per se aut per suos, principibus, aut toparchis, aut eorum uxoribus, aut liberis, aut secretariis, aut quæstoribus, aut quibuscunque toparcharum munerariis, amicis, necessariis, familiaribus, ad commendationes & suffragia elective sibi procuranda.

Nec ipse domatim, aut in conventu aliquo incolarum, civium, auditorum, membrorum ecclesię, seniorum, diaconorum; nedum in conventu tabernario suffragia elective aut approbativa, aut subreptas atque obreptas subscriptiones prece emendicet, aut pretio, aut vase aliquo cerevisiæ, aut florenis aliquot in sumtum datis, mercetur.

Non offerat, aut promittat patrono directè aut indirectè petenti, agrum pastoralem, aut decimam pastoralem, aut quamcunque aliam bonorum pastoralium partem, eorumve κλῆσιν aut χειροτονίαν: ne quidem promittat silentium, & derelictionem ejus in manu patroni aut alterius cujuscunque eâdem nunc utentis fruentis. Sed merè passivè se habeat; nec patrono ante præsentationem tale quid petenti annuat aut abnuat.

Nec offerat, aut promittat domus fortè nunc vacuæ, si quam in loco illo patronus, aut senior aut diaconus habeat, conductionem tali vel tanto pretio: ut præsentationem, aut suffragium electivum acquirat.

Nec directè aut indirectè cooperetur donis, aut beneficiis, aut promissis seniori, aut diacono colono, aut famulo, aut clienti præstitis aut præstandis ab aliquo potente ὡ ἄρχῃ, aut publicis muneribus constituto, aut domino agri; ad suffragia τῷ δεῖνα candidato extorquenda.

Nec directè aut indirectè cooperetur procerum, magnatum, potentiorum contractibus innominatis *do ut des*, *facio ut facias*; cum patrono, aut toparcha, aut prætore, consule, syndico, secretario hunc in modum: *Tu mihi in tuâ civitate, aut ditione quocunque modo poteris, procura vocationem candidati aut concionatoris N. qui filius aut gener, aut agnatus, aut cognatus, aut amicus meus, aut civitatis nostræ alumnus est*; & ego vicissim ministerii candidatum aut concionatorem aliquem ex tuis, quem mihi designare volueris, ad ministerium in nostrâ civitate, aut quemcunque alium ex tuis ad munus publicum hic aut alibi pro viribus promovebo.

Minimè omnium operetur aut cooperetur, directè aut indirectè, per se aut suos, ut toparcha aut quicunque alius promotioni suæ favens, seniorem, aut diaconum, ad suffragium electivum compellat comminatione subtrahendi commodi temporalis, quod illi per cultum agri seu prædii, aut per venditiones talium mercium, aut per manuum opificium e. gr. sartorium, sutorium, fabrile, &c. obtingit.

Aut comminatione exigendi stricto jure & importunè debiti; eoque non soluto, agrum aut domum, aut supellectilem, aut equos & vaccas hastæ subjiciendi.

Ista crudelitas circa & propter vocationes ecclesiasticas exercita, inter peccata in cœlum clamantia non immerito numerari posset.

Nec pensiones, ex stipendio suo per se aut per alios, cuiquam postulanti promittat: ad mercandam præsentationem, aut suffragium electivum. In Papatu hoc jam quasi legis vicem obtinet. Vide peculiarem tract. Canonico-Casuisticum *Hieronymi Gigantis* de pensionibus ecclesiasticis a. 1620. Optiones, & permutationes beneficiorum sine simoniacâ negotiatione peragi vix credibile est. Vide de illis *Joh. Petri Monetæ* tres tract. beneficiales de decimis, de optione canonicâ, de distributionibus quotidianis 1620.

Concludimus quæstione de emtione & venditione canonicatuum & vicariatuum, quæ alicubi extra Papatum more & quasi lege obtinet, *An implicent aut habeant speciem aliquam Simoniæ*: & *Resp.* Aff. fere ut sacrilegio tenebantur Judæi, qui bona tunc secundum errantem ipsorum conscientiam sacra rapiebant. *Rom. 2. v. 22.*

DE

DE USURIS.

PARS PRIOR,

Resp. WERNERO ab ENSCHEDE, 25. *Junii*, 1636.

De Usuris tam multa in communi conversatione & praxi, imprimis inter populares nostros mercaturæ deditos ventilanda occurrunt, ut necesse omnino sit ad conscientiarum institutionem, & Studiosorum manuductionem Academicis disputationibus illa subjici. Quod in præsenti facturi.

I. *Præcognoscemus quid sit usura.*

II. *Capitalem controversiam*, an aliqua usura sit licita, *excutiemus.*

III. *Ad Casus quosdam conscientiæ seu quæstiones morales respondebimus.*

IV. *Remedia adversus peccata usuraria saltem indicabimus.*

VSuram in genere definiunt Theologi ex nostris Melanthon in Ethicâ: *lucrum ultra sortem, tantum propter officium mutuationis.* Amesius cas. consc. lib. 5. cap. 45. *Lucrum ex mutuo quæsitum vi ipsius mutui.* Ex pontificiis Malderus in 22. tract. 5. c. 3. *Intentam acceptionem lucri pratio æstimabilem ultra sortem causa mutui principaliter.* Molanus Theolog. Practicæ tract. 2. c. 26. *Quidquid ultra sortem mutuatam ex mutuo percipitur* sive id sit pecunia, sive quid aliud pecunia æstimabile, ut ibid. subjicit concluf. 3. §. 1.

Referemus ergo usuram ad contractum mutui (*Azorius instit. Moral. tom.* 3. *lib.* 7. *c.* 7. 8.) sic tamen ut aliam & novam obligationem, seu novum & separatum contractum stipulationis usurarum, mutuationi accedere (ut inter Jureconsultos explicat *Bronckhorst. centur.* 2. *assert.* 77.) non negemus; cujus vi lucrum aliquod ultra sortem debeatur; qui contractus dici potest dare formam & differentiam specificam legitimæ usuræ. Sit ne autem contractus mutui genus usurarum perfectum an vero analogicum, nihil attinet hic disputare, nec semper ἀκριβειαν Logicam tam præcise in usu terminorum consectantur J.C. aut Moralistæ. Sufficiet nunc repeti & præcognosci: Mutuum esse contractum nominatum realem, quo quantitas pecuniæ seu rei fungibilis à creditore debitori datur sub fiducia & lege restituendę ejusdem in eodem genere, qualitate & quantitate, non in eadem specie.

Docendi causa possemus vocem distinguere: ut mutuum significet vel purum mutuum, quando nihil recipimus ultra sortem, aut etiam restitutionem sortis non speramus; vel mutuum non purum, quando accedente aut intercedente alio sive casu, sive contractu, sive ex gratitudine debitoris aliquid recipimus ultra sortem. Alii & non male distinguunt mutuum in *Eleemosynarium*, *gratuitum*, *compensatorium*, *usurarium*: *Balduinus* in casibus. Jam vero usura dividitur in *justam* & in *injustam*. *Justam* dividunt in I. *punitoriam*, II. *compensatoriam* seu *debitam pro interceſſe*, III. *Retributoriam* seu *voluntariam ex debito gratitudinis & debito amicitiæ*. 4. *Socialem*. 5. *Casualem*. 6. *Debitam ex contractu* seu *stipulatione*. Injustam seu lucratioriam, quæ etiam mordens & propriè fœnus dicitur, dividunt in *illicitam ex parte debitoris*, & *illicitam ex parte creditoris*. Hæc rursum est vel *usura usuræ*, vel *Trapezitica*, vel alia quævis nimium lucri præter sortem exigens.

Distinguitur etiam ex definitâ quantitate, in *centesimam* cum de 100. aureis singulis mensibus unus, singulis annis duodecim penduntur, *deuncem*, *dextantem*, *dodrantem*, *besem*, *septuncem*, *semisem*, *quincuncem*, *Trientem*, *quadrantem*, *sextantem*, *unciariam*.

Ex modo exercendi rursum est vel *externa*, eaque vel explicita seu aperta, vel implicita seu occulta: vel *interna*, quam etiam mentalem vocant, quando quis mutuo dat sine pacto, eo tamen animo ut inde aut lucrum, aut lucrum indebitum recipiat.

Usura mordens seu injusta, aut doctrinâ aut praxi, aut utrâque suos semper habuit patronos. Judæi olim, etiam centesimas exigebant *Neh.* 5. 7. 11. Unde constare videtur eas in Imperio Babylonico & Persico usitatas fuisse. Romani iisdem, quamvis lege concessis, contenti erant, hinc lex illa de centesimis renovata. Vide legem Gabiniam apud *Ciceronem*, *epist. ad Attic.* 6. & *Hotoman. in ind. legum Roman. pag.* 33. Majores etiam centesimis, in fructibus & pecunia trajectitia concedebantur L. *oleo* C. *de Usur. Cuiac. lib.* 5. *observ. c.* 38. Sed graves illæ usuræ antiquo jure concessæ L. *eos*: 26. *de usuris* tempore Justiniani imminutæ sunt. *d. l.* Novissimo jure imperii conceduntur quincunces, *Alth. Dicaiolog. lib.* 1. *c.* 66. *num.* 40. Magnas enim turbas in Republ. Romana dedisse usuras testis est *Tacitus annal. lib.* 6. in principio; hinc 12. *tabulis sancitum*, *ne quis unciario fœnore amplius exerceret*, *dein rogatione tribunitia ad semuncias redactum*, &c. Hodie Judæi damno Christianismi strenuè usuras exercent, & quidem bonâ (ut putant) conscientiâ. vide *Helvic. Elench. Judaic.* VIII.

§. 2. Inter Christianos controversia principalis, quæ pugnantibus sententiis etiam hodie agitatur, est. *An aliqua usura sit licita.* Negativam sententiam habet

habet *jus canonicum cauſ.* 14. *qu.* 3. per totum & Clementin. ex *gravi*, de Uſur. cum Canoniſtis; quibus ſe adjungunt Juriſconſulti in Papatu, *Clarus*, *Covarruvias*, *Lud. Peguera*, &c. quia propter authoritatem Juris Canonici aliter nec audent nec poſſunt. Adhęc Theologi Scholaſtici & *ſententiarii* in *Lombardum lib.* 3. *diſt.* 37. & in *Thomæ* 2. 2. *quæſt.* 78. *Lyranus in Præceptor ad* 7. *præcept. Caſuiſtæ* ſeu *ſummiſtæ Angelus de clavaſio*, *Sylveſter. Navarrus*, *Toletus*, *Azorius*, *Cajetanus. Immanuel Sa*, aliique fere innumeri: contrarium ſentientes cum pertinacia, Inquiſitoribus hæreticę pravitatis puniendos mandant, vid. *Eimer. directorium Inquiſitor. part.* 2. *qu.* 7. hæreſ. 6. Quin & recentiores non tantum cauſam illam Juris Canonici agunt: ſed & noſtrorum Theologiam tanquam uſurariam inceſſunt. *A Lapide in Deut.* 23. *Bayllius in Catecheſi*, cui os obſtruxit *D. Rivetus in Catholico Orthodoxo tom.* 2. *ad. qu.* 15. Videtur etiam antiqua conſtitutio Caroli Magni Receſſus ſeu capitularis in *Niumagd.* (1. Neomagi) a. 807. omnem uſuram damnare, ſic n. habet. c. 16. *Fœnus eſt qui aliquid preſtat. Juſtum fœnus eſt qui amplius non requirit, quam præſtitit.* Apud *Goldaſt. in conſtit. imperii tom.* 3. *p.* 151. In eandem ſententiam locuti ſunt olim primi quidam Theologi Proteſtantes in Germania *Lutherus ſerm. de uſuris* & in admon. ad paſtores. *tom* 1. *Jenenſ. German. fol.* 188. *& tom* 7. *fol.* 373. *Melanthon Ethic. lib.* 2. & ex noſtris *Muſculus in Pſ.* 15. quamvis alias concedat Orphanis, pupillis; *Aretius probl. p.* 1., &c. & plurimi Theologi Anglicani, inter quos ſcriptis publicè editis celebres Juellus in tract. ſeu concione de Uſuris, & *Lancelotus Andrews* peſtea Epiſcop. Wintonienſis in determinatione habita Cantabrigiæ; qui Academię illius conſenſu ibidem gloriatur. Quin & ſtatutis regni omnis uſura jure divino prohibita eſſe dicitur, ſub Eduardo VI. Regina Elizabethâ, referente *Willeto comment. in Lev.* 26.

Nos accedimus affirmantibus & iſtis concluſionibus ſeu aphoriſmis ſententiam noſtram ita explicamus.

I. Qualiſcumque uſura, hodie proh dolor! nimis uſitata, alicubi aut non raro ſeu legibus ſeu prava conſuetudine tolerata in foro conſcientiæ non eſt licita.

II. Uſura *illicita reſpectu debitoris* eſt quæ à paupere aut tenuioris fortunæ mutuante propter rei familiaris aut operæ aut artis ſuæ ſuſtentationem, exigitur.

III. Uſura *illicita reſpectu creditoris* eſt quando creditor etiam à ditiore plus juſto intereſſe exigit nomine ſortis principalis non ſolutę; qualis uſura etiam jure civili prohibita. Et immodica quævis uſura ſive pecuniaria ſive frumentaria ſupra quantitatem legitimam mordens & cum immodi-

co rigore atque adeo proximi damno exacta : qualem jus & J. C C. *Althusius*, *Bronckhorst*, aliique infra citandi improbant.

IV. Usura, quam, vocant punitoriam, licita est, quia cum juste imponitur, est actus justitiæ in foro Politico ; de qua videantur J. C. C.

V. Usuram compensatoriam (de qua nobis proprie agendum) stipulari & ex pacto exigere licet observatis his conditionibus, quarum

Prima est, si mutuans non sit pauper, inops, aut tenuis conditionis, h.e. nihil aut parum habens ad familiam sustentandam : sed ditior, nunc quidem indigens, aut voluptatis, aut apparentis seu præsumpti, saltem intenti lucri consequendi, aut damni evitandi, aut magnificentiæ ostendendæ causa mutuum petens : qui tamen alias beneficentia & liberalitate nostra haud indiget ; imo siquidem sit animi generosi & æqui, nollet, saltem nolle deberet mutuum absque usuræ oblatione & stipulatione, quales sunt Principes, Respubl., nobiles, mercatores, &c.

Secunda est si modica sit quantitas, quæ mutuantem non exhauriat, hoc est, moderatio talis adhibeatur quę utriusque necessitati & commodo, usui, adhæc lucro, quod beneficio mutui acquiritur aut acquiri solet, aut saltem morali certitudine acquirendum putatur, insuper regionis & bonorum consuetudini seu mavis legum præscripto aut judicis arbitrio Christiana : denique æquitati, caritati, prudentiæ quam optime conveniat.

Tertia, Ne nimis rigide & importune eas exigamus : si absque culpa sua debitor statuto tempore ita exsolvere non possit. Ne cogamus proximum bona & hæreditatem damno suo vendere.

Quarta, Si finis hujus pacti sit *caritas* quidam & κοινωνία & ἐυποίια respectu dantis, dum vult alteri benefacere & proximum juvare ; *utilitas* vero respectu accipientis ; *communio & communicatio* respectu utriusque, communicatio, inquam, benedictionis divinæ ex pecunia creditoris & opera debitoris perceptæ. His conditionibus rite observatis usura talis nihil aliud erit quam contractus quidam societatis lucri acquisiti, seu locatio quasi pecuniæ pro certa mercede, seu negotiatio, seu *pensio* & *census annuus*, ut eum appellat *Balduinus de casib. lib.* 4. *c.* 3. *cas.* 4. *p.* 94.

§. 3. Probatur hæc thesis nostra,

Primo. Quia de isto aut simili *negotiationis contractu* seu *censu annuo*, (ut rectius vocatur, quam usura) nulla exstat prohibitio in sacris litteris, nec unquam probabunt illum esse נשך *neschech*, id est, *mordentem usuram*, quam incessit scriptura, aut תרבית *tarbit incrementum* seu *multiplicationem*, quam condemnat.

Secundo. E contra scriptura non obscure innuit usuram qua talem seu lucrum ex pecunia non esse absolute, in se, intrinsece, ac sua natura malum,

sed

sed tantum propter circumstantias fieri tale. Qui adjicitur *Exod.* 22. *Levitic.* 25. à pauperibus & tenioribus non exigendas usuras; & quia Deus præcipit Israelitis, ut acceptent illas à gentibus seu extraneis *Deuter.* 23. 19. 20. Si quis excipiat Deum bona gentium Israelitis dedisse eorumque potestati subjecisse: reponimus non omnes gentes in genere, sed tantum Cananæas Israelitis datas fuisse *Deuter.* 2. *vers.* 5. 9. 19. Deinde Deum dedisse, ut gentibus exstirpatis terras ac bona earum jure belli, non vero ejusmodi contractibus in potestatem redigerent.

Tertio. Quia ex sacris litteris per necessariam consequentiam deducitur. Unde deducitur omnis caritas, justitia, æquitas naturalis & gratitudo erga proximum; inde etiam deducitur contractus qui in caritate, justitia, æquitate, & gratitudine fundatur. Sed verum prius *Math.* 7. 12. *Math.* 22. *vers.* 39. *Philipp.* 2. 4. cum 1 *Cor.* 13. 5. 1 *Thes.* 4. *vers.* 6. Jam vero contractum hunc in caritate, justitia, æquitate, gratitudine fundari, aut nulli istarum virtutum repugnare (quarum descriptio apud Ethicos, theologos ubique exstat) non est quod hic repetamus. Proximi conditio non fit deterior, aut illum ὑπερβαίνει aut πλεονεκτεῖ creditor: quin aliquo beneficio afficit, ut vel lucrum faciat, vel damnum vitet, vel honori suo consulat. Ponamus modo ex. gr. hunc casum cum *Calvino commentar. in Ezechiel.* 18. si ditior & opulentior sumat mutuo ab homine mediocris aut tenuis fortunæ, ut fundos emat unde fructum percepturus est; cur creditor fraudabitur suo jure, si pecunia ipsius lucrum adferat alteri, eique ditiori? Nemo enim tenetur proximo talis conditionis ita benefacere, ut sibi suisque subtrahat dum alios ditat, ut se oneret dum illos sublevat: sed æqualitas servetur & se mutuo sublevent, juxta præceptum Apostoli 2 *Cor.* 8. 13. 14. quod mutuo non tantum eleemosynario, aut gratuito, sed & compensatorio proportionaliter applicari debet.

Quarto. A paritate aliorum contractuum commodari scil., locationis, emptionis & venditionis. Ex commodatione utensilium aureorum, argenteorum, æneorum, item pannorum, lineorum, laneorum, adhæc tapetium, &c. lucrum quis percipit; cur non ex mutuatione nummorum; & sic ex elocatione domus, fundi, &c.? Imprimis autem propter sortem & impensas lucrum accipit mercator sive merces permutet, sive loco earum nummos accipiat. Hos autem contractus licitos esse, non est quod ex scripturis, jure naturali & humano, consensu omnis generis Theologorum probem, quia nemo negat.

Quinto, argumento ad hominem, contra Pontificios alioque negantes probamus. Emptio redituum ex fructibus fundi aut ex domo aliqua recepta est, imprimis apud Clericos Papales. *Licite* inquit Molanus Theolog. pract.

pract. tract. 20. cap. 21. *emuntur reditus vitales & perpetui, personales & reales, pecuniarii & fructuarii, redimibiles & inredimibiles. Licitum etiam est ex declaratione Nicolai V. pro* assecuratione *reditus, obligare personas: obligare bona mobilia & immobilia, ut reditus ex aliis bonis extrahi possint*, &c. unica ratio quâ discriminant hos contractus ab usurario est, quia pecunia est res sterilis, illa vero non sunt. *Chrysostomus homilia 3. in Math. 27.* quinque differentias assignat, quas allegat *Jus Canonicum dist. 88. c. 11.* sed tanto huic negotio, & scientiæ ac conscientiæ sapientum non satisfaciunt. Licita est insuper societas officiorum, hoc est, in emendis officiis in curia Romana, de qua tam multa *Toletus lib. 5. c. 40. Azorius tom. 3. lib. 9. c. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Virginius tract. peculiari*; adhæc contractus assecurationis sortis, contractus societatis, & lucri seu venditiones lucri incerti pro certo omnes liciti sunt in Papatu, & à conscientiæ Magistris ex communi sententia ibi defenduntur *Maldero in 22. tract. 5. cap. 3. Azorio tom. 3. lib. 7. c. 7. 8. 9. & lib. 9. c. 2. 3. 4.* Si ergo simplices illi contractus liciti, quidni contractus usuræ, qui ex illis mixtus & compositus est? Contendunt etiam papales Theologi syngraphas minoris posse emi quam continent; similiter actiones litigiosas, si scil. probabile sit solutionem fore difficilem aut ambiguam. *Malder. de Justitia tract. 5. cap. 2. dub. 4.* addit *Cajetanus in summula*, in voce *Usura*, etiam respectu dilatæ solutionis chirographum posse minoris emi; quod tamen *Malderus loc. cit.* fatetur esse usuram; quamvis sententiam *Cajetani* dicat esse probabilem. Communiter etiam statuunt Canonistæ & Theologi (paucis exceptis) lucrum ratione damni emergentis vel lucri cessantis ex mutuo posse accipi, & quidem ab initio nulla intercedente mora debitoris hoc posse in pacto poni. Vide *Azor. & Malder. loc. cit. & Tolet. lib. 5. c. 32. 33. 34. & Josephus Angles in floribus ad 4. part. 2. pag. 254. 256.* Et sic ex Pontificiis J. C. C. nonnulli concedunt usuras, quę vicem & compensationem ejus quod interest aut fructuum obtinent. *Anton. Faber. decad. 1. pragmatic. error. err. 2. l. 5. c. de act. empt.* Denique in *Jure Canon.* quidam casus ponuntur, in quibus potest is qui vel explicite vel tacite mutuum dat, prętер sortem aliquid accipere.

Feuda, fidejussor, pro dote, stipendia cleri,
Venditio, fructus, cui velles jure nocere,
Vendens sub dubio, pretium post tempora solvens
Pœna nec in fraudem, lex commissaria, gravis
Dans socii pompæ, plus sorte modis datur istis.

Vide hæc explicata apud *Hostiensem in summa tit. de Usuris, Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 7.* & recenter ab *Azorio lib. 7. c. 8.* Quin & fœnus nauticum inter Pontificios Juristas, Canonistas, Theologos, plerique & nobilissimi

biliſſimi ab uſura illicita excuſant, ut videre eſt apud *Azor. lib. cit. cap. 7.* Contractus innominatos aliquos, *do ut des* defendunt *Navarrus in conſil. 25. de Uſur. num. 2. & 3. & Azorius ibid. e. gr.*

Primus Caſus, ut Titius mutuo det Cajo 100. aureos & ſi intra decem annos decedat, Cajus habeat centum aureos, ſi non deceſſerit Titius reddat 100. aureos & præterea decem aut duodecim qui ſingulis annis reſpondeant, hoc eſt, 100. aut 120.

Secundus Caſus, ut etiam Titius det 2000. aureorum monaſterio ea lege, ut dum vixerit, accipiat quotannis tot vel tot aureos, ex quibus poſſit ſuſtentari; quod ſi moriatur retineat Monaſterium 2000. aureos.

Tertius Caſus, ut Titius det Cajo 100. aureos, ea conditione ut ſi intra biennium Romam venerit & in patriam redierit, aut uxorem duxerit, aut ſacros ordines ſuſceperit, Cajus reſtituat 200; ſi vero non redierit aut uxorem non duxerit, Cajus habeat ſibi 100 aureos.

Quartus caſus, ut pater cui nata eſt filia det Reipublicę centum aureos, ea conditione ut ſi filia ad annum 15. perveniat reſtituantur ipſi 500. aurei, ſi non perveniat; Reſpublica habeat illos 100 aureos. Nec prætereunda negotiatio multiplicis cambii, *minuti*, *ficci* (quamvis hoc aliaque ſimilia damnaverit Pius V. conſtitutione publicata, quam habet *Bullarium fol.* 1154. & meminit *Quaranta in conſtitutionibus pontificum p.* 638. & *Navarrus in Manuali c.* 17.) *num.* 299. *per literas ad creditum*, &c. de quibus *Molanus tract. 2. cap. 2. Toletus lib. 5. cap.* 50 51. 52. 53. 54. *Navarrus in Man. c. 17. num.* 283. *Azorius part. 3. lib. 10. tract. de Cambiis. Cajetanus in quæſt. quodlib. qu.* 15. Quin ipſi *montes pietatis* in Italia erecti ab ipſis Pontificiis Theologis injuſtitiæ & uſuræ acculantur, inter alios autem *Cajetanus tract. de Montibus pietatis in quæſt.* quodlibet, & à *Soto de Iuſtit. & Jure lib. 6. qu. 1. art. 6.* Eos tamen aliquid ultra ſortem recipientes etiam à pauperibus licitos eſſe definiit cum *Concilio Lateranenſi Leo* X. in bulla anno 1515. ubi etiam contrarium ſcribentes aut prædicantes excommunicationis ſententiæ ſubjicit. Leonis ſententiam defendunt caſuiſtę *Toletus lib. 5. c. 39. & Navarrus, & Lupus commentar. de uſuris, Boningſegnus tract. de Montibus*, ad hæc de *Graſſiis, Rebellus, annotati à Fl. Cherubino in compend. Bullarii.* Penſiones ſupra montes impoſitas pluris poſſe vendi quam emptæ ſunt ait *Toletus lib. 5. c. 39.* Non dicam nunc quam ſæpe manifeſtis furtis patrocinentur caſuiſtæ *Tolet. lib. 5. c. 27. num. 2. & c. 10. num. 3. lib. 4. c. 12. Imm. Sa. in voce furtum & luxuria num. 15. Navarr. Manual. c. 17. num. 31. 87. 88. 93. 118. & conſil. lib. 3. de ſtatu Monachi conſil. 18. & lib. 5. de furtis conſil. 1. Antonin. p. 2. tit. 2. c. 5.* Hoc ergo agunt ut ſpecie & verbis damnando uſuras, revera tamen varios modos & vias earum quærant, aperiant, & certatim exer-

ceant, & adhibitis distinctionibus eo maxime semper recidant ac redeant, à quo maxime discedere velle videntur; juxta formulam Romanam antiquam, *si non caste saltem caute.* Quidquid Canonistæ, Theologi, & Jurisconsulti Papales incrustent; aut specie aut analogicè easdem negotiationes seu contractus æque lucratorios, ac nostri sunt, concedunt imo alios nonnullos à quibus abstinendum putamus: qualis exempli gratiâ societas officiorum, ubi pecunia sterilis egregie fœcunda est, & Romano more prolificat.

Sexto, Adde suffragia Theologorum, *Calvini in Exod. 22. & Ezechiel 18. & Epist. 383. Buceri tract. de Usuris. Vireti in instructione Christianâ gall. ad 8. præc. Danei Ethic. Christ. lib. 2. c. 15. Junii in Levitic. 25. Gallasii in Exod. 22. Borrhai ibid. Simleri ibid. Zanchii in expl. decalogi, Bullingeri Decad. 3. serm. 1. Bezæ ad Luc. 6. v. 25. Tossani in comment. ad Luc. 6. Zepperi exposit. legum Mosaic. lib. 4. c. 15. Piscatoris in Levitic. 25. & Luc. 6. Lavateri homil. in Ezech. 18. 13. Ursini exercitat. lib. 1. 78. 80. 81. Polani syntagm. lib. 10. c. 63. D. D. Profess. Leidens. in synopsi disp. 37. th. 34. Tileni syntagm. tom. 1. disput. 49. Riveti in Exposit. Decalogi, & in Cathol. Orthodox. tom. 2. ad qu. 15. Mathiæ Martinii in Christianâ pietate & æquitate lib. 2. cap. 8. Ex Theologis Britannicis, Perkinsus in explic. Decalogi, ad 8. præc. Amesius in Casibus conscientiæ lib. 5. cap. 45. Willetus comment. in Exod. 22.* ex parte approbat Calvini sententiam; & quamvis in commentario posthumo ad *Levitic. 25.* à priori sententiâ nonnihil recedere videatur, ad eam tamen post distinctiones aliquot non obscure redit. Sunt etiamnum hodie complures, qui idem nobiscum sentiunt: fatente hoc D. Andrews post Episcopo Wintonienſi in principio suæ determinationis.

Ex Augustanæ Confessionis Theologis, quamvis antehac quidam absolute omnem usuram videantur improbasse, procul dubio propter abusum, & quia tam facilis in vitium prolapsus est, hodie tamen plerique aliter & cum distinctione hic loquuntur, ita ut nobiscum plane conveniant. *Balduin. in casibus conscient. lib. 4. c. 3. casu 4.* ubi etiam loca *Exod. 22. Levitic. 25. Ps. 15.* eodem modo, quo nostri, exponit; citat ibid. pro se *Brentium* libro Germanico de *contractibus Usurariis. Hunnium in cap. 8.* posterior. ad *Corinth. Gesnerum in Psal. 15. Chemnitium part. 2. locor. Theolog. Gerhardum tom. 6. locor. Theol.*, loco de Magistratu, qui ibidem citat *Cythræum, Heerbrandum Schnepffium, Mathiam Hoe.* Adde *Thummium & Danhauwerum in decalog. ad 8. præc.*; *Andr. Kesslerum in casibus consc. cap. 53. Meisnerum part. 3. Philosoph. Sobr. sect. 1. cap. 6. volumen 2. consil. Theologicor. M. Georgii Dedekenni fol. 167. & seqq. Bidenbachium decade VI. consil. 7. & Tarnovium de Ministerio lib. 1. cap. 21.* qui testantur Academiam Tubingenſem ita sensisse: Denique *Jacobum Andream in quatuor concionibus Ratisbonæ editis.*

Inter

Inter Jureconsultos *Conr. Rittershusium lib. 7. sacr. lect. cap. 17. Zieglerus ad Grotii lib. 2. de Jure pacis & belli cap. 12.* qui & alios Jurisconsultos ibid. citat. Græcos hodiernos non dissentire aliqua ratione colligere mihi videor ex Pontificiis hæresium scriptoribus *Prateolo, Sebastiano Medice, Alphonso à Castro, Lutsenburgio*, qui omnes cum & ex *Guidone Carmelita* Græcis tribuunt hanc hęresin (ut loquuntur) *Usuram non esse peccatum.* Per usuram autem intelligunt quidquid ultra sortem exigitur, prout illa in *concil. Viennensi* sub Clemente V. & in *concil. Lateranensi* 3. sub Leone X. damnata est; & condemnatio illa Juri Canonico & directoriis inquisitorum hæreticæ pravitatis inserta. Consentit *Jus civile tit. C. & ff. de Usuris. Harmenopulus lib. 3. tit. 7.* & J. CC. omnes, qui modo Papæ Romano obnoxii non sunt, æquitatem hujus contractus satis superque ostenderunt; aliqui etiam ad loca scripturæ & rationes objectas responderunt, *Carolus Molinæus tract. de usura, Bronckhorst. ἀναλοφανῶν centur. 2. c. 77. Althusius dicaiolog. lib. 1. c. 141. Borckhold. tract. de usura, Wesembecius in lib. 5. Cod. de act. empt. Hotomannus & Donellus tract. de usuris, Rittershus. & Grotius modo cit.* Etiam aliqui ex Pontificiis vi veritatis coacti, inter quos *Alciatus parergon lib. 6. c. 20.* ubi Justinianum contra Canonistas & Theologos satis; defendit, quamvis more suo Pontificem palpo percutiat. Jesuita Maldonatus in summula q. 9. de usuris art. 5. ait: *circumstantias contractus aliquando tollere usuram.* Lessius lib. 2. de Justitia & jure: *Licitum esse ab initio pacisci de lucro cessante.* Inter Canonistas *Joh. Andreas* cum aliis nonnullis in c. *per vestros de Donat.* inter virum & uxorem, concedit, quod in favorem ecclesiarum, viduarum, pupillorum ac similium operum pietatis licet cum illo lucro mutuari. Ita refert *Ludovicus de Beja in decis. Casuum part. poster. casu* 3. & ante eos *Abulensis* in *Math. 25. qu. 171. 172.*

Veritate sententiæ nostræ satis confirmata, restat objectiones aliquot sol- §. 4.
vamus, quæ à Canonistis, Jurisconsultis, Theologis Pontificiis ad *22. qu. 78. & Viguerio in Institut. c. 5. vers. 14. 15. 16. Binsfelsio suffrageneo Trevirensi, Conrado Paulo tract. de usuris, Henr. Canisio tract. de decimis & usuris. Maldero loc. cit. Ferrariensi in Practica lib. 178. de usuris*; etiam à *Lanceloto Andrews. in determinat. de usuris & Willeto in Levitic. 25. & Melanchthone in Ethica, Selneccero in pædagogiâ Christianâ part. 1.* Et *Aretio in problem. part. 1.* adferuntur.

Sunt autem ttium genera; sumuntur enim vel ex scriptura, vel ex ratione, vel ex autoritate.

Prima sumitur ex *Exod. 22. 26. 27. Levitic. 25. 35. 36. 37. Resp.* cum Theologis nostris etiam *Balduin. in casib.* agi loco cit. de usura *illicita ex parte debitoris*, qui est pauper & attenuatus.

Secunda ex *Deuteron.* 24. 15. *Responderi* posset, cum *Calvino in Ezech.* 18. legem illam fuisse Politicam & peculiarem habuisse respectum ad conditionem istius populi. Non poterant ergo Judæi à se mutuo usuras accipere, sed bene ab extraneis, ut æqualitas servaretur, quia illi usuras petebant à Judæis *Æqualitas enim servat commercia* teste Philosopho *Ethic.* 5. Nec mirum si peculiarem legem tulerit Deus huic populo de usuris, cum & in aliis contractibus idem fecerit, ut in venditione agrorum: non enim licebat eos absolute vendere aut hæreditario ad alios transferre *Levit.* 25. 13. 14. 15. 17.

Tertia ex *Ezechiel* 18. *vers.* 8. item 3. & 17. *Ps.* 15. 5. *Proverb.* 28. 8. *Nehem.* 5. 7. 11. *Resp.* Intelligitur ibi mordens usura seu injusta *ex parte creditoris*, quæ est lucratoria 1. *propter* solum mutuationis officium, 2. *nimium* etiam exigens, & 3. *quidem* nimis rigide & importune, cum homines propter hos aut illos casus minime sunt solvendo. Ut enim *Psal.* 15. eodem versu *munerum acceptio* non simpliciter prohibetur, sed tantum iniqua & mala, sic etiam usura, &c. quod recte observat *Balduinus in casibus loc. cit.* Sic pignus debitoris retineri, debita exigi vetat Deus *Ezechiel.* 18. 7. & 33. 15. *Jesa.* 58. 6. non quidem universaliter, absolute, & simpliciter, sed secundum quid, & tali in casu aut tali modo.

Quarta, Ex *Luc.* 6. *v.* 35. *nihil inde sperantes. Resp.* 1. textum originalem μηδὲν ἀπελπίζοντες verti posse, *non desperare facientes* sc. proximum, vel *nullius rei spem auferentes* sc. proximo transitive; sin mavis intransitive: *nihil desperantes*, *non desperantes.* Syrus interpres ולא תפסקון סברא דאנש *velo tephsekoun sabro denosch ne præscindatis spem hominis* vide not. Bezæ. Et sic conveniret cum loco parallelo *Matth.* 5. 42. μὴ ἀποστραφῇς. *Resp.* 2. Data hac translatione, dici posset. Non agi isthic de usurâ in genere, sed de *mutuo eleemosinario*, quando ne ipsius quidem sortis restitutionem expectamus. Sic *Rittershus. loc. cit. Resp.* 3. aut intelligi *mutuum gratuitum*, quo illis benefacimus, à quibus vicissim talia officia nobis præstari non possunt. Ita non tantum ex nostris aliqui hunc locum exponunt, sed etiam *Basilius in Psal.* 14. & ex Pontificiis Cardinalis *Toletus in commentar.* Et evincit hoc collatio *v.* 30. 31. 32. 33. 34. & *Luc.* 14. 12. & *Matth.* 5. 42. 46. 47. Hinc recte Faber Stapulensis, *si mutuum das pauperi, à quo etiam æquale te percepturum non speras, neque vis, neque curas*, &c.

Objectiones ex rationibus deductæ sunt istæ.

1. *Object.* Repugnat ipsi naturæ, atque adeo naturali jure turpis ac illicita est. *Resp.* 1. immo mutuum (ut nos limitavimus) absque ullo lucro repugnat potius ipsi naturę, & juri divino ac naturali, omnique communicationi caritatis, gratitudinis, justitię & equitatis inter homines 2 *Cor.* 8. 13. 14. 15. cum *Philipp.* 4. 5. 8. estque vera πλεονεξία, cum aliquis cum alterius detri-

detrimento fit locupletior contra *L.* 14. *ff. de conduct. indebiti*; quam legem *Cicero lib.* 3. *offic.* egregie explicat. Ex Ponrificiis Theologis & Canonistis quamvis sint qui dicant usuras jure naturali prohibitas, cum quibus sentit *Malderus tract.* 5. *c.* 3. *dub.* 3. sunt tamen alii qui negent, inter quos *Tostatus* Episcopus Abulensis in *Matth.* 25. *qu.* 171. 172.

2. *Object.* Ex etymo fœnoris & Gr. τόκος & נשך *neschech* תרבית *tarbith. Resp.* 1. Argumentum ab origine nominum non est necessarium & apodictium: ut notum Logicorum filiis: verba enim valent usu & non origine. *Resp.* 2. Omittatur nomen, ut recte monet Calvinus in *Ezech.* 18. & res ipsa consideretur. Si fœnus, si usura, si *neschech*, significet nihil aliud nisi injustum contractum, nos talem non defendimus. Dicatur *lucrum honestum, census annuus*, &c. ut suggerunt *Zepperus* & *Balduinus.* Dicatur cum Jurisconsultis *accessio, impendium, civilis quæstus, reditus pecuniæ debitæ, Althus. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 8. & cessetur λογμαχία. Quamvis *usura* per se nihil sonet inhonesti *Bullinger. dec.* 3. *serm.* 1. & nihil aliud notet quam *pretium usus seu inter usurii rei fungibilis, Althus. loc. cit.*

3. *Object.* Est adversus primam institutionem & naturam pecuniæ, quæ inventa est, ut necessaria comparentur, & consequenter suâ naturâ est sterilis, nec lucrum inde haberi debet *Aristotel. Politic. l.* 1. *c.* 7. *Resp.* 1. Est sterilis quidem aliud, immediate seu in se, sed fertilis prolifica satis in alio & per quod pecuniâ comparatur; omnia enim pecuniâ acquiri possunt. *Eccl.* 10. 19. *Resp.* 2. cum *Carolo Molinæo J. C.* & *Perkinso*, Pecuniam per se sterilem esse, sicut agrum; sed humanâ industriâ accedente reddi fertilem, quod docet exemplum & praxis Mercatorum. *Resp.* 3. Merces omnes, ut frumentum, vinum, &c. non sunt steriles: at quæstio de iis æque est ac de pecuniâ, an quis possit ultra sortem quid exigere.

4. *Object.* Nemo potest lucrum captare de alieno: sed pecunia mutuo data est aliena, non creditoris sed debitoris, est enim mutuum quasi de meo tuum, & creditor mutuo dando privavit se dominio. *Resp.* Creditor captat lucrum de suo; erat enim ipsius pecunia cum stipularetur inde lucrum ante mutuationem. Valeret consequentia, si absolute absque illâ lucri stipulatione mutuo dedisset, & postea ultra sortem quid exigeret.

5. *Object.* Iniquum est unum bis computari, unius rei geminiam peti restitutionem & compensationem, sortis scil. & lucri. *Resp.* non est unius sed duarum, sortis scil. & præstiti indebiti officii ac lucri cessantis, quod ex mutuatâ pecuniâ exspectandum, & quo quis se suosque sustentaret.

6. *Object.* Non servatur generalis ratio & regula contractum, quæ est *æqualitas* illa, quam requirit Apostolus 2 *Cor.* 8. atqui nec animi juxta *Math.* 7. 12. nec rerum æqualitas, Sic Doctor *Andrews*; qui prius contra

omnium aliorum ſententiam ex ſuâ affirmatione defendit. Poſterius probat, quia nullum hic eſt ὑστέρημα creditoris, nec in *labore*, nec in *ſumptu*, nec in *periculo*; ergo nullum illi debetur περίσσευμα. Itaque compendium quærit ſine diſpendio, emolumentum ſine detrimento. *Reſp.* 1. Quod ad probationem prioris, ſimpliciter eam negant omnes illi, qui aliter hic ſe animatos ſentiunt. Quod ad probationem poſterioris, dicimus, eſſe ὑστέρημα creditorum in *ſumptu*; dum enim alii cenſus & reditus, domos & fundos emendo, mercaturam & cambium exercendo, atque aliis modis, rem familiarem augent, idque nummis quos ab orphanis, pupillis, exulibus, & peregrinis, hominibus literatis, Politicis, quæſtui nulli vacantibus mutuo ſumſere; creditores tales ſibi aut familię ſuæ non provident, ſed ſummulam ſuam intra breve tempus abſumunt atque adeo totale & finale detrimentum ſibi ſuiſque accerſunt: quod ſane lucrum ceſſans in damnum deſinit, & non minus ad illud reduci poteſt, quam peccatum omiſſionis ad peccatum commiſſionis. *Reſp.* 2. Immo contra dicimus & in ipſum retorquemus, eſſe maximam illam inæqualitatem, & viperium morſum, cum debitores & quidem ditiores emergunt & περίσσευσι beneficio eorum quibus paupertatem, famem, & πανολεθρίαν dormientes vigilantes ſenſim ſine ſenſu conciliant, dum miſeri creditores ſua abſumendo ſumptus in gratiam eorum faciunt illiſque ſuppeditant.

7. *Object.* Mutuum ſuâ naturâ aſt gratuitum L. *rogaſti* §. 1. *ff. de re. cred.* igitur uſuræ repugnant mutuo. *Reſp.* cum *Bronckhorſtio cent.* 2. *aſſert.* 77. Uſuræ non exiguntur ex vi contractus mutui, ſed ex aliâ & novâ obligatione, id eſt ex novo & ſeparato contractu ſtipulationis uſurarum. Itaque obſetvanda hic diſtinctio quam ex L. *cum quidam* 17. §. *ſi pupillo* ff. de Uſur. ibid. p. 140. annotat: *Uſuras non propter lucrum petentium, ſed propter moras non ſolventium irrogari.* Compenſant ergo damnum, quod creditor uſu pecuniæ ſuæ caruit.

8. *Object.* Illi res quæſtui eſſe debet, cujus eſt periculo L. *is qui commodatum* §. 1. ff. *Commo.* ſed pecunia credita eſt periculo debitoris, non creditoris. L. *incendium* C. *ſi cer. pet.* Ergo, *Reſp.* limitamus majorem cum Bronckhorſtio; Niſi aliter inter contrahentes convenerit, quia pacta dant legem contractui L. *contractus* de R. J.

DE

DE USURIS.

PARS ALTERA.

Resp. HENRICO RIDDERO, Rommerswale-Zeel. 13. *Maji*, 1637.

Restant nobis in Disputatione de Usuris,
I. *Objectiones quædam solvendæ.*
II. *De Usurâ trapeziticâ, aliique casus decidendi.*
III. *Antidota indicanda.*

OBjectiones ex jure divino & ratione petitas, quæ maximi momenti esse videbantur, superiori disputatione exhibuimus, ex Sententiariis, *Thoma* cum *Cajetano* aliisque commentatoribus ad 22. *qu.* 78. *Javello in Politic. Aristot. tract.* 3. *c.* 3. & Oeconomicæ Christianæ *tract.* 6. *c.* 6. *Viguerio Institut. cap.* 5. *sect.* 3. nec non Caluistis recentioribus *Toleto*, *Azorio*, &c. item ex nostris *Aretio probl. p.* 1. *loco* 50. *Musculo in Psal.* 15. *Melanthone Ethic. lib.* 2. *Victor. Strigelio* in hyponnemat, ibid. *Willeto* in *Levitic.* 25. *Lanceloto Andrews* in determinatione suâ, *Juello* Episcopo Sarisburiensi in concione de usuris, *Thoma Wilsono* J. C. Anglo, cujus peculiarem de hac quæstione tractatum approbârat Episcopus *Juellus* 20. Augusti anno 1569. subjecto epistolæ ad Wilsonum hoc epiphonemate: *Ut vivat liber, pereat usura.* Responsionibus nostris ad dictas objectiones, putamus suppeditari fontes omnium solutionum. Ne quid tamen intactum dicamur reliquisse, addimus hoc supplementum. Sit ergo, §. 1.

9. *Object.* Lucrum debitoris incertum, & lucrum creditoris certum est: ergo injustum. Sic ferè *Lancelot. Andrews.* *Resp.* Neg. consequentia. Et ratio est, quia tum omnes contractus cambii, emptionis, censuum, immo & cujuscunque venditionis, locationis, commodati, fœnoris nautici, assecurationis sortis, &c. essent in se & suâ naturâ injusti; quia in illis non æqualiter certum semper est lucrum utriusque contrahentis. Si quis instet 1. Atqui æquitas postulat ut non exigatur lucrum, cum debitor non tantum nihil lucratur, sed & partem aut totum sortis perdit. *Resp.* Concedimus temperamentum ἐπιεικείας adhibendum, cum debitor per vim majorem, aut epidemicum quoddam infortunium; aut quacunque aliâ ratione, absque culpâ suâ, damnum passus est. Esset enim hic summum jus summa injuria.

juria. Sed illis ἐπιεικείας officiis, non eliditur plane natura istius contractus depositi, locationis agri aut domus, &c. *Instit. quis* 2. Ergo non deberet intercedere pactum; quia lucrum debitoris est incertum: sed totum hoc relinquendum esset liberum. *Resp.* Quia homines cum damno benefactoris sui sæpe omnis honestatis, æquitatis & caritatis obliviscuntur: hinc necesse est ex malis moribus bonas leges, & secundum illas civilium contractuum conditiones constitui.

10. *Object.* Prohibemur jure naturæ vendere quod non est: nulla enim proportio inter ens & non ens; & per consequens nulla æqualitas. Sic philosophatur Viguerius loc cit. & ante eum *Thomas in quæst. Disput qu.* 14. *art.* 4. *Resp.* Neg. minor: duo enim falsa hic præsupponuntur. *Unum* est, contractum hunc esse venditionis. *Alterum*, fructum, qui ex pecuniâ mutuò sumptâ intenditur esse purum putum nihil seu *non ens* tam ratione creditoris qui illum cedit debitori; quàm respectu debitoris, qui aut è vestigio eum percipit aut post tempus aliquod exspectat. Ubi probatum fuerit contra philosophos, *Finem non esse reale quid*, *nec causare in esse reali*: tum demum aliam solutionem hujus argumenti adhibebimus? Pactum scil. intercedens contractui huic dare suam formam. Itaque alienam esse hic speculationem *de non ente.*

11. *Object.* Idem bis vendere jure naturali est illicitum. Atqui hoc facit usurarius. Aut enim lucrum illud accipit, pro proprietate rei, aut pro usu. Si illud, jam bis accipit; sin hoc, jam rursus bis accipit, quia usus non est à proprietate distinctus. Sic Viguerius ex Aristotele Ethic 5. Et Thom. loc. cit. *Resp.* Neg. usum à proprietate non esse distinctum. Ut in commodato aliud est proprietas rei quamvis ejusdem numero; & aliud ejus usus: sic & in mutuo sive in gratuito sive usurario aliud est proprietas rei ejusdem scil. specie seu per æquivalentiam, & aliud usus rei. Quod autem excipit Thomas distinguendo usum simplicem, cum scil. qui sit consumptio substantiæ rerum ut vini, panis, & alterum, qui non sit consumptio, ut domus, agri, &c. illum non posse vendi, hunc posse, est petitio principii seu ejus quod est in quæstione. *Deinde* confundit medium cum fine, usum pecuniæ e. g. in negotiatione cum fructu seu fine sperato & intento. Creditor hic cedit debitori petenti & usum & fructum seu lucrum inde emersurum; ipse interim eo caret, pro quo debitor ex pacto obligatur ad compensationem aliquam.

12. *Object.* *Quidam etiam dicunt*, inquit Viguerius, *quod in Usura venditur*, *id quod est commune*, *scil. tempus.* *Resp.* Non magis tempus venditur, quàm motus primi mobilis, unde sumitur mensura temporis nostri. Si quid venditur, dicatur vendi res quæ est in tempore; seu usus & fructus rei, qui tem-

tempore menſuratur. Quomodo in locatione & commodato venditur uſus agri per annos aliquot, uſus equi per dies aliquot. Eſt ergo hic metonymia adjuncti, qualis in iſtis: *Omnia fert ætas, tempus edax rerum*, &c.

13. *Object.* Mutuum eſt opus miſericordiæ *Luc.* 6. atqui pugnat cum naturâ talis operis ſi non fiat gratis. *Viguer. ibid. Reſp.* Non valet conſequentia à particulari. Aliquod mutuum eſt gratuitum: ergo omne. Tum divites, Mercatores, Principes, &c. in æternum & vellent & deberent carere mutuo, quia nolunt hac in parte opera miſericordiæ, nec etiam iis indigent.

14. *Object.* Ex officio caritatis & amicitiæ datur mutuum: ſi quis ergo ultra ſortem quid accipit, utitur prætextu amicitiæ ad quæſtum. *Reſp.* 1. Quod fundamentum & quę forma ſit hujus contractus indicavimus *Diſputat. prioris theſ.* 1. *&* 4. *ad object.* 7. Breviter duo concurrunt ad uſuram, contractus mutui, & ſpecialis contractus ſeu conventio, quâ æſtimatur & compenſatur uſus fructuſque ſortis conſumptę aut conſumendæ, cum damno creditoris. Detur mutuum eſſe amicitiæ, modo etiam concedatur contractum accedentem eſſe juſtitię, utrumque humanitatis & caritatis. *Reſp.* 2. applico huc verba Cujacii, quę illi quamvis religione Pontificio vis veritatis expreſſit ad tit. 34. lib. 4. Cod. *Mutuum*, inquit, *commodatum*, *mandatum*, *depoſitum ex officio & amicitia originem ducit. Hi igitur contractus mercedem non recipiunt*, *honorem recipiunt & remunerationem*, *& mutuum quoque modicum fœnus*, *quod non ſuperet beneficium à creditore profectum*; *ſed ex ſuperetur*, *quia beneficio adjuvari nos oportet*, *non opprimi.* L. in commodato ſicut D. Commod. *Dederim enim & in fœnore libenter*, *de xeniis proverbio locum* οὔτε πώντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

15. *Object.* Excipitur plerumque ad argumentum noſtrorum ex *Deut.* 23. Non fuiſſe Iſraelitis uſuras ibi conceſſas, ſed tantum permiſſas propter duritiem cordis, ſicut libellus repudii. Exſtat hæc exceptio apud *Thomam loc. cit.* & nititur illi imprimis Lancelotus Andrews. *Reſp.* 1. Nunquam hoc probabitur ex ſcripturis ſive explicitè (ut de libello repudii Matth. 19.) ſive per bonam conſequentiam. *Reſp.* 2. Præterea diſpar eſt ratio repudii & uſuræ. Circa illud verſatur conniventia Politiæ Moſaicæ; circa hanc vero nulla; circa rem, inquam, ipſam, ſed tantum limitatur objectum ſeu contrahentes cum quibus contractus uſurarius ineundus. Haut aliter ac Magiſtratus prohibens extraneis ſeu hoſtibus certas quaſdam merces vendere; interim relinquens ſuo loco contractum venditionis & poteſtatem vendendi civibus, non eſt dicendus propter duritiem hominum tantum permittere (non vero concedere) contractum venditionis: cum tantum limitet *objectum* (quod vocat) *occupans*, ſeu *objectum cui.*

§. 2. Argumentis hiſce adverſarii addunt autoritates, ad quas breviter reſpondemus.

Prima eſt, Concilii Niceni can. 17. qui etiam allegatur à Leonis Novellâ, & Harmenopulo loc. cit. *Reſp.* 1. tantum ibi agi de Clericis, quibus multa propter decorum eccleſiaſticum ab antiquis prohibentur, in ſe tamen & abſolutè minime mala, ut ex. gr. *militia*, canone (vulgo dicto) Apoſtolorum 82. *adminiſtratio ſeu procuratio domorum* Concil. Carthagin. 1. c. 6. *coactio ad teſtimonium publicè dicendum*, Cod. Can. Eccleſ. Africanæ c. 59. *negotiatio* Concil. Eliber. c. 20. *peregrinatio, tutela, cohabitatio mulierum*, Photii Nomocan. tit. 1. c. 2. 13. 14. Jam vero in canone Niceno agi de Clericis, conſtat ex inſpectione ejuſdem, & collatione can. 4. *Concil. Laodiceni, can. 67. concil. Carthagin. IV. can.* 13. *concil. Carth.* 1. *can.* 5. 16. *Concil.* III. *& can.* 22. *Concil. Arelatenſis* 1. *can.* 14. denique ex Gennadio de *Eccleſiaſt. dogmat. cap.* 72. Et hanc explicationem adfert ipſe *Alciatus parergôn lib.* 6. *c.* 20. & gloſſis juris canonici *ad* 24. *qu.* 4. *Nullus Reſp.* 2. Dici etiam poteſt, occaſionem dediſſe huic decreto uſuras centeſimas, & ἡμιόλια id eſt ſeſcupla, quæ tum exigere non pudebat Clericos, quod innuit Canon Nicenus & Laodicenus. Quid mirum ergo illâ occaſione ab omni ſpecie mali tam odioſi & tam frequentati prohibitos fuiſſe Clericos, ad evitandum ſcandalum.

Secunda, *Concil. Agathenſis c.* 3 *Eliber. c.* 20. adhęc Patrum *Hieronymi in Ezechiel. lib.* 6. *c.* 18. *Ambroſ. libr. de Tobiâ c.* 13. & ad *Vigil. libr.* 9. *epiſt.* 70. *Chryſoſtomi in c.* 5. *Mathæi & in c.* 17. *homil.* 57. *Lactant. lib.* 6. *Inſtit. c.* 18. *Auguſtin. epiſt.* 53. *ad Macedon. & in Pſ.* 3. *conc.* 3. *Baſil. in Pſal.* 14 *Leonis I. ſerm.* 6. *de jejunio* 10. *menſis. Reſp.* 1. Concilia hæc tantum ſunt provincialia ſeu particularia. *Reſp.* 2. Eadem, ut & patres agunt de uſuris illicitis & crudelibus, quales tunc temporis vulgò uſitatæ. *Reſp.* 3. Dici etiam poteſt, ſi rigidè & ſtrictè in omnes uſuras in genere ita dictas invehuntur; id eos feciſſe ut fideles ab omnibus ſordibus illis, quibus uſurę tunc conſperſę, quam longiſſime fugerent, & ab omni ſpecie ac ſuſpicione mali immunes, tanto liquidius ab improbis Gentilibus diſcriminarentur. *Reſp.* 4. Denique inſolens non eſt ſi patres odio alicujus graſſantis vitii delaſſati atque abrepti in alteram partem contendant, & totum illud chaos (quamvis ſępe liciti & boni quid ſubeſſet) indiſtinctè proſcriberent; quod viderent multiplicem abuſum ab uſu difficulter ſeparari poſſe. e. gr. imaginum uſum in cultu divino ita deteſtatur *Tertullianus libr. de Idololatr. c.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. ut promiſcuè videatur totam plaſticen cum pictoribus, ærariis, marmorariis condemnare. Negotiationis multiplicem, & πλεονεξίαν iniquitatem dum perſequitur author operis imperfecti in *Mathæum c.* 21. (ſub nomine *Chryſoſt. hom.* 38. & *Caſſiodor.*

in

in Psal. 70. (videatur *Thomæ* 22. *qu.* 77. *art.* 4.) diceres omnes negotiatores ex domo Dei excludi: quamvis forte ab hac opinione excusari possint. De juramentis ita loquuntur *Basilius in Ps.* 14. *Hieronym. in Matth.* 5. *Chrysostom. de compunctione cordis lib.* 1. *Theophylact. in Matth.* 5. *Origenes tract.* 45. *in Matth.* præterea *Athanas. Epiphan. Hilarius*, *Euthymius citati à Sixto Senensi biblioth. lib.* 6. *annot.* 26. ut nulla putent licita: quod non obscure fateri coguntur Sixtus Senensis loc. cit. *Maldonat. in Matth.* 5. *Corn. à Lapide in Jacob.* 5.

Quarta, *Concil. Viennensis sub Clemente* V. *anno* 1311. & *Lateranensis sub Leone* X. *anno* 1515. *Resp.* tantum apud nos illa valent, quantum totus Papismus. Parietes illi dealbati usuras scil. prohibent; interim usuras palliatas prætextu montium pietatis ipsi concedunt: de quo *Cajetan. aliique cit. prioris disput. th.* 3. quibus addimus nunc *Tholozanum de Republ. lib.* 13. *c.* 16. manifestis furtis patrocinantur, ibid. Pontifici Romano nullum lucrum inhonestum censent, hinc insolens illa nundinatio indulgentiarum anno 1517. (de quâ Jovius in vita Leonis X. *Guicciardinus lib.* 13. §. 15. *Sleidanus lib.* 1.) & taxâ pœnitentiariæ Apostolicæ, de quâ ex Espencæo nos 2. *part. sel. disp. tit. de Indulgentiis.*

Quinta, Imperatoris Leonis constitutionem exhibet *Harmenopulus Epitom. lib.* 3. *tit.* 7. ex theologis eam contra usuras allegat Willetus in *Levitic.* 25. & *Wilsonus JC. in diatribe de Usuris fol.* 23. qui Imperatorem hunc extollit supra Justinianum, aliosque prædecessores, quod plus respexerit Deum quam politiam humanam. *Resp.* 1. Credo hunc Imperatorem prætexentem jus divinum, quod allegat, eodem modo inductum fuisse, quo Theologi veteres modo citati: itaque valeat hic eadem responsio. *Resp.* 2. Constitutio illa non potest præjudicare causæ nostrę, nec juri civili *tot. tit. ff. & C. de Usuris.* Quamvis enim *aliqui Imperatores cursum earum prohibuerunt*, *tamen alii eas in forum reduxerunt*, *considerantes societatem humanam sine iis facile conservari non posse.* ut utar verbis Giphanii JC. disput. ad Institut. lib. 1. p. 36. *Resp.* 3. Unde probabitur hanc constitutionem Leonis legis vicem obtinuisse; aut si obtinuerit non fuisse abrogatam? *Leges*, inquit Augustin. de verâ religione c. 23. *postquam institutæ & firmatæ sunt*, *non possunt à subditis judicari.* Exponit autem Gratianus, *tunc institui quando promulgantur*, *firmari quando moribus recipiuntur.* Et has esse conditiones legis, statuunt omnes Canonistæ, Casuistæ, & Theologi Pontificii, & post omnes illud probat Jesuita *Zwarez de legibus lib.* 1. *c.* 11. Sic abrogatio legis duplex est, scripta & non scripta, scilicet per dissuetudinem aut contrariam consuetudinem. Ita ex & cum Jurisconsultis, Canonistis, Theologis idem *Zwarez l.* 6. *c.* 27. & *l.* 7. *c.* 18. Neutram abrogationis speciem

in hac lege locum habuisse, siquidem daretur eam fuisse institutam & firmatam, nemo, ut opinor, dicet. *Resp.* 4. Respondet etiam Giphanius loc. cit. *Et forte ostentari potest, Imperatores merè lucrosas, & tantum propter officium mutuationis dandas usuras, non approbasse ; sed potius semper velle compensatorias, hoc est in quibus respectus fiat ad aliquam utilitatem, quam fortè ex eâ pecuniâ sensissemus, si mutuo eam non dedissemus.* Sed non video quomodo constitutioni Leonis applicari possit, nisi forte eo modo eam quis explicet, quo Thomas sæpe Aristotelem, & Pontificii patres ; non quid senserint, sed quid sentire debuerint. Sic enim sonant verba : *ne cui ex ullâ causâ usuram accipere liceat, ne scilicet legis observatione legem Dei transgrediamur : sed quantulamcunque quis susceperit, ea in sortem imputabitur.*

Sexta, Scholasticorum, & Doctorum primæ reformationis : Horum enim autoritatem obtendens Doctor Andrews, nominat Lutherum, Zwinglium, Erasmum, Melanthonem, Camerarium, Hemmingium, Musculum, Aretium, addito hoc connvitio : *Helvetios & Genevenses ἰδιοσυγκρασίᾳ quadam suâ dum profugos religionis ergo fœneratitia stipe nutriunt, ab iis recessisse*, quod *postea piguit retracta. Resp.* 1. De consensu Scholasticorum nihil mirum : tenebanrur enim decisionibus Paparum, quamvis aliter sensissent. *Resp.* 2. Non fuit *ἰδιοσυγκρασία* Genevensium & Helvetiorum, cum inter *Helvetios Zwinglius, Musculus, Aretius* idem cum ipso senserint : & sententiam Genevensium omnes Doctores Reformati, pauciss imis exceptis, Itali, Galli, Germani, Poloni, Dani, Ungari, Scoti, etiam Angli non pauci tradiderint, ac etiamnum tradant. *Resp.* 3. Pauci illi nominati non faciunt universalem primæ reformatiorum Doctorum consensum, ne quidem æquivocè, Erasmus propriè non fuit Doctor reformationis, quamvis in multis præcursor & fautor. Camerarius propriè non fuit Doctor Theologus, sed bonarum literarum & artium. *Hemmingius & Aretius* non fuerunt Doctores primæ reformationis, sed Doctorum illorum succesores. De qua distinctione in nostra desperata causa Papatus *lib.* 2. *sect.* 1. *c.* 1. *&* 2. 4. Soli ergo restant *Lutherus, Melanthon, & Zwinglius.* De quibus respondemus, non mirum esse si in tam odiosa disputatione primo illo impetu nodos omnes non explicuerint? cum communibus Canonistarum, Theologorum, & Juristarum suffragiis aures ipsis obtusæ essent, cumque expurgandis erroribus circa articulos fidei & primam legis tabulam unicè essent intenti. Accidit tamen *Luthero & Melanthoni*, ut postea linguam corrigerent & decisionem suam hic accuratius elimarent, vide Casus Balduini disput priori cit.

§. 3. Absolutâ hac capitali controversiâ, respondemus nunc breviter ad casus & quæstiones morales, quarum. I.

I. *Quæst. Quæ sit regula & certa usuræ licitæ norma in foro conscientiæ.* *Resp.* Lex civilis publica, caritatis, æquitatis, & prudentiæ Christianæ lege contemperata. Ex lege publicâ accipies jus, illa enim sicuti justè punitorias ita & compensatorias usuras statuere potest quibus analogicè interesse compensetur. Ex te ipso conferes temperamentum ἐπιεικείας, ut scil. in stipulatione minus lucrum quæras, quam leges concedunt; adhæc non tam quæras, quam à ditiori honestè oblatum acceptas: denique ut in exactione longanimitatem & συμπάθειαν adhibeas, siquidem statuto tempore sine notabili incommodo & damno, aut πανολεθρίᾳ exsolvere nequeat. Quo applicandæ illæ regulæ *Math.* 7. 12. 1 *Thess.* 4. 6. 1 *Cor.* 13. 6.

II. *Quæst. Quid si debitor non tantum nihil lucri-faciat illo mutuo, sed & sortem perdat, idque culpa non sua; an usuræ sint exigendæ?* *Resp.* Non esset hoc caritatis & æquitatis; quam nullus contractus excludere potest. Quin immo necessario eam includit, ex intentione contrahentium in domino.

III. *Quæst. An tantum orphani, curatores pauperum, viduæ, Ecclesiæ, pauperes, literati nummis suis lucrari possunt, non vero ditiores aut illi quibus facultas, otium, occasio alio genere contractus acquirendi; ut nonnulli usuras restringunt, & inter eos Willetus in Levitic.* 25. *Resp.* Nos rationem nullam videmus. Quod non licet ditioribus, nec licet pauperibus; & contra quod his licet, & illis licet (si quidem usura sit legitimus modus acquirendi): ęque ac mercaturam, aut opificium aut agriculturam exercere, aut census emere, aut domos locare, &c.

IV. *Quæst. An usura maritima seu nautica, & quasi nautica, quæ propter navigationis aut aliud quodcunque periculum debetur, vel usque ad centesimam pro ratione periculi, intrinsecè & per se mala sit?* *Resp.* Neg. Modo in omnem eventum & casum parata sit æquitas; nec ex ruina proximi quis domum suam ædificet.

V. *Quæst. An ab aliquo mediocris fortunæ liceat stipulari usuram pro mutuo, quo se, aut filium, aut uxorem ex captivitate liberaturus est, idque dispendio maximæ aut dimidiæ partis bonorum, ut plerumque sit.* *Resp.* Neg. Sed amici, cognati, necessarii, piique alii, quibus Deus benedixit, mutuo gratuito illi subveniant: ne afflictis ab hostibus addatur afflictio, inter fratres & amicos. *Math.* 25. 36. *Hebr.* 13. 3.

VI. *Quæst. An usura sit licita erga fratrem attenuatum, si quis ultra sortem non nummos, sed aliud quid stipuletur ex. gr. ut vicissim sibi aut suis mutuum detur ubi indiguerint, aut ut debitor nunquam ab amicitiâ utili recedat, aut ut accipiat merces quas non potest vendere, aut ut extorqueat à debitoribus difficillimæ solutionis pecuniam, aut ut agrum suum colat & reditus suos*

sub certo pretio colligat, aut ut munus à linguâ vel ab obsequio sibi præstet, &c. *Resp* Neg. est enim hæc maximè palliata, & tanto nocentior. Quia de omnibus illis pariter ac de pecuniâ, quâ æstimari possunt, statuendum est.

VII. *Quæst. An omnis usura simpliciter & in se sit illicita quâ quis mutuo dat communioni, ut liber à solutione tributi reddatur; aut Principi, ut tale officium sibi concedat? Præterea an si statutum fiat in civitate aliquâ, ut mutuanti certam pecuniam aliquod munus daretur; illud statutum sit iniustum; ut quidem de omnibus illis affirmat Angles in floribus in 4. part. 6. Resp.* Neg.

VIII. *quæst. An illis qui in re lautâ sunt, liceat omnes nummos suos ita in usuras impendere, ut semper ad manum non sit, quod tum in eleemosynas etiam extraordinarias, tum in mutuum gratuitum pro modulo status & conditionis suæ erogent? Resp.* Neg.

IX. *Quæst. An nemini liceat moderatas usuras exigere pro exiguâ summula, nisi forte pauperioribus aut ærarii ecclesiastici præfectis, ut vult Balduinus lib. 4. c. 3. casu. 4. p. 944. Resp.* Nos rationem nullam videmus, cur ditioribus hoc minus liceat; si modo non sint illicitæ ex parte debitoris.

X. *Quæst. An licitum sit pactum ἀνυπερθέτως, ut scil. debitor pecuniâ utatur, fruatur, & creditor loco usurarum percipiat fructus pignoris, eoque vicissim utatur fruatur. Resp.* Aff. servata semper æqualitate, quam in usurâ licita ex parte debitoris & creditoris servandam diximus.

XI. *Quæst. An licitum sit alicui sive depauperato sive mediocris & statariæ (*ita loquar*) conditionis, mutuare ad usuram, ut primo quoque infortunio interveniente, cum minime est solvendo, τῷ interesse, importunis exactionibus paternam domum, aut prædium, aut agrum, nostro forte vicinum, eum vendere cogamus. Resp.* Neg.

XII. *Quæst. An qui injustam usuram exercuit satis se emendet, si cursum istius peccati abrumpat? Resp.* Neg. Insuper tenetur ad restitutionem: *quia omne, quod malè possidetur, alienum est*, ait Augustinus epist. 54. De modo & conditionibus restitutionis passim Casuistæ Pontificii inter alios Petrus à Navarra, & Jesuita Lessius pecul. tractatibus de *Restitutionibus*, & ex nostris Amesius in casibus *lib. 5. c. 4.* Ex quo, ut etiam ex Willeto in *Levitic. 25. qu. 24.* & Jesuita à Lapide in *Proverb. 28. v. 8.* nunc hoc tantum annoto, si ipsis dominis aut eorum hæredibus fieri non possit, tunc faciendam esse Deo, hoc est, rem ablatam vel pauperibus, vel communitati piorum impendendam. Quod an jure positivo tantum & consuetudine, (uti loc. cit. cum Lessio statuit Corn. à Lapide) an naturæ, aut etiam divino ita fiat, hic non disquirimus.

DE

DE TRAPEZITIS.

QUia usuræ Judęorum in Germania, Italorum, Longobardorum & Pe- §. 1.
dæmontanorum in Belgio sub publico conniventiæ privilegio nimis licentiosè grassantur, frustra reclamantibus ecclesiis & doctoribus tum nostris, tum Pontificiis, extra oleas non vagabimur, si de iis quid determinemus: imprimis cum videamus Danistas illos eorumque armigeros partim occultos, partim revelatos logis & ratiunculis in speciem subtilibus pro aris & focis suis passim pugnare; quin immo & ipsos Theologos publicè provocare: Hunc enim in finem Franekerę anno 1629. vernaculo sermone edita est anonymi D. I. W. P. P. diascepsis de *Usurâ trapezitică* à *Joh. Jac. Gerbino* trapezitâ Franequerano appensâ in frontispicio hac hederâ: *Ad exercitium studiosæ iuventutis.* Nos ergo ad exercitium & instructionem studiosæ juventutis. I. Injustitiam ejus usuræ demonstrabimus. II. Objectiones & exceptiones diluemus. III. ad Casus quosdam respondebimus. IV. remedia hujus gangrænæ, atque adeo omnis usurę indicabimus.

Injustas esse usuras illas dicimus tum ratione debitoris, tum ratione cre- §. 2.
ditoris.

Ratione debitoris, 1. *Quia* promiscuè exiguntur ab omnibus fratribus & civibus æque ac peregrinis, pauperibus, tenuibus, incendio, inundatione, pestis bellive flagello, exilio, captivitate, aliâve calamitate oppressis; & magnam, si non maximam partem illorum exsucto sanguine tam splendidè vivunt trapezitæ, contra *Exod.* 22. 25. *Levitic.* 25. 35. 36. 37. *Deut.* 15. 11. *Amos* 8. 6.

II. *Quia* promiscuè pignora quævis recipiunt ac detinent, etiam tegumenta & indumenta ex lege naturæ aut decori civilis homini necessaria, ut compita, forum, ecclesiam, &c. frequentet: ne instrumentis quidem artis, quâ quis vitam sustentat, exceptis, contra *Exod.* 22. 2. 27. *Deuter.* 24. 15. *Levitic.* 19. 13. *Ezech.* 18. 7. 12. & 33. 15.

Ratione creditoris, 1. *Quia* ab omnibus promiscuè nimium ultra sortem exigunt, Pręterita nunc Judæorum crudelitate (de quâ alibi agendum) & antiquâ Longobardorum in Belgio rapacitate ac superbiâ, propter quam omnes mensas eorum ductu & auspiciis Prędidis in supremâ curiâ Mechlinienśi subversas atque exactas (anno 1510.) testatur anonymus in diascepsi modo cit. *p.* 9. Constat ab omnibus ante hac jam inde ab anno 1578. ultra sortem exactos fuisse 32½. floren. nisi quod nuper ex contentione, & ut alii aliis mensas illas præriperent, lucro 22. aut 20. aut 21. aut 24. alicubi contenti esse debuerint. Lucrum autem istud, & quidem promiscuè ab omnibus

bus exactum, nimium esse, nemo, ut opinor, negabit. 11. *Quia* pignoribus ad præstitutum tempus divenditis, & sorte cum lucro sibi inde restituto, residuum, si quod sit, possessoribus non restituunt: sive ipsi illud in suo lucro deputent (quod fecisse eos, antequam ex Belgio exigerentur, testis est anonymus loc. cit.); sive fisco aut ærario pauperum impartiant. Quâ injustitiâ & crudelitate, quid crudelius cogitari potest.

* *Appendix ad §. 2. rationem postremam, ductam à non restituto residuo, anno 1666.*

Disputationis nostræ de usuris part. poster. anno 1637. 13. Maji: propositâ §. 2. reliquis allatis rationibus subjeceram istam: *Quia pignoribus ad præstitutum tempus divenditis, & sorte cum lucro sibi inde restituto*, &c. Contra quam rationem postea susurros, si non clamores sublatos, & anonymis fœneratorum libellis, me calumniæ argui, & desperatę ac turpissimæ causæ pattonos admodum sibi plaudere percepi. Quasi harpax quis πιχορύχος à prætore variis argumentis & exemplis factorum furtorum, perfractionis ostiorum, perfossionis parietum, &c. ad inducendum reatum pulsatus, sociorum furum & concaptivorum, etiam ipsorum damnum passorum testimonio declaratus, quod uni alicui furto à prætore æque ac sociis ipsi impositio, non interfuisset: quasi, inquam, harpax ille uno hoc argumento prætoris amoto, in totâ causâ contra prætorem triumphare se putaret. Quidquid esset de hoc argumento à me ad finem tunc adjecto, manet tamen fœneratorum iniquitas. Sed hoc misso, dico me mensis fœnebribus communiter potuisse attribuere, quod residuum ex venditis pignoribus, si quod esset, non semper restitutum fuisset illis, quorum pignora publicis auctionibus vendita essent.

Quia hoc conquesti erant non pauci eorum, quos dira necessitas compulerat, ad mutuum trapeziticum aliquoties confugere. Hic excipiunt trapezitici.

1. *Except.* Atqui in fiscum aut ærarium pauperum infertur residuum. *Resp.* 1. Semper, ubique, ab omnibus hoc factum non esse, constat ex discursu de mensis trapeziticis per Joh. Jacobum Gerbin trapezitam Franequeranum anno 1629. edito; ubi affirmatut à trapezitis in Belgio omne residuum fuisse retentum, seu pignora ad dictum diem non liberata, ab iisdem fuisse retenta: super quibus ad dimidium solummodo pretii mutuo dederant. *Præterea* ex vitâ Viglii Zwichemii ab Aita, ubi refertur eum apud Carolum V. Belgarum principem hoc instanter egisse, ut coercerentur fœneratores dicti *Lombardi*; & ut anno exacto ad pignora publicâ auctione distra-

distrahenda cogerentur, *& residuum restituendum*, &c. sed consilium hoc per aulicorum quorundam avaritiam (nota bene) interversum esse. *Insuper* ex indulto urbis Ultrajectinæ anno 1375. quo Antonio Domeyne Astensi & sociis mensa ad 20. annos conceditur; & ut post annum exactum pignora vendere, in utilitatem suam possent vendere: **soo mogen zijse vercoopen/ ende hozen wille ende oozbaer daer mede doen.** Adhæc ex Alberti Leonini consilio cum *part. 2. consiliorum anno* 1645. Roterodami excusâ apud Joh. Næranum; ubi num. 238. pag. 405. extractum ex indulto, cuidam Michaeli Thomæ anno 1558. Gandavi concesso. „More & usu antiquo po-„terit lucro suo vendere cimelia & alia pignora intra annum non redemta. Denique ex Actis Synodi Enckhusâ-Noorthollandicæ 6. Augusti 1624. artic. 56. ubi refertur à Francisco de la Via trapezitâ Enckhusano oblatam quæstionem, an ad Cœnæ communionem ipse admittendus non esset, qui tertiâ parte minus interesse reciperet, ac vulgares (**de gemeene**) trapezitæ, &c. & qui residuum distractorum pignorum possessoribus, aut si nulli hoc petentes compareant, pauperibus restituit; cætera cum uxore & liberis in timore domini Christianè se gerens, &c. *Resp.* 2. dato alicubi fisco aut ærario pauperum applicatum fuisse residuum: verum tamen à me dictum est, possessoribus justè residuum non semper & ubique restitui. Hocque incommodo gravari negotiationem trapeziticam; cujuscunque culpâ id potissimum fiat. *Resp.* 3. Dato à trapezitis residuum illud, usibus propriis applicatum non fuisse: nihilominus verum est, illud semper restitutum non fuisse illis, ad quos pertinebat. Et hoc est incommodum, quo negotiationem trapeziticam merito gravamus. *Resp.* 4. Dato trapezitis omnibus juratis (quod nondum factum) credendum esse, ne obolum ab ipsis perceptum esse & percipi ex residuo; an ipsi, aut artis trapeziticæ patroni vadimonium obirent pro omnibus famulis mensariis (vulgo **Cassiers**) qui pro trapezitis negotiationem illam exercent, pignora æstimant & recipiunt, nummos numerant, zigla scribunt, & siqui pignora repetitum venerint, quantum pro interesse exolvendum sit verbo indicant; aut si pignora vendantur, quantum pro interesse & summâ mutuatâ de pretio venditi pignoris detrahendum sit, & an aut quantum sit residuum significant. An justus semper sit eorum calculus; & nec hero trapezitæ, nec mutuantibus fraudulenter quidquam subtrahant: non dicent (ut opinor) trapezitæ; qui per hyperaspisten suum *Salmasium in tract. de fœnore trapezitico* scribi curârunt, se sæpe à famulis suis mensariis damno affici; ut tanto facilius persuadeant, non tantum lucrari ipsos, ac vulgò creditur. Ego ipse probè novi in patriâ meâ tres famulos mensarios successive non parum subtraxisse mensæ, quam curabant, hero ipsorum Gorcomii habitante. Primus Italicæ originis scor-

tationibus & luxu, non pauca cum dilapidasset, civitate illâ ejectus est. Secundus Hollandus mihi satis notus & cætera vir non malus; sed tabernis, imprimis & aleæ sæpiusculè addictior, quam stipendiolum ipsius ferret: unde post obitum ejus, de damno capsæ illato heri querela. *Tertius* originis Italicæ & trapezitæ, ni fallor, cognatus, cum non ita diu ministerium illud trapeziticum istic obiisset letali peste correptus, me ad se vocari jubebat: tum ut spirituale pharmacum ipsi subministrarem, tum ut coram me testaretur. Post ejus obitum, cum literis viri eruditi Goudâ scriptis à me peteretur, ut herum monerem, de exolvendis 600. flor. quos virgini cuidam Goudanæ (me teste) legaverat: responsum tuli, nihil esse aut illi deberi, unde legatum exolvi posset; quin contra non exiguę summę se jacturam pati. Et hęc quidem œconomia istorum famulorum: testibus ipsis trapezitis.

II. *Except.* Homines, si qui conquesti sunt, de residuo non restituto, rerum istarum ignari sunt, & falso calculo se & alios deludendo mensam ac famulos mensarios injuria afficiunt: quibus accuratè ac fideliter supputantibus credendum esset. *Resp.* 1. Omnes mensam frequentantes, præsertim qui tanquam mandatarii pignora aliorum multos per annos ad mensam deferre sunt soliti, non ita negotiationis hujus ignari sunt, ut fide implicitâ famulis semper credere debeant. Nec est de nihilo, quod inter primos hujus artis trapeziticæ in Belgio plantatores anno 1375. stipulati sint ab Ultrajectinæ urbis senatu (cui antea in extremâ necessitate ingentem summam mutuo dederant), ut pignora per fures alicui ablata & in mensam illata domino non tenerentur restituere, nisi numeratâ tali summâ, qualem mutuo dederant, **ende des hozen gesinde te geloven met hozen sempelen woozden.** Ibidem ubi de licentiâ pignora exacto anno distrahendi, subjicitur: **Ende des hozen gesinde te geloven met hozen sempelen woerde.** *Resp.* 2. Quod vulgares quilibet tam liquidè & promtè ac famuli mensarii, calculum inire nequeunt; in causâ sunt characteres occulti seu *figla*, quibus hæc negotiatio, aliter ac omnia alia commercia, peragitur. Quę autem fraudes sub *figlis* latere queant, & quam merito illis suspectam antehac negotiationem suam reddiderint: vel inde colligere est, quod *L. 1. ne per scripturam C. de veteri jure enucleando prohibitum sit Jureconsultis per figlorum captiones & compendiosa ænigmata*, &c. *codicis textum conscribere.* Et L. 2. t. eodem: *Eandem pœnam falsitatis constituimus adversus eos, qui in posterum leges nostras per figlorum obscuritates ausi fuerint conscribere.* Quod si figla illa Jureconsultorum tam odiosa fuerint: quid de ignotis trapeziticæ negotiationis characteribus, quas homines, quorum interest, intelligere nequeunt, censendum erit?

III. *Except.* Mensæ ab hoc incommodo nunc liberatæ sunt. *Resp.* 1.

Ego

Ego de mensis communiter aut ἐπὶ τὸ πλεῖστον hoc incommodo laborantibus anno 1637. locutus sum. Quod si alicubi hoc malum tunc sublatum fuisset, uti de mensâ suâ testabatur alibi trapezita Enchusanus supta indicatus; an discurrendo à particulari ad universale, ab omnibus mensis ante annum 1637. in Belgio sublatum fuisse dicendum est? Ostendat ergo novis super tolerantiâ mensarum contractibus, hoc ubique ante annum 1637. præscriptum & observatum fuisse, ut residuum, si quod esset, cuique exigenti restitueretur: & sic antiquos mores cum antiquis indultis supra descriptis, simul & semel abolita fuisse. Sed hoc ostendetur ad Kal. Græcas. *Resp.* 2. Dato, eodem illo anno aut anno præcedenti in variis mensis residuum cuique suum cœptum restituit, an ideo falsa & frustranea fuisset per sæcula aliquot continuatæ hujus pragmatiæ descriptio? Præsertim cum contendentes pro eâ, etiam, si non præcipuè, ad mensas & negotiationes parentum, majorum, prædecessorum suorum defensionem extendant: ne bona inde ad se & suos devoluta, inter malè parta, & majores ipsorum inter fœneratores numerentur. *Resp.* 3. Denique si aliqui dolis, & technis suis hoc tandem efficerent, ut allegatis & exhibitis omnium trapezitarum & famulorum mensariorum ante annum 1637. (quod nunquam factum, nec ipsis nunc factu possibile) testimoniis, probatum irent mensas ab hoc malo consequenti planè liberatas: an ideo ignorantia facti, hoc est, nuperrimæ istius emendationis, calumnię aut mendacii mihi crimen imponet? An potius ipsi advocato trapezitæ hanc causam anonymis suis libellis agenti: qui probè nôrat si non omnes saltem pleraque mensas ab hoc malo plane purgatas non fuisse. Et quidquid unus atque alter famulorum & trapezitarum hic testatus fuisset (quorum tamen testimonia apud me non jactavit, nisi unius famuli mensarii in patriâ meâ), contra eos in propriâ causâ, forte etiam ad tegendam propriam turpitudinem, jure meritoque excipi posset. Sed de hoc plus satis. Hactenus inter calaris appendix 1666.

Sunt ergo trapezitæ illi propriè & κατ' ἐξοχὴν Usurarii manifesti, quales §. 3.
JCC. describunt, quod palam & frequenter seu assiduo usuras exerceant *Peguer. Menoch. Covarruv.* citati ab *Althusio lib.* 1. *dicaiolog. c.* 14 1. *n.* 9. Et sic eos vocat *Leoninus* tunc Geldriæ Cancellarius olim Juris Professor Lovaniensis in suo consilio, quod cum aliis Jureconsultorum consiliis part. 2. editum est Roterodami anno 1645. in 4. Quos etiam jure civili infames aliisque pœnis obnoxios statuunt, Althus. ibid. qui *quodammodo furtum facere videntur*, sic juridicè loquitur Menoch. & Peguera ibid. cit. nos theologicè & apertè cum catechesi nostrâ ad 8. præceptum omnem illicitam & mordacem usuram furtum dicimus, coram Deo scil. & in foro conscientiæ; & in illos putamus quadrare illa Catonis: *de re Rusticâ* in principio: In legibus

olim posuerunt (scil. Romani) *fœneratorem quadrupli, furem dupli condemnari.* Rationem subjicit: *quanto peiorem civem existimaverint fœneratorem, quam furem hinc licet existimare.* Eosdem Jus Canonicum ab ecclesiasticâ sepulturâ excludit, iis nullas domos à Christianis locandas statuit, nec permittendum ut conductas inhabitent. *Lancelot. Institut. lib 4. tit. 7.* ex *libr. 5. decretal. tit. 5. de Usuris cap. 1.* Antiquæ Ecclesiæ canones (*Nicephor. confessor. in tom. 1.* Juris Græco-Romani fol. 196. & Concilia supra thes. 2. cit.) & communis consensus ac praxis ecclesiarum Reformatarum, nominatim in Belgio à communione eucharistiæ & ecclesiæ eos arcet aut excludit, ex præscripto formulę de administrandâ cœnâ domini; quos in testes baptismi non adhibendos monuit Synodus Leidensis 1600. & an unquam admitti debeant, remisit ad Synodum Nationalem. Quibus frequentatione templorum seu cœtus Christianorum & cultus publici severè interdixit Carolus V. anno 1545. 3. Januar. Ultrajecti, in quam urbem primum in toto Belgio irrepserant, nescio quo publicæ utilitatis aut necessitatis prætextu (ut innuit Anonymus loc. cit.) postquam in Belgio mensæ ipsorum clausæ fuissent edicto Caroli V. 3. Aprilis anno 1510. Possent forte addi & rationes illæ, quod mensæ ipsorum sint asyla, & allicia furum, filiorum prodigorum, Apiciorum, qui delitiis, cupediis, nec non crapulâ, ebrietate, &c. sua quâvis occasione abliguriunt: sed quia proclive illis esset excipere, hęc abusus esse non usus, qui in montes pietatis etiam optimè constitutos possint cadere, malumus rationibus allatis contenti esse.

§. 4. Examinemus nunc rationes & exceptiones trapeziticas, quas hactenus auditu percipere aut ex dictâ diatribe colligere potuimus.

Prima est, Usuras illas legibus publicis & authoritate Magistratus constitutas atque approbatas esse; atqui penes potestatem politicam est & hos & omnes alios civiles contractus determinare, Ergo nihil imputandum trapezitis. *Resp.* falsissima est hypothesis. Nec constituit Magistratus, nec approbavit. Cedo edicta aut rescripta. Quando quæso apud nos abrogatum est in gratiam Trapezitarum antiquum Jus civile, quod majorem usuram centesimâ non permittit; aut novissimæ constitutiones Imperii, (cum quibus fere convenit consuetudo nostratium) quibus 5. vel. 6. flor. in 100. penduntur. Althus. loc. cit.

Secunda, Magistratus saltem permittit, si non concedit. *Resp.?* rectè; permissione ipsorum versante circa peccatum, seu *malum* (ut author diatribes ipse loquitur) *necessarium.* Hinc ergo manifestè peccati coram Deo in conscientiâ arguitur ἀυθεντικρίτως ille trapezita. De permissione *Tertullianus 1. ad Uxorem cap. 3.* Quod permittitur suspectam habet permissionis suæ causam. Quamvis enim concederetur hoc aliquo

quo respectu & comparativè bonum esse Reipublicæ, quia necessarium, ut quidem pag. 19. determinat, trapezita) hoc est, esse minus malum; inde tamen non sequitur τὸ malum esse bonum ipsius conscientiæ. In Hispania antehac, & Romæ atque alibi in Papatu etiamnum hodie permittuntur lupanaria, *Regula quæ meretrices permittit*; *Hebræos fœneratores permittere debet*, ait Sixtus Medices *cap. 4. lib. 3.* de Fœnore Judęorum; cujus permissionem ex professo ibidem defendit. Quis hinc colliget non peccare meretrices & scortatores, aut impuritates illas quæ sub sigillo & quasi privilegio permissionis & fisci Pontificii exercentur, (tanquam malum ipsorum judicio, necessarium) esse virtutes aut saltem adiaphorum quid.

Tertia, Sufficit ergo tolerantia & protectio authoritatis publicę, ut si non in totum saltem in tantum à peccato excusetur trapezita, & culpa in Magistratum rejectâ saltem sub istâ umbrâ extra infamiam delitescat. *Resp.* Non dicimus quam bene aut male malo illo trapezitico ad bonum publicum utatur Magistratus: sed negamus consequentiam. Nihil illo mali usu aut abusu (qui est per accidens) mutatur natura mali in se. Uti quis potest variis in casibus alterius peccato, seu operâ alterius sed cum peccato conjunctâ. Inde tamen non efficitur, ut peccatum sit non peccatum. Sic e. gr. utitur Respublica proditoribus, pyratis, perduellibus, grassatoribus & latronibus adversus socios & confœderatos ipsis similes, aliosve Reipubl. hostes ipsis nocentiores; quis tamen dicet ab injustitiâ, perfidiâ, mendaciis, fraudibus aliisque malis artibus eos esse immunes. Vide *Zieglerum* ad *Grotium de Jure pacis*, &c. de permissis usuris egregiè distinguentem *pag.* 65. & 92.

Quarta, Pauperibus & tenuioribus, immo omnibus indigentibus tanquam præsentissimo remedio consulitur, qui absque publicâ ejusmodi mensâ relinqui nec debent nec possunt. Ergo prudenti permissione Magistratus piè & justè proximo suo inserviunt trapezitæ. *Resp.* Nihil aliud respondemus, quàm illud *Joh. 12. v. 5. 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis cura esset ei*, &c. Sit quæso caritas proximi ἀνυπόκριτος, nec imponat nobis *candidus* ille avaritiæ *diabolus*, à Thoma Adamo tam graphicè descriptus in concione ad loc. cit. quæ in nostrum idioma traducta nunc exstat.

Quinta, posse haberi usuras illas pari loco cum vectigalibus & teloniis, quæ à Magistratu constituta quis redimit, & justè exigit: sic alicubi dicunt à Republicâ se non parvâ summâ aut in fiscum civitatis aut in ęrarium pauperum inferendâ mensam quotannis redimere; præmissis sæpe præmittendis xeniis & tributis in δωροφάγους quosdam privatim erogandis. *Resp.* 1. De facto an tale sit, saltem an ubique tale sit, nihil attinet hic inquirere. Data aut posito hoc, nihil inde inferri posset, quàm esse nonnullos aliqua ratione participes & consortes istius peccati, juxta versiculos vulgatos.

Consulo, Præcipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed præcipio, & defendo aliena.

Ut ut quisque hic excutiat sinum suum; imprimis qui pro interesse undecim flor. κατ' ἐπαυλὸν nummis mutuo datis fulcierunt trapezitas: manent trapezitæ manifesti fœneratores. *Resp.* 2. longè diversa est ratio redemptionis telonii à magistr. instituti, pro quo accipiunt justum pretium; & impositionis mulctæ istius pecuniariæ, quæ fisco aut pauperibus cedit; quâ non approbant nec æstimant trapeziticam (quam nec instituerunt nec laudârunt) sed mulctant & premunt, quod in aliis peccatis fieri solet, quandocunque per conniventiam gravioribus pœnis à lege statutis non coërcentur. Et sic *Becanus Manual. lib. 5. c. 18.* concedit pecuniam ab usurariis Judæis exigi, non tanquam partem lucri injusti sed tanquam mulctam. *Resp.* 3. Si quis trapezita aliter accipiat & interpretetur intentionem Magistratuum, atrocem ipsis injuriam facit. Quod vel inde constat: quod cum redemptores aut receptores teloniorum & vectigalium inter honoratos cives numerentur, & cæteris paribus ad publica munera admittantur, trapezitæ tamen hactenus fuerint exclusissimi: & quod receptiones teloniorum & vectigalium ab honoratis civibus non tantum, sed & à patritiis, procerum ac senatorum filiis, fratribus, cognatis, affinibus, quin & ipsis proceribus ac senatoribus suscipiantur; iisque tanquam honorifica & utilia munera conferantur. Si talia essent trapezitica, non exspectarent, donec Insubres aut Pedemontani, eorumve progenies, aut Judæi ad lucrosam hanc negotiationem se offerrent. *Resp.* 4. Quicquid culpæ suæ à se removent & in Magistratus derivant (quamvis justè hoc ipsos agere pius & prudens Magistratus negaret) non magis se purgant, quam protoplastæ nostri *Gen. 3. v. 12. 13. Resp. 5.* Non sollicitent illi opportunè, importunè, & mensas suas obtrudant; spondeo illos à piis & prudentibus Magistratibus non evocandos, aut ad hoc peccatum tentandos, aut compellendos.

Sexta, atqui de residuo pignorum distractorum, & de lucro alicubi participant & gaudent pauperes. *Resp.* 1. Non adscribimus hoc pietati & beneficentiæ trapeziticæ, qui sponte hoc non offerunt: sed prudentiæ illorum qui sanguisugis pauperum hunc sanguinem exprimunt. Totum ergo est per accidens. *Resp.* 2. Et siquidem illi per se, hoc intenderent: sequeretur tamen pauperes ab illis expilari, ut eosdem aut alios beneficentiâ suâ rursum juvarent: quod est facere malum ut eveniat bonum.

Instantia. Atqui nollent carere orphanotropheia aut alia æraria pauperum solitis illis reditibus. *Resp.* 1. Hoc trapezitæ curant scil. & non potius lucrum suum. *Resp.* 2. Prudentiores malint orphanos carere, & à sangui-

sugis

fugis illis liberari Rempublicam. Quæ enim major benedictio exspectanda à pretio hoc sanguinis in gazophylacium illato, quàm à mercede meretriciâ aut pretio canum *Deut.* 23. 18.

Septima, Tantos faciunt sumptus trapezitæ in domos, in famulos, &c. in fiscum; in ærarium pauperum, forte & in xenia, dum prensationibus & cursitationibus suis alii alios prævertunt ad occupandam mensam, ut ultra septem aut octo floren. non lucrentur. *Resp.* 1. at quis jussit eos tantum sumptuum facere, & privati emolumenti studio tam malum morem introducere; quo certe non extenuant sed aggravant peccatum suum, & ostendunt se esse genuinos φιλαργύρους, qui absolutè volunt ditescere contra 1 *Tim.* 6. *v.* 9. 10. & cum putent se ab aliis quasi lege talionis spoliari, proximum tamen spoliare non desinunt. *Resp.* 2. Sumptus illos minui posse ostendunt illi, qui minus lucrum exigunt, 16. scil. aut 12. flor. immo qui anno 1594. apertionem mensarum per totam Hollandiam pro 8. flor. obtulerunt; cui instituto trapezitæ tunc obsistebant, quippe qui 32. flor. tunc lucrabantur. Vide historiam *Petri Bor tom.* 4. *lib.* 30. *fol.* 74. Et Theologor. Ultrajectin. *Rei judicatæ part.* 1. *&* 2. *Resp.* 3. Ut ut calculo suo trapezitico (qui tamen nondum recipitur) propemodum ab injustitiâ *ex parte creditoris* usuram suam absolvissent, manet tamen injusta ex parte debitoris. Non desunt, qui arcanis hujus negotiationis propius & penitius perspectis, longè aliter lucrum ipsorum supputarent: & ipsi cum liberis suis magnificâ ac splendidâ vivendi ratione, ut sorices suo indicio, antehac satis prodiderunt quam immane lucrum perciperent.

Octava, Sunt Mercatores, qui plus lucrentur, quam trapezitæ. *Resp.* 1. quæ nam in genere sit mercaturæ ratio, & quam dissimilis à mensâ usurariâ alibi dicendum & docuerunt jam Scholastici ad 22. *qu.* 77. *art.* 1. 2. 3. 4. & cum illis Casuistæ prolixè: & ex nostris *Amesius cas. lib.* 5. *c.* 42. 43.; & Theologi Ultrajectini in *Rei-Judicatæ part.* 2. Multiplicem & ἀπεράντων esse abusum mercaturæ facile concedimus. Sed illis sordibus non eluuntur sordes trapezitarum; imò magis sordescunt, *Rom.* 2. *v.* 1. 2.

Nona, Sunt qui clam absque publicâ permissione crudeliores usuras exercent quam trapezitæ. *Resp.* Ex parte credo: sed nihil hinc sequitur, quam trapezitas non solos thesaurizare sibi iram Dei. Quod sane miserum est solatium.

Decima, præstat unum esse publicum cum privilegio & permissione publicâ trapezitam, quam passim omnes aut plures promiscue per civitatem hoc agere. *Resp.* 1. Concedi posset minus malum quidem hinc referri Reipublicæ: sed hoc nihil ad conscientiam trapezitarum, quæ instar Sodomæ, elatâ manu & coram sole peccatum suum cum mensâ omnibus prostituere

non

non erubescit, & non obscurè in eo gloriatur. *Resp.* 2. Breviter eâdem consequentiâ meretrices Romanæ ad publica & certa loca redactę sub umbra permissionis & fisci Pontificii probarent, se esse pudicas: quia scil. præstat ibi meretricium exerceri, quam passim per totam urbem omnia libidinibus impleri; ut quidem practici & Casuistæ Pontificii τὸ βέλτιον hic prætexunt.

Undecima, Trapezitæ cum famulis suis istius artis discipulis aut fortè magistris, nihil aliud didicerunt. Quo vitam sustentabunt? Fodere nequeunt, mendicare erubescunt. *Resp.* Quid si hoc objicerent pyratæ, validi mendicantes, lenones, meretrices, fures, sacculatii, aliique omnes qui malis artibus malam vitam sustentârunt; an non in promptu esset responsio? Eadem ergo huic exceptioni aptanda.

Duodecima, Nusquam negotiationem hanc trapeziticam prohibet scriptura, quin immo permittit *Luc.* 19. 23. quod etiam satis innuit Apostolus 2 *Cor.* 8. *v.* 13. *Resp.* 1. An prohibeat, jam vidimus *Thes.* 2. *Resp.* 2. Ex singulis partibus parabolę *Luc.* 19. 23. non debet fieri argumentum, nisi ipsa scriptura faciat; juxta vulgatam regulam: *Theologia symbolica non est argumentativa.* Alioquin eâdem facilitate furti permissio probaretur ex 1 *Thes.* 5. 2. cum *Apocal.* 3. 3. & mercenarios ac servos vix siliquis instar porcorum pascendos ex *Luc.* 15. 15. 16. Ubi tantum refertur quid in vitâ communi fieri solet aut posset. Unde nihil inferendum de bene facto, aut de jure. *Resp.* 3. Unde constat illas mensas fuisse aut specie aut conditionibus easdem cum hodiernis? Immo contrarium ostendit Beza in notis. *Mensarii*, inquit, *proprie dicti distincti erant ab argentariis sive nummulariis. Illi publicam rem nummariam curabant ad id munus authoritate publicâ delecti: isti vero privatim suo quæstui tum permutandis tum fœnerandis pecuniis serviebant, quos hodie à scamnis, quibus assident, Galli vocant* Banquiers, *humani certe generis pernitiosissimas pestes pleroque. Resp.* 4. Locus 2 *Cor.* 8. maximè facit contra illos. Nullâ enim Theologiâ, nullâ Ethicâ, nullo jure civili persuadebunt æqualitatem & proportionem à se servari.

Decimatertia, Quia vix inveniuntur in omnibus civitatibus, qui omnibus & singulis imprimis pauperibus mutuo darent, 4. aut 3. fl. aut etiam 12. asses pignore detriti indusioli aut tuniculæ accepto (ut loquitur Anonymi Diatriba à trapezita Franequerano anno 1629. edita): temporum nostrorum indigentia, remedium hoc requirit. *Resp.* 1. Sed remedium est ipso morbo deterius. *Resp.* 2. Et hoc imprimis crudelem reddit hanc usuram, quod utplurimum pauperes illâ graventur, & detrita ac lacera ipsorum indusia à voragine istâ absorbeantur. *Resp.* 3. Breviter argumentum istud huc tandem redit: Siquidem non suppetit ubique copia fœne-

fœneratorum, qui malum hoc erga singulos exerceant; ecce me unum paratum ad exercendum hoc erga omnes, & tot oppressionibus pauperum meam solius conscientiam cooperiendam, ut scilicet omnis ille sanguis de meâ manu reposcatur. Quam egregium hoc solatium in vitâ & morte!

Decimaquarta, Cives indigentes pecuniâ aliunde majoribus impensis & majori fœnore eam cogentur recipere, &c. *Resp.* 1. Tu tamen conscientiam animamque tuam ne oppignora, ut civibus & publico prosis. Nulla enim proportio inter incommoda aut damna illa externa, & inter jacturam animę *Math.* 16. *v.* 26. *Resp.* 2. Argumentum hoc, ut & omnia alia Anonymi Hyperaspistæ, eo tantum collimant ut Longobardicos illos trapezitas in civitatibus ubi nunc sunt, porro tolerandos, & in alias, unde adhuc excluſi, admittendos Magistratibus persuadeat. Hoc si evicerint pro malo suo necessario, jam quidem crumenæ aliquid consuluerint, sed nihil conscientiæ; malum enim manet nihilominus malum. Atque hæc sententia nostra de trapezitis; quæ cum omnium Reformationis nostræ Doctorum doctrinæ ac perpetuæ praxi, ut & decretis synodicis, classicis, presbyterialibus consentanea sit, debebat in hoc gravissimo conscientiæ casu serio perpendi ab illis, quorum interest. Vide extracta ex Actis Synodalibus in *Re judicatâ*.

Nunc casus circa trapeziticam decidamus. §. 5.

Primus est, An quis pie & bonâ conscientiâ Trapezitis mutuo dat? *Resp.* Neg. quia non licet firmare manus injustorum; scimus enim per se & directè mutuum illud peti, ut fœnus exerceant. Certe nisi fuissent, qui suis divitiis trapezitas sustentassent, jamdiu plerique eorum evanuissent. Hinc est quod *Carolus* V. *decreto anni* 1545. *supra cit.* non tantum trapezitas, sed etiam omnes qui partem habent, aut societatem, aut administrationem in mensâ usurariâ, à sacris liminibus arcendos statuit. Et *Synodus Zuydhollandicâ anno* 1629. (ni fallor) à sacris removeri voluit illos, quasi proto-daniſtas, qui mutuo suo trapezitis succurrunt; imprimis illos, qui sub stipulatione lucri undecim florenorum iisdem mutuò dant.

Secundus, An uxores trapezitarum ad communionem admittendæ. *Resp. Aff.* his scil. cum conditionibus 1. siquidem administrationem mensæ non habeant. 2. Si protestentur se aversas esse ab infelici illâ arte, seque ingemiscere maritorum peccato; 3. promittant insuper se hoc acturas importunè opportunè, quantum in se est, ut maritus illâ vitę ratione desertâ, aliam honestam amplectatur. Idem statuendum est de liberis. Et sic obtinet communis, ni fallor, ecclesiarum praxis: juxta decisionem Synodi Nationalis Middelburgensis anno 1581. ad qu. 104.

Instantia, quâ conscientiâ illi interim vivunt si non in totum, saltem magnam partem ex male quæsitis, absque restitutione. *Resp.* Non tenentur ad restitutionem, quamdiu aluntur à patre familias; neque enim penes ipsos est potestas restituendi. Addimus ergo hanc quartam conditionem, ut benignitate in pauperes, quantum possunt, quam longissimè ab avaritiâ mariti aut patris recedant: deinde promittant, se aliquando, ubi sui juris fuerint ex portione bonorum malè partorum pro ratâ & ἀναλόγως (neque enim omne lucrum mensarium ultra sortem malè partum, nec omnia ipsorum bona sunt ex lucro trapezitico) restituturos.

Tertius, an uxori detestanti trapeziticam, liceat maritum deserere. *Resp. Neg.* & ratio colligitur ex *Matth.* 19. & 1 *Cor.* 7.

Quartus, an piis liberis liceat paternis ædibus excedere, siquidem eos compellat ad praxin & administrationem trapeziticæ. *Resp. Aff.* juxta regulam *Luc.* 14. 26. *Actor.* 5. 29. *Deut.* 33. 9.

Quintus, an famuli eorum ad cœnam admittendi? *Resp.* Distinguimus eos in communes, qui communibus officiis occupantur; & in trapeziticos, qui curant mensam. De illis affir. ex 1 *Corinth.* 7. 21. 22. 1 *Petr.* 2. 18. *Tit.* 2. 9. qui enim inservit domino idololatrico, impio, fœneratori; non ideo inservit idololatriæ, impietati, fœnori. De istis neg. quia non unâ ratione participes sunt peccati dominorum, & ministri injustitiæ: juxta versiculos supra *thes.* 3. positos. Sic decisum fuit in Synodo Nationali Middelburgensi 1581. *ad quæst. partic.* 104.

Sextus, *an* uxor quæ dicitur ὑπανδρος & obnoxia legi mariti *Rom.* 7. 1, 2. 1 *Corinth.* 11. *v.* 3. *Ephes.* 5. *v.* 22. 23. 1 *Tim.* 2. *v.* 12. inscio aut invito marito trapeziticam directè aut indirectè exercere possit. *Resp. Neg.* neque enim legibus divinis, aut humanis conveniret. Idem statuendum est de filio nondum emancipato: quia nullum vitæ genus, nullam artem acquirendi & lucrifaciendi amplecti possunt, nedum tam infamem.

Septimus, *an* quis necessitate compulsus bonâ conscientiâ mutuum petere possit à trapezitâ? *Resp. Aff.* petit enim mutuum illique consentit, & illius occasionem dat, quod licet; quamvis sciat trapezitam absque injustitiâ non daturum. Patitur hoc malum quod corrigere non potest: & utitur non tam peccato alieno (ut aliquando practici loquuntur) quam opera & auxilio alieno cum peccato ἀχωρίστως conjuncto, non per se, sed per accidens; de suo enim hoc addit fœnerator. Et tali in casu pati injuriam non est injuria, tolerare malos non est malè agere. Sicut qui fœdus init cum idololatra, quem scit per falsos Deos juraturum, de quo *Augustin. epistol.* 154. & qui coactus monstrat latroni thesauros suos, quamvis moraliter sciat, illum & furto, & alio multiplici abusu peccaturum. Hæc est decisio omnium,

omnium, ni fallor, Casuistarum. Habet & eam *Willetus in Levitic. 25. qu. 25.* ubi etiam respondet ad locum *Jerem. 15. 10. Confer Politic. eccles. part. 2. lib. 3. ubi de Vocatione ministrorum th. 9. qu. 10.*

Octavus, An decorum ac satis tutum sit ut pii, præsertim antecessores in Republ. & Ecclesia, familiariter utantur trapezitis? *Resp. Neg.* multis de causis. Quia abstinendum est à specie mali 1 *Thes. 5.* nec jugum trahendum cum infidelibus 2 *Corinth. 5.* quia illa familiaritate & ipsi & alii imperitiores aut imbecilliores tanto securius peccato illi indormiunt, tanto familiarius absque pudore & horrore eidem assuefiunt & cohabitant, aut ad illud alliciuntur.

Nonus, An pie & prudenter trapezitas ejusmodi tolerant Principes & Magistratus Christiani. *Resp.* Siquidem coram Deo in conscientiâ testentur; se adhibitâ, quamcunque potuerunt, curâ & diligentiâ nullâ ratione potuisse bono publico & civibus suis, consulere, quam permissione, ut ut invitâ, mali istius necessarii, utique non ausim conscientiam illorum judicare. Sed monendi sunt, ut coram domino cordium inspectore se examinent, an fecerint quod in se est, & an simpliciter sit impossibile alio modo necessitati suorum prospicere. Merito enim dubitatur an ubique & apud omnes talis sit rerum status. Cogitent illud Prov. 20. v. 8. *Rex sedens in solio judicii oculis suis profligat omne malum.* Et *Salviani de Gubernat. lib. 7.* „ Pote„stas quippe magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, „quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. Ut ad altiorem Reipublicæ suæ hac in parte perfectionem serio contendant, subjicimus hos stimulos & motivas 1. Hac ratione omnes & singuli ostendent se affici oppressione egeni *Psal. 41. 1. 2.* & curare bonum publicum. 2. Nullum esse sui ordinis, qui quam longissimè non absit ab eo quod *Jesuita Becanus* videtur exprobrare nonnullis Δωροφάγοις fœneratorum Judæorum patronis. *Manual. lib. 5. c. 18. §. 5. pag. 731.* „ Ut hæc omnia impunè faciant; distri„buunt munera officialibus Principum, ut ab ipsis protegantur. Quintò, „hinc fit, ut populus, qui ægrè fert hujusmodi injutias, pronus sit ad sedi„tionem concitandam tum in ipsos Judæos, tum in eorum defensores ac „patronos. Et *Jesuita Adamus Contzen lib. 8. Politicæ cap. 17. pag. 674.* „In Imperio Romano sunt urbes liberæ, & principes. Liberę urbes non „tantum ab injuriis usurariorum affliguntur, sed ita habent affectos cives, „ut nisi Imperatorem timerent, Judæos, usurariosque Christianos, & quos „ex magnatibus eorum patronos arbitrantur, ut ejicerent, vel etiam, si „auctor esset, vita privarent. Et quanquam nec ordine, nec jure ullo id „populus faceret, occasionem tamen magistratus dedisse censeretur, non „compescendo usuras, imo executionem contra jura divina, humana,

„contra tot leges comitiorum imperialium, urgendo. Nec tuti principes, „quos norunt à Judæis protectionis causa pecuniam accipere, præsertim „vero illi, quorum quæstores familiares illis usurariis esse vident. 3. Ita impedient, ne tandem longâ temporis præscriptione permissio in concessionem, & malum in bonum aut saltem adiaphorum perverso hominum judicio degeneret. 4. Ne ipsi Christiani & cives eorum Judæis aut Italis deficientibus & extrusis, nefarias illas mensas aperiant: magno Christianismi & patriæ dedecore. 5. Miserum est tamdiu peregrinis illis harpyis expositos fuisse innoxios cives. 6. Ita ostendent se pluris facere saluberrima consilia, vota æquissima, & assiduas interpellationes pastorum & Ecclesiarum; quam iniquissimas prensationes & lucratorias rhetoricationes trapezitarum.

§. 6. Restat tribus verbis nunc ostendamus quomodo exulcerata hæc usurarum mala sanari possint. Inter impedimenta removenda imprimis sunt consilia eorum, qui radice usuræ illicitæ relicta exstantes tantum summitates & folia detondent. Et tales sunt, qui putant trapezitas & mensas sed paulo magis limitatas retinendas esse, quæ est sententia anonymi in *diatribâ anno* 1629. *Franekeræ editâ p.* 19. Aut qui administratione mensarum publicæ autoritati commissâ, lucroque ex parte imminuto, putant omnia tuta esse; nec ulterius solliciti sunt de injustitiâ usuræ ex parte debitoris.

Remedia partim prophylactica partim therapeutica sunt aut privata aut publica.

Privata sunt, ut Christiani studeant ἀνεξικακίᾳ, beneficentiæ, & liberalitati, ita assuefient mutuo gratuito & restitutioni, multasque usurarum occasiones præscindent; fugiant avaritiam & divitiarum cupiditatem 1 *Tim.* 6. de quâ legi possunt *comm. ad loc. cit.* & *ad Matth.* 6. *Basilii sermo de Avaritia*; *Salviani lib.* 4. *de eâdem*; ex recentioribus *Perkinsi tract. peculiaris*, *Taffin. lib.* 2. *de emendat. vitæ c.* 11. *Spinæus in tract. de Tranquillitate animi*, *Joh. Downamus Christian. militiæ tom.* 4.

Publica sunt ecclesiastica & politica.

Ecclesiastica sunt, assidua institutio in hac parte theologiæ moralis: quam comitari debet correptio fraterna & censura ecclesiastica.

Politica sunt, ut audaces fœneratores severè secundum leges coërceantur; ut trapezitæ dimittantur; ut publicâ authoritate *Montes pietatis* erigantur, sorte ex legatis, donationibus, collectis, contributionibus, &c. conflatâ; quod per Dei gratiam impossibile non erit, si pii exemplo suorum Magistratuum, & concionibus pastorum (quod olim in Italiâ factum) exstimulentur: accedente etiam honestâ æmulatione multorum sub Papatu, imprimis in Italiâ quorum liberalitate *Montes aliquot* illic erecti. Ubi in quibusdam summa 12. in aliis summa sex florenorum absque usurâ mutuo datur

tur iis, qui pignus deferunt. Nec desunt exempla in vicinâ Flandriâ Brugis scil. & Iperæ, ubi (teste *anonymo p. 11. & 15.*) omnibus mutuo datur absque ullo lucro ultra sortem. Utinam illa Miltiadis trophęa Themistocles nostros dormire non finant! Vident saltem non esse onus illud Ætnâ gravius, aut bonum politicè impossibile. Leges autem montium istorum velimus esse, ut si non omnes, saltem pauperes & tenuiores pro parvo suo mutuo nihil omnino exsolvant; alii mediocris fortunæ pro paulo majoribus summis flor. unum atque alterum idque ad impensas famulorum, &c. reliqui qui majores summas petunt, etiam sive legibus recepto, sive quocunque alio tolerabili aliquo lucro montes illos promoveant. Tale fere est consilium nostrorum, ut videre est in *Synopsi DD. Professor. Leidens. disputat. de Eleemosyna, D. Riveto in decalogum pagin.* 387. *D. Cloppenburgio tractat. de Usuris mandato Synodi Hollandicæ & nomine Deputatorum ejus conscripto cap.* 11. Ita tandem esset mutuum gratuitum pro pauperibus, & mediocris fortunæ hominibus: & tolleretur defectus, quo adhuc laborant *Montes misericordiæ* in Italiâ, ubi prætextu impensarum exercentur usuræ illicitæ ex parte debitoris, de quo *Cajetanus aliique Disput. priori citati.*

COROLLARIA.

I. AN *in se aut etiam secundum hypotheses Theologiæ Pontificiæ & secundum jura pacis & belli vera sit sententia Dambouderii JC. quam probat Corn. à Lapide in Deuter.* 23. 20. Cum Turca & Saracenis Christiani facere possunt usuram, ut sic bona ecclesiæ recuperent, quæ sine ulla ratione occisis tot millibus Christianorum, hactenus invaserunt. Qui ergo à Turca, à latrone, à fure infideli usuram acceperit, nec rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, & ecclesiam auxerit. *Resp. Neg. Rationes sunt.* 1. *Quia cum Saracenis omnibus bellum non gerunt, imo ne tum quidem cum scriberet hoc A Lapide, cum Imperatore Otomannico. Quo jure ergo vindicabunt illa, quæ belli jure an injuriâ olim à Saracenis patrata.* 2. *An quæ ante aliquot sæcula injusto bello occupata, nunc legitimo Imperio firmata sunt subsequenti approbatione, eorum, si qui supererssent, quorum propriè interest, ab aliis repeti possunt. Quid fieret tum pleriſque regnis, & Imperiis; quin & ipsi Romano. Vide scriptores de Jure pacis & belli: Ubi docetur, quomodo transferatur dominium.* 3. *Pari jure possent Principes à Papâ, & laici à Clericis per usuras aliosque quamvis illegitimos acquirendi modos repetere bona & dominia terrena,* &c. *Specialiter, quid fieret patrimonio Petri?*

II. *An omnes leges sacræ de usuris pertineant ad Politiam Mosis; & si pertinerent, an propterea conscientias Christianorum nullo modo obligarent, saltem materialiter, analogicè, & quod ad genus, uti loquuntur?* Resp. Neg. *utrumque* contra *anonymum p.* 14. 15.

DE PSEUDOGRAPHEMATE USURARIO.

Resp. DANIELE BEUCKELAAR, Amstelo-Bat. 18. *Dec.* 1658.

Quamvis processus fœnebris scriptis ab hujus Academiæ Facultate Theologicâ editis, & eorundem Apologiâ ab erudito Viro conscriptâ, nunc terminatus videri possit : quia tamen demonstrationem magni Viri (verè Paralogismum) specialiter & in terminis ex abundanti examinandam nonnulli judicant; putavi nihil absurdi me facturum, si ostendam, quam instar aliorum heterodoxorum nulli sint trapezitici in thesios suæ demonstratione; qui alioquin tam verbosi sunt in exceptionibus earumque repetitionibus.

Duo ergo in præsenti σὺν Θεῷ *præstabimus.*

1. *Pseudographema ad examen revocabimus.*
11. *Præjudicia eidem annexa, ab autore ejus, ab applausu quorundam, à Magistratuum factis desumta removebimus.*

§. 1. PSeudographema opponitur legitimæ demonstrationi; & committitur, cum ad propositum falsum demonstrandum perperam seu vitiosè applicantur, quæ alioquin vera sunt. Seu, cùm principium falsâ interpretatione & applicatione corrumpitur ad demonstrandum aliquid.

Præsumtam autem fœneratorum demonstrationem esse merum paralogismum à tyronibus logicis explodendum, ex repetitâ quæstione controversâ, cum positis principiis (hypothesibus scil., aut lemmatis, aut postulatis) collatâ ad oculum patebit, cuivis qui logico omni judicio olim in scholis comparato, aut per oblivionem, aut per affectum exutus non est. Hæc ergo est quæstio, An juri divino & naturali conforme, & consequenter in foro conscientiæ licitum sit, usuram 32½. aut 24. aut 21. aut 19. aut 16. flor. pro nummis super quovis pignore, etiam maximè necessario, mutuò datis, tum à pauperibus eleemosynariis, tum à tenuioris sortis hominibus seu attenuatis exigere? Affirmant convenienter praxi suæ, publici fœneratores, eorum assecłæ, socii, patroni, fautores. Nos cum universo Christianismo antiquo & hodierno, specialiter cum Theologis & Synodis reformatis, (quorum omnium catholicus consensus à theologis Ultrajectinis ostensus fuit in *Rejudicatâ*) negamus; adducti rationibus in libro citato deductis, & ab exceptione vindicatis. Affirmans fœneratorum sententia hâc præsumtæ demonstrationis ἐπιχειρήσεως nititur.

Usuræ

Usuræ in genere jure divino & naturali licitæ sunt.

Modus usurarum à Magistratu constitui debet.

Magistratus (e. gr. in Belgio) modum seu quantitatem 32 ½ aut 24. aut 21. aut 19. aut 16. constituit & definivit, etiam à pauperibus & tenuioribus exigendam.

Ergo secundum modum illum exigere & recipere usuras, & quidem à pauperibus & tenuioribus, sub assecuratione cujusvis, etiam maximè necessarii pignoris, in foro conscientiæ secundum jus divinum & naturale est licitum.

Ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Et sic conclusum est pro publicis fœneratoribus seu trapezitis, contra Synodos, Ministros, Theologos Reformatos in Belgio. Contra quos etiam hæc consectaria & epimetra à pseudographematis hujus Scriptore deducuntur.

1. Theologos in Belgio frustra de usurarum trapeziticarum immodestiâ querelam apud Magistratus instituisse. *Salmasius de Fœnore trapezit. p.* 749.

2. Iniquè eos trapezitis communionem negare, & pro concione in eorum usuras declamare. *In præf. pag.* 27. *& in ipsâ dissert.* Nominatim perstringuntur Theologi Leidenses (*Polyander* scil. *Rivetus*, *Thysius*, *Walæus*) quod trapezitam à Synodo ad ipsos missum judicarent ad Cœnam non admittendum: cum tamen nihil haberent, quod rationibus ejus opponerent. *pag.* 749.

3. Synodos, & Ministros Belgicos non recipientes fœneratores trapeziticos ad Cœnam, esse προσωπολήπτας. Sic in *Præfat. pag.* 24. & passim in ipso libro.

4. Eos ignorare res seu facta patriæ suæ (ad trapeziticas usuras spectantia); de quibus tamen judicium sibi sumserunt, & quæ condemnârunt. Sic *ibid.*

5. Canum ignavorum & pastorum eandem esse naturam dissert. *p.* 403.

6. Bonos theologos, malos esse politicos. *p.* 37.

7. Theologos esse blennos, bardos, grammaticæ ignaros, *p.* 50.

8. Necessaria vetari à theologis, pernitiosa permitti, *p.* 759.

9. Palam esse, Ecclesiam reformatam melius hâc in re posse componi cum Pontificiâ, quam cum primitivâ ac puriore. *In Præf. p.* 28. 29.

10. Theologos nostros esse Canonistis incautiores: non rarò supra principes se efferre: legitimæ superioris potestatis læsæ reos, ut & civilis jurisdictionis usurpatores. Sic passim in *Dissertat.* Quæ categoremata etiam in indice enotata sunt, ut instar purpurei panni latè splenderent.

Atque hæc præsumtæ demonstrationis cum consectariis sciographia: cujus examen nunc subjicimus.

Quod

§. 2. Quod ad 1. propositionem. Eam huic methodo demonstrativæ tanquam immobilem stylobaten supponit; atque hinc contendit sibi cum Theologis trapeziticas usuras improbantibus convenire in principali quæstione, seque illud affirmare, quod illi affirmant, negare quod negant. Principalem autem quæstionem esse, An usuræ in genere jure divino & naturali sint licitæ. Sic in *præfat. ad dißert. de Fœnore trapezitico. pag.* 5. 11. 21. Affirmantem ex utriusque partis consensu, tanquam principium demonstrationis suæ ibidem præsupponit, & sic ex ἰδίοις datis & concessis Theologos dissentire volentes validè & evidenter se convicisse putat. *Ref.* 1. In genere & indefinitè Theologis dicuntur licitæ usuræ, quod, quamvis vulgò sonent in malum, non sint tamen ex illo genere, quæ intrinsecè mala dicuntur, quæque nullo in casu honestari possint, sicuti odium Dei, blasphemia, mendacium, perjurium, adulterium, &c. sed contra sint & dicantur indifferentia, qualia juramentum, vitæ & bonorum proximi ablatio, emtio & venditio, pignus, bellum, conjunctio carnalis maris & fœminæ, ludi & recreationes, regimen Monarchicum, litium adversus proximum in foro contentioso prosecutio, &c. Quæ pro ratione objectorum, aliorumque adjunctorum & circumstantiarum honesta aut turpia, licita aut illicita sunt.

2. Sed hinc *robustum argumentum* (uti illud vocat in *præfat. pag.* 27.) adferri, & conclusio quæstionis controversæ thesi præced. à nobis propositæ inferri non potest magis; quam juramentum temerarium, tyrannis Neronis, venditio uxoris, pyratica, bellum injustum, extorsio aut detentio unici tegumenti in pignus, conjunctio maris & fæminæ concubinaria aut polygamica, ludi & spectacula Romæ olim celebrari solita; ex modo indicatis neutris, in genere consideratis tanquam licita concludi possunt. Argumentum ipsius esse σύκινον, & stramineam consequentiam lector ex ipsius verbis, tum alibi, tum in formâ exotericâ enthymematis *pag.* 20. *præf.* propositis „ cognoscat: Nemo itaque possit trapeziticam usuram cum trapezitis da„ mnandam arguere, neque ex autoritate Sacræ Scripturæ, neque ex naturæ „ principiis, cum utroque jure esse licitas usuras inter me & doctissimum „ Theologum conveniat. Si licitæ enim jure naturali ac divino; cur trape„ ziticæ erunt illicitæ, cum pertineant ad modi quęstionem; de quo etiam „ non discordamus, quin jure civili qualis qualis aut quantus quantus sta„ tutus fuerit, pro justo ac legitimo haberi debeat? Notet quæso lector, τὸ *quantus quantus*, & τὸ *jure civili.* Amphora scil. cœpit institui, currente rotâ cur urceus exit? Quæstio est de licitis jure divino & in foro conscientiæ; concluditur de foro & jure civili. Sed redeamus ad præsumtam hypothesin de foro & jure civili. Si enunciationem hanc indefinitam (*Usura in genere jure divino aut naturali non prohibetur*, aut *Usura est licita*) æquipollere

lere velint particulari; jam tota hæc demonstrationis μηχανὴ est plusquam puerilis paralogismus à particulari, seu ex puris particularibus, hunc in modum:

Aliqua usura jure divino & naturali est licita, seu non omnis est illicita, juxta Theologos.

Controversa usura, seu trapezitica est *aliqua usura*: juxta eosdem.

Ergo usura trapezitica est licita: ὅπερ ἔδει δεῖξαι contra Theologos.

Eodem modo pro juramento temerario, concubinatu, polygamia, venditione uxoris, &c. concludi posset: e. gr.

Aliqua conjunctio carnalis maris & fœminæ, jure divino & naturali in foro conscientiæ est licita: juxta Theologos.

Concubinaria aut polygamica conjunctio, est aliqua carnalis conjunctio maris & fœminæ: juxta eosdem.

Ergo concubinaria & polygamica conjunctio, &c. jure divino & naturali in foro conscientiæ est licita.

Sin enuntiationem illam (*Usura in genere jure divino & naturali est licita*) æquipollere velint huic universali: *Omnis usura jure divino & naturali est licita, à quocunque, quantacunque, super quocunque pignore* illa exigatur: non puto ipsos trapeziticos patronos hanc thesin universim & absolutè defensuros. Qualiscunque sit ipsorum opinio aut intentio; certum est, committi petitionem principii, seu ejus quod est in quæstione, & præsupponi ac sumi, quod nulli theologi, præsertim Belgici trapeziticam usuram improbantes, usque ad illud tempus unquam concesserunt: uti ex collationibus cum iis (quorum in præfat. & passim in libro meminit), & ex scriptis eorum (*Riveti* scil. & *Cloppenburgii*) satis noverat, aut noviſſe debebat. Videt lector quam candidè Theologis, nominatim D. Cloppenburgio, contra jactatum (ferìò an per ludum & jocum alii viderint) consensum exsertè protestanti, eundem consensum objecerit, eumque præ se tulerit; & Belgium nostrum saccariâ suâ ludificârit: quasi res illi fuisset cum ἀνοήτοις aut fungis.

Ex *Cloppenburgii epist. dedicatoriâ tract. latino de fœnore & usuris a.* 1640. præmissâ, & epistolâ ad Salmasium eidem tract. subjunctâ disces, quomodo Salmasius lecto Cloppenburgii libro sententiam ejusdem de trapeziticâ probârit, & promiserit, se antiquariâ aliquâ diatribâ eam confirmaturum. Sed ille à trapezitarum filiis & hæredibus (inter quos vir literatus, quibus subolverat cum Cloppenburgii tractatu tale quid edendum) infeliciter interceptus ac falsis persuasionibus circumventus temerè in oppositam sententiam transiliit; eamque mordicus, ut viri ingenium erat, tenuit, ac defendit: quidquid rerum, historiarum, antiquitatum & novitatum Belgicarum gnari ipsum, rasam in hâc parte tabulam, melius informare satagerent. Jacta erat alea, stabat πρῶτον ψεῦδος ipsi impressum à trapezitis, mensas in Belgio

esse constitutas à Magistratu, & mensariis hoc munus à Magistratu demandatum. Unde ille colligebat, non trapezitis Magistratus ministris & mandatariis, sed Magistratui negotiationis hujus formam & modum esse tribuendum; & cum penes Magistratum potestas sit, modum usurarum definiendi, eandemque rectè definivisse credendum: nullum esse peccatum trapezitarum ex præscripto Magistratus negotiationem illam exercentium. Conferri possunt epistolę Riveti & Polyandri, & judicia aliorum theologorum Leidensium, à nobis exhibita in tract. posthumo Antonii Thysii *De usurâ & fœnore*, &c. *anno* 1658. in 4. Et *Marci Zuerii Boxhornii dissertatio de trapezitis, vulgò Longobardis;* & nobiliss. ac consultiss. *Graswinckelii* notæ ad epist. de trapezitis, & *Theologor. Ultrajectinorum Rei judicatæ partes duæ:* unde de origine & statu mensarum in Belgio cognosci poterit. Unum hic addo, in statutis civitatis Leidensis, exsertè dici, *trapezitas per conniventiam tolerari:* Quod cum ex theologis Leidensibus D. Polyander à Kerchoven Salmasio (uti ipse in epist. à me editâ retulit) exhibuisset, nihil aliud responderat; quam, hoc forte additum esse in gratiam pastorum quorundam. Quod commentum nos in *præf.* 2. *part.* Rei judicatæ explosimus.

3. Quod *præfat. pag.* 27. objicit Theologis ad majorem eorum confusionem scilicet, usuras non tantum pronuntiari jure divino ac naturali licitas, sed etiam *justas per se & ex se esse:* id aut obscurè & ambiguè, aut contra eorum mentem dicitur. Si τὸ *ex se* & *per se* universim accipitur, de quantâcunque usurâ, à quocunque paupere aut attenuato, quocunque loco, tempore exigendâ: utique nulli Theologi hoc concesserant; nedum ut Synodi Belgicæ, *Rivetus*, *Cloppenburgius*, *Theologi Leidenses* (qui publicis scriptis Lombardicam fœnus improbârant) hoc concessissent. Sin verò particulariter accipitur, jam nihil inde concludi potest. Quia ratiocinatio talis dicto de omni & de nullo destituta, esset paralogismus ex puris particularibus.

4. Non videmus quomodo lusus, quo Theologo contra per totam pręfationem protestanti satis indecorè jactatâ ὁμόνοιᾳ insultat, à contradictione, crassâ inscitiâ, paralogismo liberari possit. *Contradictio* in eo est, quod quæstionem principalem faciat, An usura jure divino & naturali sit licita: intellige quæstionem inter Theologos & trapezitas controversam. Et tamen in eâ convenire dicat utrique parti. *Pag.* 26. *præfat.* asserat *se & Theologum* (D. Cloppenburgium) *in causà principali nunc spiritus concordes gerere.* Si in quæstionis affirmatione convenit utrisque, & affirmatio hæc sit principium seu hypothesis communis; quomodo inter eos est quæstio controversa, & quidem principalis? & sic vice versâ, si est principalis quęstio inter Theologos & trapeziticos, quomodo est communis hypothesis, quæ utrimque in confesso, & ex quâ Theologi αὐτοκατάκριτοι tam validè

con-

confundantur? *Inscitia* est, quod argumentum quæstionis, seu medium terminum, seu principium demonstrationnis (*Usura jure divino est licita*), quod ipse adhibet ad concludendum pro trapezitis contra Theologos, facit quæstionem, & quidem principalem, & quod consequenter antecedens sui enthymematis facit consequens. Tyrones logici in trivialibus Scholis nôrunt, Medium terminum non ingredi quæstionem aut conclusionem. En tibi enthymema *pag. 27. in præfat. Usura in genere est licita: Ergo usura trapezitica est licita.* Ubi ipse quamvis sibi contradicens, satis innuit, quæstionem principalem esse, An usura trapezitica sit licita. *Paralogismus* in eo est, Quod ex concessa usurâ in genere, indefinitè, abstractè, & per modum indifferentię consideratâ, infert, Ergo & usuram trapeziticam esse licitam. Si enim ex indefinitâ enuntiatione facit universalem, *Omnis usura est licita*: jam perperam dixit esse eam utrimque in confesso, eamque tanquam principium suę demonstrationis assumsit. Principium enim debet esse prius; notius, &c. uti Logicorum παιδες cum elementis suis hoc imbibunt. Atqui hoc præsuppositum non est tale. Sin facit particularem, jam vitiosum est argumentum in materiâ & formâ.

5. *Sed* replicabit fortè; se nolle sic intelligi, quasi omnis usura universaliter sit licita, sed tantum, quod omnis usura à Magistratu politico permissa, aut concessa, aut approbata, jure divino & naturali in foro conscientiæ sit licita. Quod si hypothesin priorem, quam tamen in terminis ita proposuit, corrigi & hanc posteriorem ei substitui velit; reponimus nihil eâ effici contra nos, nec nostram propriam confessionem posse jactari: nec hinc ad pervicaciam & affectum referri posse perseverantiam Theologorum in veritate secundum pietatem persistentium: quandoquidem nos eam æque ac primam negamus, & negat nobiscum universus Christianismus. De quo ad propositionem secundam.

11. *Quod ad propositionem sive hypothesin secundam*, Ea tum ex præfat. tum ipsâ differtat. talis esse percipitur: Magistratus debet modum usurarum, de quo solo est controversia, definire. Et in hoc utrique parti convenit. Hinc ergo putat sine pulvere & sudore, intercedente solummodo facti (Magistratuum in Belgio) verâ narratione (de quâ ad 3. propositionem) conclusum esse pro trapezitis. *Refut.* Nihil sani in hâc hypothesi: quomodocunque ergo adhibeatur, aut applicetur, conclusionis præsumta eductio Morboniam releganda; quia §. 3.

1. De Modo solo inter Theologos & trapeziticos controverti, ambiguè dicitur. Si per modum intelligas quantitatem seu mensuram lucri ultra sortem exigendi, (uti scriptor hic passim intelligere videtur), negatur de eo solo, controversiam: cum etiam, immo principalior controversia sit, de

usurâ à pauperibus, & à tenuioribus lucrum pecuniâ mutuò sumtâ nec facturis nec facere intendentibus; & de quovis pignore etiam maximè necessario. Neque hoc ignorare poterat: siquidem Riveti commentar. in Decalogum & D. Cloppenburgii institutionem de usurâ, & meam disputationem anno 1637. supra insertam legerat. Cloppenburgii institutionem ab ipso lectam disce ex Cloppenburgii præfat. dedicatoria Institutioni præmissâ: Riveti disceptationem in comment. decalog. meam itidem disputationem anno 1637. editam ipse fatebatur sibi lectam: referente *Riveto in epistolâ 4. Id. April. 1638. quam tract. Ant. Thysii de Usuris & fœnore pag. 65.* inserendam curavimus. Sin per modum intelligas ipsam formam, speciem & circumscriptionem honestę & legitimæ usuræ: utique concedimus modum hunc esse adæquatam controversiæ inter Theologos & trapeziticos materiam. Modus autem talis ex objecto *cui* seu *circa quod* usura exercetur. & ex intercedente oppignoratione, & ex quantitate usuræ & ex fine ac circumstantiis desumendus est: uti in omnibus aliis actionibus humanis, juxta regulam vulgatam: *Bonum non nisi ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.*

2. *Modus* latè sumtus in casu conscientiæ non definitur à Magistratu: Sed à lege Dei, in scriptis juris divini tabulis primariò, plenè, evidenter: à lege naturæ in cordibus hominum per lumen naturale scriptâ, secundariò, minus plenè, minus evidenter; consequenter â cujusque hominis conscientiâ verbo Dei informatâ; aut saltem ex κοιναῖς ἐννοίαις seu principiis practicis: unde caritas & æquitas erga proximum in contactu usurario ritè per solidam consequentiam elici debet. Et huc applicant egregium illud dictum Aristotelis in definitione virtutis: *sicut*, inquit, *vir prudens definiret.* Medium enim in temperantiâ, fortitudine, modestiâ, liberalitate, justitiâ, in omnibus contractibus, (etiam usurariis) quod servandum sit, vir prudens ex jure divino & naturali definit ac dijudicat, 1 *Cor. 2. v. 15.* & 10. *v. 16.* 1 *Thessal. 5. v. 21.*

3. Publicum est κριτικὸν judicium de exercitio & modo usurarum, & ex judicio illo, determinatio & definitio earundem in symbiosi & societate politicâ servandarum; est penes Magistratum: qui potestate publicâ & architectonicâ circa omnes actiones, omnia negotia, omnes causas, in symbiosi & societate hominum occurrentes versatur, easque in bonum publicum ordinat. Sed non uno modo: haut aliter ac Deus providentiâ suâ gubernat & ordinat omnia bona & mala in hoc mundo. Ordinat enim Magistratus usurarum specialem modum & rationem (e. gr. trapeziticam $3\,2\frac{1}{2}$. aut 19. super quovis pignore à quovis fratre attenuato aut paupere exigendum), nudè permittendo seu tolerando, quidquid in eo caritati & æqui-

æquitati repugnat, illudque tanquam ex permissione politicâ legitimum & à pœnâ exemptum in foro soli declarando: aut insuper imperando, præscribendo, approbando illud ψήφισμα, tanquam jure divino in foro conscientiæ pium, honestum, caritati & æquitati Christianæ apprimè conveniens. *Istud* si Magistratus faciat, contra potestatem ejusque usum excipimus: non minus ac Apostoli *Actor.* 4. & 5. Et Iocii Danielis *Dan.* 3. *Illud* si faciat, contra potestatem non excipimus, non magis quam Servator contra potestatem Pilati, *Joh.* 18. *v.* 11. quamvis usum & abusum illius potestatis & peccatum in casu conscientiæ, haut obscurè, & quidem sine crimine sacrilegii ibidem *v.* 11. argueret.

4. Publica, subordinata, & ministerialis in his terris potestas, ut & ἡγεμονικὸν, antecessorium, primum, publicum, directivum secundum eam potestatem, judicium, definitio, decisio, de eo quid verum, quid credendum, quid in casu conscientiæ jure divino licitum aut illicitum; Magistratui non competit. Quod hic præsupponimus tanquam solidè probatum contra Remonstrantium pernitiosam non minus ac falsam opinionem ab Orthodoxis *Gomaro*, *Mehnio*, *Ruardo Acronio*, *Walæo* vernaculè, & à *Lubberto*, *Bogermanno*, *Sopingio contra Grotium* latinè, & à nobis in *disp. penes quos sit potestas Ecclesiastica*, *a.* 1639.; quę postea a. 1663. *nostræ Politicæ Ecclesiasticæ part.* 1. *lib.* 1. inserta est. Post annum 1639. aliâ quâ occasione à *Triglandio*, *Apollonio*, *Revio*, *Cabeljavio*, eadem opinio peculiaribus scriptis profligata fuit. Cum quibus ad consensum conferri poterunt dogmatici & elenctici Scriptores, de potestate Ecclesiasticâ, & de Clavibus regni Cœlorum, de Conciliis, de Judice controversiarum, de potestate Papę.

5. Dato non concesso Magistratui de credendis & faciendis, licitis & illicitis jure divino & in foro conscientiæ, competere sacram seu ecclesiasticam potestatem, & quidem supremam in his terris, peremptoriè definiendi: Usus tamen ejus potestatis non esset infallibilis, & consequenter conscientiam hominum directè & certo non regularet; nec prohiberet quin in casu conscientiæ inquirere quis posset, an illud indultum, ordinatum, approbatum, prescriptum à Magistratu, & actiones secundum illud exercendæ in aliquo repugnarent juri divino & naturali. Quod si repugnarent (uti ordinata, statuta, probata, concessa quamplurima à Magistratibus tum Ethnicis, tum Christianis repugnare possunt & solent); jam quisque teneretur conscientię suę consulere, & πειθαρχεῖν, juxta illud *Actor.* 4. *vers.* 19. & 5. *v.* 29. *Danielis* 3. *v.* 18. Si quis crimen sacrilegii, rebellionis, seditionis tali in casu objiceret, eum pro errore, pro ventre, pro Mammonâ contendentem ad Papatus horrida dictata declinare dicerem. Qualia sunt e. gr. de absolutâ & cœcâ obedientiâ, de plenitudine potestatis & infallibilitate Papæ, cui etiam hamaxas animarum ad infernum secum vehenti nemo

poteſt dicere, *Domine quare facis ſic?* qui ex peccato quodammodo facit non peccatum, qui contra jus de jure diſpenſat, qui ſive diligentiam adhibeat, ſive non adhibeat, ſemper verè definit, quandocunque definit. Confer ſupra *diſpp. de foro poli & ſoli*, & *de cœcâ obedientiâ*, &c.

6. Videt lector ſecundam propoſitionem à Theologis minimè concedi; quippe partim apertè falſam, partim ambiguam, partim ἀπροσδιόνυσον: ita ut diſſertator ἀλόγως ex illâ tanquam hypotheſi utrinque conceſsâ fruſtra Theologos convincere ſatagat.

7. Fortè quis hypotheſin hanc à nobis nunc excuſſam, ut concluſioni & cauſæ trapeziticæ inſerviat, in iſtam transformet: Quodcunque Magiſtratus circa objecta, pignora, quantitatem, adjuncta, & circumſtantias uſurarum in foro ſoli ad bonum publicum politicè definit: illius factum ſeu exercitium, jure divino Chriſtianis in foro conſcientiæ eſt licitum. Sed hanc nos æque rejicimus, ac priorem. Quidquid enim de politicâ ordinatione uſurarum hic dicitur, idem de ordinatione politicâ omnium contractuum, multarumque aliarum actionum in ſymbioſi hominum, pariter affirmari poſſet, & ſic jura divina & naturalia, ſyntereſios & conſcientiæ jus atque imperium, bonitas moralis, ſeu diſcrimen honeſti & turpis in arbitrio ſolius Magiſtratus fundaretur; quo poſito poneretur, ablato auferretur. Exemplis aliquot abſurdum hoc mox detegemus.

§.4. 111. Magiſtratus ſpeciatim in Belgio uſuras trapeziticas ordinat: ita ut ipſi menſarum ſint locatores, & autores principales; trapezitæ verò miniſtri eorum, & tanquam publicani ab ipſis conſtituti. Hæc pluribus in Diſſertatione illâ, à ſe probata putat.

Refut. 1. Ex facto Magiſtratuum jus civile & ſecundum illud licentia ſeu indultum ſœnerandi, & conſequenter immunitas à pœnis fœneratorum ritè inferri poteſt: jus naturale & divinum & libertas Chriſtiana in foro poli ſic fœnerandi, inferri non poteſt. Sola enim lex divina conſcientiæ regula adæquata eſt: de communi Theologorum noſtrorum ex Scripturis conſenſu.

2. Probari non poteſt Magiſtratus in Belgio jam inde à reformationis exordio uſque ad annum 1638. quo celeberrimus hic hyperaſpiſtes trapeziticus calamum in ſordes illas intingere cœpit, cauſam illam per omnia ſuam feciſſe & tanquam licitam in foro conſcientię approbaſſe; uſqne ad pignoris cujuſvis, etiam maximè neceſſarii detentionem uſque ad uſuras 32⅓. flor. à pauperibus & attenuatis (qui maximè menſarios illos damno ſuo ditant) exigendas. Theologi Ultrajectini invictis argumentis probârunt contrarium in 2. *parte Rei Judicatæ*. Quæ in actis, epiſtolis, programmatis, urbici aut municipalis alicujus Magiſtratus alicubi ambiguè aut indulgentius dicta oſten-

ostentantur, ea sensum & consensum Magistratuum Belgicorum (quem Theologos docuisse se jactat in *Præfat.*) non magis faciunt, quam μία χελιδὼν, ἔαρ ποιεῖ, aut unus atque alter Theologus Doctorum aut Synodorum reformatarum consensum. Præterquam, quod illæ incommodę aut ambiguæ voculæ, ex aliis & dictis & factis Magistratuum interpretandæ sunt: Et quidquid alicubi moliti sint, hactenus suum interpretamentum extundere non potuerunt. Sed de hoc, antehac actum in *Rei judicatæ part.* 2. in præmissâ eidem præfatione.

3. Dato (quod Deus avertat) Magistratum quem urbicum aut provincialem, aut Regem in suo regno, aut Principem in suo territorio aliquando per κρύκων an κρώκων quorundam obreptionem, aut alias ob causas eo prolabi, ut juris divini fœnebrem detorsionem, & casus conscientiæ sinistram determinationem hâc aliâve in parte Ecclesiis obtruderet: an ideo conscientię fidelium, præsertim Theologorum, ad assensum illius determinationis tenerentur? an chamæleontis instar quemvis colorem induerent? an Theologiam suam facerent & usurariam & horariam? Quin contra in constanti divinæ veritatis professione ipsis persistendum esset, & ad Regem aut Magistratum melius informatum aut informandum, à male informato provocandum. Quod sine crimine sacrilegii, lęsæ Majestatis, perduellionis, rebellionis, seditionis, æque fieri posset, ac in Germaniâ; Galliâ, Belgio, &c. contra Principum ac Magistratuum Pontificiorum statuta olim à Reformatis factum est.

Fortè quis ingerat, longè aliam esse rationem, si in Republicâ reformatâ à Magistratu in quæstionibus ad fidem & conscientiam spectantibus quid statuatur, quam si in Republicâ Papatui subjectâ. Reponimus, non minus illic quam hic errari posse; nec magis illic quam hic ultimam fidei aut conscientię analysin in Regem, aut Principem, aut Magistratum debere fieri; & sub titulo ac in medio reformationis ab antiquis primævæ reformationis semitis contra reformationem aliquos deviare posse. Tempora mutantur, & nos mutamur in illis. Exempla dederunt Reformati Reges, Principes, proceres, Magistratus: de quibus Historię loquuntur. Ne procul abeamus notum est quid per obreptionem Remonstrantium in plerisque civitatibus Hollandiæ, Transisulaniæ, tetrarchiæ Neomagensis Geldricę, in totâ hâc Provinciâ Ultrajectinâ acciderit. Posteritas reformata non satis mirari poterit decreta agri Schielandici, & urbis Ultrajectinæ contra Reformatos; qui fidem suam ἀφοπαιρὲν esse nolebant, aut eam cum Remonstrantismo commutare. Quid dicam de statutis Ecclesiasticis hujus Provinciæ anno 1612. nomine Ill. Ordd. editis; deque decreto Ill. Ordd. Hollandiæ pro pace Ecclesiarum anno 1614. condito, quod decreto subsequente anno

anno 1617. (vulgo tunc dicto, de scherpe Resolutie) de executione, firmabant. Quid de decreto Ill. Ordd. Transilalaniæ: cujus occasione Classis Vollenhoensis & Steenwicensis necessarias considerationes tunc evulgabat. Decretum Ill. Ordd. Hollandiæ a. 1614. exceptum fuit eodem anno ab Anonymo (scil. Triglandio) libello cui tit. *Responsum ad tres quæst.* &c. & a. 1615. ab eodem aliisque Theologis Amstelodamensibus scripto prolixiori Lat. & Belg. Scripturæ, Patrum, Reformatorum testimoniis munito, tit. *Christiana & necessaria declaratio*, &c. Quod anno 1616. secuta fuit *Defensio honoris & doctrinæ reformatar. Ecclesiar. Belg.* autore eodem Cl. Triglandio, contra primipili Remonstrantici defensionem decreti Ill. Ordd. Hollandiæ. Sed quo feror? Utinam scripta modo indicata cum præfationibns suis, & cum scriptis *Lubberti*, *Bogermanni*, *Sopingii* contra *Grotium*, una cum Historiis factionis Remonstranticæ per *Fridericum de Vry*, *Baudartium*, *Triglandium*, ab illis subinde relegerentur, ante quorum ætatem hæc gesta sunt! Quod si fieret, non tam facile per quævis consilia, dicta, decreta, facta Magistratuum in Republicâ reformatâ, ex errore veritas, ex peccato non peccatum ab imprudentioribus edolaretur, nec Capys & quorum melior sententia menti, rebellionis ac perturbatæ pacis publicæ insimularentur.

§. 5. IV. Propositio continet conclusionem præsumtæ demonstrationis supra thesi 1. à nobis indicatam. Quam si autor exotericâ & crypticâ methodo usus, exsertè non protulisset, ea tamen in præmissis hypothesibus earumque applicatione ad factum continetur, aut contineri deberet. Protulit tamen eam, sed variè. *Modo* enim tantum licitam infert usuræ trapeziticæ quantitatem, ut tunc in Belgio obtinebat: imprimis etiam, ut antehâc apud Parentes, Avos, majores Trapeziticos volente aut definiente Magistratu obtinuerat: hoc est, 3 2½. flor. *Modo* universum illud sacrarium, prout jacet, cum necessariis pignoribus & pauperum ac tenuiorum, secundum Magistratus definitionem (uti vult) exactione. *Modo* convenientiam hujus negotiationis cum jure divino ac naturali, & cum bonâ conscientiâ deprædicat. *Modo* honesti & utilis nomine eam commendat. *Modo* hypotheticè asserit, si quod peccatum sit, esse illud Magistratus, non fœneratorum. *Modo* jus divinum, jus naturæ, forum conscientiæ seu poli seponit: & in contractu usurario sive privatorum, sive publicanorum (uti clientes suos honorificè appellat), nullum naturâ turpe agnoscit; sed tantum *civiliter & quasi more civitatis*; nec legem Dei, sed tantum νόμον ἐ χάρεων hic considerari. Unde sequeretur Patres & reformatos Theologos, ac Synodos cum Catechesi nostrâ perperam usuras fœneratorum retulisse ad octavum præceptum: cum nullum sit tale peccatum; sed quidquid hic peccatur, reducendum

dum esse ad quintum præceptum, tanquam inobedientiam erga Magistratum; quod sine ejus permissione, aut indulto, aut consensu, aut mandato, usuras 32½. à pauperibus super necessariis pignoribus exigeret. Ita ut lex esset merè pœnalis; & virtutis amore hic nihil faciendum aut omittendum, sed tantum formidine mulctæ. *Modo* ait, mutuum cum alio contrahenti licere jure naturali tantas usuras paciſci, quantas velit. Idem contendit legitimas esse usuras quantascunque, modo Magistratus definiverit, & νόμῳ τῆς χώρας hoc tulerit. Etiamne si ex 100. flor. mutuò datis, annulum lucrum 200. aut 300. flor. exigeret? Quasi quis diceret, æquitati naturali & caritati non repugnasset, si ὁ Δεῖνα Theologus à magno viro alicubi ignoto & inter ignotos per inclementiam hyemalis tempestatis ad tempus detento, ex 80. floren. mutuo datis, (quibus illic omnino indigebat) 200. aut 300. flor. ultra sortis restitutionem pactus esset: quomodo memini Lutherum alicubi in Convivalibus referre, fuisse suo tempore in Germaniâ, mercatores qui usuram 250. flor. extorquerent. Certè ego illum Theologum quamvis mihi amicissimum, hâc in parte, si non cum Luthero *Atheismi*, saltem iniquitatis & sordidæ avaritiæ non potuissem non arguere.

2. Si dicatur conclusiones quamvis variè propositas eodem recidere: per me licet, modo nihil plus aut minus in conclusionem inferatur, quam quæstione inter Theologos & trapeziticos controversâ continetur. Alioquin multa dicendo nihil dicunt, & fucatis λόγοις λήροις (intermixtis sannis, sarcasmis, convitiis, ludibriis) animum veritatis ac scientiæ avidum aut abducunt, aut obtundunt, aut confundunt.

Satis superque nuditatem hujus pseudographematis Lectori aliquâ ex parte rationatio deteximus. Sed quia inter eos, queis cum Vespasiano lucri bonus odor ex re quâlibet, plerique sunt illiterati, alii tenuiter Logicam in Scholis degustârunt, alii eam planè obliti sunt, pauci mentem solidâ Philosophiâ & Theologiâ de conscientiâ ejusque jure, de legibus divinis & humanis, imbutam habent: age ostendamus Studiosis nostris, quâ evidentiâ & facilitate imperitioribus ad oculum monstrari possit præsumptæ demonstrationis infirmitas; cujus robore ita victus erat magnus Philologus, ut per Theologos Leidenses dimoveri non potuerit, ab opinione, Ecclesiis reformatis, immo & universo Christianismo antiquo & hodierno διαμέτρως oppositâ. Quia jam trapezitis quidvis suggerentibus fidem adhibuerat, & publicè pro iis contra theologos clarigaverat; nec admittendum videbatur ut tantus in literis dictator in theologiâ, philosophiâ, jure divino, naturali, civili, historia Belgicâ diceretur errasse. Sumatur ergo quæstio inter Theologos & inter Judæorum ac Romanorum νομικοὺς, nec non Joh. Mil- §. 6.

tonum Salmaſi in aliis cauſis adverſarium, controverſa, An repudium uxoris ob quamcunque cauſam (ἐπὶ λόγῳ πορνείας) jure divino & naturali in foro conſcientiæ ſit licitum. Et tali Salmaſianæ demonſtrationis parodiâ de Theologis hoc negantibus, triumphus decernatur.

1. Repudia in genere jure divino ac naturali ſunt licita: juxta Theologos.
2. Magiſtratus eſt modum & ordinem repudiorum & omnium cauſarum matrimonialium ordinare ac definire: juxta eoſdem Theologos.
3. Magiſtratus in Iſraële, & in Imperio Romano modum & ordinem talem aut talem definivit: uti ex jure Hebræorum & Romano probatur. Ἴδε νόμῳ, ἴδε χώρᾳ, ἴδε τὸ νόμιμον.
4. Ergo jure divino & naturali in foro conſcientiæ illic erant licita repudia, & ubicunque locorum Magiſtratus eadem aut permittendo, aut ordinando definiverit.

Similes parodię demonſtrationum contra Theologos texi poſſent pro polygamia ſimultanea.

1. Conjunctiones carnales maris & fœminæ jure divino & naturali in genere & per ſe ſunt licitę: juxta Theologos.
2. Magiſtratus eſt ordinem & modum earum ſtatuere ac definire; juxta eoſdem.
3. Magiſtratus in Iſraële, in Imperio Romano, in hodiernis regnis & populis quamplurimis, talem carnalium conjunctionum modum & ordinem ponit; ut etiam polygamicæ ſint permiſſæ, aut ordinatæ, & conſequenter legitimæ. De quo vide, quæ alibi referimus de rege & regno *Conchino*, ex hiſtoriâ iſtius regni Ital. editâ in 4.
4. Ergo jure divino & naturali in foro conſcientiæ Iſraëlitis, Romanis, ſubditis regnorum Muhammedicorum & Ethnicorum, polygamicæ conjunctiones ſunt licitæ.

Similibus teretiſmatis ſtrepere quis poſſet pro concubinatu in Imperio Romano conceſſo; pro venditione uxorum in Africâ; pro pyraticâ Tunetenſi, & Aligerianâ à Magiſtratu loci & Imperio Turcico conceſsâ; pro ſpoliis ex naufragio ſecundum leges & conſuetudines alicubi adhuc vigentes; pro conjugio inceſtuoſo, & conjugio liberorum ſine conſenſu parentum à Magiſtratibus Pontificiis probato; pro poculis ſalutis pari jure exhauriendis, toties, quoties νόμῳ τῇ χώρᾳ, mandatum & exemplum Regum, Principum, Magiſtratuum urget. Bibere enim in genere jure divino & naturali eſt licitum, immo & neceſſarium. Modum definiunt reges; Reges ſcil. convivii, aut reges & principes populorum in conviviis regalibus. Ergo.

Ergo. Idem dico de occidendo innocente; de incendio urbium & villarum, deque prædatione per injusta bella; idem de ludis circi & horrendis spectaculis (de quibus *Lipsius in Saturnalibus*) quorum modum & ordinem Senatus aut Imperatores constituebant. Sunt autem ludi & spectacula in genere licita: sed non ista.

Omnibus ergò illis τὸ in genere sumtum non esse illicitum, & Magistratuum definitio atque ordinatio circa in genere sumta, consequenter τὸ legitimum, & νόμῳ καὶ χάρᾳ, seu voluntas prætoris, atque adeò τὸ justum pariter prætendi posset; atque ex hoc capite conscientia coram Deo serenari, inque eo jus divinum fundari. Si quis ostenderit hæc esse mera pseudographemata (uti revera sunt): patebit eodem colore denigrari putatitiam demonstrationem pro usuris trapeziticis.

Accedamus nunc ad præjudicia, quibus explosum modo pseudographe- §. 7.
ma tanquam valido præsidio nonnullis custodiri videtur.

Primum sumitur ab inventore seu potius politore ejus: siquidem à trapezitis illa excogitata, & ante illud tempus sæpe mensis suis obtenta fuerant, quæ Salmasius ab illis suggesta *in dissert. de fœnore trapezitico* infeliciter extrusit. Ad quod sic breviter *respondemus*. 1. Viri illius præstantissimum ingenium, multiplicem lectionem, raram in utrâque literaturâ & in antiquitatibus eruditionem, semper agnovimus, & ab illo tantis donis instructo, illustrationem antiquitatum politicarum & ecclesiasticarum unicè exspectavimus; quem quam maximè supra multos alios Philologos & antiquarios ad hoc idoneum esse judicabamus, ex illustribus illis speciminibus in Galliâ datis, De Ecclesiis suburbicariis contra Sirmondum, & de nonnullis ad Tertullianum de Pallio contra Petavium defensis. *Resp.* 2. Non negavimus in aliis ipsius eruditionem: quamvis inter Philologos *Scaligerum* & *Seldenum* in literaturâ Orientali, alios in Philosophiâ, aut Matheſi, aut Medicinâ, aut Jurisprudentiâ, aut Politicâ ipsi postponendos, sapientes in illis artibus non concederent. *Resp.* 3. Quod ad Theologiam, non memini à Theologorum Senatu unquam illi dictaturam in eâ concessam. Si solidâ philosophiæ cognitione imbutus in eâdem tot lustris se exercuisset, & Scripturæ meditationi ac collationi affiduo intentus fuisset, quot in bonorum autorum lectionem impendit, non dubitandum est, quin non vulgaria præstare potuisset. Quid & quantum præstiterit in scriptis à se editis, nolo nunc ex professo inquirere; nec est hujus loci. Malo pro inventis gratiam, pro omissis aut commissis veniam ipsi tribui, præsertim in agro suo non versanti. Sed si per importunum & injustum aliquorum præconium ad obscurandam veritatem comparatum non licet tacere; puto non defuturos, qui incursationes ejus in elementa theologica & catechetica in luce posituri sint: uti

à nonnullis aliquâ ex parte jam factum. Ne quid dicam de ignorantiis in jurispr. & politicâ sive puræ negationis sive pravæ dispositionis, quarum aliquas alii jam notârunt. *Resp.* 4. Dato non concesso, illum cum magnis Theologis Augustino, Luthero, Melanthone, Calvino, Bucero, Beza, Martyre, Chemnitio, Daneo, Wittakero, Perkinso, Junio, Raynoldo, Gomaro, Riveto, &c. paria feciſſe: non tamen tantum nobis esset motivum, quantum Synodorum & omnium Theologorum consensus Catholicus in *Re Judicatâ* exhibitus. Nedum ut ejus autoritas imperitioribus in præjudicium Ecclesiarum & Theologorum obtrudi debeat: quasi scil. liberanda veritas eum exspectâsset: uti Tertull. de Marcione. Scilicet *primum*

Grajus homo mortales tendere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:

Ut de Epicuro suo Lucretius. Quod Synodis & consensui Theologorum, totique Christianismo opponi posse putarent trapezitici, id nos applicamus ipsorum patrono, dictum scil. Panormitani: *Potius credendum esse uni laico verum dicenti cum Euangelio, quam toti Concilio falsum dicenti contra Euangelium. Resp.* 5. Quidquid esset de aliquâ ipsius in Theologiâ ejusque praxi eruditione, subcesivis horis & diverticulis inter turbas criticas & philologicas extraordinario & supra fidem comparata: saltem infelicem hic egit rationarium, uti jam ostendimus: insuper circa historiam facti tenebris Theologicis lucem scil. illaturus, insigniter in tenebris palpavit, nullâ faculâ nisi trapezitarum illi accensâ. Quem ignem fatuum cum imprudens sequeretur, deductus fuit in præcipitium: nihilominus quasi unicus & primus rerum istarum Doctor esset, omnes Theologos & Jureconsultos Belgicos domestica & propria docere se putavit; & discere, hoc est, cum ipso falli nolentes, virulenter insectatus est. Cum tamen Theologi sexcentis palliationibus trapeziticis obtusi fuissent & seriò in Academiis, Synedriis, Classibus, Synodis examinâssent; antequam ille Belgium & in eo trapezitarum παίδας unquam vidisset, aut fortè fando de illorum pragmatiâ audivisset; atque ex fertilissimo suo philologico agro, in hæc eristica fœneratorum tesqua delatus esset.

§. 8. *Secundum* præjudicium desumitur à consensu aliquot hâc in parte sequacium. *Resp.* 1. Sed illud facile removetur, si quis cogitet Græcorum diverbium: εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ: & alterum, μιὰ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ: & illud Augustini, *contra fidem nemo Christianus, contra omnes nemo sanus.* Et alterum ejusdem pervulgatum: *Non crederem, nisi Ecclesiæ autoritas*, &c. Quod quo sensu accipiendum, à nobis alibi & à nostris passim contra Pontificiorum detorsionem declaratur. En tibi præjudicium maximum & universale, præjudicio minimo & particulari oppositum. *Resp.* 2. Est vulgare heterodoxis

doxis & novatoribus, unum atque alterum ſive paradoxum, ſive incommodius dictum in Doctoribus orthodoxis venari, illudque Catholico conſenſui opponere, atque inde pro errore & peccato ſuo obtendere τὸ dubium theoreticè, τὸ adiaphorum practicè: occinendo monitoribus illud Poëtæ:

Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Ita Remonſtrantes in ſecundâ ſuâ Remonſtrantiâ *rem judicatam* conabantur transformare in *judicandam*, & conſequenter in reformatis Belgii Eccleſiis ſpecie tenus libertatem prophetandi ac moderationem ſtabilire; revera orthodoxiæ circa novitates, interpoſito brachio ſæculari, os obſtruere: uti videre eſt in ſtatutis Eccleſiaſticis Ultrajectinis anno 1612. & decreto Ordd. Hollandiæ anno 1614. & in Grotii Pietate. Et ſatis prodebant ſe conſiliis de reviſione (uti loquebantur) Catecheſios, & Arminii vulgò tunc noto pronuntiato: *Non videndum eſſe quid hactenus doctum ſit, ſed quid in poſterum docendum eſſet.* Contra ejuſmodi diverſas Doctorum in Eccleſiis Reformatis & Belgicis ſententias à Remonſtrantibus jactatis ut pontem heterodoxiis introducendis ſternerent, plenè & eruditè tunc reſponſum eſt è noſtris in ſecundâ contra-Remonſtrantiâ Lat. & Belg. *Reſp.* 3. Familiare eſt homini mundano, ἠτλήματι, cui indormit, σέφον aliquod φάρμακον quætere in diſſenſione Doctorum; atque hunc in finem circuire terram, ſi fortè quem invenire aut pellicere queat, qui ſi non apertè & directè, ſaltem indirectè per fallaces diſtinctiones aut alterius quæſtionis ſubſtitutiones pulvillum conſuat. Ubi tale quid in damnum conſcientiæ ſuæ effecerit, exultat planupes, & quævis tum antiqua, tum reformata axiomata, & decreta, quaſvis res judicatas, quemvis Eccleſiarum & Synodorum conſenſum difflat prætenſo diſſidio; aut caſus mutatione, aut ſimilibus ficulneis tegumentis.

Tertium præjudicium ſumitur à Magiſtratuum quorundam facto, quo §.9.
tolerantiam mali antehâc ſub Papatu & Reformatione ſatis ſuperque conteſtatam, in approbationem vertiſſe videntur, & trapeziticos ab omni infamiâ & peccato in foro ſoli & poli, liberâſſe. Plurima hic reponi poſſent: accipe nunc iſta. *Reſp.* 1. Nunquam probabunt à Magiſtratibus determinatum eſſe in foro conſcientiæ fœnus hoc trapezitis licitum eſſe; ita ut nullum ſubſit peccatum legi divinæ & naturali repugnans: Proferant decreta, edicta, diplomata. Hic Rhodus, hic ſaltus. *Reſp.* 2. Quidquid Magiſtratus aliqui hic reſpiciunt, & cujus ſolius reſpectu benignius, quam antehac, de menſis quibuſdam ad minus intereſſe redactis loquuntur; præſupponit rationes accepti & expenſi, à trapezitis expoſitas, atque adeo exile ipſorum lucrum. Sed hoc totum nihil aliud efficit quam uſuram, illic civiliter licitam ex parte creditoris, atque adeo tanquam infame fœnus non tradu-

cendam. Producant exſertè approbatas uſuras in foro conſcientiæ licitas, ex parte debitoris, ſecundum *Levit.* 25. illicitas, hoc eſt ab attenuatis & pauperibus exigi ſolitas, & detentionem quorumvis pignorum. Hactenus ergo decreta illa, qualiacunque ſint, legitimum & licitum aliquod civile inferrent, & ab infamiâ civili illic locorum eos liberare poſſent, quin & munerum atque honorum civilium capaces reddere; quæ ſi deferrentur, volente Prætore, juſtè poſſiderent, in foro ſcil. ſoli & jure civili. Sed illud à jure divino in foro conſcientiæ non diſtinguere, & turpi μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, ab illo ad hoc fallaciter diſcurrere, abſurdiſſimum eſt. *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit:* ut loquitur *Hieronymus* ad Oceanum. Quin ipſe *Salmaſius* trapezitarum hyperaſpiſtes in *Præf. pag.* 12. cum Jureconſulto diſtinguit inter turpia *naturâ*, *& civiliter more civitatis.* Sic turpe naturâ & illicitum eſt conjugium viri cum viduâ fratris, aut cum filiâ fratris: civiliter tamen licitum, & ab omni infamiâ liberum, ubi Magiſtratus, νόμος, χάρις Papalis eſt. Idem dicendum eſt de polygamiâ inter Iſraëlitas, & in hodiernis regnis Gentilium ac Muhammediſtarum civiliter juſtâ, & legitimâ. Idem de concubinatu olim in Imperio Romano: qui etiam immunis eſt ab omni infamiâ & cenſurâ in foro Eccleſiæ Romanæ exteriori, juxta famoſum, an infame juris Canonici decretum, *Is qui.* De idololatriâ Papiſticâ, de Sociniſmo, deque aliis Sectis in noſtrâ Republicâ ſimiliter pronuntiandum eſt. Illarum enim conſortes ab infamiâ liberi ſunt, & inter honeſtos cives numerantur: illis tamen in foro conſcientiæ talibus eſſe non licet. Vide ſupra in diſp. de foro poli & ſoli, diſtinctionem hanc aſſertam; quam haut paulo eruditior, & exercitatior Jureconſultus & politicus *Albertus Leoninus* huic negotio applicuit, in conſilio anno 1645. Roterodami typis edito, pag. 409. „ Plurimi, inquit, Principes Chriſtiani ad „ animam ſuam curandam publicum fœnus ſub gravibus pœnis prohibue„ runt. Et citat ibidem deciſ. Pedemontanas deciſ. 197. Gallicas, Hiſpanicas, Neapolitanas, apud *Covarruviam lib.* 3. *variar. reſol. c.* 3. Et *Loiſium Maurium in deciſ.* Lithuanicâ *num.* 143. & ſeqq. Exhibet etiam verba conſti„ tutionis Belgicæ a. 1610. *Revoquons, aboliſons & mettons à neant par* „ *ces preſentes toutes les dictes tables de preſt & uſuriers publiques*, &c. De„ inde ſubdit: *Et quamvis poſtea ad inſtantiam & importunam ſollicitatio*„ *nem Lombardorum, aliqui Principes & Magiſtratus ſpeciali indulto, & diver*„ *ſis capitulationibus menſas permiſerint: hoc tamen factum non fuit ſine ſcru*„ *pulo, & tantum per ſimplicem permiſſionem & tolerantiam iſtius mutui, id*„ *que tantum contra pœnam politicam, & Magiſtratus ſæcularis vindictam:* ma„ nente peccato & obligatione reſtituendi in foro conſcientiæ, per ſepara„ tionem pœnæ divinæ & humanæ. Et poſtea: *permiſſio trapezitarum tan-*

tum

„*tum permissa est & reservata Magistratui supremo* : non ut usura vorax „avidumque in tempore fœnus approbetur, *cum libertate conscientiæ* ; *sed* „*tantum ad trapezitas liberandos à pœna humanâ in hoc mundo* (manen„te usuræ peccato in conscientiâ) : *& sic sapiens* remissionem quan„dam futuri delicti. *Ibidem. Usura à Magistratu vix & non sine scru„pulo conscientiæ toleratur. Resp.* 3. Nec competit Magistratui (ut supra dictum est) potestatem Ecclesiasticam usurpare, eâque abuti ad publicam & ἐγκριτικὴν definitionem de licito & illicito in fide & moribus secundum jus divinum, deque mundo & immundo, de digno & indigno communione fidelium. Quamdiu hoc non facit, uti hactenus non fecit, nullo colore exulceratæ conscientiæ malagma ab eo petitur. *Resp.* 4. Quod si tamen aliquis Magistratus aliquando (quod Deus avertat) à reformatâ Religione, à prædecessorum suorum pietate & virtute tantum degeneraret, ut scandalosam hanc trapezitarum pragmatiam in foro conscientiæ licitam & pietati, æquitati, caritati christianæ convenientem judicaret : error ille ipsi relinquendus esset, nec Theologi instar heliotropii eò se tenerentur convertere : sed contra cum Joh. Baptistâ ἀκαίρως ἐυκαίρως insistere verbo dehortationis, σὺν ἔξει σοὶ, &c. Nec quisquam Theologus hic aliter judicaret. Si Principes aut Magistratus Reformati deficerent ad Papatum, aut si perstantes in Reformatione, de Papistarum conventiculis & exercitiis permittendis aliter judicarent & statuerent, ac prædecessores eorum, & ipsi antehâc statuerunt ; immo & edicta omnia contra exercitia Papistica apertè revocarent, aut tacitè abrogarent, insuper Ecclesiarum & Ministrorum petitiones contra novam hanc permissionem suam ægre ferrent, rejicerent, prohiberent : An Papistarum conscientiæ liberum tunc esset sacra Baalitica frequentare, & exercere ? An ilico Magistratuum conscientiis liberum foret idololatriam, quam impedire posset ac deberet, permittere, & in hoc facto sibi complacere ? An ilico in casu conscientiæ aliter de Papatu determinandum esset Theologis ? an Synodorum decreta rescindenda, delenda, contrariis decretis revocanda essent ? An dicendum de Magistratu, potentiam habente ad impediendam idololatriam, quandoquidem ita nunc determinet pro jure & potestate suâ, rectè determinasse, & Theologis nihil restare, quam animo & ore assentiendi gloriam ? Et quid si quis Theologus in conscientiâ gravaretur cum Apostolis, *Actor.* 4. & 5. an is crimen sacrilegii & rebellionis incurreret ? *Resp.* 5. *Jus divinum* permissivum potestati Magistratuum, Parentum, Herorum relinquit specificationem legibus & præceptis particularibus secundum variantes circumstantias definiendam : sic tamen ne repugnet definitio illa juri divino & naturali, sed ad eam reduci possit. Et hoc respectu in usu & exercitio potestatis suæ Magistratus conscientiæ

scientiæ studere debet, Deo actuum suorum rationem redditurus. Atque hoc observandum in iis, quę ad jura Majestatis & Regalia referri solent: qualia legislatoria potestas, interpretatio, dispensatio, legis strictæ moderatio, privilegiorum concessio, asylorum constitutio, literarum moratoriarum tributio, restitutio famę, legitimatio seu natalium restitutio, ætatis venia, arrogatio, juramenti relaxatio, &c. Est enim vox bovis, nec hominis, cum dicitur, *ei licere, quod libet. Resp.* 6. Quidquid benignioris judicii de quibusdam mensis hodiernis (quasi scil. emendatis) ostentetur: non tamen mensis illis ab anno 1578. usque ad annum 1645. à Magistratibus hoc applicatum dabunt; nec omnibus mensis in Belgio ab anno 1645. usque in hunc diem.

Atque hactenus excussione pseudographematis usurarii, turpissimæ causæ nervos incisos esse facile perspicient omnes, quotquot à ventre artis magistro, aut glaucomate à mensariis objecto, aut à superbâ pertinaciâ, ne videantur errasse, non impediuntur. Idiotæ aut rudiores, planiorem & pleniorem omnium explicationem & diductionem habebant in scriptis vernaculis, studiosi & literati in scriptis Latinis supra, & in 1. *part. polit. eccles. lib.* 2. *tr.* 2. *sect.* 4. *cap.* 3. *pag.* 779-788. indicatis. Ubi denuo perversum statum controversiæ, & novissimè propositа effugia atque exceptiones trapeziticas, refuto. Confer infra appendicem ad disp. de Restitutione.

DE RESTITUTIONE.

Resp. PETRO ARLEBAUTIO, Bomelâ-Gelro 15. *Octob.* 1659.

De restitutione acturus querelam præmitto Johannis Hofmeisteri Theologi Pontificii, quam effundit in Commentar. ad Lucæ 19. „O bone Zachæe, tu „in multorum ore versaris & quasi populi facta es fabula. At quotus„quisque est, qui tua velit sequi vestigia? Omnes sumus Euangelici, „sumus Christiani, & nescio quid non. Sed qui animum inducat, „quæ fraude cepit justè velle restituere, hic rarus auditur. *Quod ille de suis, hoc nos de nostris pariter conqueri debemus: apud quos hujus virtutis & justitiæ tam rara, tam labefactata praxis; ut & populi ignorantia, & multorum doctorum contractior & parcior doctrina hinc secuta sit. Utinam neglectam aut depravatam praxin tandem veritatis abnegatio & oppugnatio (uti sæpe in talibus fieri solet) non excipiat!* Θεὸς δ' μυκτηρίζεται, *& nemo repente factus est pessimus. Quo magis annitendum gymnasiis nostris, ut hanc aliasque materias practicas, ex prælectionibus publicis, & privatis examinatoriis collegiis super Amesii casibus, perpetuò hic habendis,*

quam

quam fieri poteſt accuratiſſimè imprimant, ad dextram ſui, aliorumque curæ ipſorum paſtorali aliquando committendorum, informationem. Nos in præſenti de reſtitutione acturi.

1. Præcognita explicabimus.
11. Quæſtiones aliquot determinabimus.

PRæcognoſcenda ſunt nomen, definitio & requiſita, di- §. 1.
viſio. Vox *reſtitutionis* duo dicit, reddere ſcil. exhibere, præbere; & rem in priſtinum ſtatum reducere: ut perinde ſit ac ſi nihil adverſus eam eveniſſet. Variè autem hæc vox accipitur: quandoque enim latè ſumta notat quamcunque cujuſque rei, ordinis, ſtatus inſtaurationem, ſeu repoſitionem & conſtitutionem in priſtinum ſtatum: quomodo quis in bona ſua poſtliminio reſtitui, in munus & dignitatem priorem reſtitui, immo & homo ſibi ipſi & menti ſuæ, vires corporis in medicinâ, & collapſa reſpublica ejuſque libertas & poteſtas apud Politicos reſtitui dicitur. Aliquando quamcunque reſtitutionem, ſive ex juſtitiâ obligante, ſive ex caritate donante & auxiliante. Aliquando actum quemcunque juſtitiæ commutativæ, quo debitum quodcunque redditur, ſive illud debeatur ex honeſtate, ſive ex rigore juſtitiæ. Et ſic ſub ſe comprehendit gratitudinem, ſatisfactionem, ſolutionem, reſtitutionem ſtrictè dictam: quæ quomodo differant, ex ſubjectis deſcriptionibus pateſcet. *Gratitudo* eſt officii aut beneficii ab aliquo accepti, ingenua agnitio, & datâ occaſione ejuſdem pro viribus per beneficia & officia viciſſim præſtita compenſatio. *Satisfactio* latius patet, quam reſtitutio ſtrictè dicta: quę præſtatur ſive res aliena detenta aut damnum datum fuerit, ſive non fuerit. Sic e. gr. præſtatur ſatisfactio alicui contumeliis affecto; quamvis nullum inde damnum ſecutum ſit. *Solutio* etiam latius patet; quia ſolvitur non tantum debitum ex damno illato aut detentione rei alienæ contractum, ſed etiam quod ex voto, juramento, caritate, miſericordiâ debitum eſt. *Reſtitutio* ſtrictè ſumta conſideratur vel in foro ſoli, vel in foro poli. *Prior* eſt, quæ alicui cauſæ, rei, perſonę ad poſtulatum aut imperium aliorum obtingit. Sic reſtitui in integrum dicuntur cauſæ, de quibus ex integro cognoſcitur: item reſtitui in integrum tutelæ ac curationes, cum adminiſtrationis earum rationes redduntur. Dicuntur & reſtitui perſonæ, quæ in bona, aut in dignitates, aut in civitatem reſtituuntur, ut deportati & damnati. Sed de his verborum ſignificationibus, οἱ νομικοὶ ἢ δικαιολογύντων παῖδες ulterius deſpiciant. Quæſtiones Canoniſtarum ad titulum de *Reſtitutione in integrum* (quem *Lancelotus* fecit 18. *lib.* 3. *Inſtitut.*), & ad *tit.* 13. *lib.* 3. *decretal.*

de Restitutione spoliatorum; nec non ad *sess.* 15. *Concil. Tridentin. cap.* 19. cum hujus loci non sint, aut tanquam ineptas aut inutiles præterimus, aut si quæ usum quem habeant, ad Politicam ecclesiasticam ablegamus. Describitur ergò *Restitutio* strictè dicta, & in foro poli considerata, quod sit *actus justitiæ commutativæ, quo redditur alteri ad æqualitatem, quod injustè ab eo sublatum est.* Vel sic, *quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur ei, cui debetur.*

§. 2. In definitionis hujus enucleatione considerandæ genus & differentia. *Genus* exprimitur istis verbis, *actus justitiæ commutativæ.* Quid sit justitia commutativa, ex Ethicis & Theologis notum est; & hic præsupponitur. *Differentia*, constat objecto & adjecto. *Objectum* est cujus, & cui. *Illud* est res accepta, aut damnum datum. *Istud* est persona, aut personæ, cui aut quibus debetur. *Adjectum* seu actus circa illa objecta est restituere aut compensare. Ubi notatur & connotatur tum subjectum seu causa restituens, tum actus restituendi aut compensandi. Hæc omnia liquidiora erunt, si in conditiones & requisita restitutionis inquiramus: Quis, quid, cui, quomodo, quo ordine, ubi, quo tempore, restituere debeat.

1. *Ad quæstionem quis*, respondeo, Non tantum is, qui rem accepit, aut damnum dedit, sed etiam quicunque hujus injustitiæ particeps fuit. Quot modis autem particeps fieri possit, his versiculis memorialibus vulgò includunt:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, nutans, non obstans, non manifestans.

Qui novem modi à Calvistis Pontificiis communiter explicantur, & compendio ex maximè celebribus & frequentatis à *Bassæo.* Sed non incommodè ad sex revocantur ab *Amesio lib.* 5. *Cas. cap.* 4. (ubi eos explicatos vide): & *lib.* 2. *Medullæ cap.* 16. §. 45. ad quinque, suasionem, defensionem, auxilium, permissionem cum possumus impedire, silentium cum utiliter possumus indicare.

11. *Ad quæst. Quid. Resp.* Idem quod injustè ablatum est. Cum dico *idem*, intelligo idem vel numericè in essentiâ, qualitate, quantitate: vel æquivalenter, aut saltem per talem compensationem, quæ fieri potest. Cum dico *injustè ablatum*, sive bonum externum corporis & fortunæ, sive spirituale; præsuppono nullam esse strictè acceptam restitutionem, ubi non præcessit injustitia & injuria: *quæ* quid & quotuplex sit, alibi explicatur. Ex solo ergo delicto contra justitiam nascitur obligatio restituendi; non vero contra alias virtutes: quia per violationem justitiæ aufertur alienum, quod unicuique ex justitiâ & ad æqualitatem debetur.

111. *Ad quæst. Cui. Resp.* Ipsi illi cui quid ablatum, aut damnum illatum:

tum: si ille non existat, aut inveniri nequeat, legitimo ejus hæredi & vindici: & si tales inveniri nequeant, Deo, ad pauperum sustentationem aliosque pios usus. Quod ex *Numer. 5. v. 8.* colligi posse videtur. *Quod si non fuerit viro illi vindex, ut restituat delictum ei, delictum restituitur Jehovæ: sacerdotis erit.* Sed tertius restitutionis modus locum non habet, ubi ipse damno affectus, aut ejus hæredes inveniri queunt.

IV. *Ad quæst. Quomodo. Resp.* Ut si commodè restitutionem exequi nequit, nisi se prodat, per alium quem hominem fidelem eam curet: debet enim restituens cavere famæ & vitæ suæ. Adhæc, ut si possibile sit, tota simul, non per partes; quando scil. debetur ex delicto, aut ex re acceptâ: in debito ex contractu, facienda est juxta pactum contrahentium. Denique ut debita occulta occultè, publica vero publicè ad tollendum scandalum restituantur.

V. *Ad quæst. Quo ordine. Resp.* Respicitur ordo vel restituentium, vel eorum quibus restituitur. *Si prius*, primo & principaliter tenetur, qui immediatè abstulit aut damnum dedit. Inter cooperantes vero & participes, primò & principaliter tenetur, qui præcepit ablationem aut damnum; siquidem autoritatem habuerit in illum, cui delictum præcepit. *Sin posterius*, cum quis omnibus restituendis non sufficit, debita certa quæ propriis creditoribus restitui possunt, præferenda sunt incertis; debita pauperibus debitis divitum; res & bona, quæ adhuc sunt penes debitorem, & quorum dominium nondum translatum est, &c. De præferendis creditoribus hypothecariis, & inter personales privilegiatis, hæredibus legatariis, &c. nec non prioribus tempore, cum septem exceptionibus minutim cum & ex Jureconsultis agunt Casuistæ Pontificii. Nos supervacaneum ducimus Theologicas chartas iis onerare: cum proclive sit in Jureconsultis, aut potius in particularibus regnorum, provinciarum, civitatum statutis ea legere.

VI. *Ad quæst. Ubi, & cujus expensis sit restituendum. Resp.* Eo loco, ubi dominus illam possessurus erat: si ablata non fuisset: quando scil debitum ortum est, ex injustâ acceptione. Hic tamen deduci debent expensæ, quas creditor rem illam servando vel deferendo facere debuisset. Excipitur tamen casus, quo rem transferendo in locum domini multò majores expensas facturus esses, quam res restituenda valeat. Quando vero obligatio restitutionis nascitur ex bonâ fide accepta, restitutio fiat in loco, ubi res habetur tunc temporis, quo cognoscitur esse aliena. Limitationes & exceptiones quæ hic incidere possent, vide apud Casuistas.

VII. *Ad quæst. Quando. Resp.* Statim ac potest, restituere debet, qui obligatus est ratione rei acceptæ, aut injustæ acceptionis, aut detentio-

nis. Quamdiu enim non restituit, cum debet & potest restituere, continuat, multiplicat, & aggravat peccatum injustitiæ: quia suum cuique non tribuit.

§. 3. Dividitur restitutio ex objectis suis in primariam, quæ oritur ex injusta acceptione seu ex damno illato: & in secundariam quæ oritur ex re sive justè sive injustè acceptâ. Nonnulli ex Pontificiis Casuistis (inter quos Bonacina) addunt tertiam speciem, quę est ex contractu. Sed illa non est restitutio strictè dicta, quam nos supra definivimus. *Prior* species subdividitur secundum objecta in quibus damnum inferri potest. Sunt autem illa bona animi, corporis, fortunę. *Animi* sunt tum naturalia, ut ingenium, memoria; tum supernaturalia, quæ ad fidem & caritatem, seu ad virtutem religionis & justitiæ revocari possunt, quibus repugnant errores, & peccata; ad quæ si quis quem induxerit, tenetur ad restitutionem. *Corporis* sunt vita, sanitas: quibus opponuntur, homicidia, membrorum mutilationes, & quæcunque læsiones sanitatis. *Fortunæ* sunt tum fama & honor, tum externa bona ad animalis vitæ sustentationem pertinentia. Fama læditur per detractionem seu infamationem: honor per contumeliam, convitium, improperium, irrisionem. In bonis externis injuria infertur per quodcunque factum, sive crassum sive palliatum. Bonum pudicitiæ & castitatis, ad bona animi, corporis, fortunæ quodammodo referri potest. *Posterior* restitutio; pro objecto habet rem, non quidem injustè domino ereptam aut ablatam, sed cum penes me quâcunque ratione existere eam contigerit, injustè detentam & non redditam ei cui debetur; ut e. gr. aliquid alteri legatum, aut venditum. Qui enim habet rem alterius, etiam si nullam injuriam intulerit, non habet suum, & legitimus dominus suo caret: ut ergo fiat æqualitas justitię, quæ suum cuique tribuit, domino τὸ suum est restituendum.

His præmissis restitutionem per quęstiones explicemus. Erunt autem quęstiones trium generum 1. proëmiales. 2. de restitutione in generali 3. de restitutione in particulari. Sit ergo.

I. *Quæst. An de restitutione agendum sit theologis. Resp.* Aff. quatenus ad casus conscientiæ, & ad rectam ex jure divino & naturali informationem hoc pertinet. Quid sit de foro externo & jure civili, quid de statutis & moribus in antiquo imperio Romano, aut in hodiernis regnis, & politiis Christianorum, Gentilium, Muhammedistarum, historicè, philosophicè, theologicè, politicè, quid scil. hęc aut illa Respublica tali rerum statu ferre aut non ferre possit, examinent quibus vacat. Nos proprie ad conscientiam cujusque hominis loquemur & determinabimus, ut discant quid in foro poli ipsis vi juris divini pręstandum sit, & quodnam injustitiæ peccatum in

in omissione hujus officii agnoscendum. Breviter theologi hoc agunt, ut quis ἀπρόσκοπον coram Deo & hominibus conscientiam conservet *Act. 16. v. 24.* Quocirca commendandi sunt theologi Pontificii, quod in corruptę theologiæ suę tractatione hoc caput inter alia, immo supra multa alia sibi curæ esse voluerint. Adeo ut ipsis applicari possit illud Bellarmini de Calvino, *utinam sic semper errassent?* Generalem materiam & methodum intelligo, non vero omnes & singulas particulares determinationes. Interim non puduit recentiores Casuistas nostros *Balduinum lib. 4. cap. 4. cas. 8. & Amesium lib. 5. cap. 4.* sua aliqua, si non quamplurima ex illis derivasse. Pontificios scriptores, qui forte nimis operose hoc egerunt, si quis lustrare aut conferre velit, indico Thomam cum commentatoribus 22. *qu. 62.* Lombardum cum suis *lib. 4. Becani Theolog. Scholast. partis 2. partem 3. quæst. 72.* Scriptores de Justitia & jure, Soto, Bannes, Molinam, Lessium; Casuistas, inprimis Azorium, deinde & Dianam, Navarrum, Bonacinam, Basseum, Toletum, de Graffiis, Reginaldum. Ad hæc tractatus peculiares, ut Adriani Trajectini, postea Papæ, in quæst. ad 4. Lombardi, & prolixissimum tract. Petri de Navarra duobus tom. in 4. Ex nostris præter modo cit. jam ante materiam hanc attigerant *Brentius homil. 28.* in Lucam *Musculus in locis comm. ad 8. præc.* Zepperus in legibus Mosaicis *lib. 4. cap. 24.* (quem laudat *Danhauwerus in collegio decalog. 17. §. 11.*) *Meisnerus in quæst. Ethicis & politicis pag. 290. Prucknerus in Manuali mille quæstionum pag. 108. 134. & seqq. & 157. & seqq.* Fatendum tamen ingenuè, multos ex nostris hanc doctrinam expresse, in actu (uti loquuntur) signato, & sub hoc titulo non pertractasse: cum tamen ob universalem plerorumque hominum in hoc justitię officio prestando defectum (de quo merito & graviter ante nos conquestus est Balduinus loc. cit.) per quam frequenter, exsertè & plenè eadem inculcari atque applicari deberet.

II. *Quæst. Ad quem locum theologiæ hæc tractatio referenda sit? Resp.* Quamvis, si modo justa rei tractatio habeatur, de ordine ipsi assignando parum laboremus: videtur tamen de restitutione in genere commodè agi posse ubi de justitiâ erga proximum, cujus actus & pars est. De justitiâ adæquatè ad nullum secundæ tabulæ præceptum agi potest: ita ut ex lege methodi inter generalia secundæ tabulæ prolegomena titulis de caritate erga proximum, deque justitiâ, & prudentia directrice virtutum moralium locus videatur concedendus. Quod ad restitutionem in specie ut sanitatis, vitæ, pudicitiæ, bonorum temporalium, famę & honoris; de eâ convenienter ad specialia cujusque præcepta quæri posset; aut ibidem collectim ubi de restitutione in genere, ne cohærentes illi conceptus divellantur.

III. *Quæst. An præceptum restitutionis sit affirmativum an verò negativum? Resp. Aff. pr.* Quia præcipitur actus positivus. Sed præceptum negativum præcipit abstinentiam ab aliquo actu positivo. Et quamvis aliquando videatur fieri restitutio solâ cessatione detinendi, ut cum quis deserit damnum vel agrum injustè à se occupatum; terminus tamen cessationis est positivus, quia eo tendit, ut legitimus dominus rem suam consequatur, & sic fiat æqualitas.

IV. *Quæst, An etiam sit actus justitiæ distributivæ. Resp.* cum *Thoma*, 22. *qu.* 62. *art.* 1. Hadriano, Navarro, aliisque recentioribus Casuistis: Quamvis restituere teneatur, qui in bello præmia & spolia injustè distribuit, & judex qui injuste delicta punit, benefacta præmiis afficit, aliisque in casibus similiter; hoc tamen non sit præcisè propter violationem justitiæ distributivæ, sed quia unà violata fuit justitia commutativa.

§. 4. Accedamus ad quæstiones de naturâ restitutionis in genere: inter quas principalis.

I. *Quæst. An sit necessaria? Resp.* Communiter pontificii hæreseωn scriptores & nonnulli Casuistæ, fide Guidonis Carmelitæ, Græcis hanc opinionem attribuunt, quod restitutio non sit necessaria; sed sufficiat pro furto & rapinâ aliquam summam ex rapto pauperibus impendi. Alphonsus à Castro lib. 13. adv. hæreses sic refert: *Guido Carmelita ait Græcorum sacerdotes pro furtis, usurâ, rapinâ non injungere ut satisfaciant aut reddant, sed oleo simplici inungere raptorem, quem adstringunt ut aliquam pecuniæ portionem illis distribuat, ut absolutionem illi impendant: quam pecuniam à fure aut raptore recipientes, ipsum raptorem absolvunt.* Joh. Sarranus Cracovienſis Ecclesiæ Canonicus in Elucidario errorum ritus Ruthenici ann. 1500. edito, & ann. 1582. in tract. Joh. Lasicii de religione Russorum, Muscovitarum, &c. recuso, artic. 32. sic opinionem eorum describit. *Dicunt furi sufficere ratione furti sui, raptum sacerdotibus repræsentari, & fateri crimen, & petere olei unctionem ab eis: nulla tamen posthac pecuniâ & restitutionis debito debere onerari.* Quid hodierni Græci, Russi, Muscovitæ sentiant, certo Affirmare nequeo. Erasmus in annotationibus ad Luc. 11. in quatuor primis editionibus, videbatur nullam agnoscere restitutionem. Sed in quintâ editione suâ emendavit, aut explicuit: quod etiam agnoscit Alphons. à Castro loc. cit. Ex Theologis nostris neminem receptæ sententiæ repugnare arbitror. Sed errorem nostrorum hominum popularem, plerorumque practicum, multorum etiam theoricum, saltem apud minimè malos crassam ignorantiam, aut inconsiderationem dominari, nemo facile negabit. Firmemus ergo sententiam affirmantem seqq. rationibus.

I. *Rat.*

I. *Rat.* Quia *Ezech.* 33. *verſ.* 15. 16. ad reſipiſcentiam & juſtitiam pertinere dicitur redditio pignoris, & ſolutio rapti.

II. *Rat.* Quia ex virtute juſtitiæ ſuum cuique tribuentis ſequitur reſtitutio. Qui enim alienum non reddit, ſuum cuique non tribuit; ſed de malè quæſitis gaudere pergit. *Atqui contra naturam eſt locupletari cum aliorum injuria*: uti conformiter & juri divino & naturali loquuntur Jureconſulti.

III. *Rat.* Quia ex immoto illo juris divini *Math.* 7. *v.* 12. & naturalis principio, *Quod tibi fieri non vis*, &c.) reſtitutio educitur.

IV. *Rat.* Quia repugnat caritati erga proximum *Matth.* 22. *v.* 39. debere quid & non ſolvere *Rom.* 13. *v.* 7. 8. *Reddite igitur unicuique quod debetis*, &c. *Nemini quidquam debete*, &c.

V. *Rat.* Ab exemplo reſipiſcentiæ Zachæi à Chriſto approbatæ *Luc.* 19. *v.* 8. 9. atqui illa non erat ſine injurię ſeu injuſtitiæ anteactæ emendatione per reſtitutionem. Sic Abimelech juſtè reſtituebat uxorem alienam *Gen.* 20. 14. Herodes injuſte retinebat *Matth.* 14. *v.* 4.

VI. *Rat.* Non-ſolutio debiti ex mutuo, ſignum eſt hominis improbi *Pſ.* 37. *v.* 21. ſic pari ratione non reſtitutio ablati.

VII. *Rat.* Quia ex non reſtitutione recte colligitur non-reſipiſcentia. Qui enim verè reſipiſcit, deſinit peccare, ſeu abrumpit peccatum: atqui non reſtituens continuat peccatum furti, rapinę, injuriæ, quamdiu injuſte raptum injuſte retinet.

VIII. *Rat.* Quia ſicuti qui proximo non remittit offenſam, non poteſt certus eſſe ſibi à Deo remiſſa eſſe peccata: *Matth.* 6. *v.* 12. 15. ſic qui non reſtituit, &c. Hanc & præcedentem rationem ſic exprimit *Auguſtinus* celebrato illo dicto in epiſt. 54. quæ eſt ad Macedonium: *Peſſimum genus hominum eſt, quod ſceleris pœnam relaxari, & id, propter quod ſcelus admiſſum eſt, poſſidere cupit; cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur; non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Hoc dictum juri canonico *cap. peccatum de regu. juris in* 6. inſertum eſt; ex eodem plerique canoniſtæ Scholaſtici, Caſuiſtæ occaſionem ſumſerunt de reſtitutione determinandi.

IX. *Rat.* Quam ex noſtris Zepperus loc. cit. adducit ex *Eph.* 4. *v.* 28. *Cum*, inquit, *beneficentiam in pauperes expoſcit, reſtitutionem iniuſtarum opum ſimul requirit.*

II. *Quæſt. An reſtitutio ſit neceſſaria neceſſitate præcepti tantum, an etiam medii? Reſp. Affir.* Poſter. cum diſtinctione inter ipſam externam reſtitutionem, & inter ſolam internam, quæ eſt paratus animus, promtitudo, & ſtudium reſtituendi. Iſta ſemper & abſolute eſt neceſſaria: illa

non

non itidem : haut aliter ac virtus eleëmosinæ omnibus est necessaria, etiam pauperrimis, qui ne teruntium quidem largiri possunt. Unde nascitur quæstio.

III. *Quæst. Quibus in casibus ab externa restitutione quis excusetur? Resp.* 1. Cum debitor planè impotens est. Ad impossibile enim nemo obligatur. 2. Cum libera fit debiti remissio : quæ est vel expressa, vel tacita, virtualis, implicita, interpretativa. Est autem talis, cum ex moraliter certis, aut saltem probabilibus indiciis colligitur, damno affectum nolle sibi à tali aut tali restitui. 3. Cum majus incommodum aut damnum, quam emolumentum ex illâ restitutione oriretur ei, cui restituitur. Tunc saltem differenda est restitutio. 4. Cum æquivalens commodum, sed ex justitiâ commutativa indebitum, creditori à te collatum aut curatum est. Hoc ergo sit loco compensationis.

Appendix aliquot quæstionum specialium 1666.

§. 1. REstitutionis officium evidentissimè spectatur, in explicatione 8. præcepti.

Quæritur ergo 1. *An etiam restituendum sit τὸ interesse alterius, si suum habuisset? Resp.* Quidni e.gr. injustè abstulit quis naviculario aut portitor; schapham, aurigę traham aut equum, fabro instrumenta fabrilia : Hæc à fure pœnitentiâ ducto post dies aliquot restitui non sufficit : nisi & panem, quem damno affectus sibi & suis lucraturus fuisset, ex æquo & bono restituat. Sicuti qui operarium vulneravit, non tantum expensas curationis ferre sed & damnum vacationis ab opere & labore, quo victum acquirere solet, compensare tenetur. Huc recidit determinatio *Toleti lib. 6. Instruct. cap.* 12. & ex ac cum eo *Prukneri in Manuali* 1000. *quæst. centur. 5. qu.* 95. quâ ad restitutionem obligatur qui contra justitiam vi aut fraude impedierit, e.gr. negotiatores vi detinens, aut fraude beneficiarium retrahens, ne compareat apud benefactorem.

2. *Quæst. An furto ablatum restituere tenetur, qui justè metuit, hinc famæ hactenus integræ læsionem, & pœnas à judice infligendas? Resp.* Posset per alium quem fidelem amicum, cui sub fide silentii lapsum suum aperiat, restitutionem curare : ut damno affectus ignoret, à quo ablatum sit, & fiat restitutio. Vel quod longè tutius, posset nocte intempestâ res mobilis in areâ, in horto, in tecto, in propylæo, aut ante fores deponi, additâ scedulâ, hoc esse τῷ Δεῖνα, ab aliquo clam ablatum. Si ipsa res ablata restitui nequeat; æquivalent summa pecuniæ eodem modo, cum tali indicio addito, deponi posset : aut etiam vesperi per apertum ostium aut fenestram in domum injici.

3. *Quæst.*

3. *Quæst. An quæ bello, quamvis solenniter suscepto, hostibus ablata sunt, restitui debeant? Resp. Aff.* De bello injusto: & ad hoc teneri autores belli, suasores, imperantes, duces, auxiliares, etiam eos, qui rem bello injustè ab alio captam penes se habet: quamvis ipse damnum non dederit, aut sine omni culpâ dederit. Et ratio est, quia cur alter eâ carere debeat nulla causa subest naturaliter justa, non consensus ipsius, non malum meritum, non compensatio. Sic rectè *Grotius lib. 3. de Jure pacis & belli cap. 10. Caspar Zieglerus J.C. Witebergensis in notis & animadverss.* ad *Grotii* locum citatum, adhuc strictius determinat. „ Immo, inquit, etiam eo casu, quando insoli-„ tum istud in specie non jusserunt, sed ausam tantum dederunt injustum „ bellum decernendo, aut justum injustè gerendo. Qui enim rei illicitæ o-„ peram dat, causa est eorum omnium, quæ vel directè vel indirectè inde se-quuntur. Qui ibidem ad illud *Grotii* de restitutione faciendâ etiam ab illo qui damnum non dederit, sed qui rem bello injustè captam penes se habet, elegantem locum exhibet ex *Chrysostomi homil. 16. in 1 Corinth.*, quem hic non pigebit reponere: „Si alio, inquit *Chrysost.*, rapiente rapta acci-„ peres, deinde qui sua amisit & vim passus est, ea à te repoſceret: num sa-„ tis tibi esset, ad excusationem, te ab eo nihil rapuisse? Minime. Quidnam „ diceres in judicium vocatus? dic, quæso. Num? quod alius diripuerit. Verum tu possides: ille rapuit, tu frueris. Eundem hic locum laudat & Græcè exhibet *Rittershusius lib. 3. lect. sacr. cap. 1.* disquiri posset de illis privatis civibus & incolis, qui bello exorto sive justo sive injusto, ilico exercent pyraticam illam (nostratibus dictam **Kaeper**, & per antiphrasim **de reyne Neringh**) tanquam liberam & justam negotiationem. Et dato eos certos esse, bellum esse justum ab illâ parte, sub cujus autoritate, permissione, concessione, indulto pyraticam exercent. An hoc sine omni scrupulo se agere putant? Certè temperamentum illud, quod in bello circa occisionem, vastationem, res captas, captivos, libertatem ad emtionem, & imperii, acquisitionem servandum docet jus divinum & naturale (de quo *Grotius lib. 3. cap. 11-17.*), quomodo vel minimâ specie hic adhibetur, aut adhiberi potest? Ut non dicam, bona sæpe eripi concivibus, amicis, ejusdem religionis consortibus, bellum illud detestantibus, & super eo gementibus, heri aut nudiustertius in potestatem hostium redactis. Saltem privati cives ab hâc negotiatione abstinendo, non peccant nec scrupulis conscientiam onerant. Nihil etiam dubitante conscientiâ faciendum: nec abundans cautela nocet. Obversetur hic dictum illud: *Bonarum mentium est etiam ibi culpam timere, ubi culpa non est.*

4. *Quæst. An qui sacrilegium aut peculatum commisit, sive auferendo ex Reipublicæ, aut ecclesiæ, aut pauperum ærarii; sive non inferendo in illud, quod*

inferre debebat (Malach. 3. v. 8. 9.) *teneatur ad restitutionem? Resp.* Omnino: sic tamen ut cautè & prudenter agat si ipsi ærario subtracta restituat, ne intempestiva suiipsius proditione famæ, libertatis, vitæ, fortunarum jacturam sibi accersat. Quod si eo modo, quo supra *quæst.* 2. dictum ipsi ærario restituere nequeat, (ut quidem arbitror eum posse) nihil aliud ei suadere possem, quam ut tantum conferat in pauperes, ecclesias, aliasque pias causas, quantum scit injustè à se ablatum aut retentum fuisse. Quod autem hic dico de restitutione rerum quæ sacrilegio aut peculatu parta sunt, id etiam de omnibus aliis injustè partis intelligendum est. 1. *sive* per furtum simplex sive per complicatum; 2. *sive* per apertum & crassum, quale πιχορύχων, abactorum, pyratarum, latrunculorum; omnium etiam eorum, qui talium susceptores, proxenetæ, auxiliares sunt. 3. *Sive* per furtum magis palliatum; quale injusti belli titulo aliena rapientium, Simoniacorum, δωροφάγων, fœneratorum, monetæ corruptorum, merces adulterantium, annonam flagellantium, monopolarum, adulterinis mensuris fraudantium, fallitorum, vindicantium sibi bona naufragantium. 4. *Sive* per perjuria, falsa testimonia, fraudulentos contractus, falsificationes instrumentorum, infida aut injusta in foro patrocinia. 5. *Sive* per illicitas aut nefarias artes ac pragmatias: quales lenonium, meretricium, histrionia, magia operatrix & divinatrix (*Actor.* 16. v. 19.), Exorcistica (*Actor.* 19. v. 13.), alea, proditio (*Math.* 27. v. 13.), procuratio & sollicitatio veniæ homicidis concedendæ, missarum celebratio, indulgentiarum concessio & venditio, omnisque alia animarum negotiatio, *Apocal.* 18. v. 13. emtio & venditio quoruncunque servorum injustissimè captorum & ad servitutem redactorum, qualis Josephi *Genes.* 32. v. 27. Supra in disp. de foro poli notavimus perversam Casuisticam *Navarri*, *Zypæi*, &c. de meretricibus ad restitutionem non obligatis.

5. *Quæst. An ubi damnum passi, aut ipsorum hæredes inveniri possunt, illis præteritis, injustè sive per nos sive per parentes nostros parta, retinere ac possidere, iisdemque in domino & serenâ conscientiâ frui possimus: modo sanctis, aut pauperibus aut clericis tum regularibus tum sæcularibus partem prædæ inde impartiamur, aut eos hinc excessuri hæredes scribamus, aut saltem pingue aliquod legatum assignemus? Resp. Neg.* Musculus loco cit. dicit hanc *seductionem regnasse in confessionibus auricularibus:* ubi *conscientias peccatorum falsæ satisfactionis, & remissionis fiduciâ deceperunt, vel ineluctabili occasione & morsu immisso cruciârunt, & ad desperationem adegerunt. Etenim ipsa hoc docet naturalis æquitas, rem furto ablatam non esse aliò quam ad dominum illius transferendam: cujus sensus vinci non potest, ne indulgentiis quidem Romano plumbo obsignatis.*

Paulo

Paulo ante dixerat : *prorsus seductores conscientiarum sunt & impostores, qui remissionem peccati pollicentur, si de rapinâ, furto, & usuris aliquid ipsis detur pro missis celebrandis, ut loquuntur, & aliquid pauperibus.*

Ibidem pag. 242. exemplo aliquo docet restitutionis fructum. Cum, „inquit, anno 1531. recens Augustam, illò ad prædicandum Christi ser- „vatoris nostri Euangelium vocatus venissem, veniebat ad me subinde ju- „venis quidam annos circiter 24. plus minus natus, conscientiæ suæ, quam „habeat desperatissimam, relevationem quærens, causa erat anxietatis, qua „discruciabatur, quòd massam argenti puer adhuc hero suo furtim abstulisset. „Hanc integram adhuc habebat. Inter confitendum sub Papatu jussus erat „partem dare missatoribus, partem pauperibus. Id non fecerat, quia ad con- „scientiæ laborantis refocillationem veram ac certam non faciebat. Domi- „no suo non restituerat, pudore impeditus. Ubi causam perturbatę consci- „entiæ intellexi, ursi hominem, ut ablatum hero suo restitueret, nisi perire „vellet. Ostendi viam qua commodè posset. Obtemperavit, restituit co- „ram, utrinque illachrimantibus & ipso & hero, qui furti illius prorsus „fuerat ignarus, & omnem juveni resipiscenti benevolentiam promitte- „bat. Post hanc restitutionem afflictissimus juvenis, qui aliquandiu prop- „ter speciem insaniæ, catenis detentus fuerat, sibique ipsi necem intenta- „verat, felicissimè non modò cum hæro suo rediit in gratiam, sed & sibiipsi „restitutus, honestè vivere cœpit. Hanc historiam mihi omnium comper- „tissimam, ideo volui adferre in medium, ut exemplo aliquo demon- „strem, quantam carnificinam conscientiarum instituerint Romanæ Sy- „nagogę quæstuarii & nundinatores, furum, raptorum & usurariorum „socii: & quàm possit æquitatis & justitię studium efficax esse ad pacan- „das resipiscentium conscientias, si ad restitutionem rerum alienarum in- „stituantur.

6. Quæst. An restitutio facienda sit eorum, quæ quis per pyraticam Aligerienſem, aut Tunetanam, aut Tripolitanam sibi acquisivit, aut à parentibus acquisita iure hæreditario nunc possidet ? Resp. Aff. Siquidem pyratica illa non est justus acquirendi modus. Quod applicari volo, tum sociis navalibus & militibus, qui naves quascunque in mari expugnant, & cum mercibus, & vectoribus rapiunt : tum civibus & mercatoribus Aligerienſibus, qui suis sumtibus naves illas instruunt, & ad pyraticam emittunt. Sed forte quis excipiat.

1. *Except.* Se in ignorantiâ suâ Muhammedicæ perfidiæ tunc addictum, hanc pyraticam exercuisse; quippe persuasum licitè Christianos, qui non sint *Muslimim*, id est, *servati*, hoc est, fideles, spoliari posse : nunc autem conscientiâ in Christianismo melius instructâ, se ab illâ pragmatiâ abstinere.

Resp. conscientia errans, à peccato injustitiæ, & consequenter à restitutione non liberat. Apostolus 1 *Timoth.* 1. *v.* 13. se maximum peccatorem fatetur, quamvis ignorans feciſſet. Joh. 16. v. 3. *quicunque vos occiderit, putabit* se λατρείαν, &c. Similiter excipere posset Judæus ad fidem conversus, se in Judaismo secundum conscientiam errantem, Christianis (quos *Gojim*, id est, Gentiles appellant) fœnore, fraudibus, & quocunque alio modo damnum intulisse, juxta legem *Deuter.* 23. *v.* 21. malè tunc sic intellectam, & huc applicatam. Quod si inter dictos Christianos, sacerdotes ad veram religionem conversi, ab omni restitutione eorum, quæ missis, præsertim defunctorum, celebrandis antehac lucrati essent. *Instantia:* Atqui si reformatus aut saltem Apapista, induto titulo & simulacro sacerdotis seu *vicarii*, *sacerdotis animarum*, ab omni missarum celebratione abstineret, & solummodo vi hujus tituli ac simulati seu nuncupati muneris pretium illud, quod prædecessoribus ipsius, vicariis Papisticis pro missis defunctorum persolvi solet, acciperet: an non tunc legitimus, & plane reformatus acquirendi modus esset? *Resp.* Casus hujus explicatio peti potest ex iis, quæ 3. *part. sel. disp. tit.* de idololatriâ & superstitione, & 1. *part. polit. eccles. lib.* 4. *tract.* 1. abunde dissertata sunt.

2. *Except.* Magistratus pyraticam illam non tantum permittit; sed & ordinat, eique modum ponit, immo eandem ipse exercet, probat, imperat, merces raptas, & homines, in foro, sub autoritate suâ, publicè vendi concedit; quin & vectigal suum ex venditione colligit. Ergo volente prætore, qui possidet, justè possidet: Et quidquid venditur in macello, &c. 1 *Cor.* 10. *Resp.* Sit ita: eo tamen ex peccato nequit facere non-peccatum; ut nec Papa, nec Magistratus quicunque Christianus, aut reformatus.

3. *Except.* Νόμῳ τῷ χώρᾳ, hic faciunt legitimum? *Resp.* Distingue inter legitimum & justum in foro poli, & in foro soli. De quo supra in disp. de Foro poli, &c. Hujus distinctionis ignorantiâ aut neglectu Salmasium tenebras illas disquisitione de fœnore offunderem & seipsum confundere vidimus. Quod idem dicendum de alterius distinctione ignota inter mali permissi ordinationem, circumscriptionem, limitationem, & inter mali approbationem, suasionem, mandatum, *ut legibus permissivis quæ aliquem modum adducunt & imponunt*, τὰ νόμιμα *etiam* δίκαια *haberi debere contenderet* de fœnore trapezitico pag. 351. Quem crassum errorem merito in illo notavit eruditissimus *Zieglerus in notis & animadvers. ad Grotii lib.* 1. *de Jure Pacis & belli cap.* 1. *pag.* 66. „Qui ibidem accuratè docet, in ejusmodi le„gibus circumscriptivis duos contineri actus, *nudam* scil. *permissionem* (quæ „actio non est, sed improprie actio dicitur), quæ objectum immedia„tum habet malum ipsum, quod nec præcipit nec prohibet legislator, sed per-

„permittit,&c. & ipsam circumscriptionem, limitationem & modificatio-
„nem istius mali, ne ulterius quam vult, aut alio modo, quam certo illo &
„determinato exerceatur. Neuter actus probat aut suadet malum, neuter id
„in foro poli seu conscientiæ licitum facit, sed impuritatem tantum præ-
„stat, sicubi intra terminos definitos manserit malum. Supra exemplis ostenderat Magistratus Christiani passim tolerantis *synagogas Judæorum, superstitiones Pontificias, & eiusmodi alia, qui tamen propterea malum non procurant: sed permittunt, quia tollere sine Reipublicæ concussione non possunt.* Sed ipse lector laudati modo autoris integrum locum legat, relegat; & alterum ad *lib. 1. cap. 2. pag. 92.* ubi notat *Salmasium in explicatione Math. 5.* adhuc crassius Grotio, qui Socino hic & alibi non ita alienus, philosophari.

4. *Except.* Si restitutio hic requiratur, & pyratica illa negotiatio injustitiæ arguatur in foro conscientiæ: jam indirectè tangitur ἡ interesse Reipublicæ Aligerienses, & ordinatio atque autoritas Magistratus: Et sic crimen rebellionis, & turbatæ pacis publicæ committitur. *Resp.* Hoc est per accidens: informanda est conscientia, de restitutione. Eodem colore, & eadem consequentiâ, gravare quis posset reformatum, qui e. gr. fratrem, aut patrem, aut filium, aut cognatum Papistam, in diœces. Colonienses, aut in ducatu Bavarico, aut in Galliâ habitantem, ex verbo Dei orthodoxâ religione imbueret: Papalem idololatriam & Antichristianismum detegeret: dicendo, hoc incurrit in publicum bonum, in autoritatem & existimationem regum aut principum, qui Papatum probant, profitentur, defendunt tanquam σύλον ἔδραιωμα, animam, fundamentum suæ Reipublicæ.

5. *Except.* Non teneor ad restitutionem ejus, quod numeratâ pecuniâ emi: actionem enim (uti vocant) in societate aliquâ pyraticâ emi, & hoc titulo ex partis per naves istius societatis pyraticas portionem meam pro rato accepi. Ergo injustè non acquisivi, quod mediante legitimâ & publicè probatâ istic emtione acquisivi. Sicuti in Belgio fœderato, ex partis per societatem Indiæ Orientalis, justè portionem suam pro rato aufert, qui actionem aliquam in istâ societate ab alio quopiam possidente emit. *Resp.* Sicuti alia est pyratica, & alia legitima negotiatio; & alia est societas pyratica & societas mercatoria: sic etiam alia est emtio actionis in societate pyraticâ, & emtio actionis in societate mercatorum. De emtione bonorum furto ablatorum, si emtor furti ignarus non sit, vide quid statuant leges, apud *Tholosanum lib. 25. cap. 10.* Et inter theologos *Meisnerus in problem.* Ethicis & Politicis *sect. 1. cap. 6. quæst. 4.* Quæ analogicè applicanda omnibus aliis rebus, pragmatiis, officiis illicitis paratâ pecuniâ, emtis. Ut si quis à principe, aut ejus munerario, aut à prætore emisset facultatem & libertatem exercendi lenoniam, meretri-

cium , magiam præſtigiatricem aut divinatricem , mangonium ἀνθρωπωμπολίαν.

6. *Except.* Quid ſi Magiſtratus Aligerienſis actiones aliquas ſocietatum iſtarum ſibi aut ærario publico vindicaret, an non liceret eas immediatè à Magiſtratu emere, & vi illius portionem ſuam ex acquiſitis accipere (non à participantibus pyraticæ ſocietatis) & bonâ fide poſſidere: abſque ullâ reſtitutione? *Reſp.* Neg. Neque enim venditio Magiſtratus, pyraticam hanc ſanctificare, & ab omni injuſtitiâ purgare poteſt. Similis fere ratio eſt, ac publicæ alicujus menſæ fœnebris, aut aleatoriæ, quam Magiſtratus anthropophagicus ſibi aut fiſco vindicaret aliquot ſervos injuſtè captos, aut aliquot puellas injuſtè captas: an Chriſtiano liceret illos in futurum cibum, & iſtas in futurum concubinatum emere: quia ſcil. ipſe Magiſtratus vendit, & ordinem ac modum omni ſervorum & ſervarum negotiationi ponit. Quid ſi carnibus humanis tum vivis tum mortuis apud anthropophagos, & uxoribus apud Angolenſes in Africâ venalibus applicet illud: *Quidquid venditur in macello*, &c. Et, *volente prætore qui emit & poſſidet, juſtè emit & poſſidet. Inſtantia:* Si Magiſtratus illi fierent Chriſtiani, & quidem perfectè reformati, & talem negotiationem non tantum permitterent, & modificarent, ſed & probarent, immo & ipſi exercerent, jam omnino emtiones & venditiones in foro poli juſtæ ac licitæ. *Reſp.* Nihil minus. Neque enim conſuetudo, aut permiſſio, ordinatio, lex, approbatio, aut factum, & judicium Magiſtratuum ſive fidelium ſive infidelium ſunt conſcientiæ noſtræ regula, nec moralis boni principium; ſed lex divina. Quandoquidem ergo actus humanus probatur eſſe vitioſus, quippe legi divinæ difformis (1 *Joh.* 3.) nullâ permiſſione, aut ordinatione, aut diſpenſatione, aut approbatione, aut mandato Magiſtratus, poteſt in bonum transformari, & legi divinæ conformis fieri. Ut jam non dicam, primam, publicam, anteceſſoriam, directivam determinationem, caſuum conſcientiæ, & liciti aut illiciti ex jure divino non competere judicibus & Caſuiſtis ſæcularibus, quibus hodierni aliqui ſectarii & Libertino neutrales hoc tributum velint. De quo ſupra in *diſp. de Foro poli*, &c. *part.* 1. §. 1.

7. *Quæſt. An regiones, civitates, ditiones, toparchiæ injuſtè occupatæ, ablatæ propriis dominis ſint reſtituendæ? Reſp. Aff.* Differri tamen poteſt reſtitutio totalis, præſertim civitatis alicujus munitæ, quâ flagrante hoc bello inſeſsâ aut occupatâ hoſtis plurimum terris noſtris incommodare poſſet. Confer Caſuiſtas de dilatione reſtitutionis, & *Malderum in* 22. *Thomæ pag.* 405. 406. 407.

8. *Quæſt. An bona naufragantium, quæ quis in mari fluitantia, aut in laceræ, & nauclero ac vectoribus deſtitutâ navi, aut ad littus appulſa invenit, pro-*

proprietariis, qui se offerunt aut alioquin inveniri possint restituenda? Resp. Quidni? Et hujus quæstionis determinatio, pendet ab eâ, quam supra notavimus *in disp. de foro poli & soli part.* 2. §. 8. de bonis naufragantium, ubi autores indicantur, qui hanc quæstionem determinârunt. Nos hic solummodo indicamus, quod tunc obliti sumus, exstare constitutionem Julii 2. anno 1509. „ Quâ declarat, consuetudinem capiendi & retinendi bona „ Christianorum per naufragium vel jactum, levandæ navis gratiâ aut aliâ „ necessitate, factum ad littora maris locorum S. R. ecclesiæ mediatè & im- „ mediatè subjectorum esse corruptelam, neminique suffragari debere: & „ pœnas à lege vel canone contra hujusmodi spoliatores innovat, & con- „ fiscationis bonorum pœnam addit. Dominos locorum & vicarios hæc „ permittentes eo ipso excommunicatos esse decernit: Raptores in „ flagranti crimine repertos ut latrones & grassatores esse puniendos. „ Excipit tamen casum, quo nautæ in manifesto periculo constituti illorum „ opem implorent, qui eos non sine vitę discrimine in personarum & re- „ rum conservatione & recuperatione auxilio fuerint: Similis constitutio à „ Paulo 3. anno 1545. & 1549. edita est: ubi auxiliatoribus quarta pars bonorum adjudicatur: quod *favore naufragorum inductum esse*, notat *Flavius Cherubinus ad Julii 2. constit. ut celerius ipsis succuratur.* Prohibitio illa de non capiendis bonis naufragantium illata est in bullam excommunicationis, dictam *bullam de cœna Domini:* cujus explicationem vide apud *Toletum lib. 1. Instruct. cap. 18. & seqq.* Casuistæ Pontificii communiter improbant retentionem ejusmodi bonorum; eaque negant habenda esse pro derelictis, ut *Sylvester, Navarrus, Toletus*, &c. *Lessius lib. 2. de Justitiâ & jure cap. 5. dub. 18. & cap. 14. dub. 7.* ubi acriter perstringit consuetudinem *illam nullo modo tolerabilem*, secundum quam *bona occupantur à loci gubernatore.*

9. *Quæst. An bona ablata aut damna alicui data in spiritualibus, requirant restitutionem? Resp. Aff.* Si quis proximum in errorem aut hęresin induxit, aut doctrina, hortatione, consilio, exemplo ad peccatum illud quasi manuduxit: tenetur ad restitutionem, e.gr. si quis usuram mordentem seu iniquum fœnus, abusus in vestibus, in vanitatibus capillaribus, in faciei picturis & ornatibus, in diei dominicæ profanatione, in aleâ & sortibus ludicris, in choreis, &c. defendit, aut quæsitis pharmacis, purgare conatur. Hac enim perversâ doctrinâ suâ & purgatione alios in errorem induxit, aut confidentes fecit ad illa perpetranda, à quibus antea, juxta parentum, pastorum, præceptorum suorum rectam institutionem, abstinebant.

Sed quæres, *quomodo restitutio facienda? Resp.* Ut post culpæ confessionem, & veniæ petitionem contrarium asserat, defendat, & eos quos in errorem peccatum seduxit, quantum fieri potest, ad resipiscentiam, & conversionem

versionem ab illo errore aut peccato ad oppositæ veritatis receptionem, & virtutis praxin tum verbis tum factis revocet. Revocatio illa & culpæ agnitio, ac errantium aut peccantium ἐυκαίρως ἀκαίρως adhibenda instructio sive per nos, sive per alios (occasione aliter non ferente), non tantum cœnam verbis, sed & scriptis (præsertim si quis scriptis scedulis, aut editis libellis vias domini rectas pervertisset) fieri potest. Exemplum hic præbuit Apostolus Paulus, 1 *Timoth.* 1. *v.* 13. *Galat.* 1. *v.* 23. 1 *Corinth.* 25. *v.* 9. *Actor.* 9. *v.* 20-23. & 26. *v.* 9-12. Simile quid præstitit *Augustinus*: uti docent ejusdem confessiones, junctæ cum scriptis contra Manichæos.

10. *Quæst. An sit restitutio, quando benefactoribus inter homines, imprimis præceptoribus, rependimus* ἀνθυπηλογοῦμεν (1 Tim. 5. v. 4.), & *iis beneficia vicissim præstamus à quibus priores beneficiis affecti sumus? Resp. Neg.* Nisi laxè hanc vocem accipiamus. Sunt enim tria justitiæ commutativæ officia; gratitudo, satisfactio, restitutio. Gratitudo exhibetur verbis & factis: unde natæ hæ distinctæ phrases, *gratias agere* & *gratias referre. Satisfactio* est; quæ exhibetur, etiamsi nullum damnum illatum sit: ut e. gr. quando quis satisfacit alicui, quem contumeliis affecit, etiam si nullum damnum secutum sit. Intelligitur hic satisfactio, quæ proximo præstatur: Satisfactio quæ Deo præstari, & virtus pœnitentiæ esse dicitur, commentum est Papistarum. De quo alibi disputatur. *Restitutio* est actus justitiæ commutativæ, quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur ei, cui debetur. Omnis ergo restitutio est satisfactio; sed omnis satisfactio non est restitutio. *Bonacina tom* 2. *fol.* 549. Qui ibidem ad restitutionem refert, cum nobiles aut divites lucrum cessans mercatori restituunt, ad quod in *conscientia*, (ut loquitur,) obligantur: ob pretium mercium creditò emtarum constituto termino non solutum, seu ob solutionem multo tempore dilatam.

11. *Quæst. An qui bona fide rem alienam possidet, tenetur restituere simulac novit esse alienam: e. gr. si quis à fure per invincibilem ignorantiam emit, rem furto ablatam? Resp.* Casuistæ Pontificii communiter determinant, ilico restituendam esse domino, absque repetitione & exactione pretii, quo eam ab alio emit. Rationem hanc adferunt, quia æquum non est, ut dominus rem suam emat. Sic *Thomas* 22. *qu.* 62. *art.* 6. & *Bonacina*, *Toletus*, *Navarrus*, *Layman*, *Sanchez*, *Sylvius*, *Baßeus*. Ex protestantibus theologis *Meisnerus in probl. Ethicis & Politicis sect.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 4. putat tali in casu; non esse æquitatis seu ἐπιεικείας, ut solus emtor & bonæ fidei possessor damnum patiatur: sed ut damnum ferant æqualiter: quod uterque à fure deceptus sit, qui abstulit domino rem suam, & emtori pecuniam suam. A quâ sententiâ non abhorreo: saltem ut aliqua compensatio fiat emtori, dimidiæ, aut minoris, aut paulo majoris partis pretii; prout dominus in re tenui,

tenui, emtor in re lautâ fuerit; aut prout rara ac pretiosa, aut minus, magisque necessaria domino illa res fuerit; aut prout accuratè, aut negligenter custodita fuerit. In Belgio nostro, naves cum mercibus à pyratis aut Reipublicæ hostibus titulo belli interceptæ, si à nostris navibus hosti eripiantur, domino restitui aut non restitui debent, pro ratione definiti temporis, quo fuerint in manibus hostium.

12. *Quæst. An & qualis restitutio requiratur injustè partorum, per peccata contra septimum præceptum?* *Resp.* Restitutionem requiri communiter censent Casuistæ Pontificii & nostri. Videatur ex nostris *Amesius.* Sed in duobus dissentiunt: quorum unum est, an meretrix, adulter, adultera pellex teneantur restituere per impuritates illas injustè parta. Nos *Aff.* Pontificii Canonistæ & Casuistæ de meretricibus communiter negant: uti supra indicavimus. *Epitomator Bonacinæ Antonius Goffar* theologus Leodiensis & protonotarius Apostolicus in adjectis notis seu additionibus: Non tenetur meretrix ad restitutionem mendaciis usitatis multa extorquens *Sot, lib. 4. qu. 7. art. 1. Bannes l. c. art. 1. dub. 1. Navar. c. 17. num. 41. in fen.* At si fraude usa esset, dicens, se virginem esse, aut à viro principe tantum cognitam, teneretur, *Lopez part. 1. cap. 96. Soto, Sanchez l. c. Cajet. 22. qu. 62. art. 5. ad 2. Lopez, l. c.* cum *Cajet. in summ.* non communibus, sed importunis mulierum blanditiis extorta, restituenda esse ait. Hæc sane Casuistica favet Curtisanæ illi, quę una vice aliquot millia ducatorum à celebri Cardinale accipiebat: uti me legisse memini in *Balance des Cardinaux.* Hic addo & aliam Casuisticam, in quâ à nostris dissentiunt, quam ex & cum *Covarruvia, Fillijucio, Sylvio* habet *Basæus in floribus theologiæ practicæ*, in voce *Restitutio cap. 1v. num. 1. §. 3.* Fœmina meretrix, &c. potest promissum sibi pretium in foro externo exigere, quia sicut in foro externo, permittitur meretricium; ita datur actio ad repetendum pretium; secus dicendum de fornicatione occultâ, quæ punitur in foro externo, tunc enim non datur actio, ut si monialis aut virgo, aut adultera petat promissum sibi pretium.

Forum hoc externum est vel sæculare, vel ecclesiasticum; Episcopale, scil. aut regulare, seu regulare seu prælati regularis, aut canonico-capitulare, coram quo actio in clericos non exolventes promissum pretium instituenda esset. An forum illud actionem hanc coram se institutam satis decorè admitteret, & ei meretrici causam adjudicaret?

De restitutione ab honestæ virginis stupratore, præsertim si ante stuprum spes conjugii, aut etiam promissio facta sit, ex professo egimus *part. 2. politic. eccles. lib. 3. tract. 1. sect. 1. cap. 5.* nec hic repetimus.

13. *Quæst. An sit facienda restitutio pro morte hominis, vel membro injustè*

ablato? Resp. Bonacina in voce *homicidium* §. 19. negat formaliter & ex justitiâ deberi restitutionem, quod vita & membrum hominis nullam recipiant æstimationem: videri tamen ex quâdam caritate aliquid restituendum esse arbitrio prudentis viri aut confessarii. Nos rectius cum *Amesio lib. 5. cap. 4.* dicimus, restitutionem deberi & posse præstari per æquivalens seu compensatorium aliquod, pro damno dato per vulnerationem proximi, qui toto curationis tempore ab ordinario labore suo cessare debuit, & sibi ac suis ad victum & amictum necessaria acquirere non potuit. Similiter pro damno dato per ablationem membri e. gr. dextræ illorum, qui operis fabrilibus se & suos sustentant; aut unici oculi Coclitis aut utriusque oculi videntium, sine quo aut quibus consuetum opificium suum exercere nequeunt ad sui & suorum sustentationem. Pro damno dato uxori & parvulis liberis occisi, qui per laborem ejus alebantur, restitutio ex justitiâ debetur, & præstatur per suppeditata alimenta seu vitæ subsidia. Quod ad realia, seu expensas in curationem lætaliter vulnerati, in funus, &c. illa æqualiter sunt restituenda non tantum proximis (ut uxori, aut liberis); sed & quibusvis occisi hæredibus; non tantum pauperibus, aut tenuibus, sed & locupletibus.

14. *Quæst. An restitutio malè partorum per artes & praxes illicitas, sexto decalogi præcepto repugnantis, sit facienda? Resp.* In genere supra dictum fuit injustè acquisita & restituenda. Sunt autem injustè acquisita, per latrocinia, pyraticam, assassinatum, sanguinis innocentis proditionem & traditionem, veneni propinationem, malam infidam & lætiferam medicationem, abortus procurationem, & similia sexto decalogi præcepto repugnanria. Sed dubium movetur, *an praxis funambulorum, & veneni potorum adhibito statim remedio, sit licita, & ipsi per eam licitè acquirant? Bonacina tom. 2. fol 665.* & ex eo compendium ejus in voce homicidium § 6. Ex-
„ cusari, inquit, etiam possunt, qui suâ agilitate corporis ambulant super fu-
„ nem, aut sumunt venenum adhibito statim remedio; quamvis enim hæc
„ sint periculosa, nihilominus purgatur periculum per applicationem suffi-
„ cientis remedii, aut probatæ experientiæ.

Hæc laxa est Casuistica. Sine necessitate, aut honestâ vocatione ac mandato superiorum boni publici causâ, se periculo exponere, repugnat sexto præcepto. Atqui hoc faciunt funambuli. Et plerique tandem crurifragium, aut lumbrifragium, aut capitis & colli letalem contusionem hinc auferunt: haut aliter ac ille, qui cum integra ova sæpe deglutiendo se ostentasset, tandem ovo deglutiri cœpto, sed non transeunte, suffocatus est. Idem dico, de talibus (qualem in hâc urbe plurimi viderunt) qui lucelli à spectatoribus acquirendi causâ, plures ferreos clavos, inter quos aliqui digitalis longitudinis,

aliqui

aliqui ferragine obducti, sibi à spectatoribus, oblatos, deglutiunt. De circumforaneis illis, venenum haurientibus, aut famulo puerove suo publicè propinantibus, idem dicendum, 1. *quia* sine necessitate venenum illud hauriendo, mortis periculo se aut famulum suum exponunt, & Deum tentant; contra *Math.* 4. *v.* 7. Nec juvat prætexere adhibitum remedium experientiâ probatum. Quam multa intervenire aut accidere possent, quo minus remedium illud vim veneni superaret. De medico, & medicorum antidotis quamvis multâ & quasi perpetuâ experientiâ probatis meritò usurpari potest illud Poëtæ:

Non est in medico semper relevetur ut æger:
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Refertur, circumforaneum quendam in Italiâ antidota sua venditantem, cum ab altero ejusdem circumforaneæ professionis provocatus, propinati veneni æqualem portionem hausisset, frustra adhibito suo remedio, succubuisse: provocatorem autem, assumtâ æquali portione & adhibito suo remedio, evasisse. Fabula sit an historia, nescio. 2. *quia*, dato potores illos evadere; nihilominus infirmationes virium corporis, dolores, cruciatus subeunt: quibus absque necessitate se aut alios affligere atque excarnificare non licet. Repugnat enim sexto præcepto omnis non necessaria læsio, & afflictio corporis sui, aut aliorum. *Nemo enim propriam carnem odio habuit* Ephes. 5. v. 29. Confer supra disp. de homicidio sui ipsius & flagellatione spontaneâ. Unde etiam colligimus, seipsos pro aliis, interveniente pretio, flagellantes, teneri ad ejusdem restitutionem: quia injustè illud acquisiverunt.

15. *Quæst. An & quomodo damnum famæ, aut honori proximi illatum per diffamationes, detractiones, obtrectationes, convitia, mendacia, calumnias, mycterismos & irrisiones, & quascunque injurias verbis, scriptis, gestibus, coram aut absenti, clam aut palam illatas compensandum sit. Resp.* Restitutionem aliquam læsæ aut ablatæ famæ, aut læsi honoris in foro poli deberi, omnes Casuistæ affirmant. Modus restitutionis variat, pro modo detractionis. Est enim ea vel materialis vel formalis. *Illa* est, quando aliquod naturâ suâ diffamativum dicitur aut refertur apud alios; absque intentione detrahendi aut lædendi ipsum infamia, sed tantum ex loquacitate & imprudentia. *Ista* est, quâ coram aliis aliquid sive verè sive falso de proximo præsente aut absente dicitur, intentione lædendi ipsum infamiâ. Modos detractionis quatuor directos, & quatuor indirectos, sic Casuistæ nonnulli exponunt: ut ex *directis* 1. *sit, cum* alteri crimen falsum scienter imponitur: qui modus est omnium pessimus. 2. *cum* quis peccatum auget verbis, aut aliis signis & gestibus externis, e.g.

desputatione, nasi suspensione, capitis quassatione, pedum plausu, pulveris excussione, &c. 3. *cum* quis revelat crimen occultum, quamvis verum. 4. *cum* quis alterius honestum factum in sinistram partem interpretatur.

Indirecte fit detractio 1. *cum* quis negat rectè facta aut dona alterius. 2. *cum* quis diminuit rectè facta; aut dona, aut laudes alterius. 3. *cum* quis tacet bona alterius eo loco & tempore, quo silentium hoc accipitur pro tacita vituperatione & opprobrio. 4. *cum* quis aut simulatè laudat proximum; ita ut illud cedat in laudati vituperium aut opprobrium. Vide & confer infra disp. de convitio, obtrectatione, calumnia: ubi varii modi detractionum, eorumque appellationes reeensentur. His præmissis, de restitutione famæ seqq. conclusionibus determinamus.

1. *Concl.* Qui crimen falsum alteri mentiendo aut mendacium dicendo imposuit: tenetur ad restitutionem per culpæ confessionem, per revocationem, per compensationem. *Confessio* est vel mendacii, vel calumniæ, vel temeritatis. *Revocatio* falsæ criminationis, aut exprobationis, quæ etiam retractatio, & palinodia dicitur, fit vel coram solo diffamato; vel coram aliis, si coram iis facta sit diffamatio. *Revocationis* modus est per assertionem aut negationem oppositam falsę assertioni aut negationi, quâ proximo illata fuit injuria. Fit autem ea vel *magis explicitè* cum apertè de Titio negatur, quod affirmatum fuerat e. gr. Titius non est fur, aut perduellis, aut calumniator, aut percussor, aut turbo, aut fallitor, aut hæreticus: seu, non dico, non scio eum maledixisse regi, aut fuisse tunc ebrium, aut pejerasse, &c. Aut cum apertè affirmatur de Titio, quod negatum fuerat, e. gr. Titius est vir honestus, aut est orthodoxus; aut creditoribus suis satisfecit, aut depositum restituit, &c. De factis illis particularibus, aliquando sufficeret talis formula, Non novi, nec dico aut verè dicere possum, à Titio creditores fraudatos, aut depositum detentum, &c.

Magis implicitè & generaliter fit retractatio formulâ apud nostrates usitatâ, *Non novi de Titio quidquam dicere, nisi honorem & virtutem.*

Compensatio, est vel verbalis, vel realis. *Illa* est, cum detractor quâcunque datâ occasione de infamato honorificè loquitur; & specialiter præteritam detractionem aut infamationem sepelit, oppositâ affirmatione aut negatione. *Ista* est, cum pro damno per detractionem aut diffamationem dato, aliquid à diffamatore ex æquo & bono restituitur. Restitutio ergo hic fit non per se aut propriè pro ipsâ famâ, quæ æstimari non potest, sed pro damno consequente: ut si infamatus, officium aut beneficium non obtinuit, quod absque illâ infamatione obtinuisset; aut à munere aliquo propterea remotus sit; aut viri fœminæve infamati de furto sive crasso sive pallia-

palliato, sive directo sive indirecto, domibus aliorum custodiendis, aut domesticis ibi peragendis, aut suis aliorumve mercibus vendendis, permutandis, portandis, exponendis, aliquamdiu adhibiti non fuerint, & consequenter panem suum lucrari nequiverint.

11. *Concl.* Ad Restitutionem illam in foro poli tenetur, si quis publicis scriptis, imprimis libellis famosis sive anonymis sive præscripto nomine suo crassa mendacia, aut fabricatas calumnias in proximum suum iniquè efflavit. Quandoquidem, *Vox audita perit, litera scripta manet.* Quod si diffamatus frater & ejusdem religionis consors sit, aut si parens, præceptor, herus; aut saltem in publico munere ecclesiastico aut politico constitutus, aggravatur peccatum diffamationis, & tanto magis restitutionem requirit. Quæritur autem, an vivâ voce coram idoneis testibus, an vero publico scripto confessio, retractatio, & verbalis compensatio sit præstanda? *Priorem* modum præstare, indubium est. *Posteriorem* modum aliquando, pro particularibus circumstantiis, admitti posse, nolim negare: si scil. quod coram idoneis testibus ad id postulatis, aut coram viris ad id à synedrio, aut Magistratu deputatis gestum est, scripto consignetur; illudque scriptum originale, sive ejusdem authenticum apographum diffamato in manus tradatur; nemini publicè privatimque exhibendum, nisi in casu necessitatis, cum diffamatus, bonorum, aut conventus ecclesiastici, aut Magistratus arbitrio, ad justam defensionem & notabilis damni aversionem aut prævention em, scriptum illud exhibere tenetur. Priorem modum, Melanthon, Camerarius aliique istius temporis heroës eruditione & pietate præfulgidi probârunt, & præscripserunt, in casu *Nicolai Gerbelii*, qui valde senex Argentorat. obiit anno 1560. vir (teste *Joach. Camerario in Vitâ Melanthonis*) *optimus integerrimus, humanitate & suavitate morum, doctrinâ, omni genere solidæ laudis excellens.* Integram historiam ex *Camerario pag.* 369. (edit. in 12. anno 1655.) hic exhibeo. „ De quo (*Gerbelio* scil.) accidit „ quod nullo modo reticendum putavi. Cum enim is esset vir ille, „ quem diximus, & probitate innocentiaque ac studio religiosæ pie„ tatis commendaretur inprimis, quæ erant laudes in ipso decoræ & illu„ stres, & prædicabantur ab omnibus: Quidam in libello Rhetoricorum „ præceptorum suo exponens exemplum actionis capitalis, hunc tanquam „ Sacrilegii reum nominatum introduxit, & ab accusatore peragi fecit. „ Quod factum ut autor affirmabat, inconsideratè & temerè (etsi non est „ ista in professore Rhetorices bella defensio) & optimus atque innocen„ tissimus vir Gerbelius, & amici ipsius graviter, quemadmodum par erat, „ & perquam iniquè tulerunt. Deque ea injuria tam atroce querelas suas ad „ Philippum Melanchthonem detulerunt, cui illius libelli scriptor notus

„ esset, & significarunt, se constituisse, quibus modis possent pro fama &
„ dignitate nominis Gerbeliani propugnaturos, & eam contumeliam ab
„ ipso propulsaturos vindicaturosque esse. Ea res cum & Philippo Melanch-
„ thoni & nobis omnibus magnum dolorem afferret, videreturque mag-
„ nopere vel exempli caussa animadvertenda, & esset tamen autor libri is, in
„ cujus persona etiam aliorum respectus verteretur, Philippi autem Me-
„ lanchthonis animus, ut semper, sic tunc quoque ad pacem atque concor-
„ diam inclinaretur, ita ab hoc est negotium illud his ferè conditionibus
„ transactum: ut criminis infamia ante omnia removeretur, & nomina te-
„ merariâ, ut affirmabatur, incuriâ falsò inculcata statim inducerentur,
„ & ipse autor peculiari scripto fateretur injuriam, eamque à læso depreca-
„ retur. Est autem omnibus nobis facinus illud visum perquam indignum
„ & malum, sive cogitatum seu per imprudentiam commissum. Quę enim,
„ si proposito & consilio factum esset, pœna autori irrogari deberet, consta-
„ bat. Quis autem à tali culpa fraudem malam abesse possit dicere? Sed in
„ scribendi edendique scripta infinitâ licentiâ, & levitate ambitionis, &
„ famam doctrinæ affectantium insanis cupiditatibus, & hæc & hujusmodi
„ alia prava atque perversa accidere necesse est; quibus profectò plus damni
„ datur moribus & vitæ, quam ullarum rerum demonstratione aut ex-
„ plicatione bonæ utilitatis conferatur. Atque tum & majora quoque &
„ cætera omnia ferè sic gerebantur, ut & in præsentia admodum turbu-
„ lentæ res essent, & in posterum nihil spei bonæ sese ostenderet.

In foro soli quæ diffamatorum restitutio, seu mavis satisfactio requiratur, & quæ pœnæ diffamatoribus, præsertim scriptis diffamatoribus adjudicentur, docebunt te Jureconsulti ad *tit. Codicis* 35. & 56. libri noni, *ad Pandectarum tit.* 10. *libri* 47.; & Canonistæ ad *Decretalium tit.* 8. & 36. *libr. quinti.* Et compendio *Ludovicus Gilhausen* in commentario ad P. tit. 47. *De injuriis & famosis libellis* anno 1602. §. 9. 10. 11.

16. *Quæst. An si diffamator, præsertim, qui publicis scriptis mendacia & calumnias promulgavit, restituere nolit; sed potius diffamationes diffamationibus superaddat, aut easdem gloriabundus toties quoties publicè repetat: an injuriâ affecto ad ecclesiam aut Magistratum querelas deferre liceat, & remedium postulare. Resp.* 1. De ecclesiâ, ut semper in quocunque rerum statu, & hoc quoque in casu id agat, nolim suadere: multo minus asserere, absolutè & semper hoc esse illicitum: præsertim cum apud extraneos à fide & ecclesiâ nostrâ, tales diffamationes avidè arripiuntur, & in præjudicia atque opprobria non tantum contra aliquem aut aliquos religionis & ecclesiæ nostræ antecessores, sed & contra ipsam communem nostram religionem & ecclesiam convertuntur. Probationes in præsenti nullas adferam, nisi ex Math. 18. v. 15.

v. 15-19. *Et si frater tuus in te peccaverit*, &c. *dic ecclesiæ*, &c. *Resp.* 2. De Magistratu absolutè negari nequit; ne quidem si à religione & ecclesiâ nostrâ alienus sit; gravi necessitate ita ferente, cum diffamator non desinit in famam proximi publicis scriptis grassari, & cum ecclesiam non audit. Vide commentaria nostrorum ad 1 *Cor.* 6. *v.* 1.

17. *Quæst. An si nec ab ecclesiâ nec à Magistratu remedium adhibetur: possit quis seipsum vindicare: cum sine modo sine fine publicis scriptis diffamatus, impositis talibus criminibus, quæ vel infamiam, ita loquar, ecclesiasticam (ut e. gr. hæresios, schismatis, ἀταξίας & perturbatæ pacis ecclesiasticæ); aut politicam inferrent: immo & pœnas postularent; ut e gr. si falsò accusetur, criminis falsi, perjurii, seditionis, rebellionis, læsæ majestatis, perturbatæ pacis publicæ, adulterii, furti*, &c. *Resp.* 1. Privata vindicta illicita est. 2. Retorsio etiam illicita, per mendacia, calumnias, opprobria, &c. *Math* 5. *v.* 39. cum *Rom.* 12. *v.* 19. Posito diffamatorem mendaciis, & calumniis, opprobriis graviter peccasse; tibi tamen, mentiri & calumniari non licet. 3. Illicita est amolitio & vindicatio diffamationis, per corporalem læsionem aut occisionem diffamatoris. De quo alibi in quæstione de *duellis*.

Adeo ut impia sit doctrina Jesuitarum, quâ in prælectionibus suis determinabant læsum quem in puncto honoris non acceptâ satisfactione, posse eum qui læserat, clam tollere: non minus at per moderamen inculpatæ tutelæ ad defensionem vitæ, aggressor occidi potest. Ratio est, quia honor nobis potior est vitâ nostrâ. Mirabiles sane consequentiæ. Universitas Parisiensis abominanda hęc mysteria à se detecta merito condemnavit, libro Gallicè a. 1644. edito tit. *Requeste*, *proces verbaux*, *advertissemens*, &c. in 8. De quo infra in addendis.

ALIQUOT PROBLEMATA AD IX. PRÆCEPTUM DECALOGI.

Resp. LAMBERTO GROEN Buscoducensi, 6. *Octobris* 1655.

Quamplurimæ quæstiones & materiæ ab interpretibus decalogi & Casuistis ad nonum præceptum tractari solent. Nos hic vice seligemus nonnullas.

1. *De mendacio, deque simulatione & dissimulatione.*
2. *De dolo, æquivocatione, mentali restrictione; deque proditione, delatione, perfidiâ.*
3. *De falso.*
4. *De convitio, obtrectatione, calumnia.*

Probl.

§. 1. *Probl.* 1. *Quid sit mendacium?* *Resp.* Mendacium definiente Augustino ad Consentium) est *voluntaria falsi enuntiatio fallendi causâ. Thomas* 22. *qu.* 110. *art.* 1.

Explicatè hæc tria distinguit.

1. Ut falsum sit quod enunciatur.
2. Ut adsit voluntas falsum enuntiandi.
3. Ut adsit intentio fallendi.

Sed hæc ad mendacium constituendum sufficere possunt.

1. *Ut* scil. sit enuntiatio: non vero interior cogitatio; quia testimonium consistit in interpretatione vocali aut scriptâ, in ordine ad proximum; cogitatio seu sermo ἐνδιάθετος ordinem habet ad solum Deum καρδιογνώστην.

2. *Ut* sit falsa, contra interiorem scil. scientiam & conscientiam dicentis: quamvis per accidens fieri possit, ut affirmatio aut negatio aliqua à mente dicentis dissentiens cum rei veritate extra mentem conveniat. In quo casu à mendacio formaliter dicto non excusatur.

3. *Ut* adsit voluntas falsum enuntiandi. Quid autem sit propriè voluntarium vel in se vel in causâ, alibi docetur. Quod apud *Thomam* ibidem additur intentio fallendi illud aut idem dicit, quod secundum requisitum voluntas falsum enuntiandi: aut si diversum quid, intentum scil. effectum falsæ enuntiationis; non est de ratione ejus formali, & viderentur vulgo dicta humilitatis, jocosa, officiosa mendacia aliquo modo à definitione eximi. Verum quidem est intentionem fallendi, si accedat, constituere primum analogatum seu perfectiorem speciem mendacii, uti amicitia honesta comparatè ad utilem & jucundam. Et sic postea rectè determinat Thomas: *Sed tamen ratio mendacii sumitur à formali falsitate, secundum hoc scilicet, quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi.* Et paulo post. *Quod autem aliquis intendit falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum; non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam perfectionem ipsius: sicut & in rebus naturalibus aliquid speciem sortitur si formam habeat, etiam si desit formæ effectus*, &c.

11. *Probl. An omne mendacium sit peccatum?* *Resp.* Distinguitur ab objecto seu materiâ in pernitiosum, officiosum, humilitatis, jocosum: quorum primum frequentissimâ praxi, & errore populari & olim & nunc ferè solum in peccatis habitum est. Nec defuerunt Doctores, qui peculiari & privatæ suæ opinoni hic indulserunt. Nam communi aut orthodoxæ alicujus ecclesiæ, aut alicujus professionis quæ nomine Christiano gaudere velit, consensu & doctrinâ tale quid statui non memini. Inter antiquos *Cassianus* officiosum & humilitatis apertè à peccato liberat *collat.* 17.

à

à *cap.* 15.-20. Et fatentur hoc ipsi Pontificii, ut *Alphonsus à Castro lib.* 10. *adv.* hæreses in voce *mendacium*: ubi in fine addit, *forte hâc & aliâ occasione Cassiani opera inter apocrypha recensèri à Gelasio Papa cap.* sancta Romana *dist.* 15. Quin & *Hieronymus* hic labascit in *Galat.* 2. & *apolog.* 1. adversus *Russinum*, & in epistolâ ad Augustinum, ubi alios suæ sententiæ autores laudat. Nec Chrysostomus subsistit, motus, ut videtur, exemplis sanctorum. Vide eum in *Genes.* 12. & 17.

Ex recentioribus *Becanus Theol. Scholast. part.* 2. *part.* 3. ubi de restitutione *pag.* 273. latis huc tendit. Nec abludit *Erasmus in Encomio moriæ pag.* 272. *edit. in* 8. cum commentar. *Gerardi Lystrii. Lipsius in Politicis* probitatis magister (scilicet) principi suo fraudes & deceptiunculas partim suadet partim permittit; quo nomine vapulat adversario suo *Georgio Thomsono pag.* 20.-30. edit. in 8. Huc reduci debent improbę dispp. Pontificiorum, quæ quamvis directè & apertè mendacium non defendant, venialia tamen peccata hic communiscuntur cum *Thomâ suo* 22. *qu.* 110. *art.* 4. & artem æquivocationum ac mentialium reservationum tradunt: de qnâ infra. Remonstrantico tenebrioni causam mendacii contra nos tuenti respondi in meo *Thersite.*

Ex nostris (quod ingenuè fatendum) unus inter theologos *Wolphgangus Musculus in commentariis ad Johann.* 8. errorem hunc errat. *Albericus Gentilis J. C. in Perusino Gymnasio* primum, postea ob religionem relicta Italia in Acad. Oxonienśi celebris juris professor tractatu peculiari tit. de abusu mendacii, periculosam hanc causam egit; quod ψεῦδημα præstitisset cum Italiâ & Papatu exutum fuisse, *Bucerus in commentar. ad Ephes.* 4. non determinat. Inter Lutheranos Theologos quæstionem hanc involvit non explicat, quin ab *Augustino* liquidè determinante haut obscurè discedere videtur. *Balduinus lib.* 4. *Casuum cap.* 17. *casu* 18. Nos cum *Augustino in libro de mendacio c. Cresconium*, & commentar. in *Psal.* 5. absolutè statuimus omne mendacium esse peccatum. Classes argumentorum pro hâc sententiâ accuratè instruxit *Amesius lib.* 5. *Cas. c.* 55. Si quis alios insuper conferre velit, & in iis solutiones objectionum atque exceptionum, illi indico, *August. l. c.*, *Martyr. in loc. comm. Georg. Abotum* in sex prælectionibus, *Joh. Downamum tr. cit. c.* 12. *Alphonsum à Castro loc. cit. Rivetum in decalogum*, *Georg. Thomsonum contra Lipsium. Meisner. in qu. Ethic. & Polit.*

111. *Probl. An mendacium ulla ratione honestari possit, seu an Deus possit alicui mandare mendacium, aut etiam mandare ut quis credat falso? Resp. Neg.* utrumque. Prius deducitur ex rationibus quibusdam contra mendacium à natura Dei qui est veritas, petitis; quas vide apud Amesium, &

Scholasticos. Posterius satis superque excussum est ab Amesio in appendice ad Medullam, de fidei divinæ veritate; & nos illud attigimus in 1. *part. sel. disp. tit. de Jure & Justitia Dei*, & in 2. *part. sel. disp. tit.* de Merito Christi.

IV. *Probl. An mendacium, præsertim pernitiosum sit turpissimum & gravissimum peccatum? Resp.* Aff. 1. *ratione primitatis:* quia primum est per quod homo abductus, & omnia vitia & mala ingressa sunt. *Joh.* 8. *v.* 44. ubi diabolus dicitur mendax fuisse ab initio; coll. cum 2 *Corinth.* 11. *v.* 3. ubi serpens dicitur decepisse Evam. 2. Ratione *originis & patris*: quia propriè dicitur opus ac fœtus diaboli *Joh.* 8. 44. eoque homo proximè diaboli imaginem refert ejusque filium se ostendit. 3. Ratione *universalitatis*: quia omnia peccata quasi radicaliter in se continet, ad omnia aditum struit, omnium vehiculum & receptaculum est, omnibus se insinuat, omnia committenda & continuanda promovet, omnibus commissis patrocinium & præsidium præstat. 4. Ratione ἐυπερισταστας, id est, *facilis circumsistentiæ* & perpetuæ quasi adjacentiæ ac quotidianæ incursationis; consequenter ratione difficilis resistentiæ aut evitationis. Illud enim Jacobi cap. 3. v. 2. *Perfectus vir est, qui in verbo aliquo non transgreditur*, merito proclivitati & lubricitati humanę ad mentiendnm aptari potest. Hinc experimur omnes nationes, omnes hominum ordines, omnem ætatem, omnem sexum huic malo obnoxium esse, ne quidem optimos quosque, nec sacri ordinis viros, nec Judices, nec Optimates & κυρίευοντας (ex. gr. Davidem, Petrum, &c.) exemtos. Imprimis olim inter nationes notati Cretenses, diverbio illo κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται (*Callimachus hymno in Jovem*), quod etiam propheta eorum Epimenides oraculis suis inseruit, citante & probante Apostolo *Tit.* 1. *v.* 12. κρῆτες, &c. Et Græci, juxta illud:

---- *Quidquid Græcia mendax*
Audet in historiâ ----

Huc facit adagium, *Græca fides.* Ut & Tyrii, Pœni, de quibus illud, *Tyriosque bilingues*, & *Fides*, *Punica.* Quibus nationibus hodie peculiariter & appropriatè hoc vitium tribuatur, indicant topographi speciales, & qui icones animorum, ac mores gentium depingunt. De aulicis, de politicis Machiavellicis, de mercatoribus, artificibus, agricolis, pueris, famulis, ancillis, divitibus, mendicis, nemo ignorare potest, nisi qui extramundanus sit. Quod ad sacrum ordinem, seu clericos & regulares in Papatu: vix unus atque alter est (utinam nulli ex iis, qui ad ecclesiam nostram transeunt!) quibus aptari non possit illud quod olim à *Wicleso* Minoritis fertur objectum: *Tenet*, inquit, *argumentum in materiâ & forma: hic frater est: ergo mendax.* De irreptione hujus caco-dæmonis in aliquot (alibi plures, alibi pauciores) viros ecclesiasticos ecclesiarum à Papatu sepa-

separatarum, præter clamantem experientiam verbum non dicam : Tantum indico querelam veterani & exercitati theologi *Johannis Downani in libro de Mendacio* anglicè anno 1636. edito ubi *cap.* 1. 9. 6. applicat illis *Ezechiel* 13. *v.* 18. 22. *Michæ* 2. *v.* 11. Confer rationes & autores modo ad 2. *Probl.* indicatos; quibus adde conciones & commentaria ad loca scripturæ ab Amesio citata, aliaque concordantia.

v. *Probl. An mendacium per censuras ecclesiasticas præmissa monitione & correptione, in filiis ecclesiæ emendandum aut coërcendum sit?* Resp. Aff. 1. *Quia* est peccatum turpissimum & gravissimum, ac *proprium opus diaboli* (secundum catechesin nostram *qu.* 112.) : consequenter in filiis Dei & ecclesiæ tolerandum non est, ut audiant filii diaboli (*Johann.* 8. *v.* 44.) Confer quæ problem. præced. de gravitate hujus peccati notamus. 2. *Quia*, omne peccatum, quod est scandalum, ecclesiæ ac fidei opprobrium, disciplinâ ecclesiasticâ expurgandum. Sed mendacium est maximè scandalosum, & ecclesiæ apud extraneos probrosum. Ergo. Majoris veritas probatur ex 1 *Corinth.* 5. 3. *Quia* excludit ex regno cœlorum, & cultores suos reddit ab eo extraneos atque exclusissimos *Apoc.* 21. *v.* 8. 27. Ergo non est tolerandum in ecclesia, sed per censuras eliminandum. 4. *Quia* mendacium pernitiosum, maximam in se continet injuriam, atque adeo aut sigillatim proximo cuique, aut collectim communitati sive civili sive ecclesiasticæ, aut utrisque maximè damnosum. Ergo non est tolerandum sine censura juxta Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus* ; &c. 5. *Quia*, varia mendacii genera sunt ἀσύμφωνα cum naturali & civili honestate, quædam etiam autorem politicè infamem reddunt : uti videre est apud Jureconsultos, ubi de *falso*, & de *infamiâ*. 6. *Quia* ebriositas & ebrietas, simplex fornicatio, simplex furtum, rixæ, pugnæ, verbera, &c. censuris ecclesiasticis coërcentur : Ergo multo magis mendacium. Est enim, quod ad complures species ac gradus, multo turpius & damnosius peccatum. 7. *Quia*, nemo agnoscitur filius Dei, & secundum judicium caritatis à matre ecclesiâ tanquam talis recipitur, nisi fidem & conversionem & oris professione & bonorum operum studio externè ostendat. Atqui, qui opera diaboli propria operatur, & iis ostendit se esse ex patre diabolo (*Joh.* 1. *v.* 44.) quomodo is sine ulla adhibita disciplina tanquam regenitus Dei filius in domo Dei tolerabitur? quomodo sanctum non dabitur canibus, contra *Matth.* 7. *v.* 6. coll. cum *Apocal.* 21. *v.* 8. 27. 8. *Quia* posterioris generis, mendacium, cui prætexi solet officium, aut jocus seu vana oblectatio, aut modestia & humilitas : arguit cordis humani vanitatem, levitatem, lubricitatem, profanitatem; & repugnat sancto illi timori ac tremori *Philipp.* 2. *v.* 12. *Psal.* 2. *v.* 11. gravitati item *Philipp.* 4. *v.* 8. & vigilanti circumspectæ oris custodiæ *Ps.* 39.

*v.*2. cum *Jacobi* 1. *v.*26. & 3.*v.*6. Vera caritas delectatur veritate 1 *Cor.*13. *v.*5. Et verus discipulus Christi, novit de omni verbo otioso rationem reddendam *Matth.*12. *v.*36. Si quis ergo in ecclesiâ huic mendaciorum generi se addicat, & pro re nata cum ipsi usu venit, sine formidine, aut difficultate, aut remorsu in illo se exerceat : is disciplinâ coërcendus.

VI. *Probl. An ironiæ, hyperbolæ, parabolæ, fabulæ seu apologi sint mendacia. Resp. Neg.* cum *Augustino lib.*1. contra mendacium ad Consentium *cap.*5. 1. *Quia* non adest voluntas falsum dicendi. Nam qui ironiâ aut alio tropo conceptum suum exprimit, non vult nec verbis præcipit ut enuntiationem impropriam propriè accipiant. Eadem est ratio hyperbolę, parabolę, mythologiæ. 2. *Quia* Deus ipse & Θεόπνευστοι Prophetæ atque Apostoli usi sunt *ironiis & sarcasmis Genes.*3. *v.*22. 1 *Regum* 18. *v.*27. & 22. *v.*12. *Eccles.* 12. *v.*9. *Matth.*26. *v.*41. 2 *Cor.*11. *v.*19. & 12. *v.*13. *Eccles.* 12. *v.*9. *Hyperbolis*, *Judic.* 20. *v.*16. *Johann.*21. *v.*25. *parabolis*, & *fictionibus atque hypothesibus parabolicis* 2 *Samuel.*12. *v.*1. 1 *Reg.*22. *v.*19. *Matth.*21. *v.*33.-41. Vide *August. lib.*2. *quæst. Euang. c.*51.

DE SIMULATIONE ET DISSIMULATIONE.

§.2. I. PRobl. *An omnis dissimulatio sit illicita, an vero aliqua sit licita ? Resp.* cum dist. aut silentio, aut verbis, aut facto dissimulatur.

1. *Concl.* Præteritione & *silentio* tegere seu occultare licet, ac dissimulare veritatem aut partem ejus, (*Jerem.*31. *v.*26.27. *Prov.*30. 14.) sive de nobis ipsis sive de aliis ad quam enuntiandam in conscientia non tenemur; idque ad bonum publicum, aut privatum sive nostrum sive proximi nostri. Neque enim omne verum semper dicendum, nec veritatem reticens loquitur mendacium. Nec repugnat hoc veracitati, sinceritati, simplicitati, & candori Christiano : consequenter non est hoc reducendum ad hypocrisin, vafritiem, & fraudulentiam; sed ad prudentiam justorum, taciturnitatem, ac linguæ moderationem. Matth.10. v.16. *Estote prudentes ut serpentes*, Mich.7. v.5. *Ne crede amico*, &c. *custodi ostium linguæ*, &c. Adde alia monita compluria de frenanda lingua. Fit autem ista dissimulatio seu præteritio vel in universum tacendo; vel aliud quid verè dicendo, dum veritatem hanc præterimus; vel partem aut partes dicendo, dum reliquam aut reliquas partes tegimus; vel exsertè dicendo, nos nolle dicere aut respondere; vel interrogationem interrogationi opponendo; vel denique abducendo ab illis cogitationibus & sermonibus ad alios.

2. *Concl.* Nec tantum hoc aliquando licet in familiari conversatione cum quibusvis hominibus, sed & in judicio coram superioribus & judicibus, etiam

etiam juridicè interrogantibus. Probatur id exemplo Christi *Matth.* 21. *v.* 24. 27. & 26. *v.* 63. & 27. *v.* 14. *Joh.* 18. *v.* 20. 21. 34. & 19. *v.* 9. *Luc.* 23. *v.* 9.

3. *Concl.* Quin & in negotio religionis id aliquando licet, immo utile est; uti constat ex exemplis Christi modo allatis; & Pauli *Actor.* 21. & 23. 1 *Cor.* 9. *v.* 21. 22. 23. Non enim semper coram quibusvis fidei confessio edenda; nec quævis partes fidei, quævis dogmata theologica simul & semel proponenda; nec quivis errores, aut quævis peccata corripienda. Hic conferenda doctrina de confessione fidei, de apologia veritatis, de correptione fraterna, de tolerantia, de moderatione, de juramento religionis, de quibus nos partim in *Politica Ecclesiasticâ*, partim in 3. *part. sel. disp.* partim in *Exercitiis pietatis.*

4. *Concl.* Dissimulatio non tantum silentio, tacita abductione, aperta recusatione peragitur; sed & positivè verbis ita dispositis, ut aliquando aut ut plurimum ille qui audit, inde aliud quid, quam nos intendimus, colligat; nosque probabiliter novimus illum hoc collecturum, quin & verbis nostris ita prolatis idem intendimus. Atque hunc dissimulationis modum in rebus licitis & utilibus ad Dei gloriam & bonum proximi adhibitum, esse alienum à mendacio & consequenter licitum putamus: sic tamen ut hic sit summus prudentiæ in sermone gradus, nec ultra illum fas sit ascendere, nisi lineas transilire velimus. Vide exemplum Pauli *Actor.* 23. *v.* 6. 7. 8. 9.

5. *Concl.* Licet dissimulare factis externis, quæ ex instituto & communi usu non sunt signa affirmationem aut negationem denotantia; modo id fiat in re licita atque utili & fine bono. Facta enim non sunt verba, nec testimonium dicunt. Quod si quis ex iis seipsum malè aut verisimiliter colligendo decipiat, sibi errorem illum imputet, Huc refer exemplum Christi *Luc.* 24. *v.* 28. & stratagemata militaria, quę Deus ipse docuit & probavit, ut *Josuæ* 8. *v.* 5. 6. 7. *Judic.* 7. *v.* 16. 17.

II. *Probl. An simulatio aliqua sit licita? Resp.* cum dist. Variè hęc vox ab Ethicis & theologis accipitur. Latè aut laxè accepta, indifferens est; sic licitè vel illicitè simulatio fieri potest. Si ergo idem notet, quod dissimulatio jam à nobis explicata. *Aff.* Nihil enim aliud est, quam solers consilium; quod illæsâ justitiâ in bonum finem adversus aut apud aliquem exercetur. Sin aliud quid, ut sonet aut implicet hypocrisin, dolum malum, mendacium directum aut indirectum, æquivocationem, aut mentalem restrictionem, breviter ut idem sit quod *aliud clausum in pectore aliud in linguâ promptum habere* (uti *Salustius* de Catilina, quem simulatorem & dissimulatorem omnium prædicat); *Neg.*

III. *Probl. An simulatio in negotio religionis sit licita? Resp.* Si distinguatur à dissimulatione, & notet aliquam per verba, gestus, signa, ritus ostentationem, quâ aliis videri possumus à vera religione alieni esse, aut à falsa non alieni; *Neg.* Hoc enim directè repugnat confessioni & martyrio (*Math.* 10. *v.* 32. 33. *Rom.* 1. *v.* 16. & 10. *v.* 10. 2 *Tim.* 1. *v.* 8. 16.): de quibus alibi *part.* 2. *polit. eccles. lib.* 1. Aliter fert sententia & praxis Priscillianistarum, Bogimilorum, David-Georgianorum, aliorumque Enthusiastarum & Libertinorum, Neutralium, Pseudo-Nicodemitarum. Vide *Wigandum t. Neutrales*, & *Calvinum* in opusculis, cum subjunctis aliorum Theologorum Judiciis contra Pseudo-Nicodemitas, & scriptores contra Libertinos in Biblioth. nostra indicatos. Sed si simulatio idem notet quod dissimulatio, & sit purè negativa, quę consistat in solo silentio, in non-indicio, non-confessione, non-apologiâ; aliquo in casu licita est; cum scil. inter hostes & persecutores ecclesiæ versantem aut per illos transeuntem, aut una navi vectum, aut uno hospitio exceptum nemo rogat de religione, nemo cogit: Sponte enim illic & intempestivè seipsum prodere, atque in præsentissimum periculum & se & religionem conjicere absque ulla spe aut præsumtione ædificationis, videtur repugnare prudentiæ. Neque enim margaritæ porcis objiciendæ *Matth.* 7. *v.* 6. Nec præceptum affirmativum de confessione *Rom.* 10. *v.* 10. obligat ad semper: & haut obscurè 1 *Petr.* 3. *v.* 16. restringitur per additamentum illud: *Omni petenti.* Nec tamen omni importunè, stolidè, hostiliter, sarcasticè profanè, furiosè petenti. Vide *Amesium l.* 4. *c.* 3. & *Polanum lib.* 8. *syntagm. cap.* 8. ubi de actu prudentiæ, dissimulatione. Quorum tamen virorum determinationem nolo applicari *Arminio*, qui delegatis à Synodis Hollandicis recusabat aperire sententiam suam in iis religionis capitibus, quorum nomine suspectus erat ecclesiis, & per quæ multi infirmi scandalizabantur. Ut nec eidem *Arminio* in juvenili ætate Geneva, quò studiorum causâ à Mecænatibus Amstelodamensibus missus erat, Romam excurrenti. Quod factum ita displicebat inclyto Senatui Amstelodamensi, ut exinde usque ad annum 1612. nullis theologiæ studiosis, qui stipendiis ipsius fruebantur, peregrinandi facultatem concesserint. Ut alia incommoda & pericula à *Lipsio* in epistola ad *Lanoyum* (quæ est 22. centur. 1.) designata, nunc præteream; Non video sane, quomodo vulgares Romipetæ nostrates, & peregrinantes Italici angulos quoscunque & adyta partim idololatrica, partim curialia Romano-athea curiosè perlustrare & perreptare possint, ut conscientiam Dei & melioribus imbutam (siquidem imbuta sit) impollutam servent ab idololatria indirecta & participata; & inde meliores domum redeant. Notum est in mediis Papatus tenebris jactatum Bapt. Mantuani distichon: *Vivere qui sanctè cupitis, discedite Roma: Omnia cum liceant, non licet esse pium.* Et quæ celebris Sorbonicus

cus Esbenceus, de matre Æneæ regnante Romæ, aliique alibi citati cecinerunt; & quid ante eos *Fr. Petrarcha in epistolis, poematis*, &c. Eximius theologus *Zachar. Ursinus* in epistolâ quâdam gratulabatur amico reditum ex Italia, addens, hoc est, ex *cloacâ diabolorum. David Pareus in commentar. in Apoca.* alibi nobis citatus Germanis Romipetis non importunè periculum ostendit. Quod si curiositas hæc sine manifesto periculo dilapsus aut in manus inquisitorum, aut in idololatriam indirectam, expleri posset: utique absolutè eam nemo improbaret. Videndum est ergo, ne dictu aut factu necessaria in negotio religionis, etiam in aliis quæ proximum concernunt, omittamus; sed omnis nostra dissimulatio fiat citra fraudem veritatis, caritatis, justitiæ, & vocationis nostræ; & distinctio fiat inter eos, apud quos dissimulatur, inter ignorantes scil. & scientes, infirmos & firmos, amicos & inimicos, minus malos & desperatè malos, &c.

IV. *Probl. An dissimulationes angelorum Genes.* 19. *v.* 2. *Josephi Genes.* 42. *Mosis Exod.* 4. *v.* 18. *Israelitarum Exod.* 3. *v.* 28. *Samuelis* 1 *Sam.* 16. *Davidis* 1 *Sam.* 21. *v.* 13. *Lucæ Euangelistæ Cainan in genealogia recensenti c.* 3. *v.* 38. *Pauli Actor.* 21. *v.* & 23. *v. culpa omni caruerint? Resp.* Ita censet Polanus loco cit. cui facile adstipulamur, excepto exemplo Josephi *Genes.* 42. quem à nimia fratrum vexatione & excruciatione in totum excusare nequeo; saltem malo ἐπίκεν quam universæ illi tragi-comœdiæ applaudere. De Davidis simulata insania dissentiunt theologi: Alii cum *Polano* in totum excusant eam, ut *Tostatus*, & recentiores Pontificii, inter quos *Lorinus in Psal.* 34. *v.* 1. etiam laude dignum judicat: quod Deus non tantum approbaverit, sed & spiritum propheticum contulerit, quo psalmum hunc componeret. *Thomas* 22. *qu.* 111. *art.* 1. ad figuralem fictionem refert. *Hieronymus in Galat.* 2. hoc cum Petri Paulique exemplo, quos ex condicto insaniam simulasse fingit, comparat. & probat. *Gaspar Sanctius in* 1 *Sam.* 21. itidem probat, & prudentis ejusmodi simulationis exempla aliquot adducit, Ulyssis scil., Solonis, Junii Bruti; quibus addit *Lorinus* Niciæ Siculi, Methonis Athenienses, Ramiri Aragoniæ regis, sancti Simonis Salii, quem dicit illud 1 Corinth. 3. v. 18. *Sapientia hujus „mundi stultitia est apud Deum*, & vice versa magis peculiari & affectato „studio usurpasse. Nec mirum in gratiam quorundam stultè sanctorum suorum Pontificios hoc factum Davidis tantopere probare: cum illi propriè dictam histrioniam & admittant, & per Romanæ militiæ Spachios & Janitzaros, Jesuitas, strenuè supra omnes histriones exerceant, & larvas Bacchanalium, hoc est larvatos moriones, & habitu mentientes sexum, à peccato mortali excusent. Vide inter Casuistas ipsorum, *Azorium part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 4. §. 6. Summam Sylvestrinam in voce *fœmina* §. 2. *Eligium*

Baßeum

Baſſeum in floribus theol. pract. in vide *mendacium* §. 6. Ex noſtris *Martyr. in commentar. ad* 1 *Sam.* 21. excuſare videtur, non tamen abſolutè & peremtoriè determinat, ſed quaſi in medio relinquit. Ego, quia non ſola facta, & geſtus Davidis, ſed & verba minimè decora ad fictionem ſtultitæ facientia, hic intercurriſſe arbitror, malo in tutiorem partem inclinando, cum *Joh. Downamo cap.* 4. §. 4. Davidem in tantum excuſare, non in totum.

V. *Probl. An ſtratagemata & molimina quæ ſcriptores politici nonnulli, & praxis fere communis plurimorum principum, aulicorum, ac miniſtrorum ſive regis ſive regni, nomine* arcani *aut ſimulacri* politici *velata adhibere ſolent, idque ut ſuis rebus ſtudeant, ſeu propiis ſuis* intereſſe *(uti loquuntur), prætexendo tamen publicum regni, aut Reipublicæ, aut etiam eccleſiæ ac religionis bonum; à mendaciis, fraudibus, & malis artibus pio homine indignis, liberari poſſint? Reſp.* Neg. Quia non ſine fraudibus, ſimulationibus, mendaciis hæc ſacra conſtant. Præcepta iſtus artis ſi quis noſſe cupiat, legat Machiavellum, & politicos Machiavellicos; ſin modulum & praxin, conſulat Tacitum, hiſtorias de regione Caroli V. Philippi II. Regum Galliæ Henrici II. Caroli IX. imprimis *hiſtoriam Concilii Tridentini*, cum conclavibus ſeu electionibus, vitis, & epiſtolis Pontificum, ut Leonis 10. à Bembo nomine ejus ſcriptis, & Pii V. anno 1640. editis in 4. Adde epiſtolas Cardinalium, ſi quæ editæ ſunt ab Alexandro 6. uſque ad præſentem Alexandrum 7.: quales Oſſati & Perroni gallicæ, Bentivoglii Ital. Sadoleti Lat. alterius generis ſunt. Adde & Jovii vitas Leonis X. & Cardin. Pompei Columnę; denique Stateram Cardinalium Ital. & Gall.

ALIQUOT PROBLEMATA AD IX. PRÆC. DECALOGI

Pars ſecunda,

DE DOLO, ÆQUIVOCATIONE, MENTALI RESTRICTIONE.

Reſp. HENRICO van RHENEN Ultrajectino 13. *Octobris* 1655.

§. 1. *Probl.* 1. *An dolus aliquis ſit licitus? Reſp. Vocabulo doli,* inquit, Feſtus, *nunc tantum in malis utimur: apud antiquos autem in bonis utebantur.* Jureconſulti diſtinguunt dolum in bonum & malum. Illum dicunt eſſe ſolertiam: iſtum rationem vafram, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.

Doli

Doli mali ſynonyma ſunt *fraudatio*, *fraus*, *fallacia*, *offuciæ*, *deceptio*, *impoſtura*, *calliditas*; *callidum conſilium*; *verſutia*, *vafrities*. *De circumventione & aſtu*, mox peculiariter diſquiremus. *Culpa* ſæpe idem dicit quod *dolus*, aliquando ab eo diſtinguitur; ut *culpa* imprudentiæ aut ſtultitię, *dolus malus* ſceleri tribuatur. Proceſſio doli mali ſæpe eſt maleficium nominatum, ut *furtum*, *homicidium*, *perjurium*; aliquando factum criminoſum, quod ſpeciali nomine non eſt ſignificatum; ideoque dicitur *ſtellionatus*.

Species doli mali vulgò deſignantur, *calumnia*, *prævaricatio*, *tergiverſatio*, *cavillatio*, de quidus infra agendum.

Effecta doli mali à J C Cis. numerantur. 1. *Infamia*, vel ſaltem quaſi infamia apud bonos viros. 2. *Contractus* bonæ fidei vitiatio per dolum præcedentem. 3. *Privilegii* cujuſcunque ceſſatio. 4. *Damnum* maximum, quo humanæ ſocietati infertur.

In ſacris literis vox Hebr. מרמה & רמיה & תרמית ſemper in malam partem accipitur; & ſic Gr. δόλος in N. T. & in verſione Gr. V. T. ut & conjugata ejus δόλιος, δολιότης, δολιόω, &c. Et ſic apud prophanos ſcriptores tum conjugata tum varia cum voce δόλος compoſita accipiuntur. Notandum autem in inveſtigandâ vocum ſignificatione non tam ſpectandum unde deſumtæ, quam ad quid ſignificandum impoſitæ; nec quid cum primâ impoſitione primis illis uſurpatoribus ſignificaverint, aut illi per eas ſignificare intenderint, quam quid communi uſu loquentium & audientium nunc ſignificent. Ex abundanti tamen addere poſſumus ipſas vocum notationes ſonare in malum. Sic in etymologico magno bis Venetiis, & poſtremo Heidelbergæ à *Sylburgio* anno 1594. edito, hæc etyma adferuntur: δόλος παρὰ τὸ, δέω τὸ δεσμῶ, ὁ συνδῶν τοὺς ἁλισκομένους ἢ & παρὰ τὸ βλάπτω, &c. Quin & communi uſu latinè loquentium tum olim (teſte *Feſto*) in ipſâ ἀκμῇ latinitatis, tum hodie in ſcholis & apud literatos, in malam partem accipitur, cum ſynonymis *fraudis*, *fallaciæ*, *impoſturæ*, &c. ut & conjugata, *doloſè doloſus*. Idem dico de pleriſque ſynonymis græcis, ut βαυκοπανουργία, ἀπάτη, πλάνη, περίγραφὴ, σόφισμα, κρησφύγετον, id eſt, ſubterfugium, ſeu fuga ſophiſtica, &c. *Auguſtinus tract. 7. in Johannem*: „ dolus, inquit, fraus eſt, ſimulatio eſt: quando aliquis *aliud* in corde tegit & *aliud* loquitur: dolus eſt & tanquam duo corda habet; & omnis, „ qui verba latina intelligit, ſcit quia dolus eſt cum aliud agitur & aliud fingitur.

Videtur ergo ſic determinandum: ut vocibus eorumque origine & acceptione poſthabitis rem ipſam, ejuſque definitionem ſpectemus, & quidquid veracitati, ſimplicitati, ſinceritati, bonæ fidei, prudentiæ, & ſe-

cundum eam licitæ dissimulationi præced. sect. à nobis descriptæ adversatur, absolutè condemnemus juxta *Psalm. 55. v. 23. & 34. v. 13. Rom. 3. v. 13 & 1. 29. 2 Corinth. 12. v. 16. 1 Petr. 2. v. 1.*, &c. Conferantur huc rationes contra mendacium, &c. æquivocationes, mentales reservationes, omnesque alias palliatorum mendaciorum artes. *Calvinus in controversiâ de Usuris*, ubi quæsitâ vocum ambiguitate determinatio obscurari solet, rectè monet commentar. ad *Ezechiel. 18. v. 8.* „ Hic autem memi-„nerimus rem spectandam esse non verba. Nam ludunt homines suis ca-„villis, sed Deus non admittit tales versutias, Itaque res, ut dixi, expendi „debet, quia ex verbis non potest fieri judicium, liceatne fœnerari inter-„dum nec ne, ex. gr. nomen usuræ & apud latinos vitio caret & probro, „est per se honestum: nomen fœnoris est, &c. Vide reliqua dignissima, „& applica huic præsenti quęstioni.

Addimus tamen hanc determinationem nostram fieri in terminis & distinctè secundum communem phrasios acceptionem, non tantum in sacris literis (quod alioquin in quæstionibus theologicis sufficere posset), sed etiam apud philosophos morales veteres ac recentiores & classicos utriusque literaturæ autores, ut & literatos recentiores, & nationes Europæas vernaculo quasque suo ideomate loquentes. Adeo ut in regno veritatis & sinceritatis *piæ fraudes*, (ita dictæ) h. e. mendacia specie officiosa; revera pernitiosissima locum nullum invenire debent. Nec περιεργία *Ulpiani* circa criticam non-criticam vocis *doli* acceptionem (depromtam forte ex colloquio cum matre Evandri, ut cum *Agellio* loquar), & otiosam homonymi distinctionem, non rei ipsius divisionem, Casuistis quidquam præjudicare debet, & tenebras huic liquidæ secundum scripturas determinationi offundere, in quas dolosi se abdant. Si enim categoriæ *doli*, *dolosi*, *dolose*, quæ apud infinitos scriptores Ethicos, historicos, theologos occurrunt, exceptionem *doli boni & mali* admittere coguntur pro arbitrio hominum qui mendacia amant & faciunt, quidni & *fraudis*, *fraudulentiæ bonæ ac malæ*, *mendacii boni ac mali*, *imposituræ bonæ ac malæ*, &c. Certè *fraudi* ęquè aut magis congrueret hæc distinctio quam *dolo*: siquidem credendum *Cujacio* ad L. *Juris gentium §. sed si fraudendi* „*ff. de pact.* dicenti: Fraus damnum est, quod vel mala fides adversarii, „vel ipse eventus rerum adfert. Huc confer quæ de antiquâ acceptione *fraudis* pro *incommodo*, *periculo*, *damno* Jureconsulti φιλολογοῦσι. Quod ad Jureconsultos, certè si ipsis, cum politicis & theologis, quæstio proponatur de *tyrannide* an sit honesta, laudanda, affectanda; an distinctionem adhibebunt *tyranni*, & *tyrannidis* in *bonam & malam*, quia scil. vox illa in primâ sui impositione, aut antiquissimo apud Græcos usu dominum nota-

notavit, & neutra fuit. Quis non diceret eos nugari, aut moras non neceſſarias nectere, aut huic doctrinæ tenebras offundere, aut tyrannidi ac tyrannis videri velificari. Similis ratio eſt quæſtionis propoſitæ de *dolo*, de *fraudibus*; ad quam Moraliſta aut Caſuiſta reſponſurus, ſi diſtinguat, an non putabitur κρησφύγετα, σοφὰ φαρμακα, & latebras vitiis quærere? & docere cum *Lipſio in Politicis* 4. *c.* 14. deceptiunculas h. e. ἀλωπηκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπηκα i. e., *vulpinari cum alia vulpe.* Faceſſat ergo logomachia, & luſus ambigui; aut diſtinctio (per nos licet) præmittatur quæſtioni, quandoquidem homonymæ voces, ſi quas hic eſſe velint, ante factam diſtinctionem nihil ſignificant. *Tholoſanus* celebris & πολυμαθὴς J. C. *lib.* 21. *ſyntagm. c.* 13. ita fluctuat & ἀκεφαλίαν in hujus rei explicatione prodit, ut ad operoſas nugas meritò rejicienda videatur. „ Doli, inquit, dictio tam „ græcis quam latinis communis eſt, & ſignificat omne id quod ſimplex „ non eſt. Sicuti *Ariſtophani in* Pluto δόλος eſt contrarius ἁπλοῖς τρόποις. Et „ in hâc generali appellatione, rectè dicetur dolus aliud facere, aliud ſimulare ſe agere, &c. Deinceps allatâ diſtinctione doli in bonum & malum, „ illum tuiturus ſic loquitur: Eſtque ſupplantatio alterius & deceptio „ plerumque, ſi in commodum facientis jure aliquo approbatum vertatur, jure divino non improbata; ut quando doloſè Jacob ſubripuit benedictionem *Geneſ.* 27. *Hoſeæ* 12. Et certè in hoc dolo verè dolus non „ eſt: quia intentio non eſt malitia: conſilium non capit, alterum ut decipiat, ſed conſilium capit potius, ut ſibi proſit. Hac ſcil. ratione ab intentione ἀγαθοῦ ſumtâ, quævis mendacia non tantum officioſa ſed & proximo pernitioſa, immo & multa alia peccata bonitatis titulo decorari poſſent. De Jacobi exemplo longè aliter ex analogiâ contextus & ſcripturæ ſtatuunt theologi: ita ut nullam nobis faciat regulam, non magis quam quælibet alia peccata ſanctorum. Poſtea ſubdit poſſe quem, *ſed ſine malitia & mediis* licitis, jus ſuum aut conditionem ſuam reddere meliorem. Rectè additur in Jure civili loc. cit. *mediis licitis* & *ſine malitia*: hoc enim hic in quæſtione eſt, itaque argumentum hinc nullum; ſed mera petitio principii. Denique addit, dolum bonum probari ex 2 *Corinth.* 12. *v.* 16. & *Pſal.* 18. *v.* 40. *ſupplantaſti inſurgentes in me.* Sed nihil abſurdius dici poteſt: uti patet loca illa inſpicientibus. Conferri etiam poſſunt commentatores.

11. *Probl. An aſtus aliquis licitus? Reſp.* Cum diſt. aff. quia ſi uſum vocis ſpectes quamvis plerumque in malam, etiam in bonam partem accipitur; & ſic de ſolertia ac prudentia tum in conſiliis ineundis & concelandis, tum in ſtratagematis exequendis, uſurpari puto. Sin inſuper ſpectes originem, de eo minimè dubitandum. Dicitur enim *aſtus* ſecundum *Feſtum*

ſtum à gr. ἄστυ, id eſt, oppido; *in quo, qui converſati aſſiduè ſunt, cauti atque acuti eſſe videntur.* Similis ratio eſt vocis conjugatę *aſtutus*, quam *Feſtus* explicat *aſtu valentem.*

III. *Probl. An aliqua circumventio ſit licita? Reſp.* Aff. Jureconſulti; dicentes naturalem circumventionem non habere pœnam fraudis, ut ſi fiat à patre, præceptore, Magiſtratu ad emendationem. Videtur hæc quęſtio ut & præcedens eſſe de nomine: alioquin ſonat in malum. Quod ſi phraſi ſcripturæ 1 *Theſſal.* 4. *v.* 6. ὑπερβαίνειν & πλεονεκτεῖν utamur, non eſt licita. Breviter, ſi ultra ſimulationem, diſſimulationem per ſolertiam & prudentiam ſupra à nobis determinatam aſſurgit, idem eſt quod *dolus & fraus*; & conſequenter illicita. Inter antiquos *Chryſoſt. homil. 6. ad Coloſſenſes*, & *lib. 7. de ſacerdotio*, *Baſilius in Proverbia*, *Clemens Alexandrin.* Καλὼ ἀπάτῃ καλῷ τῇ ἐπαινετῇ πανουργίαν, dolos & fraudes, & alicubi ipſa mendacia admittere videntur. Sed aut catachreſticè loquuntur, (quomodo meridies noctis, auriga carinæ, diſcors concordia dicitur) aut factorum & conſiliorum ſolertiam intelligunt; aut facta & exempla ſanctorum in ſcriptura tanquam leges accipiunt.

IV. *Probl. An fallacia, & deceptio aliqua ſit licita, quâ quem in errorem adducimus. Reſp.* Ut dicta aut facta noſtra ſint cauſa per ſe directè errorem in alio producens, *Neg.* Ut ſolummodo objecta occaſio ſint, & materialiter, irritamentum atque incitamentum ex intentione noſtra, quo proximus abutens ſeipſum decipit & in errorem abducit, *Aff.* ſiquidem fiat circa rem licitam, & bono fine. Aliorum enim mala facta & conſilia exemplo Dei diſturbare, confundere, & avertere licet mediis non illicitis, uti ſupra probatum ex *Joſuæ* 8. *Actor.* 23. Sic tamen ut dolum, ſimulationem & hypocriſin triplicem logicam, politicam, theologicam (quam accuratè explicatam dedit *Johann. Prideaux conc. de hypocriſi*) adhæc æquivocationum & mentalium reſtrictionum diabolicas offucias procul habeamus.

V. *Probl. Quid de facto Gibeonitarum Joſuæ 9. ſtatuendum? Reſp.* eſſe apertum & craſſum mendacium, contra *Toſtatum*; qui vocat mendacium *minimum & quaſi nullius culpæ.* Confer de eo Paræum in Exercitat. theol. lib. 2. §. 4. imprimis Serrarium ad cap. cit qu. 5. ubi acriter perſtringit diſſentientem Albericum Gentilem.

De æquivocatione & mentali reſtrictione.

§. 2. DE æquivocatione & mentali reſtrictione quęritur.

1. *Probl. An æquivocationis in vocibus, aut amphibologiæ in ſententiis uſus*

usus sit licitus? Resp. Quid sit æquivocum, æquivocatio, amphibologia, ex elementis logicis notum est. Dicimus ergo.

1. *Concl.* Rhetoricè ejus usus licitus est in figura *Antanaclasi* & *ploce*, & in tropo Ironiæ: ad pungendum & delectandum. De quibus consulantur Rhetores. Nota est antanaclasis in illo vulgato epigrammate:

Quis neget Æneæ natum de stirpe Neronem.
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Et in Epigrammate. Græc. μὰ Δία εἴ με φιλεῖς, πάμφιλε, μή με φίλει. Et sic in sacris literis *Joh.* 1. *v.* 10. *Marci* 8. *v.* 35. eadem vox repetitur, sed significatione diversâ.

2. *Concl.* In disputationibus logicis, aliisque λόγοις πειρασικοῖς qui exercendorum & contra sophismata muniendorum ingeniorum causâ instituuntur. Neque enim illic tanquam veritas asseritur, sed ab opponente aut quæsitore falsitas per modum examinis non per modum assertionis proponitur, ut veritas eruatur; & de eo constat Respondenti atque auditoribus. Confer Logicorum disceptationes pro usu doctrinæ de elenchis sophisticis in Logicâ, contra Rami ostraciſmum.

3. *Concl.* Ad Rhetoricum & logicum usum refer honestos & liberales jocos ex ambiguo, aliaque acutè dicta ex ambiguo e. g. versiculum inter poëmata *Bezæ* pro epitaphio conscriptum cuidam: *Amplissimus vir hic jacet.* Compluria istius generis suppeditabunt libri apothegmatum, in bibliothecâ nostra indicati; & libri facetiarum *Frischlini*, *Bebelii*, &c. *Otho Melander in jocis seriis*; & praxis jocandi Francofurti a. 1602. edita.

Hoc tamen observandum ne nimis crebro, aut contumeliosè, aut insulsè, aut importunè captemus ejusmodi facetias, hoc enim gravitati, & σεμνότητι (Philip. 4. v. 8.) ἀκεμβείᾳ ac prudentiæ (*Ephes.* 5. *v.* 15.) sale condito sermoni (*Coloss.* 4. *v.* 6. repugnat. Neque enim viri graves, præsertim Senatores, ecclesiarum pastores, ætate graves in ludiones, moriones, gnathones aulicos, aut in moriones scenicos, aut in Ulenspiegelios, aut parochos Calenbergicos & simlies nugones & urbanos scurras se transformare debent: nec quisquam inter honestos, graves, & prudentes viros numerandus, qui jocis utitur tanquam ἰδιώμασι non tanquam ἠθώμασι. Cavendum etiam ne phrasibus, dictis, sententiis scripturę admixtis aut huc translatis abutamur. Confer quę monent Ethici de Urbanitate & gravitate, (instar multorum *Wendelinus lib.* 1. *cap.* 19.) varii scriptores de civilitate morum, seu civili conversatione ibid. à nobis indicati; imprimis quæ theologi ad 3. pecept. de abusu nominis Dei, & ad 9. prec. de regimine linguæ.

4. *Concl.* in dogmatis tum philosophicis tum imprimis theologicis; ubi se-

ſerio agendum & ſemper ὅσιον πρὸς τὴν ἀλήθειαν, non licet aut æquivocatione ſeu amphibologiâ, aut aliis quibuſcunque paralogiſmis & ſophiſmatis uti; quæ faciunt ab obſcurandam aut involvendam veritatem, & ingenia confundenda non juvanda. Confer 3. *part. ſel. diſpp. tit.* de Ignorantia, & de errore.

5. *Concl.* Ethicè & Theologicè in teſtimonio dicendo, aut in locutione cum proximo nunquam ea adhibenda: ita ut circumſtantiæ, aut verba declarationis causâ addita, aut geſtus, aut uſus phraſios, audientem de ironiâ, aut antanaclaſi, aut liberali joco monere nequeat.

1. *Ratio eſt*: Quia eſt indirectum aut palliatum mendacium, adverſus illud Epheſ. 4. *Loquimini veritatem quiſque cum proximo ſuo.* Debet enim teſtimonium & quæcunque locutio cum proximo conſtare vocibus externè prolatis: atqui voces ſunt ſigna rerum & conceptuum mentis, ſi ergo præter naturam & officium ſuum voces ſignificent ex communi uſu oppoſitum ejus quod mente concipitur; jam itur exſertè contra mentem & committitur formaliter mendacium.

2. *Ratio*, Quia condemnat ſcriptura loquentem pacem, & corde occultantem inſidias *Jerem. 9. v.* 8. & ambulantem in πανούργια, &c. 1 *Cor. 4. v.* 2.

3. *Ratio.* Quia ſi in ſimplici, etiam in teſtimonio jurato liceret æquivocare; quod abſurdum; eſt enim juramentum πέρας omnis contradictionis, &c. *Hebr. 6. v.* 16. Atqui hoc non eſſet; ſi quidem æquivocationi locus ſit. Nam reſponſio ambigua non convenit quæſtioni ſine ambiguo ex mente quęrentis verbis communi uſu hoc ſignificantibus propoſitæ; cum quâ tamen convenire ſeu cui adaptari debet, juxta philoſophum 2. de interpret. cap. 2. Atque hæ rationes contra novam artem æquivocandi in Papatu ex ovo Jeſuitico excluſam. Quam didiciſſe videntur à *Franciſco Aſſiſſio*, qui cum perſequentes fugientem latronem ex ipſo quærerent num iſtàc tranſiſſet, manu manicę immiſſa negabat, iſtàc (per manicam ſcil.) tranſiſſe. Hanc artem apertè defendunt Jeſuitæ *Toletus lib. 4. inſtruct. ſacerd. cap. 21. Zwar. tom. de virtute & ſtatu religionis tr. 4. l. 3. c. 10. 11. Leſſius l. 2. de Juſtit. & Jure c. 47. dub. 6. §. 35.* ubi alia loca citantur. *Reginaldus in praxi fori pœnitentialis tom. 2. l. 24. c. 1. §. 4. Imman. Sa in Aphor.* in voce *juramentum* & *mendacium. Thom. Sanchez. l. 3. decal. c. 6. Azorius part. 3. l. 13. c. 3. Valentia ad 22. q. 110. Becanus in theol. ſchol. partis 2. parte 3. qu. 89. de juramento qu.* 8. quamvis in *Manuali lib. 5. cap.* 21. ſubdolè ſententiam hanc incruſtare & quodammodo occultare nitatur. Imprimis *Eudæmon Johannes in Apologiâ pro Garneto*, qui ex profeſſo & operosè hanc cauſam agit. Quibus omnibus addi debet *Garnetus*, qui

&

& praxi & apologia coram judicibus artem hanc probavit: ut videre est in Actis contra proditores Anglicanos Latinè per Camdenum editis; & in Apologia Regis Jacobi pro juramento fidelitatis. Et hi omnes ex ordine Jesuitarum; cum quibus faciunt. *Navarrus* theologus & Canonista *cap.* 12. *Manualis*, §. 8. Idemque ad cap. *humanæ aures* qu. 2. §. 10. 11. 12. Ex Cappucinis *Elig. Baßeus in florib. theol. pract.* in voce *mendacium* §. 6. Ex dominicanis *Bannes in* 22. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 8. Et *Vincentius Candidus in disq. moralibus disq.* 26. *art.* 3. *dub.* 1. *Ant. Goffar.* theologus & protonotarius apostolicus in additionibus ad compendium Bonacinæ ad vocem *mendacium. Andr. Victorel. theol. in annot. ad aph. Immanuelis Sa*, ad voces *juramentum & mendacium. Binsfelsius* in epit. *part.* 3. *cap.* 6. & 29. *Martinus Funes* Theologus in *speculo morali part.* 1. *cap.* 13. non tam æquivocationem, quam apertum mendacium concedit in casu, cum quis contra juris ordinem interrogatur. Aliqui tamen ex pontificiis animose & aperte hanc artem oppugnant, vel in totum, vel saltem aliqua ex parte: quales *Barnesius* theol. *Benedictinus in dissert.* contra æquivocationem cum approbatione facultatis theolog. Paris. *Sylvius* theologus *Duacenus* in additionibus ad Binsfelsii epitomen theologiæ pastoralis *part.* 3. *cap.* 6. §. 3. *Malderus* Episcopus Antwerpius in tract. de restrictionum mentalium abusu. Anno 1629. *cap.* 4. Qui statuit *utentem mentali restrictione non absolvi à mendacio, nisi quando ipsa restrictio aliquo modo in dicto ejus exterius, ratione saltem circumstantiarum, aut ratione sensus, quo debebat interrogatio illa fieri, aut alio modo ex aliquo usu hominum, manifestatur.* Et hanc existimare se dicit, communem esse sententiam patrum & antiquorum scholasticorum. Aliqui etiam Casuistæ & moralistæ totum hoc prætereunt, ut *Molanus* in theologia practica, *Filiucius.* Alii tanquam probabile, aut quasi ex aliorum sententia primum affirmare videntur, & citant autores ex professo hanc artem defendentes; postea tamen se satis produnt, quamvis ad odium declinandum primum tergiversati sint: ut *Marchantius in resolutionibus pastoralibus cap.* 8. *qu.* 21. Contra alii animos à crimine sumentes contendunt esse hanc communem theologorum & Canonistarum sententiam; uti *Pesantius ad* 22. *q.* 70. *art.* 4. *disp.* 1. Et *Theoph. Rainaudus* integra disputatione de veritate, ubi à c. 14. ostendere conatur communem consensum Scholasticorum, Moralium theologorum, & Casuistarum seu Summistarum, Jurisperitorum, philosophorum moralium, uno excepto Genesio Sepulveda historico Caroli V. *magis in humanis* (sunt verba ejus) *quam divinis literis erudito.* Sententiam Sepulveda ex opusculo ejus *de ratione reddendi testimonii*, exhibet *Malderus cap.* 4. Horum sententiam haut obscurè probat *Martinus Bresserus lib.* 5. *de conscientia, cap.* 18. §. 170. quod ad æquivoca-

cationem; quamvis dissensum esse non neget quod ad mentalem restrictionem §. 171. ubi nominat *Cajetanum*, *Azorium*, *Malderum*, *Coninck*, *Laymann*: Pro æquivocatione etiam stat glossa juris canonici ad cap. „ *Ne quis* „22. qu. ubi ait, eum in cujus domo aliquis latet, quem hostes perse„quuntur, posse respondere, non est hic, accipiendo (*est*) non ut venit „*à sum*, sed ab *edo*. Et hoc dictum glossæ adoptant *Navarrus* & *Reginaldus loc. cit.* Iidem cum *Angelo de Perusia*, & *Joh. de Anania* Francisci dictum (*hac non transiit*) *per suas sc.* manicas, à mendacio excusant. Nostri contra artis hujus mysterium cum toto distinctionum choragio ad categoriam mendacii referunt. Vide inter alios *Casaub. epist. ad Frontonem Ducæum*, *Rob. Abotum in antilogia*, *cap. 2. Mazonum in nova arte mentiendi*, *Prideaux lect. 10. Rivetum in decalogum*, *Johannem Crocium in refut. Manualis Becani*, *Amesium in Casibus*, *Meisnerum in quæst. Ethicis & politicis*, *Gulielmum Douglas* theologum Abredonensem in *Vindiciis veritatis*, *seu dissert. theologicâ pro veritate*, &c. 1655.

111. *Probl. An nostri doceant, aut probent, aut ex præscripto religionis suæ artem hanc exerceant*; *Resp.* Hoc quidem subdolè *Becanus in Manuali lib. 5. cap. 21.* incautis subjicere velit, sparso hoc quasi sæpiæ atramento, ut nefaria Jesuitarum disciplina tantisper oculis lectorum subduci possit, *Calvinistæ*, inquit *strenuè utuntur hac arte*, *& quod ipsi faciunt nobis per calumniam impingunt.* Postea negat à suis doceri æquivocationes; quia tantum, unus casus sit, de quo solet disputari, *An scil. reus quando in judicio rogatur de crimine possit negare vel eludere.* Quæ sit sententia & praxis eorum, patet ex autoribus pontificiis modo allegatis. Quæ vero nostrorum constans sit sententia, disce ex nostris decalogi interpretibus, Casuistis, Ethicis, Elencticis, aliisque quorum aliquam partem nunc indicavimus, & in 3. *part. select. disp. tit.* de theologia practica. Verbum ergo non addam. Quid autem probationis tanto hiatu dignum fert Becanus. *Certè*, inquit, *Theodorus Beza in hac palestra fuit exercitatus. Is a. 1556. conscripsit confessionem*, *in quâ asseruit corpus Christi verè ac realiter esse præsens in cœna*, &c. Ergo conclude Becane, secundum lemma tuum capiti præmissum: *licet uti æquivocatione*, secundum doctrinam scil. Calvinistarum. De eâ enim quæritur, & eam nostri Jesuitis impingunt. An tibi valet consequentia à facto, & quidem unico Calvinistæ alicujus, ad communem doctrinam; ita ut ab ea *æquivocatio* non amplius Jesuitica, sed *Calvinistica* (quod tu in fine hujus capitis facis) in posterum denominari debeat. Guttulam scientiæ & Conscientiæ hic desideramus. Quod autem scripsit *Beza*, aliique reformati de reali præsentia & perceptione Christi in cœna, ubi verè fideles simul, non tamen similiter, & panem domini & panem dominum re-

realissimè, non tamen corporaliter & Capernaiticè accipiunt, jam toties à nostris declaratum est, ut tædeat vel verbum addere; & jam alibi *Becani* ludos sophisticos *in theol. scholast.* & *in Manuali* hâc in parte detexi-mus, *disp. de Transubstantiatione.* Idem *Becanus* in libello de privilegiis Calvinistarum 7. tale facit: In doctrina sua *defendenda possunt contraria ac pugnantes sententias sequi, cum lubet; & eandem nunc affirmare, mox negare.* Et 10. *Possunt igitur impunè mentiri & calumniari, suumque Euangelium hoc modo propagare, & Catholicam vitam ac doctrinam traducere.* Hunc libellum privilegiorum denuo edidit anno 1612. & ejusdem defensionem subjecit sub ficto nomine *Simoniani Rittingindoni* ministri Britanni. Quâ autem conscientiâ mendacia & calumniæ his privilegiis firmandis à Becano & sociis colligi soleant, abundè ostensum est ab Antagonistis Papatus, in singulorum dogmatum explicationibus & vindiciis, & singulariter contra ipsum Becanum ab *Henrico Salcolbrigiensi* theologo Anglo in Becanobaculo 1611. edito.

IV. *Probl. An Remonstrantes merito fraudem, simulationem, & cothurnos objiciant determinationi & unanimi consensui ac subscriptioni Synodi Dordracenæ, propter diversam explicationem objecti prædestinationis, Apolog. fol. 16. b. & in libro vernaculo, cui tit.* Nullitates synodi, &c. *part. 1. cap. 8. pag. 71. Daniel Tilenus in notis & animadversionibus ad canones synodi, sub finem pag. 177.* ubi inter *alia* vortices contradictionum, æquivocationum strophas ac præstigias, cothurnatum drama intonat. *Resp.* Neg Canones enim, conceptus ascendentes supra lapsum nec ponunt, nec tollunt, nec recipiunt nec rejiciunt, sed consultò prætereunt; nec tamen excludunt ut nec alias particulares hypotheses ac consectaria totius doctrinę quinquarticulanæ: uti modum hunc in communibus dogmatis ecclesiasticis conciliariter definiendis, in symbolis, confessionibus, catechesibus conscribendis communiter ferè observari notissimum est. Et hinc est quod absque ullâ æquivocatione ac fraude, absque ullo etiam probatissimorum plerorumque theologorum, qui superiori sæculo (quod *sæculum reformationis* meritò appellarur) floruerunt, præjudicio, dicti canones sic conscribi; iisdemque synodales supra lapsum ascendentes, quorum aliqui à Remonstrantibus loc. c. notati, candidè subscribere potuerint. Qui enim infra lapsum subsistunt, sententiam altiorem cum suâ conciliant, idem vicissim agunt altius ascendentes. Quæ ergo hic æquivocationes, quæ strophæ, quæ cothurnata dramata? Neque enim pugnant sive subordinata, sive per solidam distinctionem conciliata. Centuriæ sunt ἀναλοφανῶν in scripturâ: singulis tamen textibus sine fraudulentia, hypocrisi, & mala fide subscribimus: nec à scriptura dissentire, aut tanquam Cadmæi fratres mutuò di-

visi aut in autoritatem scripturæ incurrere, aut in eam rebelles esse judicamur. Sed alibi de hâc conciliatâ objecti prædestinationis explicatione agendum, & jam satis superque actum est ab aliis, etiam partem aliquam à me: ubi complures præstantissimi theol. ad partes adducuntur. Unicum hic addo testimonium & judicium, Clariss. scil. theolog. *Henr. Altingh*, nunc ὁ ἀγλοις, qui Synodi Dardracenæ magna pars fuerat: Is ita in literis suis ad me 4. Id. Julii 1640. *Ego ibidem sententiam receptam* (infra lapsum scil.) *tuitus sum modestè: quin & conciliare cum alterâ perpetuo studui.* Et paulo post: *Nec dico sententiam illam, quæ supra lapsum assurgit, examinatam, improbatam, damnatamve esse: nihil horum aut factum esse* (in *Synodo* scil. *Dordracena*) *aut fieri debuisse sentio.* Atque ita choturnata dramata, æquivocationes, simulationes, fraudes, à conscriptione & subscriptione canonum procul remota arbitramur. Remonstrantium doctrinam & praxin ab artibus illis, quas nostris impingunt, immunes non esse, breviter indicasse me puto in vernacula catechizatione catechismi Remonstr. ad qu. 66.

§. 3. v. *Probl. An mentali reservatione, seu restrictione, seu secreta interpretatione nobis reservata, uti liceat in testimoniis, aut in sermonibus cum proximo? Resp.* Mentalis reservatio cum æquivocatione genericè convenit: specie distinguitur ab eâ; ut *Æquivocatio sit*, quando quis utitur propositione æquivoca vel amphibologica; cujus verba secundum se admittunt duplicem sensum, eumque vel utrumque æquè, aut ferè æque usitatum: vel unum usitatum communiter, alterum vero rarius. *Mentalis restrictio* sit, cum verba non admittunt verum vel plenum sensum, nisi cum additamento mente suppresso, ex. gr. promittit aut jurat quis se *daturum centum aureos*, & intra se dicit, *si libuerit mihi*; & sic non teneretur. Aut, respondet quis *se non fecisse*, quod fecit, sed in mente cogitat & subintelligit, *ut tibi dicam.* Aut, negat sacerdos *se esse sacerdotem*, & in mente cogitat atque addit, *Isidis* aut *Apollinis*, ut sacerdos illa apud *Robertum Abotum cap. 2. antilogiæ p. 12.* qui idem jurabat se trans *mare* non fuisse, scil. *Indicum.* Aut negat se hoc vel illud feciſſe, quod tamen fecit; sed subintelligit, *tempore belli Trojani*, aut simile quid.

Ad determinandam hanc quæstionem sit.

1. *Concl.* Veritatem aliquam aut in totum aut ex pare, positis scil. ponendis, occultare & intus mente premere non est illicitum.

2. *Concl.* Nec obscurius mentem suam aperire, aut rem aliquam declarare.

3. *Concl.* Licitæ sunt subintellectæ limitationes seu restrictiones logicæ; quæ quamvis compendii causa expressæ non sint, ab auditore tamen ex an-

antecedentibus, consequentibus, circumstantiis facile colligi possunt aut debent. Ut enim implicitè conditionales sunt propositiones, ubi conditio non expressa est (e. gr. *Jesa.* 38. *v.* 1. *Jonæ* 3. *v.* 4. 1 *Corinth.* 6. *v.* 9. 10.) sic etiam sunt restrictæ propositiones, sed ubi formula restrictiva disertis verbis non exprimitur. Videantur exempla quamplurima, quæ in conciliatoribus juridicis, philosophicis, scripturariis occurrunt. Cum ergo ejusmodi propositiones absolutè, abstractè, atque à corpore & analogia contextus & fidei avulsę absque subintellecta restrictione accipiuntur, error & fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter perperam intelligenti, non vero loquenti, imputatur.

4. *Concl.* Mentalis reservatio modo descripta & exemplis declarata conjuncta cum propositione cujus verba nullum sensum, nisi falsum, significant, non liberat loquentem à mendacio, ideoque absolutè est illicita, & intrinsecè mala; sicuti omne mendacium, sive indirectum sive apertum sive opertum seu involutum, & palliatum, sive crassum sive subtile. *Ratio* est: Quia sermo est ad alium; cogitatio interna non est: non potest ergo verbum mentis internum, cum verbo externè prolato in unam propositionem compingi, quod ad proximum nostrum, qui non est καρδιογνώστης; per consequens non potest propositio externè prolata, ex. gr. *ego non sum sacerdos, ego non feci*, &c. ex falsa reddi vera, aut liberari à mendacio. Adde quod tum nulla esset veritas, nullum veritatis testimonium, nulla fides in rebus humanis, in contractibus, &c. Quidquid excipiant, limitent, distinguant inter judicem competentem & non competentem, inter juridicè quærentem, & non juridicè quærentem, &c. Hac difficultate absterriti *Cajetanus ad* 22. *qu.* 89. *art.* 7. *Azorius part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *qu.* 5. *Malderus tract. cit. c.* 4. & 10. *Coninck de actibus supernatur. disp.* 10. *concl.* 3. *Laiman lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 13. §. 7. in partem negantem determinarunt; fatente *Bressero lib.* 5. *de conscientia cap.* 18. Qui tamen oppositam sententiam multò communiorem esse dicit, & sequitur; insuper addit ex *Pesantio* & *Rainaudo*, eam esse communem omnium theologorum, Canonistarum, Casuistarum, &c. Tandem emollit duram & odiosam hanc inter suos litem, dicendo pag. 537. a. *duas illas sententias practicè nihil, speculative parum differre.* Et p. 538. a. *Quod ad praxin & conversationem externam nil referre.* Ingenue sane pro Jesuita; longè aliter ac *Becanus* qui in *Manuali loc. cit.* praxin Calviniistis tribuit, speculatione ad unicum casum & quidem controversum contracta. Defensionem communis hujus sententiæ vide potissimum apud *Eudæm. Joh. in apologia Garneti*: quem excepit *Rob. Abbotus in antilogia.* Ante eum hanc causam egerat *Thomas Mortonus c. Parsonium*; post eum *Joh. Prideaux lect.* 10. Deinde *Ame-*

lius, & *Rivetus loc. cit. Meisnerus in quæst. Ethicis & Politic. sect. 1. cap. 7. qu. 1.* qui suo tempore, si ita visum, consuli poterunt. Ex pontificiis restrictiones oppugnant *Malderus* & *Barnesius*; qui posterior pro se adducit *Gersonem*, *Sepulvedam*, *Dominicum à Soto*, aliosque. Excusare eam potius videntur, quam defendere ex Jesuitis *Maldonatus*, *Vasquez*, *Valentia*, *Becanus*; qui postremus artem hanc à Jesuitis suis amoliri conatur in append. ad *disp. de Fide* servanda. Contra aperte eam docent *Zwarez*, *Toletus*, *Navarrus*, *Marullus Spalatensis*, *Eudæmon Johannes*; *Garnetus* & *Blackwellus Archiepresbyter* (de quorum libro in Anglia edito, *Rob. Abotus p.* 13. Actio proditoria p. 34. *Hospinianus in histor. Jesuit. fol.* 228.), *Thomas Sanches*, *Ferdinandes*, &c.

VI. *Probl. An pontificiis, præsertim Clericis, sive in iuramento fidelitatis præstando, sive in dandis testimoniis in causa aut lite inter Papatum aut Papistam quem, & inter reformatam ecclesiam aut reformatum quem, tutò fides adhiberi possit; siquidem illi prævia protestatione aut iuramento affirment, se absque omni æquivocatione & mentali restrictione juraturos aut testaturos?* *Resp.* Neg. Quia qui nefariæ illi perfidiæ & fraudi, idque ex vi & ductu religionis & conscientiæ suæ, semel se tradiderunt, non magis certos & securos nos reddent de sepositа aut seponenda hic & nunc arte æquivocatione & ejuratione præambula; quam in ipso juramento fidelitatis, aut fide datâ in conventionibus, & contractibus, aut in dicendo testimonio. Memorabile exemplum refert *Rob. Abotus in antilogia cap. 2. p. 12. Johannis Comæi* sacerdotis, qui anno 1609. examinatus & requisitus ut responsionem scripto complecteretur, in dictâ responsione hanc præmittebat juratam protestationem: „Quidquid nunc affirmo ex fide hominis Chri„stiani, absque omni æquivocatione vel mentali reservatione, vel secreta „interpretatione mihi servata, & affirmo secundum planam sententiam „verborum à me dictorum, ita me Deus adjuvet per Jesum Christum. Ibi tamen sub juramento cum negasset, se vocatum aut in Anglia aut ultra mare *Scammelum*, se accepisse ordines sacerdotii, vota iniisse secundum regulas Societatis Jesu, &c.; postea tamen liberè affirmavit se familiari nomine vocatum Scammelum, seque esse sacerdotem, &c. Adde, quod facile omnes protestationes salvare possent hoc effugio: Tunc illo aut illo loco, aut illo rerum statu sic sentiebam, ita loquebar, vel potius tunc & ibi sentiebam sic sentiendum & dicendum esse: juxta fidem temporariam & cothurnatam Jesuitarum, qui in Gallia anno 1626. rigide approbabant, & manuum suarum subscriptione confirmabant placita Sorbonæ & Cleri Gallicani de independente potestate regum contra prætensam potestatem Papæ; atque una Jesuitæ *Santarelli* librum pro Papæ temporali po-

poteſtate ſcriptum condemnabant: nec minus coram ſupremo Senatu Pariſienſi declarabant: *Si Romæ eſſent, mutandum ipſis cum cœlo animum, & ſenſuros ut Romæ.* En cumulum perfidię & impietatis. Hiſtoriam hanc diſcriptam habes apud *Gramundum*, prędidem *Tholoſanum lib. 15. hiſtoriar. in fine. p. 678.*

VII. *Probl. An & quomodo Clerici & Laici Papales poſſint eſſe boni cives in politiis reformatis. Reſp.* De hoc abunde egimus *in 2. part. ſelectar. diſpp. tit. An ſedes Romana compatibilis ſit cum politiis reformatis.*

* *Appendix affinium quarundam quæſtionum* anno 1666.

I. QUæſt. *An proditio ſit licita? Reſp.* Vox proditionis & proditoris in malam partem ſemper aut plerumque accipitur, apud probatos autores: etiam in ſcripturâ, ubi προδόται *proditores* improbantur 2 *Timoth. 3. v. 4.* & *Matth. 10. v. 4.* Definiatur ergo proditio nominaliter & realiter.

Prodere notare poteſt *patefacere, fallere, tradere.* Eſt ergo *proditio* vitioſa, actio, quâ dolo per indebitam patefactionem, ſeu traditionem proximi aut res eorum læduntur.

Sunt ergo diverſæ ſpecies proditionis. 1. *cum* quis proximi crimina dolo malo patefacit. 2. *cum* quis arcana actionum, ſtudiorum, conſiliorum, intentionum proximi ſive privata ſive publica (quæ ipſi ſub fide ſilentii communicata ſunt, aut quocunque alio modo innotuerunt) aut hoſti malè erga Rempublicam & proximum affecto; aut omnibus promiſcuè ſive vivæ vocis præconio ſive ſcripto, in prędudicium proximi, revelat. 3. *cum* quis proximum aut res ejus, quem & quas tueri debebat, tradit alienis aut hoſtibus.

Primæ proditionis iniquitatem oſtendit dictum Auguſtini, Juri canonico 2. qu. 1. cap. *ſi peccaverit:* „ Fratrem cujus peccati conſcius es, clam ar„guito: nam ſi coram hominibus id feceris, jam non eris peccati corre„ctor, ſed proditor. *Item*, Qui alium circumvenit, & in diſcrimen addu„cit, is eum prodit.

Secundæ iniquitas in eo eſt, quod quis fidem de ſilentio ſervando, &c. explicitè aut implicitè datam violat, atque una jura amicitiæ aut benevolentiæ aut fidelitatis atque officioſitatis: dum proximi, aut Reipublicę damno occulta revelat. Huc referri poteſt, Proverb. 30. v. 10. *Ne deferas ſervum apud Dominum ſuum.*

Tertiæ iniquitas eſt, quod malevolis, aut hoſtibus & perſecutoribus proximum tradit occidendum, aut in captivitatem, aut ſervitutem abducendum,

aut quocunque alio modo vexandum, quem potius defendere debebat? Quod κατ' ἐξοχὴν intelligendum de parentibus, liberis, domesticis, cognatis, concivibus, peregrinis, exulibus, persecutionem patientibus, &c. Applica huc textum Deuter. 23. v. 15. 16. *Non trades servum Domino eius, qui confugit ad te à Domino suo. Tecum manebit in medio tui*, &c. *non vim inferes ei.*

Inter proditores qui res proximi tradunt; sunt illi, qui regiones, civitates, arces, hostibus tradunt: de quo in *Jure canonico* 22. *qu.* 5. *cap. de formâ.*

Specialiter nomine *traditorum*, notati fuerunt, qui olim in persecutione Diocletiani scripturæ codices præ metu Magistratibus tradebant comburendos. De quibus in Baronii annalibus ad ann. 302. §. 3.

Proditores veritatis dicuntur *Chrysostomo homil.* 25. *in Mathæum*, non tantum illi qui mendacium dicunt; sed etiam illi qui eam minus liberè profitentur. *Hieronymus in Jure Canonico* 24. *qu.* 3. *c. transferunt*, proditorum nomen maximè falsis prophetis & malis pastoribus ait congruere, qui falsis doctrinis & malis exemplis oves Christi suæ fidei commissas perdunt, quas tueri debebant.

Omnia proditionum genera quis commemoret? cum proditorum plena sint omnia; in foro, in compitis, in aulâ, in caulâ, in familiâ, in collegiis, in ipsâ denique ecclesiâ: ita ut Apostolus de falsis fratribus, de exploratoribus & insidiatoribus conqueri debuerit, ecclesias de iis præmonere, atque optare ut abscinderentur; & Michas *cap.* 7. *v.* 5. cautelam hanc Israelitis suis inculcare: *Ne credatis amico, & ne uxores fidatis marito. Ab uxore quæ dormit in sinu tuo custodi ostia oris tui. Quia*, &c. Math. 10. v. 36. *& inimici hominis, domestici eius.* Jam vero proditionem esse peccatum, & quidem grave,

Prob. I. *Ex* scripturæ testimoniis, 2 *Timoth.* 3. *v* 4. *Matth.* 18. *v.* 21. & 24. *v.* 10. & 26. *v.* 15. cum *Luc.* 6. *v.* 16. & 22. *v.* 4. 6. 22. 48. *Mich.* 7. *v.* 5. 6. 7. cum *v.* 2. & seqq. *Periit misericors de terrâ, & rectus inter homines non est. Universi sanguini insidiantur, unusquisque fratrem suum venatur reti*, &c. *Optimus eorum est ut paliurus, rectas eorum asperior materiâ spinarum*, &c. Jesa. 16. v. 3. mandatur Moabo *ut abscondat expulsos* (Judæos scil.) *& fugientem ne prodat.* Et quia hoc non fecerat, plagæ illi denuntiantur *v.* 7. 8.

II. *Ex* vitiis simulationis, doli, perfidiæ, injustitiæ, ingratitudinis, impostura seu deceptionis, ad hoc peccatum concurrentibus. Rationes ergo contra illa vitia militantes, huc advocandæ.

III. *Ex* particularibus judiciis Dei in proditores, sive immediatè sive mediatè per homines (sæpe per illos, quibus proditione suâ inservierunt) immissis. Exempla non pauca collegit *Philippus Camerarius centur.* 1. *horar. subcesiv. cap.* 7. *& centur.* 2. *cap.* 60. 61.

IV. *Ex* odio & detestatione quod incurrunt proditores; non tantum apud bonos,

bonos, sed & quoivis homines; etiam eos, qui operâ proditorum usi sunt. Dicta consilia, factâ eorum exhibita vide à *Camerario loc. cit.* aliqua etiam à *Martyre class. 4. locor. comm. cap. 16. de subtit. de proditione.* Qui sententiam Augusti (προδοσίαν φιλῶ προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ, id est, *proditionem amo, proditores vero non laudo*) negat esse veram aut prudentem; *nam*, inquit, *si quam sapientes actionem probent atque laudent, ejus quoque autorem laudare ac probare debent.* Sed forte Augustus, non tam ipsam proditionem amavit, quam usum ejus. Peccati malum nullo modo est desiderabile: sed consequens, aut effectus ejusdem, seu usus potius actionis cum peccato conjunctę, potest esse desiderabilis; modo sit in ac pro bonâ causâ, & bono fine. Deus peccati autor non est, sed ordinator; & utitur peccato quâ in bonum ordinabili, è tenebris lucem educens: ut hoc distinctè docuimus in 1. *part. select. disp. tit. de peccati usibus per accidens.* Similiter homines quodammodo dici possunt, peccato, seu actione vitiosâ aliorum uti in bonum.

II. *Quæst. An in foro poli licitum sit proditione & proditoribus uti? Resp.* Intrinsecè usus proditoris & proditionis tam malus non est, ut nullo in casu honestari possit. Communiter scriptores stelitici, & de Re militari usum proditorum commendant. Videatur inter alios *Adamus Contzen theologus lib. 10. politica cap. 52.*

Sed quæritur, *an quis etiam justo in bello, civem alienæ Reipublicæ, cui juramento fidelitatis, non tantum communi civico, sed insuper peculiari tanquam munerarius sive politicus sive militaris, obstrictus est, ad proditionem & perfidiam suasionibus ac promissis sollicitare possit?* Nos non videmus in foro conscientiæ hoc licitum esse. Si enim perfidia & proditio illa sit peccatum, quomodo immunis erit à peccato, qui consilio, petitione, suasione ad peccatum illud inducit? Si quis operam suam offerat, quamvis non sine peccato ab illo hoc præstandum novimus, licet admittere, eoque in bono, ad bonum, & bene uti. Forte quis excipiat.

1. *Except.* Petit & suadet actum, non vitiositatem aut ἀνομίαν actui illi adhærentem: e. gr. petit, ut nocte portam aperiat, aut in statione constitutus hostibus armatis liberam invasionem concedat, immo iis viam commonstret & ductorem se præbeat. *Resp.* Atqui mera est perfidia, perdere eos, quos custodire & defendere debes. Portam civitatis aperire in se est adiaphorum: sed in singulari portam hic & nunc hostibus ad invasionem civitatis aperiri ab illo, qui ejus custodiam & defensionem juratus promiserat, non est adiaphorum. Distingui quidem potest mentali abstractione actus subsratus peccato, ab ἀνομίᾳ strictè sic dicta, sed separari non potest.

In-

Instantia 1. Atqui petimus fœdus, aut aliam quam conventionem, juramento confirmari ab eo, quem scimus per falsos Deos, aut canonizatos sanctos juraturum? *Resp.* petimus juramentum, ut περας πασης ἀντιλογιας πρὸς βεβαίωσιν *Heb.* 6. *v.* 10. non petimus nec cuiquam autores sumus, ut per falsos Deos, aut per sanctos juret: sed tantum ut debito juramento veritatem, fidem, & promissionem suam confirmet. Quod autem ille vero Deo Deastros aut sanctos adjungit, per quos juret; id respectu nostri est per accidens; qui illud permittimus aut toleramus, quod tollere aut impedire non possumus: siquidem jurans potestati & imperio nostro non subsit.

Except. 2. Exempla proditionum in sacris literis probata sunt, ut Rahab, *Jos.* 2. cum *Jacob.* 2. *v.* 25. Jaël *Judic.* 4. *v.* 17. & seqq. cum 5. *v.* 24. civis Luzitæ *Judic.* 1. *v.* 24. 25. De Rachab certum est eam fide divinâ occultasse & servasse exploratores: ideoque ipsius cooperationem ad tradendam Jericho Israelitis, non fuisse proditionem à nobis supra descriptam; sed traditionem per justam & legitimam restitutionem. Suum enim cuique tribuendum; ergo & Israelitis civitas Jericho, quæ erat ipsorum per donationem divinam. Quod autem bono illi operi traditionis admixtum fuerit mendacium *Josuæ* 2. *v.* 4. 6. id est per accidens & improbandum; nec tamen tollit bonum ex fide profectum: non magis quam mendacium obstetricum bonum ipsarum *Exod.* 1. Jaël an jure occidere potuerit Sisera, disquirendum esset: quia quod ad partes illas contendentes, erat ipsa neutralis. Sed hoc transeat. Quod Siseram ad ingressum & salvum latibulum invitaverit illudque ei obtulerit, & non obscurè promiserit *Judic.* 4. *v.* 18-21. intentionem tamen habuerit ipsum fallendi, & perdendi: non video quomodo ab omni proditione & perfidiâ purgari possit? Civis ille Luzzita *Judic.* 1. *v.* 24. 25. quibusdam à proditione liberari videtur, quod Israelitæ, in quorum potestate erat, minis & præsenti morte intentatâ, eum coëgerint. Sed hoc non sufficit, ad purgationem à proditione. Si fide simili ac Rahab, cooperatus sit ad civitatis suæ occupationem, hoc ad purgationem sufficit.

III. *Quæst. An aliorum scripta aut epistolas ad amicum aut ab amico scriptas intercipere, retinere, aperire, aliis, immo æmulis, & adversariis aut in epistolâ illâ notatis, tradere, easdem typis, vivente aut defuncto scriptore, divulgare liceat? Resp.* Quæ & quomodo hæc sapiant, aut non sapiant proditionem, sigillatim hic non determinabimus. Nulla aliorum scripta aut epistolas esse lustranda, intercipienda, retinenda, publicanda, non est dicendum. Aliquando ad necessariam bonæ causæ & sui defensionem, atque hostium, malevolorum, calumniatorum confusionem; aliorum oculis exponenda, immo & typis divulganda sunt scripta & acta, si quæ in manus nostras inciderunt. Exempla superioribus sæculis passim data sunt; & in Belgio

Belgio nostro editione scriptorum & actorum Johannis Austriaci per Ill. Belgii Ordines procuratâ anno 1577. Antwerpię tit. *Sommier discours des justes causes & raisons*, &c.; & editione epistolæ Philippi II. propriâ manu scriptę ad celsiss. Principem Arausoniensem Wilhelmum I. subjectæ celsiss. Principis apologiæ; & in Germaniâ editione Cancellariæ Hispanicæ anno 1632. Ubi præiverant & sereniss. Bohemiæ Regi, Electori Palatino Friderico V. ac confœderatis Principibus necessitatem editionis imposuerant pars adversa, editione *Cancellariæ Anhaltinæ*. Exempla privatorum, non est quod indicem. Qui multas apologias, & scripta polemica literatorum inspexerit, facile exempla deprehendet. Ut epistolæ ab amico ad amicum scriptæ de rebus & negotiis, privatis, infensissimo hosti scriptoris ab amico illo, cui inscriptæ sunt, tradantur; neminem arbitror probaturum, nisi perfidię & proditionis magistrum. Multo minus probari posset, si epistola ab amico ad amicum scripta, aut ejusdem apographum, hosti scriptoris, & per illum alteri alicui viro irritabili tradatur, de quo scripturientem (uti per literas amico hoc significârat) amicum contra virum illum irritabilem, amicus fideliter monuerat, ut prudenter & caute ageret. Causaubonus in epistolà ad Lingelshemium (quæ est 702.) „sic conqueritur de edi„tâ parte epistolæ suę: Quin igitur, inquit Thersitæ istius (*Caspari Scioppii*) „maledicentiam, Dei virtute, possimus jure contemnere; *insignitam inju„riam* (nota) quam fecit nobis, tacere non possumus nec debemus. Na„ctus enim epistolam quam ad magnum Scaligerum pro mutuâ conjun„ctione nostrâ aliquando scripsimus, prostituti pudoris nebulo *nobis incon„sultis partem illius edidit*. Non cogitavit Alastor epistolam alienam *proferre „se non posse quin furti manifesti & quidem turpissimi reum sese ipse perageret*. „Nam unde habet? quis illi dedit? Aut quid furtum est aliud, nisi alienæ rei „invito domino tractatio., &c. Literæ ad familiares scriptæ juris publici „non sunt; privati juris, privatæ possessionis sunt. Quid dixisset Casaubonus, de epistolis ab amico, ad quem scriptæ, infensissimo scriptoris adversario traditis, aut exhibitis: quibus consilia contra insidias & vexationes quorundam à traditore petita suggerebantur.

Melanthon in consiliis *part.* 2. graviter conqueritur de editâ epistola quâdam commentitiâ, tanquam à se ad Teupolum scriptâ. *Quid prodest*, inquit, *talia in vulgus spargi?* Intelligit verba quędam sua ante annos 26. dicta Teupolo legato Veneto, ab aliis quoquo modo annotata. De dictis suis sic ibidem loquitur: *Quædam communia ad nos excusandos dixi, nec memini omnia verba. Non enim me, tunc existimavi post annos sex & viginti* ὑπεύθυνον *fore.*

Supra retuli epistolam tanquam à celsiss. principe Arausoniensi Wilhelmo I. ad ducem Alenconium scriptam, ab Hispanica parte typis evulga-

tam fuiſſe, ad odium celſiſſ. Principi & cauſæ Belgarum conflandum: quæ tamen nunquam ab illo ſcripta, aut ſcribi juſſa, aut miſſa erat: uti ipſe proteſtatur in reſponſione ad illam epiſtolam, apologiæ ejuſdem latinæ, apud Carolum Sylvium Ordd. Hollandiæ typographum 1581. editæ in 8. ſubjectâ.

Gerardus Joh. Voſſius in præfat. ad libros tres de hiſtoricis Latinis ſatis innuit quam nulli bono edantur aliquando epiſtolæ jam defunctorum. Certè niſi delectus edendarum in edendis adhibeatur, & nonnulla præſertim in familiaribus omittantur: multarum dividiarum, ſiniſtrarum ſuſpicionum, & nepotibus mandatarum contentionum cauſæ ſunt.

Alioquin, quam maximè epiſtolarum, actorum, conſiliorum lectionem probo, eamque aliis ſemper concedo: quod ex illis hiſtoriam temporum, multarum rerum accuratam cognitionem, multorum caſuum explicationem, & prudentiam tum eccleſiaſticam tum politicam optimè acquiramus. Libet hic adſcribere verba *Lutheri in ſermonibus menſalibus* ab Henrico Petro Rebenſtock miniſtro Eiſcherheymenſi editis anno 1571. *tom.* 1. *pag.* 79. „Libellus publicè excuſus à comitiis Mart. Luthero mittebatur, „in quo truculenta hiſtoria, & *variæ literæ* ſanguinis plenæ deſcriptæ fue„runt; quo libro lecto Mart. Lutherus admirabundus dixit: Miraculum „Dei eſt, qui halce literas ita ſervavit, *ut in publicum ederentur*, quibus „Papiſtarum ſanguinolentiæ & truculentæ devotiones manifeſtantur, & „tanta mendacia contra ſanam doctrinam conficta evulgantur: Deo ſit „laus, qui pro ſuis vigilat dormientibus, illorum autem curſum remoratur „& impedit.

Ex Juſtini Juſtinopolitani (hoc eſt *Philippi Camerarii*) ſecretis ſecretorum Turco-Papiſticis, imprimis ex *Joh. Jac. à Ruſdorf* vindiciis cauſæ Palatinæ, paſſim uſus interceptarum & editarum (quamvis inſciis & invitis epiſtolarum, iſtic allegatarum dominis) pateſcit; & ſic ex aliis Principum, ac politiarum apologiis.

Petrus Martyr *claſſ.* 4. *locor. cap.* 16. ex Hieronymo de optimo genere interpretandi ad Pammachium, refert, & quidem cum applauſu (ut videtur), factum Theodoſii, qui Heſychium virum conſularem capitis damnâ„rat, quod Patriarchæ Gamalielis chartas invaſiſſet. Nec id, inquit, ſanè „mirum fuit, quandoquidem apud Romanos, ut in D. habetur, De re mili„tari L. *omnes* §. 2. & C. de commerciis & mercaturis L. 2. Revelaſſe cu„juſpiam ſecreta capitale fuit, Et in D. ad legem Juliam majeſtatis L. 1. „2. 3. qui munitionibus fidei ſuę commiſſis ceſſiſſet, crimen læſæ majeſta„tis incurrebat.

IV. *Quæſt. An exploratio ſit proditio, & an eâ licitè quis uti poſſit? Reſp.* Neg.

Neg. pr. & aff. poſter. ex *Numer.* 13. *v.* 1. 2. Ejus neceſſitatem in regimine politico, & ſpecialiter in bello gerendo, docent ſcriptores politici & artis militaris. Quod autem ſæpe numero malè audiant exploratores, fit quod perperam confundantur cum proditoribus: cum tamen dolus malus, mendacium, proditio habeat ſe per accidens ad explorationem: & quod ſine malis illis artibus exploratio, (in ſe & per ſe alioquin honeſta,) à multis exploratoribus non peragatur. Peremtoria hæc ratio honeſtat, ita loquar, explorationem; quod Deus eam docuit & præcepit, *Numer.* 13. *v.* 1. 2. Atqui peccatum Deus docere & mandare non poteſt: quia non eſt autor & cauſa peccati ſive moralis ſive phyſica ſeu directa.

V. *Quæſt. An delatio ſit licita? Reſp.* Ut in malam partem communiter accipitur, non eſt licita; & merito exoſa eſt delatio, & vituperantur *delatores*, Belgicè aenbrengers/ verklickers. Qui & olim dicti *quadruplatores*, quod quartam bonorum acquirerent eorum, qui ab ipſis delati condemnabantur. Dicti etiam *ſycophantæ*, qui calumniosè aut falſo deferunt. Quales deſcribit *Atheneus lib.* 3. *Dipnaſoph. c.* 1. Alioquin, ſepoſito uſu vocis, honeſtè defert, qui debitè aut accuſat, aut denuntiat. Poſterius officium Caſuiſtæ Pontificii appellant denuntiationem, & modos ac conditiones ipſi determinant: & nos ſupra in *diſp. de officiis caritatis erga proximum peccantem*; quæ etiam *Aſceticæ* noſtræ *cap.* 24. inſerta eſt. Ex noſtris *Aretius part.* 2. *problematum* delationem tanquam bonam ſive accuſantem ſive denuntiantem explicuit, & multis probavit.

VI. *Quæſt. An perfidiâ & datam fidem non ſervare aliquo in caſu* (*e. gr. data ſit hæreticis aut rebellibus*), *honeſtari poſſit? Reſp.* Pontificiorum perpetua doctrina & praxis (quoties ita uſu venit & fieri poteſt) affirmat. Sed poſtquam à noſtris, jam poteſtate & potentia aliquâ inſtructis, hanc perfidam doctrinam ad animum revocari, & ſibi exprobrari viderunt, rebuſque ſuis gerendis minime hoc opportunum animadvertunt, ſophiſticè ab hâc maculâ ſe purgare ſtuduerunt: Primus (quod ſciam) ex profeſſo hoc egit *Joh. Molanus tract. de fide hæreticis ſervandâ.* Poſtea ſecuti ſunt Jeſuitæ *Heribertus Roſweidus*, & *Becanus*, peculiaribus tractatibus. Sed fruſtra laterem illum lavârunt, nullo ſmegmate nullis Oceani undis purgandum: uti oſtenſum eſt à ſcriptore Repreſentationis pacis generalis & ſubſecutę defenſionis Fœderatorum contra *Becanum* (quem ajunt fuiſſe nobil. & conſultiſſ. Brederodium Fœderati Belgii ad ſereniſſ. Electorem Palatinum & Proteſtantes Germaniæ Principes Legatum); & ab eximio theologo Riveto in comment. ad decalogum. Nolo hic actum agere: tantum loco ſpicilegii, ſuggero, validum & in primâ acie collocandum argumentum ex ſalvo conductu *Concilii Tridentini ſeſſ.* 15. 25. Januar. 1552. Proteſtantibus, & ſalvo

conductu *seſs.* 18. Martii 14. anno 1562. Germanicæ nationi, & omnibus aliis nationibus à fide & communione Romanâ alienis dato, deſumtum; „ubi dicunt: Inſuper omni fraude & dolo excluſis, vera & bonâ fide pro„mittit (*Synodus ſcil. Tridentina*), ipſam ſynodum nullam vel manifeſtè „vel occultè occaſionem quæſituram, aut aliquâ autoritate, potentiâ, jure, „vel ſtatuto, privilegio legum, vel canonum, aut quorumcunque concilio„rum, *præſertim Conſtantienſis & Senenſis*, quâcunque formâ verborum ex„preſsâ, in aliquod hujus fidei publicæ & pleniſſimæ aſſecurationis, ac pu„blicæ & liberæ obedientiæ, ipſis per ipſam ſynodum conceſſę, præjudicium „quovis modo uſuram, aut quenquam uti permiſſuram: *quibus in hac par„te pro hac vice derogat.* Quomodo evidentius dici poſſet, eſſe hoc à Jure Pontificio ſeu canonico, & ſpecialiter à Concilio Conſtantienſi (cujus decretum in margine ibidem aſſignatur *ſeſs.* 19. *cap. Quod non obſtantibus*) determinatum? In *Concilio Piſano* anno 1423. (*Piſani & Senenſis* concil. acta edita ſunt Pariſiis anno 1612.) in decreto de approbatione proceſſuum, &c. contra Huſſitas hæreticos pag. 49. mandat exſtirpationem hæreticæ pravitatis; non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, exemtionibus, immunitatibus, *ſalvis conductibus, à quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis vel ſæcularibus, etiam Pontificali, imperiali, regali & ducali aut alia quâcunque eccleſiaſticâ aut ſæculari præfulgeant dignitate, conceſſis vel concedendis.*

Si forte hic exciperent, Concil. Tridentinum non aſſerere, tale quid de fide hæreticis non ſervandâ ſtatutum fuiſſe in Conciliis *Piſano & Conſtantienſi*; ſed referre ſolummodo ſententiam Proteſtantium, qui putant & quacunque occaſione objiciunt à dictis Conciliis hoc decretum eſſe: Reſpondemus, quod ſi *Concilium Tridentinum* non tenuiſſet, à dictis conciliis hoc ita factum fuiſſe, non dixiſſent, *ſe in hac parte & pro hac vice* prædictorum conciliorum ſtatutis ſeu canonibus *derogare, nec in præjudicium publicæ & pleniſſimæ aſſecurationis iiſdem uſurum*, &c. Ad minimum addidiſſet hanc ſimilemve parentheticam cautelam, (quamvis revera jure aut canones eccleſiaſtici, præſertim iſtorum conciliorum, nihil tale ſtatuerint. Adde quod à Riveto aliiſque modo citati Canoniſtæ, Jureconſulti, theologi Papatus libris publice approbatis hanc tanquam eccleſię Romanæ ſententiam proponunt ac tuentur: ſine ullâ Papali, aut SS. Cardinal. congregationali, aut epiſcopali, aut conciliari, aut inquiſitoriâ contradictione ac cenſurâ. Huic argumento accedat oraculum vivæ vocis ex ore Clementis VIII. exceptum 24. Januarii anno 1597. à Cardinale Oſſato regis Galliarum Henrici IV. ad Pontificem Legato: qui *part.* 1. *epiſtolarum, epiſt.* 87. ad Villeroy pag. 371. (edit. Pariſ. 1627. in 8.) ita ſcribit:

„ *Je dis donc à ſa Sancteté dés l'entrée de mon audience ledit jour 24. Janvier,*

que

„que j'avois fait ce que sa Saincteté m'avoit commandé, ayant escrit au Roy „de l'Abbaye de sainct Honorat en Provence, & de la paix : mais qu'en escri„vant & considerant de plus prés ce second point de la paix, la doute que „j'avois euë tousiour auparavant m'estoit de nouveau accreuë, à sçavoir que „le Roy qui faisoit particuliere profession de tenir sa parole, ne pourroit si tost „se desueloper de ceste alliance, qui ne faisoit que venir d'estre renouvellée & „jurée. Le Pape me dit, que le ferment avoit esté fait à un heretique, & que „sa Majesté avoit fait un autre ferment à Dieu & à luy Pape; & puis adjousta „ce qu'il m'avoit dit autresfois & en l'audience precedente, que les Roys & au„tres Princes souverains se permettoient toutes choses qui tournoient à leur „proffit, & que la chose en estoit venuë si avant, qu'on ne le leur imputoit point, „& ne leur en sçavoit on point de mauvais gré, & allegua un dire de Francesco „Maria Duc d'Urbin, qui souloit dire que si un simple Gentil-homme ou un „Seigneur non souverain manquoit de sa parole, il en seroit deshonoré & blasmé „d'un chacun, mais les Princes souverains, pour raison d'Estat, pouvoient sans „autre grand blasme faire des traictez & s'en départir, prendre des alliances „& les laisser, mentir, trahir, & toutes telles autres choses. Je n'avois que trop „à repliquer à tout cela, mais ie n'estimay me devoir arrester en un lieu si „gliſſant & si mal sentant; ains paßant outre à ce que ie me proposois, & „neantmoins comme parlant sur son propos & sur l'occasion qu'il m'en donnoit, „ie luy dis qu'il ne sembloit point utile au Roy ny a son Estat, de faire luy seul „une suspension d'armes pour long temps.

Ex Jureconsultis *Grotius lib.* 3. *de Jure pacis & belli cap.* 13. distinctè determinat fidem esse servandam hostibus quibusvis, prædonibus, tyrannis, desertoribus, servis, pyratis, rebellibus, fœdifragis, perfidis. Ibidem §. 14. & seqq. habet limitationes & exceptiones quasdam. Sed, in particularibus quibusdam hostibus τὸ ἀκεραῖος non ita sectatus est: quod *Zieglerus* non præteriit; cujus notæ utiliter legi poterunt.

PROBLEMATA ALIQUOT
AD IX. PRÆC. DECALOGI
Pars Tertia,

DE FALSO.

Resp. LAURENTIO vander VEEN Buscoducensi 22. *Decembr.* 1655.

Hactenus problemata de vitiis contra nonum præceptum, mendacio scil., simulatione, dolo, æquivocatione, mentali restrictione: proximè sequitur Falsum.

Quod 1. *per definitionem & divisionem explicabimus.*
11. *Quæstiones aliquot de eo proponemus.*

§. 1. QUid sit *falsum*, ejusque oppositum *verum* in genere & abstractè docetur in Metaphysica; & dicitur propriè esse in secundâ operatione mentis, affirmatione scil. aut negatione. Quod autem rei alicui, ut auro falso, aut actioni ex. gr. simulatoris, falsitas tribuitur, id fit impropriè & per extrinsecam denominationem; uti rectè notatum à *Gabr. Biel. ad* 4. *dist.* 15. *qu.* 9. In particulari & in concreto de falso agunt Ethici, Theologi, Jureconsulti, apud quos pervulgatæ phrases criminis *falsi, falsare, falsificare, falsarius*, &c. Duæ voces græcę ex N. T. nunc mihi occurunt, δολόω 2 *Cor.* 2. v. 17. & καπηλεύω *cap.* 4. v. 2.; quæ huc propriè applicari possent. Vide *notas Bezæ.*

Vox *falsi* in hoc negotio apud Jurisconsultos & theologos sumitur substantivè: cum quâ conveniunt *falsitas* & *falsatio*; quamvis hæ magis connotent terminum, seu effectum, illę vero actionem & tendentiam ad illum effectum.

Describitur autem falsum à Jureconsultis, *quod sit imitatio vel mutatio veritatis dolosa & prohibita.* Brevius tamen & magis accommodate ad theologiam, quod sit *immutatio veritatis cum dolo.* Auth. de instrum. ex caus. Ita ut nihil aliud sit quam mendacium, quo quis sibi attribuit jus alienum, quod non habet; vel quod habet, in alterius fraudem occultat & dissimulat; vel alterius jus per illud mendacium, lædit, minuit, aut planè aufert. Falsi complures & pæne infinitæ species (ut sunt mille nocendi artes) ad sua quæque signa revocantur; distributione factâ tum ex subjectis seu actionibus quibus ad falsum itur: tum ex rebus seu objectis.

1. Ex *subjectis* falsum distinguitur in illud quod verbis, & in illud, quod factis committitur. *Verbis* sive prolatis sive scriptis committitur, quotiescunque quis mentitur aut falsum testimonium dicit: de quo in genere considerato supra part. 1. *Factis* committitur, cum quis indebitè agit aut omittit illa, quibus veritas supprimitur: ita ut non tantum actione sed & nonactione, hoc est, silentio, dissimulatione & quâcunque occultatione, ne veritas appareat, crimen hoc committatur. Actionum species, quibus falsum procuditur, enumerantur à Paulo apud *Gothofredum ad L. Cornel.* de fals. *delere, mutare, subjicere.* Sed hæc propriè falsificationem instrumentorum spectant: de quibus infra.

11. *Ex objectis* seu rebus circa quas, distinguitur ab *Althusio*, exercitatissimo divisionum *magistro lib.* 1. *dicaîlog. cap.* 104. in id, quod committitur

titur vel circa dominum, & ea quę à dominio pendent: vel circa obligationem ejusque acquisitionem: vel circa quamlibet acquisitionem. Singularum species, usque ad specialissimas, ibidem enumerat. *Tholosanus lib. 36. syntagm. c. 1-6.* præcipuas aliquot species recensęt, ut, de falsatione mensuræ, monetæ, edictorum, instrumentorum, adhæc de falso in suppositione partus, in mutatione nominis, in scripturâ commisso. Canonistę aliqui occupantur potissimum circa enumerandas & explicandas falsationes bullarum & literarum Papæ, ejusque delegatorum, nec non instrumentorum cameræ pœnitentiariæ & cancellariæ: Ut videre est in *praxi criminali canonicâ Joh. Bernardi Diaz. cap. 108. Zypæus in analyt.* enarrat. *Juris Canonici novi lib. 5. tit. de crimine falsi*, nullas species attingit, præter ementitam qualitatem seu conditionem impetrantis beneficium ecclesiasticum, & suppositionem personæ ad examen pro beneficio impetrando, & tonsionem ac rosionem monetæ. Plures tamen species notantur in corpere *juris canonici* 12.4.2.*c.* si quis *de clericis & 11.q. 3. capp. si quis & c.* unicuique: & *dist. 50. c.* si quæ mulier; imprimis tit. de crimini falsi (qui est 20. *tit. lib. 5. decretal.*); ubi *cap. 5. & 6.* varii modi committendi & deprehendendi falsi in literis Papæ enarrantur. Recentiores Casuistæ Pontificii, & compilator eorum *Eligius Basseus* in voce *falsarius*, ad undecim genera revocat. Inter nostros *Danæus lib. 2.* Ethicæ *Christ. c. 16.* ex Jureconsultis ad tria „ hæc capita revocat. Falsum, inquit, committitur, vel utendo eo, quod „ quis scit esse falsum: vel faciendo, non utendo: vel & utendo & faciendo. Conspirat cum jure Romano à *Danæo* ibidem cit. edictum *Theodorici Gothi* a. 497. (tom. 3. collectionis constitut. Imperial. per Goldastum) cap. 41. *Qui falsum fecerit, aut usus fuerit, aut alterum facere suaserit aut coëgerit, capitali pœnâ feriatur.* Sed hæc divisio rejicienda est ad precedentem classem, quæ continet desumtas ex subjectis seu actionibus.

Nos missis his divisionibus, melioris doctrinæ causâ falsè strictè dicti (quod in factis consistit) præcipuas species antehac à nobis observatas per tres classes distribuemus; circa rem scil., personam, scripturam: cui postremæ classi potissimum insistemus. §. 2.

1. *Classis* continet crimina falsi commissa in re aliquâ. Sunt autem res illæ vel naturales illæ artificiales. Illæ sunt ex. gr. cornua unicornis (de quibus *Thomas Bartholinus in tract. de Unicornu & Keckermannus in disp. physicis*), aurum, gemmæ, aliaque pretiosa in regno minerali, vegetabili, animali. *Inter artificiales* res nihil non, quod alicujus pretii sit, adulterationi & fallaciæ obnoxium est: adeo ut non immerito catechesis nostra ad 8. præcept. nominatim meminerit *fucosæ mercis.* Infinitæ hujus falsi species à seplasiariis, gemmariis, mercatoribus discendæ sunt. Falsi

cri-

crimina circa menſuras, pondera, ſtateras, vulgò ſatis nota : quamvis multi ab iis non abſtineant. Circa monetas, ſollicitè inveſtigant, & ſpecies numerant J C C. inter eos *Althuſius*, apud quem alii complures citantur. Sufficit nobis digitum ad fontes intendiſſe, in iis quæ politiam propriè & magis infeſtant : modo uberius pro ratione inſtituti agamus de iis ; quæ eccleſiaſtica & theologica proprius attingunt.

11. *Claſſis* continet crimina falſi, quæ in *perſonis earumque partibus*, *ad junctis*, *actionibus & effectis*, *ſexu*, *qualitatibus* ementiendis committuntur.

Perſonæ ementitæ ſunt angelorum, diabolorum, animarum. Deaſtrorum, Dei ſeu Chriſti, hominum ſive viventium ſive defunctorum.

Angeli ementiti illuſtre exemplum exſtat in narrationibus *Joh. Bocacii*, ubi refert monachi alicujus, qui perſonatus angelus Gabriel aliquamdiu conſueverat cum puellâ quâdam, flagitioſam impoſturam, tandem detectam & publicè proſtitutam.

Animarum è cœlo ſeu ſanctorum (uti loquuntur) etiam ſubinde ex inferno, imprimis ex purgatorio fictiones infinitæ occurrunt in Papatu : inter quas celeberrimæ, Dominicanorum Bernenſium, qui Mariam matrem Chriſti anno 1507. & Franciſcanorum Aurelianenſium, qui anno 1534. animam uxoris defunctæ prætoris ſubornatâ quâ perſonâ mentiebantur. Hiſtoriam priorem deſcriptam vide peculiari libello, quem nuperrimè exhibuit *Hottingerus part. 5. hiſt. eccleſ. ſect.* 3.; & meminit ejus ſatis ſtudioſè *Delrio lib. 4. diſq. Mag. c. 1. q. 3. ſect.* 4. poſteriorem habes apud *Sleidan. l. 9.* Conferat etiam, cui vacat, *Henr. Steph. tract. cui tit. traittè preparatif*, &c. *c.* 33. *&* 36. Sed cum de hoc crimine falſi Papalis alibi abundè indicium fecerimus (in diſpp. de Spectris, de probationibus ſpirituum, &c.) Oceanum illum denuò hic non ingredimur : ut chartæ & tempori parcamus. Huc referenda impoſtura in apotheoſi imperatorum ſuorum à Romanis adhibita, cum fingerent per teſtem ad hoc juratum, animam ejus ſpecie aquilæ conſpectam fuiſſe è rogo in cœlum ſubvolare, & conſequenter jam inter Deos adſumtam : cujus meminimus in diſp. de canonizatione ſanctorum.

Deorum ſeu deaſtrorum fictiones apud Gentiles non raro ſcenæ inſerviebant. Sic Numa Pompilius apparitionem Deę Ægeriæ & colloquium cum eâ, *Lycurgus* aliique legumlatores, & dominaturientes colloquia cum aliis deaſtris jactabant, ut apud homines autoritatem ſibi conciliarent. Huc refer fictiones poëticas Gentilium, de Diis falſariis ex. gr. Jove mentiente hunc aut illum hominem, taurum, & quid non, ut adulteria ſua expleret : quod ſcriptores Chriſtiani *Tertullianus*, *Minutius*, *Arnobius*, &c. ſarcaſticè ipſis

ipsis objiciunt. Affinis huic est fictio Alexandri M., quâ se generi Deorum inserere conabatur, per consuetudinem Jovis Hammonis sub formâ serpentis cum matre Olympiâ.

Dei seu Christi ementitæ apparitiones offerunt se in Papatu in legendis & vitis sanctorum, quarum aliquæ, sed paucæ, in & ab ipso Papatu, detectæ sunt, & quædam à *Delrio l. 4. q. 3. s. 2. 3. 4. 5. 6.* notatæ. Pleraque alias propè innumeras illic non detectas sed approbatas eidem fallario Papatui merito imputamus.

Homines viventes fingunt illi, qui partum alicui supponunt (de quo Jureconsulti), aut personam alterius, nomine ac professione, additis etiam quibuscunque probationibus, mentiuntur. Celebrantur in historiis Pseudo Balduinus Comes Flandriæ (de quo *Christoph. Besoldus in historiâ Constantinopol. pag. 385. & seqq.*) Pseudo-Sebastianus rex Lusitaniæ, Pseudo-Demetrius Imp. Russiæ, quem anno 1605. proceres Russici obtruncabant. Vide admirandam dicti Sebastiani narrationem apud *Rudolph. Botereum historicum Gallum lib. 8. ad an. 1601.* & *Petrum Matheum lib. 5. §. 9.* Quorum ille refert vaticinia super παλινόστῳ hoc edita, & libros scriptos, aliaque molimina Lusitanorum: iste, *apud Lusitanos atheismum* tunc fuisse, *si quis non crederet*, &c. eosque passim per *vitam & caput ipsius juravisse.* Adde famosum illum impostorem Martinum Guarranum, qui se maritum cujusdam fœminæ tam dolosè & constanter asseverabat, ut causa diu multumque coram Senatu Tholosano agitata fuerit; quam tandem impostura detecta, laqueus finivit. Meminit ejus ibid. *Botereus.* Falsum Smerdem habet *Herodotus*, Neronem *Suetonius*, Alexandrum Herodis Antipæ quasi filium *Flav. Josephus lib. 7. antiquitat. cap. 14.* Alios ementitos principes, ut Henricum, Fredericum, Alphonsum Historici commemorant. Exempla impostorum quotidiana suppetunt quamplurima, qui se liberos, fratres, affines, consanguineos aliquorum mentiuntur; cum genuini peregrinantes obierint, aut alicubi sponte hæreant, aut captivi detineantur. Hic imprimis considerandæ nobis se offert pernitiosa & detestanda histrionia Papatus in suppositione sanctorum chimericorum, qui aut nunquam fuerunt in rerum natura, ut e. gr. Christophorus, Georgius, Catharina, Longinus, septem dormientes, Ursula cum 11000. Virginibus, &c. aut si fuerunt homines, non fuerunt sancti, ut Dominicus, Franciscus, &c. De quibus ex professo egimus in *3. part. sel. disp. tit. de sanctis Chimæricis.*

Partes & adjuncta sanctorum & ipsius Christi sine fine sine modo ementiri solet Papatus; & semper Africa illa aliquid novi, in ostentatione reliquiarum: de quibus alibi in *3. part. select. dispp. tit.* de Peregrinationibus.

Adjuncta personarum, actiones scil. passiones mirabiles, effecta miraculorum,

prophetiarum, revelationum, raptuum, ecstaticæ contemplationis, transcendentalis devotionis, sæpe stolidæ ac ridiculæ, suppeditabunt ferreæ legendæ, & historiæ sanctorum in Papatu. De historiis illis seu fabulis, quibus fucus fit simplicioribus, alibi monuimus, in *Desperatâ causâ Papatus* & in *2. part. sel. disp. tit.* de Miraculis, de Prophetiâ, de probationibus spirituum; ubi etiam domesticas Pontificiorum quorundam querelas indicamus. Jungatur huic gregi sanctorum, Cappelletus ille qui rarissimæ sanctitatis simulacro an simulatione ita imposuerat cuidam parocho, ut defunctus pro concione ab eodem laudatus, tanquam Divus à populo coleretur, & miracula per illum edi, crederetur: cum tamen falsarius, & nebulo nebulonum in vitâ fuisset: describente *Joh. Bocacio in Decamerone tit. Pamphilus:* ex traductione Olympiæ Moratæ cum reliquis ejusdem Olympiæ opusculis editâ 1570.

Sexum muliebrem viri, & virilem fœminæ, nomine, vestitu, voce, gestibus, moribus, actionibus, constanti professione, non rarò mentiti sunt. Exempla suppetunt quamplurima: inter quæ memoranda Clodii Romani deprehensi in sacris bonę Deæ (apud *Cicer. ad Atticum lib. 1*); cui simile factum Mundi mentientis Anubin (apud *Josephum Gorionidem lib. 5. cap 45.*); Hæloisæ, quæ Petro Abailjardo eruditione & hæresi satis celebri tanquam scortum adhærebat (vide vitam ejus); & Pontificalis adulteri Papissę Johannæ, quæ sexum mentita virilem, teste *Bapt. Mantuano*, aliisque historicis Papatus, magno numero à nobis in *Desper. causâ Papatus* productis. Quamvis autem ab anno demum 1566. primus *Florim. Ræmundus*, & post eum *Ballarminus*, *Baronius* aliique Pontificii hanc historiam oppugnare cœperint, quin & nuper nonnemo ex nostris manus adversariorum otiosè confirmare, nihil tamen emortualibus hisce conatibus effectum ostendit nuperrimè *Congnardus* advocatus in suprę mâ curiâ Normandicâ, gallicè in 8. Et ego compendiosè *in disp. de Papissa Johannâ*. Addo nunc tam insolentem & miraculosum non debere videri hanc impostoram in Papatu, si viri in conventu monialium muliebri schemate, aut fœminæ in conventu Monachorum virili schemate aliquando ad usus impudicos versentur. In quem finem Monachus Franciscanus in Flandriâ Matronam nobilem, obtruncatis prius omnibus domesticis, cucullo monachali indutam ad monasterium suum violenter traducere conatus fuerit, prout aliquoties plures fęminas eo schemate in Monasterio suo socienni ejus detinnerant, facile cogitari potest. Vide memorabilem hanc historiam ab Henrico Stephano gallicè in tract. cui tit. *Traittè preparatif à l'apologie pour Herodote*, *cap.* 24. descriptam. Nec frustra Deum legem hujusmodi impostoris opposuisse credendum est, *Deuter. 22. v. 5.* ubi vide commentatores. Canonistæ

ſtæ ad cap. *ſi quis ſuadente* (quod eſt 29) 17. qu. 4. eximunt à pœnâ illic ſtatuta percuſſorem Monachi & clerici, ſi is habitu laicali indutus fuerit. In ſexus alterius fictione modum exceſſit audacia cujuſdam fœminæ, quæ antè annos aliquot ſchemate virili virginem quam honeſtam non tantum ambiverat, ſed & ſibi more & modo ſolenni deſponſatam publicè coram facie eccleſiæ in urbe quadam Hollandiæ in uxorem duxerat, celebratis inſuper pro more recepto nuptiis. Vide hanc hiſtoriam à nobis deſcriptam *part. 1. polit. eccleſ. lib. 3. tract. 1. cap.* Confer & exempla ſexus ementiti, apud *Phil. Camerarium centur. 2. pag. 255.*

Qualitates ementitæ tam frequentes, & tam variæ ſunt, ut numerus earum hic iniri nequeat. Duę imprimis peſtes Reipublicæ noſtræ in hac arte excellunt, fures crumeniſecæ ſeu πικροῦχοι, & Clerici Papales emiſſarii, qui civitates & agros pervagando quamvis perſonam induunt pro re nata, mercatorum ſcil., nobilium, Jureconſultorum, quorumvis honeſtorum cujuſcunque ordinis civium, quin & reformatorum, ſi ita opus ſit, concionatorum, aut ſtudioſorum. Hinc eſt quod prudenter à ſummis Belgii fœderati poteſtatibus ſtatutum, ut locuſtæ illæ non niſi proprio ſchemate ſuo inſignitæ, & indicato nomine huc intrent. Sed his miſſis accedamus ad ementitam nobilitatem, ab *Eraſmo in Colloquiis tit. Hypoplanus* ſeu *ementita nobilitas* eleganter deſcriptam, & à jure civili ac Jureconſultis, nec non ſcriptoribus de nobilitate, adhæc à genuinis artis heraldicæ profeſſoribus & ſcriptoribus genealogicis detectam, & à veris nobilibus condemnatam, alicubi etiam, ubi principes & nobiles rerum ſuarum ſatagunt, pro merito punitam. Et certè intereſt Reipublicæ, ut ordines hominum diſtinguantur, & familiis ſuæ dignitates ac privilegia conſtent, atque adeo licentia hęc in quamque familiam irrependi, ejuſque nomina, titulos, & inſignia uſurpandi, coerceatur. Quod quomodo faciendum ſit, noſtrum non eſt indicare, ſed Heraldicam artem profitentium; ex quorum conſilio Principes, Magiſtratus remedium huic morbo adhibeant. *Gaſpar Schioppius Scaligerum hypobolimæum* cum procudiſſet, oppoſuit ei celeberrimus *Heinſius*, *Munſterum hypobolimæum.* Suffecerit à nobis hic notari, maximam partem hujus confuſionis imputandam ineptè aut malè literatis, eſurientibus ſcil. poëtis, Oratoribus conductitiis ſeu mendacibus panegyriſtis, actuariis adulantibus, hiſtoricis venalibus; à quibus in poemate, aut libri dedicatione, aut in commentario ad bonum autorem, aut in hiſtoriâ, aut libro aliquo genealogico titulum ſemel in proſcenium adductum, ilico tranſire faciunt in rem judicatam, quotquot vanæ ſuæ gloriæ intereſſe putant. Summus autem gradus falſi in hoc genere committitur, ſi diplomata, aut acta publica, aut libri ante hac ſcripti

additamentis, aut expunctionibus, aut prætensis variis lectionibus corrumpantur: aut si provocetur ad antiqua diplomata & monumenta, quæ sibi visa & lecta fingunt, nunquam tamen in rerum natura fuerunt, nunquam à quoquam, nec ab ipso impostore heraldico visa: nisi forte viderit & in manibus habeat diplomata aut acta, eorumve apographa, aut MSS. libros à se aut à conductoribus suis fabricata. Illustre hujus criminis exemplum notatum est in Christophoro Butkens Monacho (quid Monacho extra cellam, ut pisci extra aquam, in mari genealogico?) ab eximio J. C. & in his rebus versatissimo *Arn. Buchelio in notis ad historiam Ultrajectinam Hedæ p.* 42. & 139.

Qualitates, & malæ passiones tum animi tum corporis frequenter fingi solent, ut spirituales afflictiones, desertiones, & tentationes, adhęc nuditates, egestates, persecutiones, fugæ, exilia propter religionem; imprimis & morbi, aut mutilationes & impotentiæ corporales; ex. gr. obsessio diabolica, epilepsia, lepra, uteri gestatio, &c. De quibus impostoris consulendi duo eruditi tractatus, *Joh. Baptistæ Condrochi*, & *Pauli Zacchiæ* Medici Romani, qui rationem & modum talia falsa deprehendendi ostendunt. Editus est ante annos aliquot nostrate linguâ festivus libellus tit. *Miracula ergasterii* Amstelodamensis per S. *Raspinum* mediatore S. Pono (πόνῳ), facta: cui ad finem subjungitur miraculum liberatæ per S. Justitiam fœminæ; quæ cum integro anno dolo & astu admodum artificioso finxisset possessionem & energema caco-dæmonis, deprehensa à S. Justitiâ & publicè virgis cæsa & stigmatizata, planè sanata fuit: ejecto & avolante putatitio dæmone; simulac stigma, cui insculptæ erant tres cruces (quæ insignia urbis Amstelodamensis) tergo ipsius imprimeretur. Unde poeta quis poemate non inelęganti canebat diabolum per crucem ejectum & profligatum esse.

III. *Classis* continet crimina falsi, quæ in libris & scriptis committuntur; de quibus prolixius nobis agendum; quod complures jureconsulti hæc parcius attingant, & Casuistę Pontificii fere ad literas Papæ aliaque instrumenta clericalia restringant.

§. 3. *Falsum* hoc distinguimus in illud quod in libris editis aut edendis, & in illud quod in scriptis strictè sic dictis (hoc est in MSS.) committitur. Falsum in libris variè commissum fuit tum in historicis, Oratoribus Poëtis, Philosophicis, aliisque scriptis communibus; tum in Theologicis. *In illis* exemplum dedit vir alioquin eruditus *Car. Sigonius*, in suppositione consolationis Ciceronis ad Quintum fratrem, in quâ emunctæ naris criticus *J. Lipsius* Sigoneitatem (uti menimi ipsum loqui alicubi in epistolis) deprehendebat. Adde hic *Ovidii vetulam*, *Aristotelis libros de causis*, &c. aliosque complures; in quos criticis, & nomenclatoribus poëtarum, oratorum, gram-

ma-

maticorum, philosophorum, historicorum, inquirendum relinquimus. Propius nos tangit plusquam monachalis audacia *Annii Viterbiensis*, qui superiori sæculo Berosum Chaldæum, Metasthenem, Manethonem, &c. antiquissimarum antiquitatum, jam inde à Varronis sæculo ἀδήλῳ, promos condos, ementitus fuit. Hujus noxiam & infamem impostura perstringunt magnus *Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum* & ex Pontificiis *Melchior Canus, lib. 11. loc. l. 6. Possevinus, Pererius, Genebrardus, Ribera*, aliique citati à *Vossio lib. 3. de histor. Latinis cap. 8.* Post Annium Viterbiensem antiquitates supposititicias obtrusit volumen a. 1637. Florentiæ editum hoc tit. *Etruscarum antiquitatum fragmenta*, &c. *à Curtio Inghiramio reperta Scornelli prope Vulterram*, &c. Ajunt fragmentorum illorum indicem chartam sub lapide non ingenti juxta annosas quercus fuisse inventam. Titulus libri præscribit, Urbis Romæ aliarumque gentium primordia, mores & res gestas iis fragmentis indicati. Sed anonymus quis vir doctus, observationibus suis ad antiquitates Etruscas anno 1639. ineptissimam hanc impostura detexit.

In theologicis ut magis noxia sic magis frequens dominatur falsitas: quam secundum autores distinguimus in antiquam, sectariam recentiorem, & Pontificiam.

1. *Antiqua* falsitas potissimum in libris proposita, aut Apostolo aut viro Apostolico suppositis; quales Euangelia Nicodemi, Bartholomæi, Thomæ, Itinerarium Petri, Abdiæ Babylonii certamen Apostolicum, epistola Pauli ad Laodicenos, Testamentum 12. Patriarcharum, Epist. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: de quibus videri poterit Baronius in apparatu ad annales. Ad hæc scripta *Dionysii Areopagitæ* & Clementis Romani, Epistolæ primorum urbis episcoporum, ut Cleti, Lini, Anacleti, &c. canones vulgo dicti Apostolici: de quibus compendio *Cocus* in *Censurâ patrum*, *Rivetus* in *critico sacro*. *Blondellus* stupidissimè & ineptissimè fabricatas epistolas primorum Pontificum, in genere & in specie excussit peculiari tractatu tit. *Pseudo-Isidorus Mercator & Turrianus vapulantes*. Post illum Dailleus, Pseudo-Clementi Romano larvam detraxit, vapulante insigniter eodem *Turriano, qui tract. peculiarem de Clementis Constit.* ediderat. *Ignatii nothas epistolas*, & plurima aliis epistolis ab impostoribus infarcta, critica falce demessuerunt *Vedelius* & *Usserius*. De dictis genuinis Apostoli Pauli aliorumque scriptorum ψευδεπιγράφων epistolis, quas penes se esse Manichæi jactabant, legendus *Augustinus in libro de hæresibus* ad quod vult Deum, & in scriptis contra Manichæos. Nec prætereunda Sibyllina oracula, & Mercurii Trismegisti θεολογούμενα: de quibus judicium nostrum aliquando nos depromturos polliciti eramus in primâ hujus dispp. editione, anno 1655. Sed quia vir eruditiss. & ad talia ικανώτατος hoc nunc agit, avidè exspectabimus, operis

ris illius editionem. De symbolo Apostolico, quamvis quod ad materiam verissimo, minimè tamen Apostolis scriptoribus tribuendo, *disp. peculiari 1. part. sel. dispp.* antehac sententiam nostram aperuimus.

II. *Falsitas sectaria* quorundam ecclesiæ adversantium, commissa fuit vel à Pontificiis, vel ab aliis sectis. De recentioribus adversariis aliquid in transitu perstrinximus in methodo respondendi calumniis de Deo autore peccati, quæ primæ parti select. dispp. nostrarum inserta est. Cum quibus conjungenda, quæ *Vorstius in Apologiis* pro infelici libro suo de Deo, non sine multiplici falso & prævaricatione ab anno 1611. & deinceps molitus est. Ejus artes varii tunc detexerunt; inter quos *Eglisemmius* in *Crisi*, & in *Hypocrisi responsi Vorstiani*, Ministri Leovardienses in *Specimine conscientiæ veracitatis*; &c. *Conr. Vorstii.*

III. *Falsitas Papatus* tam multiplex, tam perpetua, tam immanis, ut fidem superare videantur. Nos artes eorum adhæc sequentia revocamus.

1. *Fingunt* & supponunt libros, sive anonymos, sive nomen præferentes, eosque in antiquitatis thronum evehunt. Et tales sunt larvati illi patres & sancti, quorum meminit *Cocus in censurâ patrum* in præfat. Tales etiam sunt tractatus nothi, qui patribus supponuntur, & ad quos provocant. Vide hoc abundè probarum à *Perkinso in Probl. Cathol. Coco in censura patrum, Riveto in critico sacro, Daillæo in Pseudo-epigraphis, Blondello in Pseudo-Isidoro, Jacobo Capello, in libro, cui tit. Sedis Romana potestas, sanctitas, fides:* ubi *lib.* 3. Papatui falsi & stellionatus dicam scribit. Idem facit *Chamierus tom. 2. Panstratiæ lib. 16.* ubi *cap. 9.* detegit impostura Papatus in falsandis autoribus *cap. 10.* in sophismatis *cap. 11.* circa sanctos *cap. 12.* circa reliquias *cap. 13.* in revelationibus, 14. in miraculis. Nec prætereundus *Joh. Prideaux* theologus Oxonienſis, qui tribus Orationibus (quas vide in ipsius Operibus) tit. de *Pseudo-epigraphis, de spiritibus seductoribus, de impostorum mendaciis* falsarium Papatum insigniter detexit, & complures autores in hunc finem indicavit.

2. Jactant & subornant, editiones tales librorum, quas ipsi corruperunt, phrases aut etiam sententiam addendo, delendo, mutando seu substituendo. Specimina tam nefariæ corruptionis in textu Hebraico *Genes. 3. v. 15.* & in tractat. *Cypriani de Unitate Ecclesiæ*, ostendimus in nostrâ *Desperatâ causâ Papatus.*

3. *Apertè* expurgant, & falsant scripta tum patrum tum suorum doctorum, quinimmo hanc artem falsariam profitentur & defendunt: uti probavimus in *Desper. Causa Papatus loc. cit.* Imprimis indicium expurgationum in 300. scriptoribus fecit *Thomas Jamesius tract. cit.* quem miror

miror hactenus latino sermone editum non fuisse. Idem dico de *Andr. Willeti* tetrastylo Papismi. Addatur hic memorabile exemplum *Ambrosii* expurgati & interpolati, in typographiâ Lugdunensi; quod *à Fr. Junio* ἀυτόπλῃ refertur in vitâ ejusdem. Huic generi falsitatis affines sunt infidæ & falsariæ versiones latinæ canonum & patrum; quæ antehac procusæ sunt & hodie etiam num in aciem educuntur; non ex ignorantia, sed ex perverso causam suam juvandi, studio, ex. gr. *Genes.* 3. *v.* 15. *Ipsa Heb.* 13. *promeretur.* Quis eorum quamvis ab omni literatura hebr. & gr. alienissimus ex propriis autoribus istarum linguarum peritis jam discere non potuit, falsam hic esse versionem, & consequenter ea non amplius utendam ad causæ suæ defensionem. In *Concil. Laodiceno can.* 35. ad falsariam hanc versionem *(ad angulos)* confugiunt, ut subducant se decreto antiquæ ecclesiæ contra invocationem angelorum: cum tamen nemo ipsorum ignorare possit, qui modo græca legere didicerit, haberi in textu gr. per *Tilium* episcopum Meldensem edito, ἀγγέλους.

4. *Aperta* etiam professio falsitatis est, cum ubi ipsis usu venerit, ad homines venerandę antiquitatis larvâ terrendos, hypobolymeos patres, aut suppositos patribus tractatus, aut falsatos *(proprio ipsorum judicio)* pro causa sua adducunt; & mox velificatione versa eosdem à testimonio dicendo submovent, si ab adversariis adducti scenę eorum non subserviant. *Origenes* & *Tertullianus*, modo inter sanctos patres numerantur, modo proclamantur, hæretici, & homines non de ecclesia: autor commentarior. in epistolas Pauli sub nomine Ambrosii modo ad partes vocatur titulo patris & S. Ambrosii, modo titulo Ambrosiastri & scriptoris Pelagiani exsibilatur. Sic Ignatii epistolæ promiscuè pro causa Romana nobis opponuntur: quibus tamen multa à Græcis infarcta esse, hoc est, quas falsatas esse ipsi conqueruntur. Ne jam dicam, multas esse adulterinas: uti abunde hoc probatum à duobus earum editoribus *Nic Vedelio*, & *Jac. Usserio*, Quid? quod non sine ratione viri quidam docti omnes eas suppositas suspicentur: de quo alibi.

5. Est & alia species falsi Papatui usitatissima, quam tanquam artem liberalem publicè profitentur, qua patres aversis vestigiis contra mentem ipsorum, & propriam suam conscientiam *excogitato commento* (uti exsertè loquitur index expurgatoris Belgicus, ubi *Bertrami* presbyteri librum de cœna Domini excusant in sententiam suam trahere conantur. In qua pia fraude *(ut ipsorum phrasi utar)* sequuntur angelicum suum Doctorem Thomam de Aquino, qui teste comentatore ipsius *Thoma Cajetano*, ut *Aristotelem* sic & patres nonnunquan interpretatur, non uti senserunt; sed uti debuerunt *(judicio scil. ipsius)* sentire.

6. De-

6. Denique est τέρας τοράτων, reflexiva seu reduplicata falsitas, cum supposititia & pseudo-epigrapha à suis ex suis bibliothecis edita, nostris tanquam falsariis imputant; aut veterum & suorum scripta quibusdam è nostris tanquam autoribus adscribunt; aut corruptiones patrum nostris attribuunt. Audiatur *Sixtus Senensis* in præfat. ad Bibliothecam selectam: „His longè majus & gravius detrimentum intulerunt divinæ Bibliothecæ „impii nostrorum temporum Hęretici: qui, ut hæresibus suis fidem ex „auctoritate insignium auctorum conciliarent, libris nefariæ doctrinæ à „se editis imposuerunt gratiosa catholicorum patrum nomina & cogno„mina; hoc nimirum imposturæ genere allicientes ad se avidos & incau„tos lectores, quibus pro ambrosia & nectare fæces, & excrementa, pro „remediis & antidotis letifera venena melle pręlita venditarent. Sic proxi„mis annis perniciosum Oecolampadii volumen adversus Sacramentum „corporis Christi, invulgarunt sub titulo Bertrami Presbyteri De corpore „& sanguine Domini ad Carolum Magnum, & vice versa, Carolastadii „opus contra cultores imaginum, cum inscriptione Caroli Magni de cultu „imaginum ad sextam Synodum, in Oriente congregatam; rursusque ali„ud Calvini opus emiserunt sub nomine Alcuini, præceptoris Caroli „Magni ad eundem Carolum Augustum. Hunc in modum transformarunt „Henrici Bullingeri librum contra visibilem Ecclesiam in librum D. Atha„nasi, de vera & pura Ecclesia. Ita Buceri opusculum adversus meri„ta bonorum operum in aliud opusculum immutarunt, mentita in„scriptione Joannis episcopi Roffensis de misericordia Dei. Consimili „fraude conciones Italicas Bernardini Ochini, apostatę & hæretici verte„runt in conciones Thomæ ordinis Prædicatorum episcopi, Justinopo„litani.

„ Et quasi hæc detestanda scriptorum metamorphosis videretur Proteis, „ac personatis hisce histrionibus, aut nullius, aut parvi admodum esse „momenti: iterum longè, pestilentiori audacia irruerunt in labores or„thodoxorum patrum, usurpantes sibi in scriptis præcipuè antiquorum ty„rannicam quandam potestatem judicandi, censendi, in dubium revo„candi, repudiandi, mutilandi, rescindendi, & pro animi libidine sub„movendi, ac penitus abolendi quęcumque ipsorum insano gustui non „placerent. Ex his, ne singula recenseam, satis sint pro exemplo Oeco„lampadius, Lutherus, Erasmus: Quorum prior libros Ambrosii de sa„cramentis tanquam Ambrosio parente indignos, ex Ambrosianis ope„ribus non alia de causa amovit, quàm quod ii hæresim suam de sacra„mento everterent. Alter opera Dionysii Areopagitę nomine celebrata, „& tot jam sæculis sub ejus auctoritate à magnis auctoribus in testimo-

nium

„nium graviſſimaum rerum producta, omnia prorſus abjecit, offenſus, „ut ipſe inquit, Platonicis ſomniis, & imperitis ac frigidis allegoriis, in „quibus auctor ille perpetuo luderet. Tertius vero, (quem hæretici hono„ris gratia Cenſoem eccleſiaſticę Bibliothecæ appellare non verentur) tan„ta auctoritate, ne dicam temeritate, cenſoriam virgam arripuit in ſacros „magni nominis auctores, ut ex ipſorum egregiis lucubrationibus mag„nam partem aut omnino ſuſtulerit, aut ad infimas vilium ſcriptorum „claſſes redegerit, adimens à Cypriano dimidiam penè laborum partem, „Hieronymo quartam, Ambroſio, ex quatuor tomis unum, Chryſoſtomo „unius tomi dimidium, Auguſtino libros, ſive opuſcula plus quàm ſexa„ginta, quorum licet fatear aliqua immeritò non fuiſſe expuncta, plurima ta„men ſunt indignè temereque exploſa. Ut incendium Romæ à ſe procura„tum, Nero attribuebat Chriſtianis: ita Sixtus Senenſis ſuorum facta refor„matis adſcribit. Sed non videt ſe in manifeſto mendacio deprehendi, ex lectis indicibus ex purgatoriis; & ex autoribus de ſcriptoribus eccleſiaſticis (qua„les *Trithemius*, *Bellarminus*, *Poſſevinus*, & catalogi ſcriptorum cujuſque or„dinis ſeu religionis, ut Dominicanorum, Carmelitarum, &c. ad hæc cata„logi ſcriptorum cujuſque nationis); ex annalibus, hiſtoriis, chronologiis, jam inde ab anno 1517. editis; inſuper ex vitarum ſcriptoribus; denique ex collatione editionum, jam inde ab inventa & uſitatâ typographiâ uſque ad annum 1517. & inde uſque ad finem *Concilii Tridentini*, per Pontificios procuratarum, cum editionibus eorundem ſcriptorum per Pontificios, poſt finitum *Concilium Tridentinum*, uſque in hunc diem, procuratis. Quid multis? vel unicus liber Jeſuitæ *Gretſeri de more & modo corrigendi libros malos*, &c. indicium facit utris caſtratio, interpolatio, falſificatio librorum attribuenda, reformatis an Pontificiis? Nos antehac inſigne ſpecimen in falſificatione Cypriani exhibuimus, in *Deſperatâ causâ Papatus.*

In ſcriptis falſum committitur.

1. Cum quis ſigillum adulterinum adhibet, aut nomen alterius ſub- §. 4.
ſcriptum aut præſcriptum imitatione ſcripturę ſeu characterum ipſius mentitur.

2. Cum quis non tantum nomen, ſed & totum ſcriptum à ſe imitando characterum alterius fabricatum, ſupponit.

3. Cum ſcripta comburuntur, aut quovis modo ſubducuntur ac ſupprimuntur: ne veritas appareat.

4. Cum genuinum alterius ſcriptum levi mutatione in charactere aliquo, aut ſyllaba, aut vocula, aut diſtinctione ſententiarum, aut ciphris ſummam pecuniæ, aut annum aut diem aut quid aliud denotantibus adulteratur.

5. Cum ſcriptum continens admirandum, rarum, & inauditum quid alicubi in antiquâ bibliotheca, aut crypta, aut libro, aut inter ſcedas, aut in ſepulcro inventum fingitur. Imprimis luditur orbis ejuſmodi figmentis, circa materiam prædictionum & vaticiniorum: de quo Confer *part. 2. ſelect. diſp. tit. de prophetia.*

6. Affinis huic fallacia eorum, qui nummos antiquos, in ſcriptiones, cippos, marmorum & lapidum fragmina aliaque antiquitatis monumenta, ſæpe ad res majoris momenti comprobandas, mendaciter oſtentant: quo quidem inſignis verę hiſtoriæ & philologiæ clades infertur. Monuit de eo non ſine ſtomacho eximius philologus *Laut. Pignorius epiſt.* 38. ad abbatem Batiſonium: ubi exemplum cujuſdam refert aurifabri Romani, qui publicè & impunè iſtorum fabrum & inſtitutorem agebat. Videant nunc non ſatis cauti antiquarii, quam apodictica argumenta ex antiquis nummis, lapidibus, ruderibus, ſcrutis, picturis, ſtatuis, annulis, cippis, urnis aliaque viventium & mortuorum ſuppellectile, deduci poſſint. De ſiclis Judæorum Samaritică ſcripturâ inſignitis (quos exhibent *Waſerus* de nummis Hebræorum, *lib. 2. fol. 59. Beza in notis. Hottingerus, de cippis pag.* 132. aliique) meritò ſuſpicari liceat, & ſemper ſuſpicatus ſum, eos à Judæis ad talia factis, exemplo auri fabri Romani, fabricatos. Nunc ab Eruditiſſ. *Joh. Oweno in tract. de theologiâ lib. 4. digreſſ. 2. p.* 311 - 326. contra nummos illos ſatis validè exceptum video. Atque hi quidem modi fallendi communes. Speciales fallendi modos omnes hic non perſequar; contentus digitum ad quoſdam intendiſſe, imprimis eos, qui rebus & cauſis eccleſiaſticis magis inſidiari ſolent.

Eſt ergo, 1. *Falſum* circa ſcripta privata, ut epiſtolas, rationes, & libros rationum, inſtrumenta contractuum, ſpeciatim emtionis & venditionis, ut rationes mercatorum, literas cambii, &c. Inter ſcripta privata circa epiſtolas falſum committi poteſt, cum alia ſupponitur, aut cum genuina intercipitur, aut reſeratur, aut excerpta ex aliqua epiſtola ἢ Δεῦρο in ejus præjudicium exhibentur; quæ epiſtola fingitur in manibus eſſe, cum revera non ſit, ne quidem in rerum natura. De epiſtolis intercipiendis, & reſerandis, diſtinguendum eſt. Quamvis enim ex Juris Canonici & civilis interpretibus nonnullis *Sylveſter in ſumma* in voce *Falſarius*, affirmet: limitandum tamen „ eſſe colligitur ex iis quæ ſubjicit: Ex quibus rationaliter colligitur quod „ iſte peccet mortaliter: niſi ſit ſuperior, aut inadvertenter faciat, aut ſpem „ habens in ratihabitione, aut habeantur literæ pro derelictis; aut ſecun„ dum Archiepiſcopum, niſi eſſet manifeſtus adverſarius ejus, dubitans ne „ aliquid ibi tractetur contra eum. Debuit enim ſcribens ſibi providere ne „ venirent ad manus adverſarii. Et idem credo, ubi quis aperiret ad ob-

viandum

viandum injusto malo corporali vel spirituali. Similia habent *Navarrus in Manuali cap.* 18. & de *Graffiis lib.* 2. *casuum cap.* 134. Confer supra appendicem ad disp. de dolo, æquivocatione, mentali restrictione.

11. *Falsum* circa instrumenta politica committitur, cum acta politica aut juridica aut Principum & Magistratuum archiva, diplomata, decreta, abolendo, supponendo, mutando seu vitiando falsantur. Quærit hic *Sylvester.*

An tabellio sit falsarius qui absentium nomina in instrumento ponit, vel qui furtivè surripit sigillum, & respondet ex Jure Canonico, aff.

Quærit ibid. *An instrumenta facta per falsum notarium sint nulla;* & respondet ibidem per distinctionem: Sed nos in præsenti non tam in consequentia peccatum falsi, quam in ipsum peccatum inquirimus. Hoc ergo, & multa alia in pulverem, ubi opus, secanda Jureconsultis relinquimus. Perlustret modo, qui volet compendio uti, *Tholosanum aut Althusium.* Inter Casuistas Pontificios in quibusdam se præ aliis diffundunt *Sylvester*, *Navarrus*, *de Graffiis*; cum quibus conferantur Canonistæ ad loca supra thesi 1. citata.

111. *Falsum* circa scripta ecclesiastica committitur.

1. *Cum* acta consistorialia aut synodalia falsantur, in totum aut ex parte, ea abolendo & supprimendo; aut mutando per additionem; subtractionem, substitutionem. Exemplum ejus dedit *Bonifacius* episcopus Romanus, cum ex actorum *Concil. Niceni* falsato exemplo sedis suæ primatum probare contendebat: cujus flagitii convictus fuit à Patribus Africanis (inter quos *Augustinus*) in *Concilio Carthaginensi* anno 419. congregatis. Vide historiam apud Plessæum in Mysterio iniquitatis & in canonibus ecclesiæ Africanæ Gr. Lat. à *Justello* editis.

2. *Cum* acta martyrum falsantur.

3. *Cum* epistolæ ecclesiasticæ falsantur, systaticæ scil. formatæ, encyclicæ, & quævis alia earum genera alibi à nobis enumeranda.

4. *Cum* testimonia adulterina, tanquam à ministris, aut synedriis, aut synodis, earumve deputatis, aut à facultatibus theologicis scripta circumferuntur, sive à mendicabulis hominum, sive à mercenariis & ambulantibus Levitis; quorum illi eleemosynariis aliisque piis hominibus vulgò imponunt, ut stipe eos emungant; isti ecclesiarum inspectoribus, ut alicubi tanquam vulpes, aut ignavi fuci in vineam & alveatium domini irrepant.

5. *Cum* à filiis Belial (quales ultima hæc ætas in mediâ luce reformationis non paucos tulit) pastorum aut Doctorum publicorum epistolę, consilia, dictata alicubi inventa, aut intercepta, aut astu quo surrepta fin-

guntur, oſtentantur, & quidem ſuppoſitâ per diabolicam mimeticam ſcripturâ, quę ipſorum eſſe dicitur, ut ita odioſa & infanda quævis innoxiis illis Doctoribus ac per eorum latus ſacro miniſterio, eccleſiis, ſcholis impingant, & omnibus non tantum hoſtibus, ſed & eccleſiæ filiis ac defenſoribus premendos ac diſcerpendos objiciant.

An & quæ ſint exempla hujus diabolicæ artis edita, præſertim jam inde à reformatione anno 1517. uſque in hunc diem, infra diſquiretur.

Tempore dominantis Papatus artes falſi quam plurimæ graſſabantur, & aliquę earum enumerantur *lib. 5. decretal. tit.* 20. de crimine falſi *cap. ad audientiam*, ubi de falſificatione ſigilli regis Francorum per quoſdam clericos. Ibid. cap. *licet ad*: ubi ſpecies falſandi bullas ſeu literas Papę recentur; quarum.

Prima, cum falſa bulla falſis litteris apponitur.

Secunda, cum filum de verâ bullâ extrahitur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis literis inſeritur.

Tertia, cum filum ab eâ parte, in quâ charta plicatur, inciſum, cum vera bulla falſis literis immittitur, ſub eadem plicatura cum filo ſimilis canabis reſtauratum.

Quarta, cum à ſuperiori parte bullę, altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum literis falſis inferre reducitur intra.

Quinta, cum literis bullatis & redditis in eis, aliquid per raſuram tenuem immutatur.

Sexta, cum ſcriptura literarum, quibus fuerat appoſita vera bulla, cum aqua vel vino univerſaliter abolita ſeu deleta, eadem charta cum calce & aliis juxta conſuetum artificium dealbata de novo reſcribitur.

Septima, cum chartæ, cui fuerat appoſita vera bulla, totaliter abolitæ vel abraſæ, alia ſubtiliſſima charta ejuſdem quantitatis ſcripta cum tenaciſſimo glutino conjungitur.

Octava, cum ſcienter literas non de manu Papæ aut bullatoris recipiunt.

Nona, cum accedentes ad bullam falſas literas cautè projiciunt, ut de vera bulla cum aliis ſigillentur. In *bulla Pii* V. *Cum ſicut accepimus*, anno 1566. pœnæ ſubjiciuntur procuratores officii ſacrę pœnitentiariæ, & quicunque ſollicitatores & ſcriptores, qui veritatem facti in diſpenſationibus matrimonialibus aliiſque gratiis obtinendis intervertunt, immutant, depravant, ſive literis illis ad gratias per ſurreptionem & obreptionem extorquendas uſi ſint, ſive non uſi ſint. In bullâ ejuſdem, *Muneris noſtri eſt* anno 1551. pœna falſi decernitur violantibus, diripientibus, ſupprimentibus ſcripturas & acta ad proceſſus pendentes pertinentia, eorumque complicibus

bus & fautoribus, & nominatum publicis curiarum actuariis : Insuper antidotum hujus pestis fallariæ ibidem præscribitur, ut episcopi quotannis inventarium omnium actorum, causarum, &c. conficiant, illudque confectum & manu actuarii publici subsignatum penes se custodiant ; donec super eis fuerit judicatum *Piasecius in praxi episcopali part. 2. cap. 1. p.* 110. addit ex Jure civili, & ad Papale ecclesiasticum transfert, de teste recipiente pecuniam ne vel ut ferat testimonium ; de notario, advocato, procuratore, qui adversæ parti instrumenta suæ partis ostendit ; de judice accipiente præmium pro sententiâ injustâ aut justâ ferendâ : hos omnes ait, secundum communem Doctorum sententiam, comprehendi sub nomine falsarii. *Franciscus Coriolanus* in explicatione bullæ de cænâ (quam subjicit *tract. de casibus reservatis) pag.* 898. falsarios literar. Apostolicarum, quos bulla ibid. excommunicat, dicit esse 1. *qui* radunt veterem scripturam. 2. *qui* aliquid novi scribunt in literis prędictis. 3. *qui* secant, lacerant, radunt, aut conglutinant papyrum ad falsificationem earum. 4. *qui* bullam plumbeam de veris literis extrahunt, aut literis falsis illam affigunt. 5. *qui* faciunt bullas plumbeas falsas. 6. *artifices* seu fabri bullarum, qui illas alicui privato donant aut vendunt ad faciendas literas falsas. 7. *qui* falsificant annullum Piscatoris. 8 *Denique* omnes illi qui similia faciunt, aut quarum auctoritate hæc fiunt. Subjicit ibidem, etiam fallarios esse, & censurâ cap. *ad falsariorum*, de crimine falsi teneri, omnes fautores & defensores fallariorum ; omnesque utentes scienter literis apostolicis falsis. Sed tædet amplius artes falsi in regno falsitatis apud scriptores ipsorum detectas investigare. Quidquid quęro & quoscunque angulos perrepto, hactenus compar infando & abominando illi sceleri nuper in scena & histrionia mundi in malo positi nimis (proh dolor !) agitato, invenire non potuit. Hic ergo sisto, & ad problemata aliquot enodanda me confero.

Problemata sunt duum generum : quorum alia de falso in genere ; alia de falso in libris ; alia de falso in scriptis. §. 5.

1. *Probl. An tria ad falsum necessario requirantur, immutatio scil. veritatis, dolus, & nocumentum seu damnum quod alteri inde contingit. Resp.* Aff. Communiter Jureconsulti, & Canonistæ apud Azonem, Hostiensem, &c. & inter recentiores *Tholosanum lib* 36. *cap.* 1. §. 7. & : quos sequuntur theologi Casuistæ, apud de *Graffiis & Eligium Basseum.* Sed nos censemus theologis de peccato in foro poli seu conscientiæ determinantibus strictius hic agendum ; & consequenter solum factum dolosum, consideratâ intentione operantis, immo vel fine operis solummodo considerato sufficere ad peccatum aliquod falsi constituendum ; sive damnum aliquod sequatur, sive non sequatur. Quamvis enim pœna politica, aut etiam censura

ecclesiastica non irrogetur, inde tamen non sequitur cogitationem, aut consilium, aut conatum malum à peccato immunem esse. Ne quidem nudum silentium, aut nudam omissionem cum omnibus circumstantiis consideratam; quæ aliquo in casu reduci potest ad commissionem. Quia repugnat virtuti sinceritatis & studio veritatis; & saltem indirecta atque interpretativa, aliquando etiam participata simulatio dici potest. Sicuti enim mendacium quodvis, quamvis non sit pernitiosum, sed officiosum, aut jocosum, aut humilitatis, aut communis ἐυτραπελίας, seu aulicæ civilitatis (ita loquar) peccatum censetur; sic & falsum in foro poli? Ipsæ leges civiles, & canonicæ non absolvunt à peccato magiæ, quamvis nullus damnosus effectus adsit; sed contra prætendatur esse magia alba (ut loquuntur) seu bona, ad publicam aut privatam proximi utilitatem: (de quo nos in 3. *part. select. disp. tit. de Magiâ*): & quidni idem applicari debeat ☞ falso? Addi posset, quod Canonistæ & Casuistæ Pontificii pœnis subjiciunt eos, qui per falsum dispensationes & gratias Papæ aucupati fuerint; quamvis eas non obtinuerint, nec damnum iis dederint: uti præcedente thesi notavimus. Sed huic argumento ad hominem non est quod insistamus. Sufficit nobis, quod motus primo primi, multò magis deliberata consilia & conatus contra quodvis Dei præceptum, consequenter contra nonum præceptum, ad falsum fabricandum aut utendum, secundum doctrinam scripturę, & catechesios nostræ *quæst.* 113. sunt peccata & ἀνομίας.

11 *Probl. An falsum inter gravissima peccata & conscientiam turbantia, aut etiam vastantia, positis ponendis; an vero inter quotidianæ incursationis peccata seu quotidianas & ἐυπερίστατους fidelium etiam sanctissimorum infirmitates numerandum sit; aut solum inter illas ἀξίας, quæ directè contra legem humanam pœnalem commissæ, à potestate politica multantur. Resp.* Distinguendum est falsum. De indirecto seu interpretativo, aut participato, Neg. pr. De directo, & crasso, ubi dolus malus, & damnum proximo intentatum adest, Aff. pr. Hujus tamen gradus admitti debent. Unum enim altero gravius & turpius est. „ 1. *Quia*, primo est obnoxius Deo, cujus præsentiam con„temnit: *deinde* proximum mentiendo fallit; *postremo* innocentem, quem „testimonio fallo lædit: uti *Augustini* hoc dictum, ad crimen falsi applicat jus canonicum cap. *falsidum* de crimine falsi. Quod si damnum proximo illatum, amplificetur per omnes partes & effectus in familias, societatem humanam, & Rempublicam redundantes, turpitudo turpissima hujus flagitii magis eluceseet. Per eam pietas in Deum & gloria nominis divini, nec non honor religionis & ecclesiæ (siquidem ejus filium & civem falsarius se profiteatur) adhæc caritas, justitia, fides erga proximum, ecclesiam, Rempublicam, gravissimè læditur. 2. *Quia* si omnes fraudes, omnia

omnia mendacia dicuntur opera diaboli propria (*Joh.* 8. 4. 44. de crimine falsi excellentiori quâdam ratione hoc dici debet. 3. *Quia* graviter punitur à publica potestate : hinc gravitas peccati concluditur, non minus ac nostra cathechesis malitiam abulus nominis divini ex gravi pœnâ per legem forensem Mosis sancitâ colligit *quæst.* 102. Quænam autem pœnæ jure civili, immo & canonico (in medio regno falsitatis & tenebrarum) falsariis positæ sint ex Jureconsultis *ad L. Corneliam de crimine falsi*, & Canonistis ad tit. de crimine falsi, cognosci potest ? & compendio ex *Tholosano* & *Althusio* supra citatis, & ex *Viviani rationali juris Canonici.* Quibus adde *bullas Pii* V. supra cit. & *scholia Flavii Cherubini* ad easdem ; & constitutionem Theodorici Gothi Regis Romanorum, cujus verba supra §. 1. exhibuimus. *Paponus in collect. arrestor. lib.* 22. *tit.* 12. docet, in Galliâ hoc crimen puniri solere flagellatione, stigmate, &c.

111. *Probl. Quodnam inter crimina falsi sit turpissimum. Resp.* Jurisconsulti (*Tholosanus cap.* 5. §. 12.) volunt ut in falsi censurâ inspiciantur res in quibus falsum ; personæ, quæ falsum dicunt vel faciunt, & negotia seu eventus falsi.

Sic ergo distinguendum.

1. *Concl.* Si falsarium principalem, aut ejus participem, fautorem, defensorem consideres, gravius est illud quod à Principe, Magistratu, judice, actuario publico sive politico, sive ecclesiastico ; quam quod ab homine privato committitur.

2. *Concl.* Si rem consideres circa quam committitur, gravius est illud quod circa monetam, quam quod circa mensuram, aut merces.

3. *Concl.* Si personam circa quam ; gravius est mentiri personam divinam & Christum, quam creatam ; personam angeli aut animæ separatæ, quam hominis viventis ; præterea personam legitimi principis, quam privati ; personam mariti, quam fratris, aut affimis, aut filii, aut cujuscunque cognati aut agnati.

4. *Concl.* Si scriptum consideres circa quod, gravius est supponere scripturam aut subsignationem principis in negotiis, aut actuarii sive politici sive ecclesiastici, quam hominis privati ; & rursum actuarii Ecclesiastici in actis doctrinam & praxin fidei & pietatis continentibus, quam actuarii politici in actis aut instrumentis negotia & causas hujus sæculi continentibus.

5. *Concl.* Quod si omnia aut pleraque hactenus expensa concurrant ad Ecclesiam simul & Rempublicam turbandam aut in se mutuò committendam, aut coram hostibus prostituendam ; pandora monstrosissima ex omnibus falsis conflata & complicata oritur : quale monstrum infernale nuperrimè alicubi dedit Africa : de quo infra.

IV. *Probl. An & cur Theologi accuratam hujus criminis cognitionem affectare debeant ? Resp.* aff. 1. *Quia* omnium peccatorum cognitio ipsis necessaria : Ergo & hujus gravissimi peccati ; ad conscientiarum informationem, præmunitionem, correptionem & excitationem. Harum enim custodia ipsis à Deo demandata est. *Hezek.* 3. 2. *Quia* sunt interpretes juris divini ; in quo loca de hoc crimine occurunt , ut *Proverb.* 20. & 28. *Ezek.* 27. *Hos.* 12. *Mich.* 6. *Deuter.* 25. 1 *Reg.* 4., &c. 3. *Quia* crimen hoc est objectum correptionis fraternæ & censuræ Ecclesiasticæ, quam Theologi rectè explicare & tueri debent ; quin & ipso opere exequi : siquidem publico Ecclesiæ ministerio fungantur.

V. *Probl. An cognitio & coërcitio hujus criminis ad ecclesiam, an ad politiam pertineat ? Resp.* ad utramque absque alterius præjudicio, quia quamvis materia seu objectum coërcitionis & emendationis unum sit, formâ tamen differt : uti disertè de consensu nostrorum ostendimus in 1 *part. polit. eccles. lib.* 1. *tract.* 2 *& in disp. de clavibus.* Regni Cœlorum 3. *part. polit. eccles. lib.* 4. inferendâ. Nec prœventioni apud reformatos locus est, uti in Papatu; ubi crimina quædam gravissima cognitioni & judicio fori Politici subtrahuntur, & soli judicio ecclesiastici seu Episcopalis fori vindicantur: alia mixti fori dicuntur, & per prœventionem alterutri foro subjiciuntur; nominatim in Siciliâ & regno Neapolitano, ubi Rex Hispaniarum Monarchiam utramq; contra Papam prætendit; uti notavimus in *Desper. Causâ Papatus.* Apud Reformatos , sive ecclesia officium faciat, sive non , Magistratus jure suo uti potest ac debet : & ecclesia vice versa officium facit, quamvis Magistratu cessante aut connivente. Memor enim est comminationis divinæ *Ezek.* 2. & 3. coll. cum 1 *Corinth.* 5. *v.* 1. 2. Imprimis autem delicta illa , quæ hominem infamèm reddunt in hoc sæculo , per correptiones & censuras ecclesiasticè in civibus ecclesiæ corrigenda , docent Canones nostri ecclesiastici.

VI. *Probl. An cognitio criminis falsi à foro politico ordinario, cui reus subest, aut à judicio ecclesiæ , cujus membrum est, alio transferenda sit ; speciatim ad eorum judicium ablegandum aut evocandum sit, quos hoc imprimis tangit. Resp.* Minimè: neque enim per fallum læsus cujuscunque status aut conditionis, aut res illa aut persona, in quâ commissum est fallum , designat forum competens ; sed falsi reus: uti etiam hoc obtinet in omnibus aliis criminibus, e. gr. adulterii, furti, homicidii, &c. immo & in ipso crimine lęsæ majestatis, ubi ordinariò non judicant, penes quos est jus majestatis, rex scil. aut princeps, aut proceres & Status sive aristocratici sive democratici, quâ tales; sed judices ordinarii aut extraordinariò delegati : imprimis si processus illic inchoatus sit. Siquidem læsi necessario hujus causę cognitionem sibi sume-

rent

rent sequeretur scripti falsi aut libelli famosi, quo præsumeretur intendi à viro hactenus honesto & irreprehensibili gravem injuriam militi, aut nautæ, aut mercatori, aut collegiis eorum, aut concionatori, aut synedrio, aut nobili illatam esse; sequeretur, inquam, talis scripti falsi aut libelli famosi cognitionem & criminale judicium ad milites, aut nautas, aut mercatores, aut nobiles, aut concionatores, & synedria, pertinere, sive in totum sive ex parte; non vero ad judicem competentem. Quod absurdum est, & legibus, ac moribus repugnans.

VII. *Probl. An ab ecclesiâ conveniendi sint cives ipsius, quorum falsum est notorium; an etiam illi, qui de falso suspecti sunt aut sinistris rumoribus diffamantur? Resp.* Affpr.; etiam post. Sed poster. his conditionibus, ne compellantur aut sollicitentur ad confessionem, atque ita apud forum politicum crimen occultum, & unâ seipsos prodant, ac infamiam aliaque damna sibi attrahant; siquidem hæc confessio innotescat. 2. *Ne* censura aliqua propriè sic dicta, in eos stringatur; sed tantum fraternè admoneantur, ut coram Deo conscientiam suam examinent, & si culpæ alicui affines sint, Deo se reconcilient, & in posterum emendent, cautiusque incedant: sin secus, judicio bonæ & innoxiæ conscientiæ fruantur; cogitantes testem ipsorum in cœlo esse, atque unâ sinistros rumores ac præsumtiones tum patienter ferendo tum luce contrariorum factorum & honestâ conversatione, quantum in se est; dissipare studeant. Hoc peracto, an & quo in casu ab usu cœnæ, propter scandalum acceptum & passivum, hac vice possint abstineri, aut ad vicinam ecclesiam ablegari, ut illic cœnam percipiant, alibi explicatur: ubi *de clavibus Regni Cœlorum.*

PROBLEMATA ALIQUOT AD IX. DE CAL. PRÆCEPTUM

Pars Tertia.

DE FALSO.

SECTIO ALTERA,

Resp. HERMANNO vander HAGEN Endov. Brab. 16. *Febr.* 1656.

DE Falso in libris, præsertim ad religionem pertinentibus, proble- §. 1.
mata sunto.

1. *Probl. An crimine falsi teneantur, non tantum primi autores, qui concinnant aut subdolè subsituunt ejusmodi libros, sed etiam amanuenses,*

librarii, typographi, institores, aliique distrahentes, commendantes, allegantes, &c. *Resp. Aff.* Quamvis enim diversos peccantium gradus non negemus, omnes tamen sub hoc peccato concluduntur; juxta generalem regulam de participatione peccati aliemi: de quâ pr. seq.

II. *Probl. An Papatus excellentiori quâdam ratione hoc crimine infamem se reddiderit. Resp. Aff.* & hoc elucet in falsatione scripturę; expurgatione & falsatione patrum, quam libro de hac pragmaticâ expurgatoriâ edito asserit Jesuita *Gretserus*; expurgatione propriorum autorum, quos magno numero indicat *Thomas Jamesius* in tract, Anglico tit. *De corruptione patrum*, &c. Huc refer audacem exceptionem quâ contra allegationes patrum à nostris factas subinde excipere solent, *Baronius, Zwarez, Gretserus*, &c. forte illa addita aut corrupta esse ab hęreticis.

III. *Probl. An Catechesis Palatina à Monacho Coppensteinio transformata, & (uti ipse loqui amat) ex-Calvinizata; sapiat crimen falsi? Resp.* Quod si rudioribus Palatinatu; qui ab infantia catechismo illi assueverant, hac râtione imposuissent quasi scil. hæc esset ipsissima eorum catechesis, dissimulata ejus expurgatione & mutatione; utrique falsi manifestè tenerentur: quia darent non catechesin, sed anticatechesin, in qua per exiguam additionem aut subtractionem negantes propositiones affirmantibus, & vicissim subtituuntur; aut particulâ restrictivâ aliâve additâ absolutæ aut puræ enuntiationes modificantur. Sed quia mihi non constat Coppensteinium dissimulasse mutationem catechesios, nedum ut voce aut scripto eam negaverit; quin contra ipso titulo professus sit eam à se expurgatam, emendatam, & ad fidei Romanæ (quam Catholicam appellat) modulum aptatam; utique falsi crimen, strictè ita dicti, de quo hic agimus, ipsi imputare nolumus; quamvis mutationem & Excalvinizationem in se seu materialiter consideratam, plane iniquam & hæreticam esse judicemus.

IV. *Probl. An Regum, principum, Magistratuum diplomata typis excusa, parodicè in principali materiâ mutata, & in contrarium sensum flexa, typis iisdem (sive specie sive individuo) excudi, appposito nomine ejusdem typographi, atque ita tanquam originalia & genuina diplomata cum genuinis promiscuè tum inter subditos tum inter extraneos spargi, promulgari, affigi, distrahi possint? Resp.* Si quis affirmet, velim ostendat nobis quomodo ordo in rebus humanis servari, & fraudes ac confusiones pręveniri queant? Quod si quis excipiat, *dolus an virtus quis in hoste requirat*; & proditiones in bello imprimis usui esse: ei repono, aliud esse uti falso, perfidia, & proditione, hoc est, peccato alterius, & aliud falsarium, perfidum, proditorem esse. Sed de hoc infra; & antehac satis præmunivimus in *disp. de officiis caritatis erga proximum peccantem, Exercitiis pietatis cap.* 24. & supra prę-

senti volumini insertâ.

v. *Probl. An ejusmodi decreta ac diplomata eo, quo dictum, modo falsare & supponere liceat, siquidem contineant mandata aut prohibitiones de religione? Resp.*

1. *Concl.* Si pia & justa sint mandata aut interdicta (qualia ex. gr. Ill. Ordd. Belgii & Magistratuum municipalium contra superstitiones Papales, clericos, Cloppas, &c. adhæc contra profanationes sabbathi, aut abusum nominis divini); utique ea nullo modo impedienda aut sistenda sunt, nedum falsatione jam dictâ.

2. *Concl.* Sin vero erronea sint & injusta, (in foro poli scil.) contra veram religionem aut pietatem, ejusdem libertatem & promotionem: contra eadem quidem debito modo zelare licet, non tamen per suppositionem & dolum modo dictum. Hoc etiam veræ religioni nec utile nec decorum est; imprimis si fiat à ministro aut theologo.

Sed contra excipiat quis.

1. *Exc.* Pro Deo, & ad ejus gloriam, proximi ædificationem hoc ageretur, absque dolo malo. *Resp.* Nolo dicere, opus ipsum seu effectum materialiter consideratum, ut & intentionem agentis malam esse: sed quæritur hic de formâ & modo agendi. Non sunt facienda mala, aut indecora, ut eveniant bona.

2. *Except.* Quod si decretum esset ecclesiastici (uti vocant), principis non vero sæcularis, qualis ex. gr. elector Trevirensis, aut Moguntinus, Episcopus Bambergensis, aut Wirtenburgensis, &c. *An tali in casu videretur magis esse licitum? Resp.* Omnium eadem est ratio: omnes enim sunt principes imperii, & habent jus territoriale; non minus ac sæculares, Bavarus scil. inter Pontificios, & Palatinus, Saxo, Hassus, Wirtenbergensis, &c. inter protestantes & reformatos. Bonitatem causæ & abusum potestatis in hoc casu non respicimus, sed titulum & jus; quem etiam Pilato non negat servator Joh. 18. *Non haberes potestatem*, &c. Tota difficultas in hâc quæstione est, An eo modo potestati & ordini positivè per suppositionem editorum diplomatum seu decretorum privatus quis, præsertim verbi minister, resistere possit.

3. *Except.* Atqui videntur celebres reformati theologi joculariter Papales scriptores hâc ratione delusisse, docentes scil. illos quomodo scribere debuissent, quales ex. gr. dominus Sanct. *Aldegondius in suo Alvearo*, Viretus in variis scriptis, &c. *Resp.* Longè diversa est ratio. Illi enim ironicè verum dicunt; & Pontificias nugas priori loco positas subjunctis solidis refutationibus explodunt; nec oppositas suas refutationes ementito nomine Principum aut Magistratuum Papalium, venditarunt ac sparserunt.

Problemata de falso circa scripturas sive publicas sive privatas sunt ista. §. 2.

1. *Probl. An imitatio scripturæ alterius, ut discrimen animadverti aut non possit, aut ægerrimè possit, ejusque suppositio, sit possibilis, & an unquam tale monstrum exstiterit in rerum naturâ; an vero totum illud sit fictum & vix possibile, aut etiam impossibile? Resp.* Prius nuper ægrè alicubi concedebant nonnulli, cum hypothesi & intentioni suæ contra eximium Dei servum & contra ipsam veritatem hoc inservire putarent. An crassæ rerum humanarum imperitiæ, an malitię, an utrique hoc adscribendum fuerit, ipsi perpendant, & Deus novit. Sunt qui contendunt, dato in subscriptione nominis alicujus posse hoc fieri, vix tamen in scripto; & cum hæc temeraria assertio erroris convincitur; ad extremam hanc anchoram confugiunt, posse quidem supponi alterius manum, siquidem ad propositum exemplar ipsius ab artifice aliquamdiu scribatur; non vero, si scriptum aliquod, & quidem paulo prolixius, sine proposito exemplari scribatur. Et sic peremtoriè conclusum ipsis videtur contra virum quem pietate, multa eruditione, prudentia singulari conspicuum, ante quadriennium & amplius in domino defunctum, atque una per ipsius latus non leve vulnus ministris, ministerio, religioni, & ecclesiæ reformatæ inflictum. *Habet* scil. *peractum est, hæret lateri lætalis arundo*; *Et, Deus Jacob non videt*, &c. Psalm. 94. Talibus exulceratis animis sufficeret nunc reponi, ut finem & eventum respiciant, quem in nobiliss. amplissim. & consultissim. urbis (ubi facinus illud commissum est) tum senatu, tum dicasterio falsaria illa charta est sortita; nec amplius ante victoriam triumphum canant. Ex abundanti tamen commonstremus non tantum possibilem esse hanc artem falsi, sed etiam à variis exercitam: idque exemplis, testimoniis, legibus.

1. *Exempla* ex multis, nunc indico; quorum

Primum est illius anonymi, qui Londini hanc mimeticam quarumcunque manuum anno 1601. professus, fasciculos epistolarum comitis Essexi ad uxorem ita describere nôrat, ut apographa pro autographis ab ipsâ uxore Essexii absque ullâ dubitatione reciperentur, & quidem magno pretio redemta. Vide *Camdeni annales ad an.* 1601. *p.* 815.

Secundum est Franciſci Favę Itali, qui quamvis personam, cujusvis manum mentiri, cujusvis ordinis hominum stylum imitari nôrat. Vide nefariæ hujus artis, & vitæ ipsius catastrophen a. 1608. descriptam à *Rod. Botereo lib.* 15. *pag.* 495.

Tertium est Itali illius, qui nuper in ergasterio Amstelodamensi, ad quod sententia judicum damnatus, obiit; de quo constat, quod suppositiis litteris cambii, quas ex paucis lineis mercatoris cujusvis, quarum compos fieri poterat, conficere nôrat, variis imposuisset.

Quartum est monachi illius, quem testatur *Zasius* (*sing. resp. lib.* 2. *c.* 25.)

quas-

quasvis scripturas à se accuratè conspectas modo, ita imitatum fuisse, ut eædem viderentur.

Quintum est, illius falsarii, cujus meminit *Mascardus de probationibus concl.* 330. *num.* 2. & 3.

Sextum est, formidabilis falsarii, (ita eum appellat *Mornacius ad L.* 19. *C. de Fide instrum.*), capti in Gallia tempore Henrici IV., qui quamvis scripturam tam accuratè imitabatur, ut præstantissimi scriptores, quidquid attenderent, differentiam dignoscere nequirent.

Septimum est, Prisci Emeseni, de quo sic *Suidas:* ὅσπερ ἀλλότρια γραμμάτα ὑπερφυῶς ἐξηπίστατο μιμεῖσθαι τεχνίτης τε ἦν περὶ τὸ κακὸν τοῦτο, δόξιος ἄγαν, hoc est, *qui alienas litteras mirum in modum (seu incredibiliter) imitari nôrat; & dexter admodum artifex erat in hoc malo.* Et mirabilia ejus specimina in testamentis aliisque antiquis instrumentis falsandis idem describit; quæ excerpta hic exhiberi nimis prolixum foret.

Octavum est Imperatoris Titi, de quo *Suëtonius* in Tito cap. 3. *Solitum imitari chirographa quæcunque vidisset, ac profiteri sæpe, se maximum falsarium esse potuisse.*

Nonum est Judæi illius Amstelodamensis, qui ante 26. annos (nunc cum hæc disp. recuditur, ante annos 36.) præter propter (si bene memini) cum ardua illa inter celebrem mercatorem Coignetum Goropii Becani Medici & celeberrimi illius in lingua Belgica critici generum, & inter negotiorum ipsius curatorem (vulgò *factorem* vocant) tunc incarceratum causa agitaretur, scriptum aliquod 25. & amplius foliorum quam accuratissimè imitatus erat. Quod factum in emporio illo ut satis pervulgatum, sic mihi nuper à non uno fide digno relatum. Exemplum aliud ex *Joh. Manlii collectaneis locor. commun.* hic adscribo ad 5. *præc. pag.* 251.

„ Imperator Maximilianus habebat scribam, quem admodum diligebat, „ propter bonam scripturam. Ille imitatus manus Imperatoris, scripsit chi- „ rographa nomine Imperatoris, & petivit à Jacobo Fuggero pecuniam. „ Quod cum iterum atque iterum fecisset, cœpit res esse suspecta Fuggero, „ qui accessit Imperatorem & monstravit chirographa, interrogans an „ jussu Imperatoris hæc facta essent? imperator inspectis chirographis, dixit: „ esse quidem hanc suam manum, sed an eo tempore pecuniam postula- „ verit, se ignorare. Accersivit ad se suum scribam, quem interrogat, an „ hæc chirographa ad Fuggerum detulerit: Ita, inquit. Quærit denuò Im- „ perator: Quis ergo scripsit. Ibi exanimatus ille, statim ad pedes Impera- „ toris decidit, ac fatetur se scripsisse, veniamque petit. Maximilianus Im- „ perator nihil se verius contra ipsum statuit, quam jubens illum protinus è „ toto suo Imperio discedere, ne usquam inveniretur in illo loco, ubi ipse

„imperaret. Tandem in bello Veneto, adjunxisse Venetis, ubi est inter-
„fectus. Hæc fuit bonitas Maximiliani imperatoris, & moderatio iræ, ac
„non indulgentia, Rectè etiam Maximilianus fecit, quòd ipse accersive-
„rit scribam, & ille quòd accersitus comparuerit.

Adeo ut ex his exemplis præsertim Londinensis illius imitatoris epistolarum comitis Essexii (cujus paulo ante meminimus) aliisque constet, non esse imitationem illam tam vix possibilem aut tam difficilem exercitatis ejusmodi artificibus, quam vis integra scedula aut etiam epistola aliquot paginarum scribenda esset : ut quidem velit ex celebrioribus advocatis Brissonius in actione pro Procuratore Regio generali circa crimen falsi in scriptura commissi. Vide actionem hanc cum aliis compluribus Illustrium Politicorum actionibus, orationibus, Remonstrantiis gallicè editam Parisiis 1618. per & apud Adr. Tiffain tit. *Recueil de plaidoyez, harangues*, &c.

Decimum exemplum est eorum, quos plures se novisse dicit Hippolytus de Marciliis de probat. num. 298., qui ita exprimebant manus aliorum, ut differentia animadverti non posset.

11. *Testimonia* autorum ex jam citatis, & mox infra citandis patent. Quibus addo Hermanum Hugonum ordinis Jesuitici philologum & theologum non incelebrem, qui in tract. de prima scribendi origine c. 30. confirmat quod dicimus, inque eum finem autores aliquot adducit Sed citationes parum fidæ sunt, aut erroribus typographicis corruptæ. Unum imprimis notandum ex *Diodoro Siculo lib. 1 cap. 6.* quod apud Ægyptios ambæ manus dolosis scripturæ alienæ imitatoribus præciderentur. Cui simile factum Claudii apud *Suetonium in Claudio cap. 15.* Fuerunt ergo tales artes in rerum natura.

111. *Leges* civiles cum ex collatione & convenientia literarum judicium ferri prohibent ; quod convenientia solummdo indicium aliquod præstet, non probationem ; utique agnoscunt imitatricem hanc fallaciam esse possibilem, immo frequentem, Vide authent. *at si contrarium* C. de fide Instrum ; & ibi *Tuldenium* & *Mornacum* aliosque ab *Augustino Barbosa in collectan.* ad dictam authentic. citatos. *Novell. 49. & 73.* & ibi *Cujacium* ac *Rittershusium.* „ Verba authenticæ ex. C. de fide instrum. modò citata hic „solummodo exhibeo : At si contrarium fiat in civitate, & unam libram „auri excesserit, omnimodo collationi adsit argumentum quodlibet, nec „credatur ei soli. Cum lege conspirant mores, testibus *Covarruvia quæst. præcip. cap. 22. §. 2. 3. Papono lib. 8. arrest. tit. 2. §. 4. Christineo in decis. curiar. Belgicar. vol. 2. decis. 29. §. 23.* & seqq. *Gudelino de Jure noviss. lib. 4. c. 11.* Sed nolo ultra facem in meridie accendere.

11.

11 *Probl. An Papatus, jam inde à primâ pertendente reformatione, anno ſil. 1517. uſque in hunc diem hâc aut ſimili arte falſi contra eccleſiam & cauſam reformatam, ejuſque Doctores unquam uſus ſit, ut ſcil. ementitum ductatum, aut conſilium, aut inſtructionem, aut epiſtolam quaſi manu Luheri, Melanthonis, Buceri, Zwinglii, Oecolampadii, Calvini, Bezæ, &c. ſriptam & alicubi per imprudentiam relictam ſcil., aut ſive caſu ſive aſtu interceptam oſtentarent aut penes ſe eſſe jactarent; quâ continerentur illa opinionum portenta, quæ invitis & innoxiis Doctoribus & eccleſiis noſtris per atrocem calumniam impingere ſolent ex gr. de deturbandis regibus, principibus, magiſtratibus, aut ſaltem de ſubjicienda ſibi eorum poteſtate, de occupandis opibus eccleſiaſticis, de ruſticorum ſeditione concitanda, de conſpiratione cum Turcis & Turciſmo, de nulla bonorum operum neceſſitate, de invehendâ Epicureâ carnis licentiâ, de profligandâ omni devotione, de inſtaurandis & introducendis dogmatis Manichæorum, Arrianorum, &c. de Deo autore peccati, &c. Reſp.* Abſolute negare nolo, multo minus affirmare: hactenus enim mihi inter tot tantaſque falſi machinas in eccleſiarum excidium adhibitas, tale falſum quale nuper alicubi emerſit & toto Belgio non tantum, ſed & toto orbe Europeo decantatum, inveniri non potui. Novi quid in lanienâ Pariſienſi illuſtri heroi Colignio jam nefariè obtruncato per ſubornata falſa teſtimonia intentatum fuerit (de quo geſta ſub Carolo IX. gallicè ſripta); quid eidem heroi & *Bezæ* circa cædem ducis Guiſii per Poltrotum (de quo vita Colignii, & paucula à me ex adverſariis Pontificiis excerpta, vitę illius, quam Ultrajecti a. 1644. recudi curavi, præmiſsâ) affricare voluerint; quid *Cochlæus, Staphylus, Surius, Bolſecus, Laingæus, Coſterus*, & ſimiles mendaciorum hamaxarii in vitam & mores reformatorum doctorum effutierint; quos falſos rumores iidem, aliique ipſorum ſocienni excitarint, quibuſque fabulis orbem deluſerint, de Lutheri magiſtro (de quo liber *Jeſuitæ Serrarii*); de *Beza* mortuo in fide Romana (de quo exſtat libellus Genevenſium tit. *Beza Redivivus*); de ungula equina Franciſci Junii (de quo in ipſius vita); de Luthero ex concubitu dæmonis cum matre ejus genito, de omnibus diabolis obſeſſoribus Gelæ (Gheel) in agro Antwerpiano Brabantię, ferias omnibus obſeſſis (qui magno numero, uti in Betheſdâ aliquâ, ſub patrocinio & invocatione S. Dimpnæ iſtic reſidere ſolent) concedentibus, & ad funus Lutheri amici & patroni ſui cohoneſtandum profectis (de quo *Iredenbachius in ſuis dialogis*; & ſi quæ præterea ſint furioſa & deſperata iſtius generis figmenta, ex teſtimonio dæmonum credulitate Papali recepta: quorum nobiliora aliquot ſpecimina exhibet *Willetus in tetraſtylo Papiſmi, Joham. Prideaux Orat. ſupra cit.* & ante eos Nobiliſſ. *Marnixius Sanct. Aldegondius tom. 1. & 2. Alvearii Romani*: quæ inſuper opinionum portenta illis §. 3.

illis adscripserint *Lindanus*, *Feuardentius*, *Jurgewicius*, *Prateolus*, *Possevinus*, *Bellarminus*, *Becanus*, (pręsertim in libro de privilegiis Calvinistarum), *Gretserus*, *Richeomus*, *Reginaldus & Giffordus in Calvino Turcismo*; quam denique infidis citationibus, sycophanticisque detorsionibus veritatem atque innocentiam eorum obfuscare studuerint. Vidimus *cancellariam Anhaltinam*, *Secreta secretorum Calvino Turcica*, *Apocalypsin Hollandicam seu Veridicum Belgicum* in odium principum & ordinum reformatorum edita. Vidimus insuper Concertationem Ecclesiæ Anglicanæ: orationem Cardinalis *Perroni* à Sereniss. Brittanniæ Rege Jacobo refutatam, Surii commentatorium de rebus in orbe gestis, Belgicorum motuum historicos *Nicol. Burgundum* & *Famianum Stradam*, *Grotii* insuper jam Papizantis postrema & infelicia scripta, quibus certatim crimina perfidiæ, rebellionis, perturbatæ pacis publicæ, hostilitatis adversus Monarchiam & principatus, reformatis asperguntur. Quę calumniæ quomodo retundi debeant, à nostris satis superque ostensum: pręsertim à *Riveto in scriptis Anti Grotianis*, & à consultiss. literatissimo, πολιτικοτάτῳ scriptore, qui sub nomine *Justini Justinopolitani* Secreta Turco Papistica, Jesuitarum Secretis Calvino Turcicis opposuit; nec non ab editore Cancellariæ Hispanicæ, adhæc à *Thoma Mortono* in libro Londini anno 1606. edito tit. *Apologia Catholica, in quà diluuntur parodoxa, hæreses, blasphemiæ, & scelera, quæ Pontificii*, &c. *reformatis impingunt.* Conferat, cui vacat, quæ nos sublegimus in 2. *part. select. disp. tit. de Temporali potestate Papæ, & de sede Romanâ incompatibili cum politiis reformatis.* Sed, ut verum fatear, nullum adhuc tartareum fumum ex puteo abyssi illius ascendentem vidimus, qui ejusdem speciei sit cum hoc nuper in Belgio alicubi excitato. Alii si observârint, indicium eorum exspectabo. *Johannis Damasceni* characteres (si vera sit historia apud *Surium in Vitis sanctorum*, & *Baronium* ad annum 728. §. 1.) ita imitari didicerant notarii à Leone Imperatore adhibiti, ut epistola quasi à *Damasceno* ad se scriptâ, rationem monstrante occupandæ, civitatis Damascenæ, ad principem Saracenorum Damascum transmissa, & ipsi *Joh. Damasceno* à principe Saracenico exhibita, ipse uno negaret esse charactetes suis similes, nunquam tamen cogitasse quæ iis literis continerentur. Celsiss. Principi Arausoniensi Gulielmo I. epistola scripta ad Ducem Andegavensem objecta fuit. De quâ supra in appendice *quæst. ad disp. de Dolo*, &c. An Rex Hispaniarum aut consilium ejus tale quid finxerit; an vero ab hoste aliquo sub nomine Principis scripta fuerit epistola, & quidem imitando formas literarum, quę in manus Regis Hispaniarum devenerit; dicere nequeo. Saltem certum est Celsiss. Principem absolutè negare, talem unquam ad Ducem Andium seu Alenzonium à se scriptam.

In

In nostrorum manus incidit aliquando syllabus quæstionum diabolo à Jesuita Cottono propositarum & propria ipsius manu scriptarum (quæ typis tunc editæ in 4. & postea *tomo* 4. *historiarum Thuani insertæ*): cui cum nostri insultarent, & scedam illam in aliquo libro, quo *Cottonus* aliunde commodato sumpto usus erat in exorzizando, relictam, atque hac ratione in suas manus devenisse, quin etiamnum asservari dicerent: Ille quidem factum obscurare & excurare voluit, in responso pro sua Geneva plagiaria *c. Bened. Turretinum* Theologum Genevensem, qui replicam suam tit, *Recheute* reposuit; sed nec ipse, quod sciam, à cacodæmone, cujus sociennus in Gallia passim audiebat, ita se abripi passus est, aut quisquam sociorum & συμμαχοῦντων ipsius, ut in reconventionem, (more & modo alioquin sociis familiari) scedam aliquam ad imitationem manus Turretini, aut Tronchini, (qui uterque Genevam plagiariam ipsius confoderant) subornaret, quasi ab illis scriptam & subsignatam, & in libro quo ab actionariis distracto inventam, aut alicubi interceptam, quę contineret quæstiones diabolo magistro ad exemplum Lutheri scil. (si διαβολῇ *Serrarii in libro de Lutheri magistro*, fides habenda) propositas & proponendas, aut consilium aliquod & instructionem contra regem & regnum Galliæ, aut contra Rempubl. Genevensem, aut contra fidem de trinitate & Christo θεανθρωπῳ, deque vindicandis sibi & devorandis bonis ecclesiasticis, de restituenda sibi & vindicanda antiqua Genevensis episcopi potestate. Nihil tale, quod sciam, tunc factum; quamvis astutia, malitia, & adminicula forte non defuissent. Jesuitæ Monachienses in *secretis secretorum Calvino-Turcicis* (nomen est horribilis libri sub nomine Honesti Cogmandoli) multa calumniosè affingunt regi Bohemiæ aliisque protestantium & reformatorum partes in Germania sequentibus: sed non memini eò desperati furoris illos processisse, ut quas ibi texunt calumnias, ementitâ Sculteti (odiosi tunc nominis apud hostes reformatorum nominis) aut alterius reformati Doct. manu propria scriptas jactarent, nedum typis ederent, & publicè per Germaniæ fora ac compita proclamarent, detectam esse magnam proditionem contra imperium, propria reformati Doctoris manu descriptam, & in libro quo dicti doctoris alicubi relicto, aut intercepta cancellaria Anhaltina repertam.

Sed forte excipiat quis, *Cottonus* Jesuita edidit *Genevam plagiariam*, (voluit dicere *falsariam*; de quâ ignorantia) sermonis latini monuit eum *Bened. Turretinus*); quo libro ostensum ibat crimen falsi ab interpretibus, bibliorum Gallicorum multipliciter commissum esse? *Resp.* Aliud est si quis Genevensibus in os dicat, translationem bibliorum ab illis editam, in quà variæ sint falsationes & corruptiones; & aliud si quis scripturam suam

Genevensibus supponat, eaque ementitâ scripturâ eosdem quasi proprię manus instructione & confessione de procuranda quasi propriæ manus instructione & confessione de procuranda ac promovenda tali tantaque bibliorum falsatione, qualem quantamque *Cottonus* ipsis impingit: quamvis imperitè & calumniosè; uti ex Theologis Genevensibus *Theod. Tronchinus & Bened. Turretinus* abundè hoc evicerunt. Illud præstare conatus fuit *Cottonus*: istud minimè; quantum quidem mihi hactenus constare potuit. Et ne meæ qualicunque variorum scriptorum lectioni aut notitiæ aliquid videar tribuere, observari velim à lectore meo altum apud diffusæ eruditionis & lectionis antagonistas Papatus, quales *Illyricus*, *Raynoldus*, *Willetus*, *Mortonus*, *Prideaux*, *Robertus Abotus*, &c. de hoc crimine esse silentium: qui tameu illud minime dissimulaturi fuissent, præsertim ubi Papistæ reformatis horrendum tale flagitium injustissimè objiciunt cum *Erycio Pluteano in Strictur.* pag. 35. 36. citante *Rob. Aboto* in præfat. antilogiæ suæ, quam *Eudæmon Johannis Apologiæ pro Garneto* anno 1613. opposuit); „ ubi ait: scripta ab Anglis reformatis judicibus Garneti poste„rius, quæ Garneti autographa; (unde scil. ille inter alia legitimè convi„ctus fuit) esse dicuntur, & pro litteris ejus novas esse confictas.

111. *Probl. An qui falsa scriptura utitur in damnum proximi, aut qui eam defendit, aut spargit, aut omnes machinas adhibet ne deprehendatur falsitas, aut sceleratum hoc factum extenuat, aut qui iniquitate hac gaudet, aut etiam dolet illi triumphum non fuisse decretum, in foro poli seu coram Deo in conscientia suo immunis sit à crimine falsi? Resp. Neg.* Notum est, quid JCC. & Canonistæ hic determinent: & fortius stringunt omnia, si falsum famæ defuncti detractum sit, si illius pietas, zelus, eruditio, præclara merita de ecclesia apud hostes prostituta fuerint, si vidua & liberi defuncti sub onere tam infandæ injuriæ tantum non confecti sint, si denique ipsius sacri ministerii, & ecclesiæ ac religionis nostræ existimatio graviter vulnerata fuerit. Qui tanti mali magis minusve particeps fuerit, videat ne plagarum particeps fiat *Psal.* 12. *v.* 4. 5. & 55. *v.* 24. *Apocal.* 21. *v.* 27. An autem & quomodo quis participet, discat ex vulgari Casuistarum determinatione: *Consulo*, *præcipio*, &c. vel sic.

Jussio, *consilium*, *consensus*, *palpo recursus*,
Participans, *nutans*, *non obstans*, *non manifestans.*

Hæc velim seriò perpendant, nec se extra quærant, si qui superiori anno quacunque infandi illius sceleris, novellis & evulgatis scriptis in Belgio, immo etiam orbe Europeo nunc nimis notis, quod diabolus cum squamis suis in eximium illum ecclesiæ & Academiæ stybolaten ante quadriennium & amplius in domino defunctum, molitus erat, participatione animas suas pol-

polluerunt. Utinam ab illis impetrari posset, ut piam illam confessionem Gulielmi Parisiensis sine fuco & dissimulatione semel conscientiis suis applicarent, & ubi teneri se sentirent, coram Deo se humiliarent, misericordiam ejus in Christo assiduò implorantes : *antequam pariat jussio Zephan. 2. v. 1. 2.* Deus non irridetur. Videant illam *Gul. Parisiensis* Confessionem apud *Amesium lib. 5. Casuum conscientiæ cap. 10.* ubi accuratè & breviter explicantur modi, quibus quis alieni peccati fit particeps.

IV. *Prob. An ignorantia, aut deceptio sive propria sive aliena, circa comparationem scripturæ viri defuncti cum falsâ scripturâ infelicis falsarii (qui tenebris suis etiamnum abditur), an inquam, illi, qui tantopere leoni mortuo insultabant, ac de eo ante victoriam quasi triumphabant (haut aliter ac Apoc. 11. v 9. 10.) immunes ab omni culpæ participatione coram Deo & in interiori conscientiæ foro se præstare queant ? Resp. Neg.* Præterquam enim quod non immeritò quis suspicari posset, insanientem malitiam ac unicè desideratam calumniæ machinam à talibus non abfuisse ; ajo non fuisse ignorantiam illam, quæ post vulneratam causam & conscientiam, & latam à dicasterio sententiam, ac reportatam confusionem, nunc demum prætexitur, invincibilem & inculpabilem. Dolus enim & fabrica falsi non per tenues rimulas sed per apertas feneſtras ita se conspicienda dabant, ut sponte cœci esse voluerint, aut oculos claudere, qui hic non viderent. Ut præteream ex sola comparatione literarum de tanto viro non fuisse judicandum ; aut contra ipsius integram famam quidquam præjudicandum. In eâ enim ex tempore notari poterat.

1. *Quod* contenti consilii & dictæ instructionis materia stolidè, insulsè, ἀμεθόδως, contradictoriè, absonè à viri illius ὀρθοδοξωτάτου & judiciosissimi perpetuo sensu ac dictamine, concepta erat.

2. *Quod* sermo & stylus, hiatibus suis & inconditis atque incompositis scabrositatibus (ita loquar) horridus, intercurrentibus etiam barbarismis & soloecismis, nihil theologici aut ecclesiastici sapiebat, nedum ut stylum illius viri.

3. *Quod* Ortographia partim imperitè & plusquam pueriliter corrupta, partim à viri illius perpetuâ ortographiâ alienissima erat.

4. *Quod* interpunctiones & distinctiones sententiarum, pulverem infimarum classium in scholis trivialibus & ferulam, non κελλικωτάτου nostri Epicteti lucernam redolebant.

5. *Quod* characterum forma & figuræ partim plane aliæ erant, quam τοῦ μακαρίτου ; partim, quod vel centeni, secunda vice seu secundis curis ita ducti & transformati erant, & quidem alio atramento, ut stupida fraus omnibus facile pateret.

6. *Quod* characterum formæ aliquæ partim similes primo & cursorio aspectu videbantur: penitius tamen oculo critico & odio aut alia quapiam malitia non fascinato inspectæ perspectæ similitudinem tam exactam non referebant, ut talium rerum peritos fallere, aut ad imitationem artificialem *Francisci Favæ*, aliorumque (supra *thesi* 1. indicatorum) assurgere potuissent. Alias præsumtiones gravissimas ex tragico-comœdiæ illius circumstantiis desumtas studio nunc prætereo. Evenit ergo quibusdam, quod illis coram quibus Monachus quis concionaturus, præmittebat hoc proloquium (teste si bene memini, *Illyrico in catalogo*), *Mundus vult decipi: & ideo ego sum hic.* Examinent se ipsos, & caveant sibi à proprii cordis deceptione *Jerem.* 17. *v.* 9. coll. cum *Jacob.* 1. *v.* 26. Deinde dato, quod dicunt, non concesso, imitari ergo debebant Apostolum 1 *Timoth.* 1. *v.* 13. qui quamvis ignorans persecutus fuisset ecclesiam, nihilominus peccatum suum confitebatur: tantum aberat, ut in eo gloriaretur, & animos à crimine sumeret. *Quem pœnitet peccasse*, (inquit Seneca poëta), *pœnè est innocens.* Deo gloria danda, veritati testimonium perhibendum, proximo & innocentiæ restituendum, quod lingua & machinationibus suis, quantum in ipsis, abstulerant: neque enim (juxta vulgatum illud B. Augustini) *remittttur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

v. *Probl. An à falso excusandus sit, qui fabricans falsum instrumentum, aut ab aliis fabricato utens, ubi ope eius obtinuerit intentum contra proximum, ipse illud deserit aut abjicit. Resp.* Minimè; potius tantò magis accusandus, haut aliter ac Papa Romanus cum suis, qui sciens fallam donationem Constantini fieri curavit, aut saltem eo instrumento usus est in acquirendo patrimonio Petri; nunc cum per longi temporis præscriptionem gaudet possessione, instrumentum illud, quippe operâ suâ defunctum tanquam sce-
„næ minus inserviens abjicit: *justa*, inquit Baronius, *possessio à Johan-*
„*ne Diacono, ex depravato illo & à Græcis mutuato donatione dicto, ambi-*
„*gua redditur potius, quam probatur.* Sufficit scil. quod antiqui Papæ pro jure suo diploma illud allegârint, illudque *serioſe* & *plenè* (ut loquitur *Albericus de Rosate*) juri suo canonico inseruerint; adhæc *famam hanc* (teste Franc. Guicciardino lib. 1. histor. §. 44.) *de donatione diligenter enutrierint, & sustentârint, eorumque autoritate à multis credita fuerit*; insuper *omnes curiosi Canonistæ* (ut loquitur Paulus Langius in Chronico ad a. 1404.) *magnum semper de hoc diplomate fecerint festum.* Postquam vero tandem *palea illa multum grani* (ut in veteri Proverbio) *attulisset ecclesiæ*; nihil restabat, quam ut nunc inter paleas extra horreum Romanum quiesceret;

Sicut fortis equus, spatio cum forte supremo
Vicit elympia; nunc senio confectu quiescit.

Sed

Sed saccariam ac falsariam hanc Paparum praxin ex professo detexi-mus in 2. *part. select. disp. tit. de Donatione Constantini.* A capite suo non multum recedunt Episcopi, curiones, sacerdotes, monachi, canonici, eorumque successores sive homogenei sive ex heterogeneis aliqui, qui cum antehac ostentatis, aut jactatis donationibus, diplomatis, actis, antiquitatibus, historiis possessionem suam & jura satis firmata, putant, paleamque in frumentum (sine miraculo tamen) satis transformatam, proprias suas chartas, & historias ex chartis illis publicâ autoritate olim concinnatas, & splendidè non ita pridem editas, nunc paleis accensent: proculdubio sentientes cum *Baronio* modo cit., *ambiguam* potius (saltem in foro conscientiæ) illis donationibus & antiquitatis monumentis reddi *possessionem, quam probari.* Hic scil. candor pietatis, hæc simplicitas columbina, hoc λόγικον ἄδολον γάλα, de quo 1 *Petr.* 2. *v.* 1. 2. Similem ferè falsitatem committunt Papistę in causâ Papissę Johannæ: ubi omnibus suis historicis, ex quibus perpetuam ecclesiæ suæ, hoc est, sedis Romanæ successionem contra nos probare satagunt, fabulę narrationem exprobrant.

VI. *Probl. An posset quis excusari à falso, si prætendat vera esse omnia, quæ suppositio aliquo scripto continentur, eaque convenire cum mente ejus, cujus scriptura fingitur. Resp. Neg.* Neque enim, quę directè cum perpetua declaratione ac protestatione alicujus pugnant, violenter ipsi imponenda sunt: quisque est optimus verborum suorum interpres: nedum ut propria manu, illa quæ toto corde abominatur, ab illo scripta esse fingendum sit, hocque toto orbe quasi pręconis voce proclamandum. Ultimum calumniatorum, ubi confusos se vident, effugium, quod talia scil. per consequentiam ex alicujus doctrina sequantur, quidquid ille contra protestetur, alibi, applicatè ad currentes calumnias & contra quoscunque falsarii scripta patronos, sive in totum sive in tantum, funditus exstirpavimus. Hic verbo dico, consequentias illas non magis veras esse', quam Pontificiorum supra memoratas. Sed dato alicujus consequentię fidiculis tantæ calumniæ speciem aliquam obductam videri, quâ specie tamen improbus ille falsarius à suppositę scripturæ & nefario falsi crimine, & omnes damnatæ illius chartæ hyperaspistæ, fautores, & usufructuarii, à calumnia liberabuntur? §. 3.

Exc. Sed si quis putet, aut sibi persuadere velit, esse materiam scripti veram; & protestetur quæcunque in defensionem falsi agit, intentione juvandi bonam causam (suâ scil. opinione) aut causam alicujus sive clientis sive rei, sive amici & necessarii agere, non vero dolo malo, &c. *Resp.* 1. si protestatio sit contraria facto, nulla est. 2. Lubrica & periculosa hæc casuistica: quæ præsupponere videtur, antiquum illud Academicorum &

Scepticorum : quod omnia consistant in opinionibns ; Et intentionem agentis recti, & honesti regulam facit. 3. Ad hunc locum communem si confugere liceat, jam nullus calumniæ, libelli famosi, proditionis, perduellionis, &c. aut etiam hæresios, apostasiæ, blasphemiæ, posthac convinci poterit. Vide pro hæreticis similes Scepticas exceptiones Remonstrantium in *Vedelio Rhapsodo.*

§. 4. VII. *Probl. An sit crimen gravissimum ; & unde gravitatis gradus æstimari debeant ? Resp.* Certum est, per se grave crimen esse, & opus diaboli proprium : quod ex argumentis contra mendacia, fraudes, calumnias, libellos famosos, falsa testimonia huc applicatis facile colligitur. Inter Jureconsultos *Tholosanus lib. 36. c. 1. §. 7.* judicia & pœnas facilius erui statuit, si perpendantur res circa quas, personæ falsariorum, & negotia sive actiones quibus ad falsum usi sunt. Nos hic propriè quærimus de falsa scriptura, & quidem in foro conscientiæ ; non vero in foro externo aut in ordine ad pœnam à judice infligendam. Gravitas ergo & gradus malitiæ desumitur, vel ex parte falsarii, vel ex parte ejus cui scriptura supponitur, vel ex parte materiæ aut rei in quâ aut circa quam falsum committitur.

1. *Ex.* parte falsarii, gravius est quod committitur à notario aut quocunque actuario publico sive politico sive ecclesiastico ; quam quod ab homine privato.

2. *Ex* parte ejus, cui falsa scriptura supponitur. Gravius est si Principi, Magistratui, munerario, imprimis etiam si actuario publico supponantur ; quam cuivis privato.

3. *Ex* parte rei sive materiæ circa quam. Sic gravius est falsum, quod committitur circa materiam fidei, & conscientiam Dei, aut causam salutis & ecclesiarum ; quam quod circa res sæculares. Inter sæculares res, gravius falso infestantur publicæ, cum periculo interitus aut magnæ quassationis Reipublicę ; quam aliæ quæ privatas personas, aut familias concernunt. Adhęc gravius, quod circa causam criminalem criminaliter intentatam ; quam quod circa causam civiliter intentatam. Denique gravius quod circa causam criminalem civiliter intentatam ; quam causam merè civilem.

Consectar 1. omnibus gradibus gravitatis jam dictis simul concurrentibus, turpido turpissima talis falsi colligitur, quod contra virum pietate, eruditione, prudentiâ eximium & omni exceptione majorem, in munere publico constitutum, fidei, vitæ, & famæ integræ, de ecclesia, & Academia, & consequenter de Republica inquè Ecclesia & Academia, optimè meritum, & jam ante annos aliquot in domino defunctum, à tenebrione quo, improbissimo quidem, sed in multis insigniter stu-

ſtupido, nefariè fabricatum fuit: in Eccleſię reformatæ ejuſque miniſtrorum nec non ſynedrii, ut & Nobiliſſ. Ampliſſ. Senatus, innocentiſſimi denique hac in parte τῆ μακαρίτῃ, ejuſdemque honoratiſſ. viduæ & familiæ, ignominioſiſſimam & periculoſiſſimam proteſtitutionem.

Conſectar. 2. Si qui hujus abominandi falſi favore, applauſu, incruſtatione, occultatione, patrocinio, extenuatione, temeraria ſuſceptione, uſu, plus minuſve, ſive ex malo affectu ſive ex imprudentia, conſcientias ſuas polluerunt; agnoſcant tandem coram Deo veritatis & juſtitiæ vindice, à ſe peccatum in juſtitiam & caritatem 1 *Cor.* 13. *verſ.* 4. 5. 6. 7.

* *Appendix* anno 1666.

I. *Quæſt. An plagiarii librorum, qui aliorum ſcripta ſibi ſupponunt aut alioqui inventa ſibi tanquam inventoribus tribuunt, crimen falſi committant? Reſp. Aff.* Sunt autem plagii iſtius varii modi, & gradus: adeo ut hic præ illo magis directè, aut apertè, aut nocenter hoc agat. Apertè & directè falſi crimen incurrunt, qui M S. aliquid caſu alicubi inventum, aut apud ſe depoſitum, aut fidei ſuæ commiſſum, aut pretio emtum, nomine ſuo præſcripto publicant. Tali plagio aptari poſſet illud Virgilii:

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores:
Sic vos non vobis, &c.

Magis indirectè falſum committit, qui ſcriptum verè ſuum typis editum, & publicè privatimque aliis oſtentatum, ejuſque exemplaria aliis donata; poſtea tamen ex metu periculi & moleſtiarum, quæ prævidet, aut quę nunc circumſtant, idem abnegat: inſuper & alteri ſive in totum, ſive ex parte tribuit; non aliter ac alicui ab eo infans ſupponitur, qui ejuſdem parens non eſt. Aliquomodo etiam ad falſo categoriam reducitur quorundam omiſſio & ſilentium; qui ex aliis deſcripta tanquam ſua extrudunt: non laudato aut indicato autore, ex quo totum tractatum, aut maximam, aut bonam ejus partem deſumſerunt. Nolo hic taxare illos, qui ex aliorum fontibus aut fluviis rivulos derivant; aut qui eandem materiam aliâ methodo & alio ſtylo pertractant; aut qui pugnum aliorum in palmam extendunt & vice versâ palmam in pugnum contrahent; aut ſummas librorum & tractatuum à ſe ſelectorum exhibent, uti Photius in Myrobiblo, & Geſnerus in pandect.; aut eclogas ex ſcriptore aut ſcriptoribus exhibent, uti Stobæus; aut qui floriferos ut apes in ſaltibus omniá libant, & optima quæque ex optimis autoribus ſeligunt, & in collectanea ſua congerunt, aut illa ſuis meditationibus inſerunt atque adoptant; aut quaſi centones conſcribunt; aut aliorum dicta ac ſententias ferruminant: ut memini *Lipſium* in aliquâ ex epi-

epistolis suis de Politicâ suâ loqui. Talium scriptorum apologiam habes apud Macrobium lib. 6. Saturnal. cap. 1. *Hic*, inquit, *est fructus legendi, æmulari ea quæ in aliis probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem usum tuum opportunâ derivatione convertere.* Seneca in suasoriis Ovidium & Virgilium sic defendit: *Itaque fecit* (Ovidius) *quod in multis aliis versibus Virgilius fecerat, non furripiendi causâ, sed palam imitandi, hoc animo, ut vellet agnosci.* Ex antiquis patribus *Tertullianus in apologet. c. 45. Clemens Alexandrin. lib. 1. Strom. Origenes lib. 1. c. Celsum, Eusebius præpar. Euangel. lib. 9. 10. 11.* observant sapientes Gentilium philosophos, poëtas, oratores, sua non pauca, immo præstantissima ex Hebræis desumsisse. Ambrosius de bono mortis cap. 10. *Cognoscant Gentiles, ea quæ in libris philosophiæ mirantur, translata esse de nostris.*

II. *Quæst. An genus illud falsi sit detestabile, cum antiquæ inscriptiones, aut antiquæ chartæ, aut laminæ, venditantur, quas novi impostores ipsi fabricârunt, aut fabricandas curârunt? Resp. Affi.* Qui amabili insaniâ & vanæ gloriæ cupiditate aliorum scripta, aut inventa sibi tribuunt, publico tam pernitiosi non sunt, ac impostores illi, qui sepulcralibus, aliasque inscriptionibus, tanquam antiquis, nummis item, laminis, chartis, libris orbem ludificant, & multos in errorem inducunt; qui hinc conjecturas suspiciones, verisimilia, immo & probationes in rebus & causis sive ecclesiasticis sive politicis moliuntur. *Annius Viterbiensis* improbè cum edidit cum Berosо suo inscriptiones sepulcrales Beli, Semiramidis, Nini, antiquissimam antiquitatem simulantes. Sed impostor ille dignam immanis & abominandi illius falsi mercedem perpetuæ infamiæ retulit, omnium sapientum hâc in parte calculis condemnatus. Ut compendium facias, vide *Vossium de historicis Latinis.* Autoribus ibi citatis adde *Joh. Eusebium Nierenbergium* de origine sacræ scripturæ anno 1640. *lib. 3. cap. 3.* qui ibidem indicat Anton. Augustinum dial. 1. historiam fictionis Annianæ ex relatione Latini Latinii Viterbiensis narrantem, aliasque confictas inscriptiones notantem. Idem ibid. refert insigne abominandæ illius impostura exemplum, in versibus aliquot insculptis quadratæ vetusti operis columnæ marmoreæ, quæ anno 1505. effossa fuit in promontorio lunæ, (vulgò dicto *Roca de Sintra.*) Hos versus Sibyllinos esse Valentinus Moranus, Jacobus Navarch, Ferdinandus Lopez in suis historiis Indiæ Orientalis, sibi & aliis persuaserant. Postea „ tamen compertum eosdem confictos & impositos fuisse à quodam Hermo „ Charado Lusitano, qui illos marmori inscripserat, defoderatque ut situ „ humoreque terræ aliquantulum deformati, vetustatis indicium exhibe- „ rent; rursusque per mercenarias operas refoderat, ut hoc tam nobili atque „ per egregio antiquitatis monumento, Regis (*Lusitaniæ, Emanuelis*) gratiam

,, tiam avidè in Orientis opes intenti, pecuniamque aucuparetur: ut testan-
,, tur Cæsar Orlandius & Gaspar Barrerius, quos refert Ortelius in theatro
,, magno tab. 5. novi orbis, & ab eo mutuatus Malvenda lib. 3. de Antichri-
,, sto cap. 16. Torniellus in annalibus 2. tom. anno mundi 3043. num. 7,
pag. 48. Hactenus Nierembergius. Nec prætereundæ sunt duæ aliæ ejusdem exceptiones contra præsumtam antiquitatem sepulcrorum & inscriptionum. *Prior* est, potuisse illa fuisse cenotaphia & sepulcra honoraria, quæ multos post annos condi & inscribi potuissent: qualium usum fuisse apud antiquos, probat cap. 4. *Posterior* est, potuisse illas inscriptiones sepulcrales, ut & alias quascunque chartas, præsertim vaticinia continentes, operâ Dæmonum aut Magorum *suppositas esse, & recentius quam præ se ferrent; cum scil. eventus illi ex proximo rerum statu confici poterant.* Et applicat illud scriptæ prophetiæ de invasione Hispanię per Arabes, in arca quadam à rege *Roderico* repertæ: teste *Roderico Toletano lib.* 3. rerum Hispanicarum *cap.* 17. Supra ex Laurentio Pignorio de antiquis nummis, monui. Istæ ergo falsi detectiones, & contra ostentatas antiquitates, exceptiones à citatis scriptoribus Pontificiis allatæ, nobis usui erunt contra illos qui nummos, iconas, picturas, cippos, lapides, tabulas, columnas, earumve fragmina, & quasvis reliquias ad historiæ suæ demonstrationem advocant. Sunt autem illi *Baronius* annalista, scriptores de cruce, de Christi linteis sepulcralibus, de clavis, de sanguine, &c. alibi à nobis indicati. Quod ad antiquas prophetias, quas alicubi chartæ aut libro, aut laminę aut lapidi inscriptas reperisse se dicunt earundem fabri, aut quas alicubi reposuerunt, ut ab aliis insciis forte repertæ publicarentur: non est quod ad Dæmonas futura multa conjectare valentes, præsertim jam jam futura, eas referamus. Scribi enim potuerunt, cum res jam facta est, ab aliquo τὸ futurum; & tempus atque autorem scriptionis mentiente. Quam abominandum flagitium sit Deum futurorum præscium ejusque immediatam inspirationem & donum ac motum propheticum mentiri, ad hominum seductionem, colliges ex *Deuter.* 13. & 18. *Jerem.* 23. *Ezech.* 13. Ejusdem furfuris puto fuisse exilibus literis Arabicis exarata in laminis plumbeis in Granatensi regno è monte Illipulitano effossis anno 1595. quarum *inscriptio testabatur esse literas Salomonis; doctrinæ laminis contentæ autorem esse Jacobum Zebedei, scriptores autem discipulos ejus, Cæcilium ac Ctesiphontem martyres:* quorum θαυμάστων ἀρχαίων καὶ μυστηρίων lectionem & interpretationem, atque hunc in finem, excursionem in Hispaniam à Cl. *Erpenio* linguæ Arabicæ in Academiâ Leidensi Professore impensè petebat Petrus à Castro Archiepiscopus Hispalensis, anno 1619. referente *Gerh. Joh. Vossio* in Oratione in obitum *Erpenii* habitâ 15. Novembr. 1624. Nec probanda est pia (opinione ipsorum)

verè impia fraus, quâ aliqui Oracula Sibyllina, Mercurium Triſmegiſtum, epiſtolas Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam, & ſimilia tanquam fidei Chriſtianæ defenſioni inſervitura, ſuppoſuerunt. Quaſi per opera diaboli propria, hoc eſt mendacia, veritas & cauſa Dei, juvari ac promoveri debeat.

III. *Quæſt. An falſi crimine tenentur, qui munus aliquod, aut conjugium nobiliſſimæ virginis, aut viduæ in alienâ natione aut regione ambiens, filium baronis aut primarii & ſatis noti nobilis ſe publicè privatimque dicit ac ſcribit; aut ex familiâ, nobilitate ſuâ ſatis celebri ſe ortum jactat; immo & ſubornatis teſtibus, aut fictis diplomatis probare nititur? Reſp.* Aff. & tales impoſtores etiam in foro ſoli merito puniri ſolent.

IV. *Quæſt. Idem quæritur de ambiente munus ſyndici aut advocati fiſcalis, qui Doctorem juris ſe profitetur, & hoc titulo utitur ad munus illud obtinendum: cum tamen juri vix aut nunquam operam dederit; nedum ut gradum Doctoratus obtinuerit. Reſp.* Aff.

V. *Quæſt. Idem quæritur de proponente ſeu candidato miniſterii qui concionatorem ſeu verbi miniſtrum; de cauſidico ſeu procuratore, qui licentiatum aut Doctorem juris; de chirurgo aut pharmacopœo, qui medicum ſeu Doctorem medicinæ; de vulgari cive qui ſe nobilem; de patritio aut vulgari nobili* (Junckero) *qui equitem aut baronem, voce & ſcripto ſe profiteretur? Reſp.* Aff. Si *primus* ad vocationem ac promotionem in hâc aut illâ eccleſia facilius obtinendam: *Secundus* ad lucrum conſiliis juridicis ſcribendis captandum, aut ad munus ſecretarii alicubi (ubi non niſi Jureconſultis hactenus hoc deferri ſolet) ambiendum: *Tertius* ad opes Galenicas per frequentem praxin medicam illic locorum (ubi non niſi promotis medicis praxis permittitur) acquirendas: *Quartus* ad munus, non niſi ſic qualificatis conferri ſolitum, impetrandum; dolo hoc uſus ſit. Tale factum ad circumventionem, aut ad dolum bonum (uti à Jureconſultis deſcribuntur) referri nequit: aut culpa leviſſima aut levis finiri.

VI. *Quæſt. An ad crimen falſi referendum ſit, ſi proponens, aut procurator, aut chirurgus aut pharmacopœus, aut civis aut nobilis ſe ſive præſentem ſive abſentem ab aliis, ſive per ignorantiam, ſive per curteſiam in exceſſu, abſque contradictione aut meliori informatione publicè privatimve, qualitate illâ inſigniri patiatur? Reſp.* 1. Nolo dicere, ad tranſeuntem quamcunque iſtius tituli attributionem, teneri ita intitulatum in formâ proteſtari, aut ſimpliciter contradicere: Aut teneri quem in periculo conſtitutum, aut tanquam talem ab hoſtibus habitum, aut apud illos tali titulo ab aliquo ſive per errorem ſive ſtudio deſcriptum; contra dicere, & errantes illos aut deceptos de rei veritate informare: ſiquidem præſenti periculo ſe ſubducere, aut à quocunque alio incommodo eximi poſſet: E. gr. Ephraimita quis (*Judic. 12. v. 5.*)

ſi

si habitus aut ab aliquo dictus fuisset Zabulonita, aut Benjamita, aut qualiscunque alius non-Ephraimita, & hâc ratione liber transitus illi concedendus fuisset; crimen falsi non incurrisset nudo silentio suo, aut nudâ ac præsenti omissione liberationis errantium aut falsum dicentium ab errore illo per meliorem informationem. Omnem enim veritatem semper & ubique non tenemur dicere, nec omnes ejusmodi particulares ignorantias aut errores, quibusvis eximere. *Resp.* 2. Detur alius casus; Si omnes reformati ministri alterius originis & nationis, quam istius, jubeantur ministerium deserere (uti ante annos aliquot alicubi factum): & sit inter eos, qui quod putetur & dicatur in illo regno natus, maneat in statione suâ: quæritur, an tali tempore & tali in casu teneatur ipse publicè privatimque contrarium declarare, & declaratione illâ errantes ab errore liberare? Forte quis objiciet regulam juris *qui tacet consentire videtur*, hoc est, affirmare idem quod alii de ipso prædicant: quod sine falsitate fieri nequit. Sed regero regulam illam non esse παράγωγον: uti hoc satis ostendunt Jureconsulti in suis commentar. ad regulas juris. Certum esse, ajunt, eum qui tacet, non negare. Sed *instas*: deberet perpetuo & constanter negare, imprimis tali in casu. Atqui hoc est, quod quæritur, an semper omnem veritatem nobis cognitam imprimis hoc in casu, teneamur profiteri. *Resp.* 3. Si οἱ πολλοὶ præsertim benevoli & amici perpetuò aut ordinariò sive per innoxium errorem sive per noxiam adulationem, alicui tribuant titulum nobilis, aut baronis, aut Doctoris juris, aut aliquorum principum cognati, aut eorundem consiliarii: non video talem ab omni imprudentiâ, aut stultitiâ, aut negligentiâ, aut vanitate purgari posse; siquidem coram aut absens, publicè aut privatim, voce aut scripto, nullum, ne quidem fautorem aut amicum, modestè de errore illo moneat, & candidè profiteatur talem titulum sibi non competere. De Pio V. refertur, quod dixerit aliquando, nimium sibi tribui à *Juristis*, h. e. à Canonistis. Quamvis enim titulos tales apud alios & ab aliis sibi tribui, absque contradictione patiatur, sine ullâ intentione lucri alicujus, aut muneris, aut matrimonii obtinendi, aut ambitu prævalendi, in aliorum præjudicium: omni tamen culpâ non vacat; nec factum ejus humilitati, simplicitati, sinceritati Christianæ satis convenit. Inter bonos bene agi oportet. Forte quis excipiet excusari eum posse in tantum, si non in totum: & distinguere Jureconsultos inter culpam, & dolum: & culpam tribuere *negligentiæ*, *aut stultitiæ*; dolum vere *sceleri*, Respondeo, hoc concesso, manet tamen in foro poli aliquod peccatum esse, contra regulas de simplicitate columbinâ & prudentiâ serpentinâ, *Math.* 10. de ornatu humilitatis *Math.* 11. 1 *Petr.* 5. *v.* 5. ἀνεμβείᾳ in ambulatione *Ephes.* 5. *v.* 15. de abstinentiâ ab omni specie mali, & offensionis, & occasione 1 *Cor.* 10. *v.* 32. peccatum tamen

hoc *crimen falsi*, & sic peccantes *falsarios* dicendos negant Jureconsulti; nec affirmant theologi: quia abest *dolus malus*.

VII. *Quæst. An, si in bibliothecâ aliquâ libri MSS. venerandæ antiquitatis à librariis in chartæ ejusdem formæ & figuræ, iisdem antiquis characteribus (e.gr. Longobardicis) describantur, à conductis librariis characteres illos pingere doctis: corruptio & falsificatio antiquorum scriptorum, per omissionem, aut additionem, metui ac præsumi possit? Resp.* Aff. Siquidem tales hanc librorum descriptionem curent, qui à *more & modo corrigendi libros malos*, & à *piis* (ita dictis) *fraudibus* alieni non sunt. Quod si aliquando antiqui aliqui MSS. codices Vulcano traderentur, & novè descripti in bibliothecâ, suis quique locis substituerentur, detestandæ illi corruptioni nullum aliud remedium opponi posset, quam collationes MSS. in aliis bibliothecis.

VIII. *Quæst. An crimine falsi participet, qui alios sollicitat ad dandum falsum testimonium? Resp.* Aff. Si prece aut pretio testaturos inducat. Sed si interrogationis in judicio aut extra judicium aut quandam à se aut advocato suo conceptam testimonii formulam testaturo proponat, quâ aliquod factum aut dictum, aut aliquid eorum circumstantiale contineatur, verè & judicio suo ita factum aut dictum; quod tamen testaturus secundum *nosse & posse* suum (uti loquuntur) non testetur, nec testari velit: jam nulla species falsi à petitore committitur, nec etiam à teste, qui secundum scientiam & conscientiam suam testatur & testari debet solummodo ea, quæ probè novit, & quorum meminerit. Falsi crimen committeret petitor, si contra scientiam & conscientiam suam peteret testimonium de non dicto aut facto; & testis contra scientiam & conscientiam suam testimonium ferret de non dictis & factis, aut ita non dictis aut factis. Et dato non concesso testis testimonium in aliquo non convenire cum petitoris conceptâ formulâ, aut interrogationibus: unde jam constabit errori & oblivioni petitoris hoc tribuendum esse potius quam testis. Et si error aut oblivio sit testis, qui aliquando compertus est imaginari, aut vacillare in vero dicendo, aut sibi contradicere. Quâ specie consequentiæ hinc inferetur crimen falsi à petitore commissum: eumque ideo falsorum testimoniorum fabricatorem proclamandum? Judicent hic Jureconsulti.

IX. *Quæst. An judex, indirectè aut participatè incurrat crimen falsi, qui falsum detegere cum possit & debeat, non detegit; sed potius tegit: quod fabricatum sit contra eum cui malè vult, aut cui minus favet? Resp.* Aff. Idem dico de aliis, qui falsum aliquod contra famam viri boni fabricatum, tam patienter admirantur, tam cupidè referunt, tam promtè denuntiant, & tandem in dubitatione se subsistere fingunt, non obscure tamen in deteriorem

teriorem partem inclinantes; cum satis scire possent, si scire vellent, esse falsum. Scitum illud Tertulliani apolog. c. 2. *Ideo & credunt de nobis, quæ non probantur; & nolunt inquiri, ne probarentur non esse, quæ malunt credidisse.*

X. *Quæst. An falsi crimen sit, an vero furti, si quis cum sit Mævius, Titii nomen & personam, aut filii Titii nomen & personam sibi assumat, & nummos ab aliquo debitore Titii petat atque auferat? Resp.* Utrumque. Sicuti & falsi & adulterii crimen commisisset *Martinus* ille supra memoratus, siquidem potitus fuisset muliere illâ, cujus maritum se fingebat.

XI. *Quæst. Quid si quis Christianus assumto titulo, & ficto atque ementito munere sacerdotis Gentilis (Jovis scil. aut Martis) in vacuum sacerdotium prædecessori & nomine & re sacerdoti Jovis aut Martis, quasi succedens; hoc titulo ac modo frueretur reditibus, illi sacerdotio annexis: an ad falsum hoc referendum sit; an vero ad furtum, quatenus scil. malè partis fruitur? Resp.* ad utrumque: haut aliter ac meretrix peccat peccato non tantum fornicationis, sed & furti; injustam scil. mercedem accipiendo & fruendo, absque restitutione. Idem quæro de reformato, qui nec re, nec voluntate, nec spe, nec intentione, nec conatu parochus esset, aut pastoralia perageret: nihilominus assumto & ementito titulo parochi seu pastoris in oppido seu pago NN frueretur reditibus, & stipendiis illis pastoralibus, in eo succedens parocho Pontificio jam defuncto, aut inde sive ejecto sive profugo. Quis quæso diceret non aliud hic à quoquam notari posse, aut etiam à nobis notari, quam assumtum titulum seu denominationem pastoris in N. N.? Quasi scil. illi titulo, si quis renuntiaret, aut eo tanquam politico & à se aliisve politizato titulo præ aliis incolis & civibus fulgens, reditibus ad pastoralem illam curam olim per spontaneam oblationem & per tributum justitiæ fundatis, otiosè frueretur? Diceremus in tali casu & falsum, & furtum Achanicum committi. Nec bonâ conscientiâ reditibus illis frueretur, qui ab omni munere, opere & titulo prædecessoris sui parochi Papistici, insuper à munere, opere, & titulo pastoris reformati, & vel ab omni specie utriusque præcisè abstineret, & solummodo purè atque abstractè reditibus istis pastoralibus frueretur. Talis quidem à crimine falsi absolvi posset, & à κρυπτοῖς τῆ ἀδικίας, à simulatâ æquitate, quę duplex iniquitas, teste *Augustino*: non tamen à furto Achanico, quod sacrilegium dicitur. Desperata effugia, *part. 1. politic. eccles. lib. 4. tract. 2.* refutamus, nec hic repetimus. Sunt autem hic præcipua effugia, quod reditus illi pastorales Deo, Christo, ecclesiæ, ministerio sacro, collati non sint, sed diabolo, idolo, idololatriæ: non committi ergo nec posse committi sacrilegium bonorum istorum κλήσει & χρήσει. Et si Magistratus solummodo hoc permittat, aut etiam ordinet non posse à quoquam committi sacrilegium. Et universalem Protestantium

ac reformatorum, contra abusum bonorum ecclesiasticorum consensum, non præjudicare hodiernis eorum usurpatoribus sive titulatis sive non titulatis : quod non agant de bonis ecclesiasticis à Papatu relictis, aut post reformationem iniquæ possessorum catervæ ereptis. Quasi ullus theologus, aut Jureconsultus aut politicus reformatus agens de usu & abusu bonorum sacrorum, de aliis quam de modo dictis, unquam locutus esset.

DE CALUMNIA, OBTRECTATIONE, ET CONVITIO.

Resp. JACOBO SCHUYLENBURCH Amstelod. 12. *Martii* 1662.

Cathecheſis noſtra quæſt 112. *nono decalogi præcepto repugnare ait* calumniam, obtrectationem, convitium. *Ad cujus pleniorem explicationem visum eſt ſequentem diatriben ſtudioſis noſtris impartiri.*

§. 1. IUſtitiæ opponitur, injuſtitia : generali generalis hoc eſt, inobedientia obedientiæ legibus debitæ : particulari particularis. Quæ cum duplex ſit habitualis, & actualis : iſta propriè dicitur injuria, eſt autem *injuria* latè ſumta *quæcunque juris violatio* ; ſeu quodcunque non fit jure. Philoſophus 5. Ethic. Nicom. cap. 1. νόμιμον ἢ τὸ ἴσον, id eſt, *jus* ſeu *juſtum* eſt quod *legitimum* (ſeu quod legibus ſancitum), & *quod æquale* eſt. Injuſtum *quod in legem committitur* (ſeu quod illegitimum eſt) & *quod iniquum eſt.* Paulo ante hominem injuſtum deſcripſerat, quod ſit, *qui contra legem committit, & plus ſibi vendicat quam par ſit* (πλεονέκτης) *& qui inæqualis eſt. Strictius* injuria notat injuſtitiam actualem verbis aut factis proximo illatam. Quæ acceptio in ſcholis & uſu communi admodum frequentata eſt. Per injuſtitiam enim intelligunt, cum Ariſtotele loc. cit. ſub finem, *virtutem quæ ad alterum refertur. Aliorum enim utilitati conſulit*, &c.

Strictiſſimè notat, damnum famæ & exiſtimationi proximi verbis pronuntiatis aut ſcriptis illatum. Ad verba reduci debent geſtus, & externa quæcunque ſigna juxta communem uſum vocibus articulatis in ſignificandis animi cogitationibus & affectibus æquivalentia. Et hoc vitium communiter à principali ſpecie nominibus *calumniæ*, *detractionis*, denotari ſolet.

Calumniam ex antiquis grammaticis Nonius Marcellus cap. 4. §. 74. deſcribit *malitioſam & mendacem infamationem.* Ad hujus deſcriptionis intelligentiam, præcognoſcendum quid ſit *fama.* Vox *famæ* aliquando ſignificat communem opinionem de aliquo voce manifeſtatam, ex ſuſpicione

ne provenientem. Ut ferè idem sit quod *rumor*. Aliquando notat idem quod *existimatio hominis*: quæ est *dignitatis illæsæ status legibus ac moribus comprobatus*. Hinc patet, quid sit infamia, infamatio. Hęc fit, cum fama & existimatio alicujus dicto, vel scripto, vel facto, lacessitur, suggillatur, læditur. *Isidorus Hispalensis lib. 5. origin. cap. 26.* calumniam angustius describit, quod sit *jurgium alienæ litis, à calvendo, id est, decipiendo dicta*. Quæ eadem ferè est descriptio Jureconsult. qui cum Cicerone lib. 1. offic. definiunt *callidam & malitiosam juris interpretationem*. Vel cum Azone in summâ *cum quis ex certâ scientiâ & dolo injustè agit*. Ex recentioribus Tholosanus lib. 52. syntagm. c. 20. *Calumniari est falsa crimina utendere, & malitiosè & studio vexandi*. Althusius lib. 1. dicalogiæ cap. 135. *Est actio de delicto commisso, malitiosè alicui intentata, divexandi & diffamandi illius causâ*. Ausonius Popma, lib. 1. de differentiis vocum, cum in genere descripsisset, quod *sit callida quædam fallendi ratio cum malevolentiâ conjuncta*: mox subdit: *Sed calumnia propriè est accusatorum, & significat falsum crimen, quod intenditur in judicio adversus innocentem, ut litibus vexetur ac frustretur*. Ante illos *Alciatus lib. 4.* de verborum significatione, pag. 105. 106. edit. in 8. defendens Jureconsultos contra Laur. Vallam, qui notat voces *prævaricari, tergiversari, calumniari* generalius accipiendas, quam Jureconsulti docuerint, sic distinguit: *nimirum oblitus, non docere eos simpliciter eorum verborum significationem, sed specialiter in Senatusconsulto Turpiliano quomodo accipi debeant, ut ejus pœnæ locus sit*. Quâ distinctione, dissidium de vocis calumniæ acceptione tollitur. Inter theologos antiquos *Nazianzenus* in definitionibus (quas appellat πεχυμερῆς, & versibus jambicis inclusit) διαβολὴν calumniam dicit esse *sycophantiam occultam*. Sycophantiam vero esse *falsam rerum puniendarum accusationem*. Talis angusta *Calumniæ* descriptio adaptatur à scholasticis cum *Gersone* in regulis moralibus, & *Thomâ 22. q. 73. art. 4.* voci *detractionis*, quæ ibi describitur, *alienæ famæ per verba denigratio*: Observandum, Thomam injurias distinguere in factorum & verborum: Verbalem injuriam rursum distinguere in eam quæ in judicio, & eam quæ extra judicium committitur. *Posteriorem* tractat *qu. 72. - 77.* & distribuit in quatuor species, *contumeliam seu convitium, detractionem, susurrationem, maledictionem*. Discrimen inter contumeliam, & detractionem, ac susurrationem tale constituit: quod prima committatur in proximum præsentem, reliquæ in proximum absentem aut ignorantem: Quodque illa honorem proximi lædat: istæ ejusdem famam minuant aut auferant. Per contumeliam enim deducitur quid in notitiam patientis & aliorum, quod est contra honorem ipsius.

Cujus

Cujus ſpecies quidam ſtatuunt, *contumeliam* ſtrictiſſimè dictam, *exprobrationem* ſeu *improperium*, *convitium*. Quorum *primum* objicit defectum culpæ, e. gr. furtum: *ſecundum* objicit defectum minorationis & indigentiæ, qui defectus etiam derogat honori conſequenti quamcunque excellentiam, e. gr. quando quis injuriosè alteri objicit auxilium quod contulit ei in neceſſitate. *Tertium* objicit defectum aut culpæ, aut pœnæ. Exemplum poſterioris eſt, quando quis objicit alicui cœcitatem, balbutiem, gibboſitatem, &c. aut ſtupiditatem, delirium, ſtultitiam, inſaniam, &c. Quod ſi verè fiat, dicitur convitium, ſed non contumelia; ſin falsò, etiam ad contumeliam & calumniam reducitur. *Thomas* poſt allatam ſubdiviſionem contumeliæ in genere ſic dictæ, concedit quandoque unum illorum pro alio poni. Ad quod *Caietanus* ibidem movendo quæſtionem, determinat contumeliam eſſe ſpeciem ſpecialiſſimam, quæ ſpecificam unitatem habet ex unitate honoris, contra quem tendit: eſſe tamen diverſitatem graduum ſecundnm magis & minus, dum unus defectus contumeliosè objectus magis dehonorat, quam alius.

Inter detractionem & ſuſurrationem à *Thoma qu.* 74. *artic.* 1. ſic deſtinguitur, quod illâ proximi honor, iſtâ vero ejuſdem amicitia lædatur & illius ſeparatio intendatur. Idem *qu.* 73. *artic.* 1. *irriſionem* ſeu *ſubſannationem* tanquam ſpeciale peccatum à contumeliâ, detractione, ſuſurratione diſtinguit, quod per eam intendatur proximi erubeſcentia.

Nos putamus in genere voce *maledicentiæ* ſeu *maledictionis* adverſus proximum, aut voce obtrectationis καθαλαλίας (quâ ſcriptura utitur) omnes injurias verbales comprehendi: ejuſque ſynonyma eſſe *contumeliam*, *calumniam*, &c. prout à philoſophis aut theologis latè aut ſtrictè, propriè aut ſynecdochicè voces illę accipiuntur.

Obtrectatio eſt, quando quis malè de alio prædicat, laudem ejus minuit: Et ſic obtrectator L. unic. C. quando quis Imperat. maledix. dicitur *laudis detractor*. Species earum tum intermediæ tum ſpecialiſſimæ variè à variis conſtituuntur, ſecundum diſtincta objecta, fines, gradus, modos, circumſtantias. Nos ἀκριβολογίας non ſectabimur, contenti rem ipſam, hoc eſt vitia per reales deſcriptiones & diviſiones detegere, fugam eorum ſuadere.

§. 2. Omnis injuria verbalis (*Thomas* in titulo *qu.* 72. appellat *injurias verborum*, & qu. 67. in præmiſſa diviſione *nocumenta verborum*) committitur, vel in judicio, vel extra judicium. *Illius* ſpecies tractantur à *Thoma qu.* 67. -- 72.; ubi tum in realem tum in verbalem injuriam ſeu injuſtitiam accuſatoris, rei, teſtis, advocati inquirit. Sed malumus hic ſequi diviſiones JCC. qui ex profeſſo & fusè injurias verbales, quas nomine calumnię complectuntur, enumerant.

In

In judicio ergo, secundum ipsos, calumnia committitur: quando quis actionem de delicto commisso malitiosè alicui intentat, vexandi aut diffamandi illius causâ: aut alium accusatorem instigat, instruit, submittit, eique mandat accusare; ut se periculo calumniæ eximat: aut in fraudem alterius librum testimoniumve falsum conscribit: aut non probat, quod intendit: aut falsò defert: aut causam injustam palliat: aut litem redimit: aut ad alios vexandos actiones sibi cedi curat: aut ad litem alii movendam, pecuniam vel aliud accepit: aut lucri, vindictæ, ἀνθρωποφιλοκακείας studio falsa crimina defert: aut patronus causæ, non satis fideliter & bonâ fide causam & negotium sui clientis tractans: aut patronus improbam vel desperatam causam fovens: aut patronus litem protrahens: aut advocatus, procurator, solicitator de quota litis cum cliente pacisens in casu victoriæ; aut litium concinnatores, qui temerè ab equis judicum sententiis provocantes, adversarium impensis vexant: Hæc ex legibus & consensu Doctorum probata ab *Althusio lib. 1. cap. 105.* Ethici & Theologi haut illibenter adoptabunt, quod ex jure divino & naturali educta sint, aut ad illud reduci possint.

Sed quia hæc calumniarum genera ab accusatore, teste, advocato, solicitatore propriè committuntur, aliqua addenda sunt.

Calumnia à *reo* committitur (secundum Casuistas apud *Bonacinam* in voce *detractio*) cum verum crimen, quod fateri debet, negando accusatorem infamat. J C C. apud *Althusium loc. cit.* statuunt reum in excipiendo pro actore haberi, quando scil. quid adseverat, non quando negat.

Quod ad *judicem*, is iniquam sententiam ferendo, aut justam sententiam non ferendo, sed tempus extrahendo, aut totum processum ex paxillo (uti loquuntur) in perpetuum suspendendo, gravissimum detractionis, infamationis, calumniæ, peccatum committere potest: & quidem primariò aut propriè in actione infamationis, detractionis, &c. ubi de vindicatione & restitutione famæ agitur.

Quærit hic *Thomas quæst. 67. art. 3.*

Utrum judex possit aliquem condemnare, etiamsi non sit accusatus. Et *art. 2. Utrum debeat judicare non secundum veritatem, quam esse novit, sed secundum leges & ea quæ per allegata, probata, testes, ipsi publicè innotuerunt.* Prius neg. poster. aff. & cum eo commentatores Cajetanus, *Salonius, Arragonis, Valentia*; & ex Casuistis *Diana & clavis Regia, Toletus lib. 5. cap. 56.*; & complures ex antiquis Scholasticis, ut *Alex. Hales, de Palude, Richardus*, de *Tarantasia*; denique & Canonistæ, inter quos celeberrimus *Cavarruvias lib. 1. variar. resolut. cap. 1.* Sed in casu condemnationis ad

capitis ſupplicium aut ad corporis mutilationem ; negat *Imman. Sa*, *Bonacina*, *Filiiucius*, *de Graſſiis*, & inter comment. ad *Thomam Sylvius*, *Malderus* ; *Petrus à Navarra in tract. de reſtitutione*, *Leſſius de Juſtit. & Jure* ; Inter comment. ad *Exod.* 23. *v.* 7. *Lyranus.*

Ratio eſt, quia Innocentem condemnare repugnat legi naturali & divinæ *Exod.* 23. *v.* 7. *Proverb.* 17. *v.* 15. *Jeſa.* 5. *v.* 20. Nec quidquam hic juvatur conſcientia, per *Thomæ* effugium & diſtinctionem, quod judicium ſpectet judicem non ut privatam, ſed ut publicam poteſtatem habet. Nullus enim reſpectus, nulla diſtinctio juſtam reddit innocentis condemnationem : & minimè omnium in judice, cui peculiariter hoc prohibetur *Exod.* 23. *v.* 7. Et in quo peculiariter requiritur duplex ſal ſcientiæ & conſcientiæ. Sed qui contra ſcientiam & conſcientiam judicat, is ſine peccato non eſt ; quidquid intendat, aut prætexat, & à quâcunque lege ac poteſtate humanâ obligetur. Jam verò peccatum nullo modo eſt eligibile, ut alibi recte *Cajetanus in comment. ad Rom.* 3. *v.* 8. qui ad locum *Thomæ cit.* operosâ & apparente ſubtilitate pugnat pro ejuſdem opinione. Sed velim, ad caſum hunc à pontificiis reſponderi : Judices olim in Imperio Romano ſecundum edicta & reſcripta Imperatorum & Senatus ex allegatis & probatis, imprimis ex propriâ confeſſione deprehenſos Chriſtianos ad ſupplicia condemnabant. Sic in imperio Japonico ante annos aliquot quamplurimi iſtius gentis, & cum iis Europei aliquot tum clerici tum laici ob Papalis Chriſtianiſmi profeſſionem ad crudelia ſupplicia damnati ſunt. Et Pilatus contra privatam ſuam ſcientiam damnabat Chriſtum.

Quæritur *an judices illi ſine peccato hoc fecerint* ; quia ſecundum leges ex allegatis & probatis ? Sed fortè contra quæres, *Quid ergo judices illi facturi ſint ? An munus publicum abjecturi, ad quod juramento & obligatione ad bonum publicum tenentur* ? Quidni ? Sic ſuadent autores modo indicati, qui hîc à *Thomâ* diſcedunt : etiamſi, inquit *Baſſæus*, reus innocens eo juvandus non eſſet. *Malderus de Juſtit. & relig. tract.* 6. *cap.* 1. *dub.* 13. ubi validè opinionem Thomæ oppugnat, rectè addit judicem non tantum officii privationem ſed & mortem potius pati debere, quam innocentem contra privatam ſcientiam ſuam condemnare. Sed de hac controverſiâ alibi forte pluribus diſceptandum.

§. 3. Obtrectationes, contumeliæ, calumniæ, detractiones, infamationes extra judicium in multas ſpecies ſeu modos diſtingui poſſunt. Et quis omnes enumeret ? Si ulli vitio, certè huic vitio linguæ convenit illud, *Mille nocendi artes*, &c. Comparari fere poteſt cum *Ariſtotelis* infinito potentiâ, hoc eſt cum quantitate diſcreta. Sicuti enim nullus numerus ſic pertranſiri poteſt, ut non poſſit extra eum numerari & major numerus cogitari aut de-

designari: sic à nullo ethico aut theologo species & modi hujus vitii ita in luce positi sunt, nec unquam, ut arbitror, ponentur, ut non possint alii ex tenebris suis, obstreticante experientiæ luce, erui. *Thomas qu. 73. artic. 1. ad 3.* septem modos detractionis (strictè dictæ & à contumeliâ, convitio, susurratione distinctæ) recensetⁱ: Quando quis falsum imponit alteri: quando peccatum adauget suis verbis: quando occultum revelat: quando id quod bonum est dicit malâ intentione factum: quando negat bonum alterius: quando malitiosè reticet: quando minuit. *Theophrastus* in characteribus exhibet nobis egregias descriptiones cavillationis εἰρωνείας, famigerationis λογοποιίας, maledicentiæ κακολογίας, loquacitatis λαλίας; garrulitatis ἀδολεσχίας. Moralistæ & Casuistę quales *Alexander Anglus* seu *Halez in destructorio vitiorum*, *Bonacina*, *Toletus*, *Graffius*, *Azorius*, *Sa*, *Navarrus*, aliique recentiores communiter detractionis modos dividunt in directos, & indirectos; quorum illi versantur circa malum, isti circa bonum proximi: qui istis versiculis includuntur

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

Sed aliter, atque ulterius injuriæ verbales proximi famæ illatæ, sepositis crisibus circa vocum laxiores aut strictiores acceptiones, dividi posse videntur.

Injuria verbalis in genere est, quâ alterius dignitas, existimatio, honor & fama verbis pronuntiatis aut scriptis minuitur & læditur: & dicitur infamia, obtrectatio, diffamatio, ignominia, contumelia gr. ὄβρις. Ubi duo concurrunt, verba injuriosa, & animus injuriandi.

Verba injuriosa sunt, quæ suâ naturâ præ se ferunt injuriam, quæ bonis moribus, honestari, pudori, existimationi, famæ, dignitati, honori alterius sunt contraria, vel ad sugillationem alterius prolata; ita ut ex iis alii siniſtram opinionem concipere possint de alio.

Animus injuriandi est, quando quis in alterius contumeliam, contemtum quid dicit aut scribit, quo ejus honori, famæ, existimationi, opinioni, nomini, pudori, authoritati, statui vel conditioni detrahere cupit, eaque minuere intendit. Sic fere describunt JCC. apud *Tholosanum* & *Althusium*. Ubi addunt: *ita ut ex iis alii opinionem improbam concipere possint de alio, quasi deliquerit, vel contra leges feciſſe videatur, atque de se malè sentiendi causam præbuerit.* Quod additamentum descriptionem generalem nimis augustam facere videtur. Ulterius enim se extendunt verba, per quæ quis apud alios vilescere & contemni posset, ejusque pudori, authoritati, statui vel conditioni detrahi: etiamsi nemo improbam de eo opinionem conciperet, *quasi deliquiſſet, vel contra leges feciſſet.* Hoc vidit *Thomas*,

cum ſcholaſticis ſuis, cum *quæſt.* 72. *artic.* 1. ad mala pœnæ extendit, ponit exemplum convitii, quo quis *alteri injurioſe dicit, eum eſſe cœcum: convitium*, inquit, *quidem dicit, ſed non contumeliam.* Simile exemplum habemus. *Matth. 5. verſ.* 6. Exemplum exprobationis à *Thomâ* ibidem adfertur, *quando quis alteri injuriosè ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei neceſſitatem patienti.* Hic nullum patientis delictum eſt, nec à quoquam ex injurioſo illo convitio aut exprobratione exſculpi poteſt. Videtur mihi, ſalvo aliorum judicio, magis adæquata & accurata generalis ſive definitio ſive deſcriptio celeberrimi canoniſtæ (quem J.C. quis in appoſito epigrammate encomiaſtico, *monarcham juris* indigitat) *Martini ab Azpilcueta Navarri* in Manuali confeſſar. &c. cap. 18. §. de detractione num. 12. *Detractio ſive murmuratio, quæ pro eodem hic ſumitur, diffiniri poteſt ſignificatio alicujus mali cujuſpiam hominis non canonizati inordinata, directa vel indirecta, quâ læditur vel periclitatur ejus Fama.*

Tota hæc mihi probatur. Excepto eo, quod de homine canonizato diſtinctionis causâ inſerit, & alteri diſquiſitioni relinquendum eſt. Si Deum & res divinas ſubſtituiſſet, per quod blaſphemia ſtrictè & appropriatè ſic dicta, à detractione diſtinguitur, utique nullum dubium moverem. „Explicationem definitionis quam ibidem ſubjicit, probo. Dixi, inquit, „(*ſignificatio*) pro genere; in quo convenit cum mendacio, & omnibus „aliis verborum peccatis ſupra dictis. Dixi (*alicujus mali*) ad comprehen„dendum omne malum culpæ, pœnæ & defectus naturæ, & etiam dimi„nutionem boni, &c. Dixi (inordinata), quia non eſt mala, immo bo„na ſignificatio juridica, &c. Dixi (*directa vel indirecta*) ad includendam „ſignificationem, quâ directè ſignificatur bonum, ſed tacitè vel indirectè „denotatur malum; qualis eſt illa, quâ ſignificatur monachus eſſe robuſtus, „rubicundus; artis venandi & equitandi valdè peritus: per illa enim ſig„nificatur indirecte, quod carni magis quam ſpiritui deſervit. Dixi (*læditur*) non (*tollitur*) ad includendam læſionem partis famæ. Dixi (*aut peri„clitatur*) ad includendam ſignificationem mali, quâ non læditur fama, „ſed eſt cauſa ſufficiens lædendi, ex parte ſignificantis. Ut cum ſignificatur „malum alicui non credenti illud propter ſuam virtutem, vel utilitatem „dicentis, vel autoritatem fide dignioris contradicentis. Dixi (*fama vel „gloria*) quia ſignificatio mali, quatenus tollit honorem non eſt detractio, „ſed contumelia, &c. Nota hic παράγραμμα ſcriptoris, aut typographi: vox enim *gloria* in generali hâc definitione non comparet, quamvis in eâ comparere deberet. „Pergit *Navarrus*: Non addidi tamen ut *Thomas, Antonin.*, „& communis, verbum (*aliena*) quia non ſolum eſt detractor, qui ali„um, ſed etiam qui ſeipſum infamat, &c. Non etiam addidi (*ſecreto*),

ut

„ut prædicti : quia quamvis regulariter detractio in absentiâ fiat ; po-
„test tamen fieri in præsentiâ, ut sæpe fit. Nam qui alteri presenti ma-
„lum significat, quo eum infamet, quamvis id (ut communis dicit) sit
„contumelia, quatenus tollit honorem, est tamen etiam detractio, qua-
„tenus famam tollit, ut idem Antoninus, ubi supra, explicavit, & pro-
„batur per illud Aristotelis, Ethic. 3. Qui furatur ut adulteretur, per
se loquendo magis adulter est, quam fur. Rectè sane. Ipsa formalia phi-
losophi verba sic se habent : *Est etiam alia quædam injustitia, quæ velut pars est universæ, & injuria quædam quæ in parte est injuriæ universæ, quæ legem violat. Adde quod si alius quidam lucrandi causa mœchetur, insuperque accipiat ; alius vero tribuat, damnoque afficiatur ob cupiditatem : hic sane intemperans (ἀκόλαστος) magis esse videbitur, quam πλεονέκτης & fraudator, vel plurìs cupidus ; ille autem injustus, non intemperans.* Videat, cui vacat commentaria *Andron. Rhodii*, *Pacii*, *Mureti*, *Riccoboni*, *Aidii*, & ex scholasticis *Javelli* & *Versoris ad loc. cit.* qui duo posteriores ad elucidationem textus advocant hoc axioma : Actus virtutum & vitiorum diversificantur & sumunt speciem à fine : quem *Thomas* 1. 2. *quæst.* 72. *artic.* 8. & 9. appellat *motivum* ; quia finis movet efficientem ad agendum. Sicuti e. gr. pleonexia & fraudatio sacrilegæ Achanis, quâ Deo devota, consequenter cuicumque alteri mortua, seu mortificata subtrahebat (ὑποσφίσας habet versio gr. *Josuæ* 7. *vers.* 1. quæ eadem vox *Actor.* 5. *vers.* 2.) ex. gr. anathema *cherem* pallii, auri atque argenti, & propriis usibus applicare studebat, principale erat peccatum contra peculiare præceptum de Jerichunte cum omnibus incolis & boniis anathema faciendo. In argento & linguâ aurea quæ Deo & sanctuario subduxerat Achan in proprios usus conversurus, violatum esse præceptum anathematis seu cherem, exponunt & præsupponunt interpretes nostri quotquot in materiam hujus textus commentantur, ut *Bibliander*, *Borrhaus*, *Chytræus*, *Lavaterus*, *Drusius*, *Math. Martinius*, *Andr. Osiander* ; *Richardsonus* episcopus Ardagensis in selectis observationibus ad V. T. post obitum ejus lectis, relectis, & approbatus ab *Usshero Armachano*, & *Thoma Gattakero*. His addo *Lancelotum Andrews in lat. concione ad Prov.* 20. *v.* 15. *Willet. in Lev.* 27. *qu.* 9. *Daneum Ethic. Christ. c.* 15. & *Andream Rivetum in animadvers. in Grotii notas ad Cassandrum* §. 16.

Ex antiquis patribus *Origenem homil.* 7. *in Josua*, *Prudentium in psychomach. Gregor. M. citatum c. ecclesia* 1. *qu.* 4. Pontificios comentatores studio nunc prætereo ; quos omnes fulmina ex Achanis igni in sacrilegos fabricare nimis notum est. Quid vetat unum atque alterum ex jureconsulto ad partes adducere ? si forte aliqui eos de sacrilegio differentes audire malint, quam theologos, præsertim orthodoxos seu reformatos ; à quorum religio-

ne & disciplinâ Remonstrantes, neutrales, libertini haut parum alieni sunt, quosque partibus & rebus hîc studere si non sibi, saltem aliis persuasum velint. Indico istos ergo in illo ordine polyistoras; *Andr. Masium* consiliarium ducis Cliviæ *in commentar. ad Jos.7.* & celeberrimum *Grotium in annotatis ad Cassandrum §. 16. Tholoj. lib. 31. c. 2. Joh. Langum ad Justinum c. Tryphonem p.* 278. Omnes illi autores iræ Dei in populum & terribilis pœnæ Achani inflictæ exsertè causam faciunt furtum, sacrilegium, ablationem anathematis. Genuinam hanc, planam & tritam, communemque interpretationem ex *v.* 1. & 11. & reliquis circumstantiis textus, aliisque collatis scripturæ testimoniis alibi ex professo vindicamus *part.* 1. *polit. eccles. lib.* 4. *tr.* 2. *cap* 10.

Nunc in hac digressiunculâ occasione exempli allati sufficerit indicasse in præservatione pallii seu chlamydis peccatum principale fuisse, non omissionem destructionis hujus anathematis destructivi, sed commissionem subreptionis & in usum suum conversionis: illa enim ad hanc ordinata erat: ita ut genus peccati constituendum sit in sacrilegio utriusque anathematis tum *destructivi, chlamydis* scil., tum *usualis* auri scil. & argenti.

Distinctionem hanc anathematis erutam ex *Levit. c.* 27. explicant *Seldenus l.* 4. de jure naturali & Gentium, &c. c. 9. & 10. *Willetus in Levit.* 27. *qu.* 2. eximius theologus, cum viveret, in Theologiâ nobis ἰσόψυχος, & in utroque ministerio collega conjunctissimus *Carol. de Maets, in diatribâ de Voto Jephte part.* 13. Hoc sacrilegium, hoc peccatum fraudulentæ contrectationis si in species, si totum in partes dispescas easque inter se compares, invenies usualem subreptionem esse speciem aut partem principalem, ejusque malitiam peculiari gradu auctam: ubi non tantum destructioni anathema subtrahebatur, sed & usui sanctuarii: quod posterius cum peccato Ananiæ *Actor.* 5. à theologis communiter comparari solet: ita ut ad terrorem sacrilegis incurrendum duo hæc gravia & insolita in ipsos judicia proponant. Ut propius ex Ethicæ & theologiæ axiomatibus urgeam, dico in furto chlamydis, non esse formale peccatum in τῷ negativo, quod non reliquerit chlamydem communi destructioni seu corruptioni per ignem, aut per aquam sive pluviam sive fluvialem, aut per calorem ambientem, aut per putredinem ruderibus, cloacis, luto, sterquiliniis obventuram: sed in τῷ positivo, quod scil. sacrum & Deo devotum anathema ad abolitionem seu destructionem, fraudulenter, & avarè contrectaverit, hoc est, furatus sit. Pius momentum, τὸ *Negativum* ordine naturæ præcedit, & præsupponitur, & ad posterius ordinatum, tanquam aliquid sine quo non: sed posterius momentum τὸ positivum, specificat; prout omnis ultimus actus, ultima forma specificat. Et hoc signatè dicitur quod peccatum in anathemate commissum

sit,

sit, non purè aut saltem principaliter inadvertentiâ, aut negligentiâ, aut præteritione, aut speciali omissione actualis & positivæ destructionis (ad talem enim chlamydis positivum, directum, & singularem destructionis actum Achanem hic & nunc obligatum fuisse ex ingenio si conjici potest, saltem ex scripturâ non probabitur); sed avaritiâ & malitiâ fraudulenter contrectatæ, hoc est, furto ablatæ & absconditæ rei alienæ, quæ ipsius in bonis esse non poterat, nec ullâ ratione ab Achane aut aliquo Israëlita ejus κλῆσις aut χρῆσις acquiri. Legat quis absque præjudicio vers. 2. ubi specificatur peccatum in *cherem* commissum, & *accepit seu sumsit Achan.* Vide *c. 6. v. 8.* Et cap. 7. v. 11. לָקְחוּ מִן הַחֵרֶם, id est, *sumserunt de cherem & etiam* גָּנְבוּ, id est, *furati sunt, etiam absconderunt, etiam posuerunt*, &c.

Genuina & generali injuriæ verbalis descriptione ita stabilitâ accedimus ad divisiones, in species, modos, gradus. §. 4.

I. Prima divisio, aut potius distinctio injuriæ verbalis, obtrectationis, calumniæ in pure *materialem, formalem, virtualem.*

Materialis æquivocè dicitur obtrectatio, aut detractio, aut calumnia: cum quis nec animo injuriandi, nec verbis injuriosis proximum aggressus est; quamvis ipse aut alii audientes malo & suspicaci animo dicta aut scripta aliqua obtorto collo huc trahant, ut occasionem per mendacia, convitia, obtrectationes, calumnias, retaliandi quærant; aut alios, quos læsos fingunt, iniquâ suâ delatione ad talionem concitent. Qui manifestè crimen illud committunt, quod aliis injustè imponunt. Cum hoc conferri potest distinctio mendacii in materiale & formale; & analogicè distinctio vulgaris scandali in datum & acceptum. De quo alibi.

Formalis est cum quis animo injuriandi, injuriosis verbis aut scriptis alterum lædit.

Virtualis (quæ etiam *indirecta* dicitur) est, 1. *cum* quis negat suum aliquod malum, verè alteri objectum: Quo ipse alterum tacitè calumniæ aut mendacii accusat, & famam ejus lædit. 2. *Cum* de individuo vago loquitur: interim speciale factum proximi ita χαρακτήριζει, & τὸ δεῖνα proximum ita ἀποφαίνει, ut calumniose famam ejus lædat, quantum in se est: quidquid dissimulet. 3. *Cum* verbis aut scriptis contendens cum proximo, aliqua crimina & flagitia eidem in faciem, aut apud alios enarrando de seipso negat, quæ tamen nemo ei imponit; dicendo, ego talis non sum, nemo me arguere poterit illius criminis: ut ita tacitè audientibus suspicio ac sinistra opinio injiciatur, de illo, cum quo contendit, ac si ille tali aliquo crimine teneretur. 4. *cum* audiens diffamationem aut calumniam de proximo, quem talem esse novit, aut nosse poterat, si modo vellet, ejus *famam & existimationem, quantum potest, non defendit atque augeat,*

get. Sunt verba catecheſios noſtræ. 5. *Cum* mala de proximo ex alio audita, ſæpius ſine neceſſitate referendo, ſiniſtros de illo rumores ſpargit & auget, & quidem cum hâc cautelâ ; Quod ipſi non fiat veriſimile, vel quod non credat, ſed tantum referat ea, quæ ex τῆ Δοξῃ audivit, penes quem ſit fides. 6. *Cum* quis nullam intentionem habet alterius famam lædendi : ſed nihilominus quia imprudenter, inconſideratè, negligenter mali quid de illo refert, ab injuriâ verbali immunis non eſt. 7. *Cum* quis audito & facile recepto, forte & firmiter impreſſo rumore ſiniſtro ; non ſtudet, immo pertinaciter repudiat, audire aut ipſum diffamatum, aut alium quemcunque, aliter & meliora de eodem referentem : directè contra non tantum Chriſtianæ religionis, ſed & honeſtatis naturalis axioma : *audi alteram partem.* 8. *Cum* quis, occaſione oblatâ, non laudat proximum, aut nimis remiſsè laudat, aut cum moleſtiâ veras ejus laudes, ab alio prædicari audit. Quam moleſtiam, ex ſubito & pertinaci ſilentio, ex vultus & oculorum demiſſione, (*Gen.* 4. *v.* 6. ויפלו פניו) ex ſputatione, aliiſque quæſitis geſtibus & περιεργίαις, imprimis ex conatu ſermonem illum encomiaſticum abrumpendi, & encomiaſten alio abducendi, deprehendes. Oriuntur indirectę detractionis ſpecies, ex merâ invidiâ plerumque : aliquando etiam ex intentato proximi contemptu, depreſſione, oppreſſione ; aut ex ſuperbiâ, & inordinato propriæ laudis ſtudio, cui obeſſe putat laudes proximi.

II. Diviſio eſt in ſpecies : & ſic obtrectatio, ſeu diffamatio alia eſt aperta ſeu craſſa, alia palliata & ſubtilis. *Illa* eſt dehonoratio aut diffamatio proximi per aperta mendacia. *Iſta* per verborum aut factorum proximi in deterius προσποίησιν, id eſt, fictionem, ſeu detorſionem. *Cavillationem* εἰρωνειαν deſcribit *Theophraſtus in characteribus :* quæ etiam *ſycophantia* dicitur & *calumnia* ſtrictè ſumta. Sic noſtra *Catech. q.* 112. ubi *Sylburgius* τὸ *calumniari* exponit per συκοφαντεῖν : quæ vox occurrit *Luc.* 3. *v.* 14. & 10. *v.* 8. de quâ vide *Sculteti exercit. euangel. lib.* 1. *cap.* 19. Et *Lud. de Dieu* & *Grotii notas ad Luc.* 3. *Heinſii exercit. ad Lucæ cap.* 17.

Quot autem modis, alicujus verbis calumnia ſtruatur, dici vix poteſt. Ad generalia illa quatuor capita revocari poſſe videntur, ſi non omnia, ſaltem pleraque 1. additionem. 2. ſubſtractionem. 3. permutationem alieni ſenſus. 4. ſcopi & intentionis fictionem.

III. Diviſio eſt ex objecto reali. Sic diffamatio *alia* eſt, quæ mala de aliquo ſed falsò ſimul & malè prædicat : *Alia* quæ vera mala verè de aliquo prædicat, ſed malè, non bene. Quarum prior proculdubio longè pejor eſt, & infandi ſceleris ac flagitii nomine ſtigmatizanda ; ſi fiat in pernitiem proximi. Poſterior culpâ non vacat : quia omne verum ſemper & ubique dici non debet, nec occultanda detegi : juxta illud 1 Petr. 4. v. 8. *Charitas teget multitudinem peccatorum.*

IV.

IV. Divisio ex objecto personali. Sic alia est, quâ obtrectans aut detractor propriam famam ; alia, quâ alterius famam lædit. Hic alter est vel mortuus, vel vivus : vel peregrinus, vel concivis aut popularis : vel alienus, vel consanguinitate aut affinitate conjunctus : vel fidelis vel infidelis : vel probus, vel improbus : vel insuper infamis sive facto sive jure ; vel neuter aut medius, aut dubiæ existimationis : vel inimicus, vel amicus, aut saltem necessarius, aut fautor : vel æqualis vel inferior, vel superior. Ubi ex tali aut tali objecto, in quod peccatur, peccati gravitas & gradus, uti etiam ex aliis circumstantiis æstimari debet. Saltem peculiarem malitiæ gradum habet, si quis ex unâ parte pauperibus, viduis, pupillis, aliisque imbellibus & miserabilibus ; & ex altera parte parentibus, præceptoribus, Magistratibus, Pastoribus & Patribus spiritualibus, aliisque superioribus maledicat. Jurisconsulti, cum *L.* 3. *C. de criminibus*, pronuntiant, *sacrilegii instar esse, disputare de principali judicio, & dubitare an is sit dignus, quem elegerit Imperator.* Hoc illi in illo casu speciali : sed theologi majori jure universaliter & convenienter scripturis sacris cum *Salviano lib.* 7. *de gubern. Dei pag.* 305. edit. Rittershusii, pronuntiant : *sacrilegii quippe genus est Dei odisse cultores. Sicut enim si servos nostros quisquam cædat, nos in servorum nostrorum cædit injuriâ : & si à quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii pietas paterna torquetur : ita & cum servus Dei à quocunque læditur, majestas divina violatur, dicente id ipsum ad Apostolos suos domino* (Math. 10.) *Qui vos recipit me recipit, & qui vos spernit.* Confer & *Psal.* 105. *v.* 14. 15. & 2 *Cor.* 5. *v.* 20. ubi titulus legatorum verbi divini ministris tribuitur, nullis aliis in quacunque dignitate constitutis ordinariò impartiendus.

V. Divisio ex objecto, coram quo obtrectatio fit. Sic *alia* est, quæ fit coram illo solo præsente, qui petitur : quę secundum *Thomam* cum sectatoribus peculiariter dicitur, *ignominia*, *contumelia* (Gr. ὄνειδος) *convitium*, *exprobratio*, *irrisio* aut *derisio*. *Alia*, quæ fit in absentiâ ejus qui petitur, coram uno, aut pluribus, sive multis sive paucis, sive omnibus promiscuè, cum scil. non tantum dicitur, sed scriptis publicatur.

VI. Divisio est ex objecto circumstantiali, ex materia scil. negotiorum & causarum, circa quorum tractationem convitii, infamationis, obtrectationis, calumniæ crimen committitur. Et sic *alia* per extrinsecam denominationem est ecclesiastica ; *alia* secularis, seu politica. Et hęc rursum vel publica, vel privata. *Publica* est, quæ committitur circa publici regiminis negotia ; aut circa causas in foro contentioso. Negotia ecclesiastica Deo propiora sunt, & homines eadem gesturi peculiari quadam ratione ad Deum appropinquant. Rursum in judicio aut circa judicium commissa deterior illâ, quæ in regimine aut circa regimen committitur ? quod Deus

peculiari quadam ratione fit in judicio 2 *Paral.* 19. *v.* 7.-11. In genere autem omnis publica privatâ deterior est; quod in plures, immo ad totam communitatem ecclesiasticam aut sæcularem damnum earum redundet.

VII. Divisio est ex fine proximo sive operis sive operantis. Sic *alia* facit & tendit ad *derisionem*, & propriè dicitur *irrisio*, *subsannatio*, *sarcasmus*: *alia* ad *contemtum* & vilitatem (ita loquar) proximi; & propriè dicitur ἐξουθενισμὸς & ἐξουδένωσις: *alia* ad amicitiam disturbandam, & litem inter fratres serendam; quæ *Thomæ* cum suis propriè dicitur susurratio, cujus conjugatum reperitur *Rom.* 1. *v.* 30. *alia* ad odium, vexationem, capitis diminutionem, ab omni promotione & dignitate rejectionem, immo ad pœnas infamiæ, exilii, fustigationis, perpetuæ incarcerationis, extremi supplicii eidem creandas. Postremæ illæ, non tantum ex invidiâ, aut inordinatâ sui elatione (ne scil. per alterius insigniores virtutes & actus virtutum luminibus, an luculæ nostrę obstruatur), sed & accedente vindictę cupiditate, atque animo plane exulcerato proficiscuntur. Vide exemplum Hamanis in lib. *Esther.*

VIII. Divisio est ex modo elocutionis, seu promulgationis. *Alia* est, quæ vivâ voce sive tuâ sive alterius à te subornati: *alia* quę scriptâ epistolâ aut sparsâ ac circumlatâ schedulâ, aut libello typis edito existimationem proximi depeculatur. Manuscripta illa, & *libelli* typis editi, vulgò dicti *famosi*, appellantur comœdiæ veteres, silli, satyræ, pasquilli; qui hodie strictissimè dicti libelli famosi; quibus accensendę picturæ famosæ. De comœdiâ, sillo, satyrâ, consulendi scriptores rei poëticæ *Jul. Cæsar Scaliger* & *Gerh. Joh. Vossius.* Nomen *pasquilli* Romæ originem & usum suum debet: ubi statuæ militis aut gladiatoris alicujus, brachiis & facie mutili, dicti *Pasquini* etiamnum superstiti, libelli ejusmodi & chartę mordentes sed antiphonæ aut respondentes chartis famosis statuæ vicinę dictæ *Marphorii* de nocte affigi solent, quæ mane legantur. Hec referunt, præter Romipetas nostrates, *deliciæ Italicæ* à *Caspharo.* Et latinè editę Coloniæ anno 1609. pag. 4. *Marlianus in descriptione urbis Romæ* de eâdem Pasquini statuâ notabilem habet historiam, quam ex illo descriptam refert *Keckermanni Politica lib.* 1. *cap.* 22.

Quæstiones, quibus materiam hanc plenius explicamus, sequentes hnjus disputationis partes exhibebunt.

DE

DE CALUMNIA, OBTRECTATIONE ET CONVITIO.

PARS SECUNDA.

Resp. JOHANNE à RAESVELT Gendringâ-Gelr. 19. *Martii* 1662.



Subjiciamus nunc quæstiones ad pleniorem hujus rei explicationem. Quia autem in obtrectatione tres personæ considerandæ sunt, quæ audit, quæ legit, quæ patitur: ad singularum instructionem quæstiones in tres classes distribuemus. Quæritur ergo de Calumniatore, detractore, &c.

I. *Quæst. An malum aliquod de homine dicere, sit absolutè, toto genere, & intrinsecè malum: ita ut nullo in casu honestari possit; & an sic intelligendus textus. Jac.* 4. *v.* 11. μὴ καταλαλεῖτε, *Resp.* Neg. Quod enim ad textum illum eodem fere modo ex analogiâ fidei & scripturæ exponendus est quo *Math.* 5. 4. 39. *&* 7. *v.* 1. Jacobus enim ipse in epistolâ suâ, multa mala de hominibus dixerat cap. 1. *v.* 8. 26. & 2. *v.* 6. & 4. 1. - 5. & 5. *v.* 1. - 8.

Quod ad rem ipsam duabus istis conclusionibus sic determinamus.

1. *Concl.* Non tantum non est vitium, sed insignis virtus, aliquando necessitate aut occasione ita ferente de hominibus mala tristia seu mala pœnę tum coram ipsis tum coram aliis prædicare: modo id fiat animo, modo, & fine bono. e. gr. morbos, paupertatem, membrorum, sensuum, & virium defectus, ἀῤῥωστίαν διανοίας, memoriæ debilitatem. Et hoc subinde necessarium est, respectu ipsorum & aliorum, ut scil., aut ipsi se noscant & discendo τὸ *nosce te ipsum* ad humilitatem diffidentiamque sui formentur, & debita auxilia atque fulcimenta aliunde quęrant atque expectent. *Illorum*, ut alii quos cura illa tangere debet aut potest, aut quorum interest, eosdem noscant, iisdemque *vel* prędia & auxilia sua præstent, defectus supplendo; *vel* eos arceant à muneribus operis, in ecclesiâ, in schola, in republicâ, domi foris, in pace in bello, ad quæ plane inepti sunt; ipsi tamen se imprudenter obtrudunt, aut ab aliis nimis indulgenter sive gratis sive mediantibus illis protruduntur. Ita paupertatem viduæ *Luc.* 19. refert servator, & Paulus 2 *Cor.* 8. *v.* 2. ecclesiæ Macedonicæ, ut ostendant earum liberalitatem: & energemata, cœcitatem, morbos afflictorum Christo & Apostolis per alios, incicatos fuisse legimus, ut sublevari possent. Sic 1 *Pet.* 3. *v.* 7. mulier dicitur ἀσθενέστερον σκεῦος. Adde exemplum Michæ

1 Reg. 22. & onerosas prophetias, *Jesaiæ capp.* 13.- 34. *& Jerem. cap.* 2. *v.* 10.

2. *Concl.* Mala turpia seu peccata hominum, in quibusdam casibus, tum coram ipsis, tum etiam coram aliis, immo & coram omnibus promiscuè, sive dictis sive scriptis prædicare non vitii est sed virtutis: modo id fiat animo, modo, & fini bono.

Hæc communis sententia patrum, scholasticorum, Casuistarum, nostrorum, probatur. I. *Ex* exemplo & mandato Dei qui *Genes.* 3. coll. cum *Psalm.* 50. & 90. prævit: & legatis suis Prophetis, Apostolis, ordinariis ministris hoc mandavit. Inter quamplurimos textus vide modo *Jesa.* 58. *v.* 1. *Ezech.* 2. & 3. & 13. 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. & 4. *v.* 2. 3. II. *Ex* Officio correptionis fraternæ, quod omnibus fidelibus incumbit. De quo peculiari diatribâ antehac egimus, quam postea *Exercitiis pietatis cap.* 24. inseruimus. III. *Ex* officio denuntiationis ecclesiasticæ, quod positis ponendis cuilibet incumbit. *Math.* 18. *v.* 15. & 1 *Corinth.* 1. *v.* 11. IV. *Ex* officio præmonitionis, contra scandala, & contra seductiones ad falsam doctrinam, aut pravos mores, per exempla, dicta, scripta, & contra conversationem τῶν ἀπίκτων sive manifestorum sive simulatorum; quos necesse est in lucem protrahi, iisdemque larvam μόρφωσιν ἐυσεβείας (2 *Timoth.* 3.) detrahi. Vide 2 *Timoth.* 2. & 3. *v.* 1.- 10. 2. *Thessal.* 3. *v.* 14. *Philipp.* 3. *Tit.* 1. *Epist* 3. *Johann. Apocal.* 2. & 3. Hoc cuilibet incumbere, imprimis parentibus, tutoribus, pastoribus, senioribus, præceptoribus, apud omnes constare arbitror. V. *Ex* officio accusationis, quod omnibus aliquo in casu incumbere, probant scholastici *ad* 22. *qu.* 68. *art.* 1. Imprimis iis incumbit, qui in ordinatis hominum societatibus convenienter juri divino & naturali constituti sunt ad crimina hominum, quæ pacem, bonumve publicum turbant, observanda, detegenda, denuntianda, & accusationem contra eos directè, ex professo, & in formâ instituendam: quales sunt qui prætorum, advocatorum fisci, procuratorum reipublicæ seu generalium, &c. dignitate & titulo honorario inter & supra alios eminent. Argumento hoc ab iis, qui ex officio tenetur accusare, sumto ferè solo utuntur cum *Thomâ* 22 *qu.* 68. *art.* 1. scholastici & Casuistæ. VI. *Ex* justis & necessariis apologiis, spongiis, declarationibns, *tum* publicis ecclesiarum, politiarum, regum, principum, scholarum, collegiorum, *tum* privatis quorumvis: sive in causâ religionis, sive in quavis aliâ justâ causâ, quæ morum & famæ honestatem concernit. De quibus non ita pridem nobis actum in *dispp. de confessionibus & apologiis* 3. *part. polit ecclesiast. inferendis.* Hic tantum repeto, vix posse peragi ejusmodi apologias contra atroces & impotentes convitiatores, calumniatores, mendaciorum hamaxarios, sine vicissariâ accusatione,

tione, aut sine justâ retorsione aliquâ eorundem criminum in accusatores, quibus innocentia injustè petitur; idque hâc cum intentione, ut effusio calumniarum sisti, ipsique secum habitare discant: sin minus, saltem reddantur intestabiles, iisque fidem nunc apud rerum ignaros aut malevolos invenientibus, fides detrahatur. Vide editas apologias *Justini*, *Tertulliani*, Illustris & Celsis. herois Wilhelmi I. Arausonensis, Sereniss. & potentiss. Britanniarum regis Jacobi, Hermanni Archiepisc. & Electoris Colonensis, Sereniss. Regis Bohemiæ, & Electoris Palatini Friderici V. sereniss. regis Navarreni Henrici & illustriss. Principis Condei Gallico titulo *protestationis* contra excommunicationem Sixti V. latino, *Brutum fulmen*, &c. adhæc quam plurima alia Principum, Politiarum, virorum literatorum, theologorum scripta apologetica, vel ab ipsis vel ab aliis publicata, ut *Lutheri*, *Melanthonis*, *Calvini*, *Bezæ*, *Bullingeri*, *Juelli*, *Plessei*, *Marnixii*, *Fr. Junii*, *Prideaux*, *Cracanthorp*, *Mortoni*, *Roberti Aboti*, *Riveti*, &c. Quando autem illa, quæ justè debito modo, servato moderamine inculpatæ tutelæ, ad necessariam defensionem & præmonitionem calumniatoribus reponuntur, ex jure divino & naturali defendi possint, non obstante consequente contemtu, aut irrisione, aut infamiâ proximi, etiam accepto scandalo eorum qui intra aut extra ecclesiam sunt ex seqq. quæstionibus patebit.

II. *Quæst. An calumnia & detractio sit, si quis mortuis malè dicat? Resp.* mortui sunt vel boni & nunc μακαρίτται, vel mali. Mala, quæ de iis referuntur sunt vel vera, vel falsa: & illa rursum vel manifesta, vel occulta. Sit ergo.

1. *Concl.* Mala falsa nunquam in præjudicium honestę viventium famę dicenda sunt: sic imprimis non dicenda de mortuis quibuscunque, sive bonę, sive malę, sive dubiæ famæ. Hoc enim atrocitatem malitiæ & injurię insigniter auget, quod mortui antidoto purgationis aut apologiæ non ita uti queant; præsertim cum de propriis factis respondendum est. Cum enim quis exemplo Bolseci, Laingei, Surii, Cochlei, Balduini Ecebolii, Jacobi Carpentarii, Florimundi Ræmundi, & similium post obitum fideles Dei servos scriptis suis infamantium, mentitur aliquem in vitâ suâ talia blasphema, hęretica, improba, calumniosa, vana, stolida locutum esse, talia malesana aut desperata consilia sibi suggessisse, talia se præsente & conscio verbis, aut factis perpetrasse; utique hostes & malevoli, qui calumniosas ejusmodi relationes plerumque captare solent, ab aliis ita confundi nequeunt, ac ab ipsis illis, qui calumniam patiuntur, siquidem viverent. Illi enim publico scripto negare & mendaciorum hamaxarium ad probationem provocare, aut juramento se purgare, aut per *L. diffamari*

C. *de ingenuis & manu-missis* Crętizantem dejicere, saltem cursum mendaciorum de facto sistere possent.

2. *Concl.* Improborum notoria non tantum & manifesta, sed & vulgò occulta mala sive facta, sive dicta, sive consilia, cum eventu eorum & consequentibus Dei judiciis, non tantum licet, sed & aliquando utile est post obitum eorum referri, immo & perpetuis historiarum tabulis, in luce poni atque actis publicis consignari: idque ut exempli & phari instar aliis inserviant; atque una bonorum famę & innocentiæ, quin & ipsi causæ Dei consulatur, quibus per flagitiosorum dictorum & factorum crypses atque incrustationes, haut parum præjudicatur. Cum dico improbos & manifestos peccatores, non excludo illos, qui sub finem vitæ vel conversi sunt; vel saltem per gratiam aliquam coërcentem seu refrænantem, cursum flagitiorum suorum stiterunt. Ex priorum numero sunt rex Manasses, & latro in cruce: ex posteriorum Nebucadnezar, & Achab. De uxore Lothi, de Achane, de fratribus Josephi, de Simeon & Levi; in meliorem partem sentimus: quorum peccatum erat transiens & unum.

Probl. 1. *Argum.* ab usu exemplorum: quæ jure divino probata & mandata. Vide 1 Corinth. 10. v. 6. *Hæc autem typi nostri fuerunt, ut ne concupiscamus res malas*, &c. Luc. 17. v. 32. *Mementote uxoris Loth.* Confer relationes sacras de Caino 1 *Joh.* 3. de Chamo *Genes.* 9. De Ismaele, de Esauo, de uxore Potipharis, de Pharaone & Ægyptiis, de Corah, Dathan. Abiram, de adhęrentibus Baali Pehor, de Zimri, de Achane *Jos.* 22. &c. Et de Anania & Saphyra, de Juda Iscariote, de Caipha, Pilato, Herode, Simone & Elyma magis, de Alexandro Fabro, Hymeneo & Phileto, Diotrephe, &c. Vide historiam sacram: pręsertim Psalmos historicos 78. 105. 106. & concionem Stephani *Actor.* 7.

2. *Argum.* Quia variis in casibus, non potest fama proborum injustè post mortem traductorum, à posteris, præsertim iis ad quos hoc proximè spectat, rectè vindicari, nisi mala consilia, & injustè facta aliorum in lucem protrahantur. Quandoquidem aliter fieri nequit, patiatur honor & fama nocentium, modo vincat & triumphet innocentia; pereat Barrabas, dimittatur Christus. Inspiciantur patrum, primorum reformatorum, & hodiernarum ecclesiarum, politiarum, scholarum scripta apologetica, & elenctica.

3. *Argum.* Quia alioquin nulla historia ritè scribi atque esse deberet: quin contra omnes scriptiones tam veteres quam novæ, quæ nunc in rerum naturâ, tum ecclesiast. tum politicæ condemnandæ atque abolendæ essent, tanquam libelli famosi. Quod absurdum. Consulantur scriptores de historiâ, *Bodinus, Beurerus, Keckermannus, Vossius, tract. peculiaribus, Canus lib.* 11.

de

de loc. theolog. Possevinus biblioth. selectæ lib. 15. Cum autem historia (teste *Cicerone lib. 1. de Oratore*) *sit vitæ magistra & lux veritatis*, & prima ac necessaria boni historici, juxta Polybium, conditio sit, ne quid falsi dicat, & ne quid veri reticeat, utique sic scribenda est, *Ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate & infamiâ metus sit* : Sunt verba *Taciti*. Et hic præivit historia sacra, quæ Jeroboam jam mortuum toties hoc titulo insignit, quod *Israel fecisset peccare*, & peccatum idololatriæ vocat peccatum Jeroboami.

Relatio ergo malorum ab historiis removenda non est : quæ majorem earum partem faciunt ; cum plura hominum malè facta quam bene facta in communi mortalium vitâ numerari possint. *Rari quippe boni*, &c. *vix totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.* Mundus enim in malo positus 1 *Joh. 5.* immo & pusillus Christi grex à lupis, ab intestinis & latentibus malis, non est immunis. Hoc docent historiæ, annales, theatra exemplorum, theatra judiciorum Dei, specula tragica, vitæ tum improborum tum proborum ; quæ posteriores describi non possunt, quin hostium, adversariorum, certaminum, triumphorum de heterodoxiis, iujuriis, calumniis aliqua fiat mentio. Illa autem absque obice objecto, tutò magis & sincerè, referri & propalari possunt post obitum majorum, præsertim Nimrodorum, Pharaonum, Hamanum, Jeroboamorum, Neronum, Domitianorum, Antiochorum, Herodum, Doëgorum, qui potentes sunt *Psal. 52.* uti hoc ingenuè fatetur *Stella de vitis Pontificum* in alloquio finali „ad patriacham Venetum : Demum R. D. tuæ innotescat me de industriâ „plura prætermisisse, pericula undique præcaventem, &c. potissimum cum „ præsentia discrimina scriptores elanguescere plerumque faciant, &c. Po„steris autem cætera sunt relinquenda, qui apertius sine metu & notâ „suas historias poterunt scribere. Vide de metu historiæ & iufamiæ apud viventes ac posteros, quo principes à rebus malè generendis retineri debeant, *Kerckermanum lib. 1. politicæ cap. 2.* circa medium *pag. 60. 61.* in 8. ubi indicat *Castel. qui lib. 1. de off. reg.* pluribus exemplis hoc illustravit.

3. *Concl.* De dubię famæ hominibus, mala occulta post obitum non detegenda : nisi innocentiæ & justitię causa sive publica sive privata viri præstantis & in publico munere constituti hoc necessariò postulare videatur.

4. *Concl.* Mala quæ incerto rumore aut inimicorum, malevolorum, vaniloquorum, aut mendacium spermologorum & parasitorum susurris, aut libellis famosis (quorum autores omni jure infames & intestabiles sunt), de viris malis, de dubiis, de honestis & quidem ejusdem fidei consortibus, immo & præconibus, nunc defunctis, etiam de viventibus ad nos deferuntur, sermone nostro, nedum publicis scriptis referenda, spargenda,

da, æternitati consecranda non sunt. Hoc vitio laborant multi scriptores eristici, & plerique historici Papales ; ut *Cochleus*, *Surius*, *Baronius*, qui uni parti contra adversarios perpetuò studeant. In speciem subtilius hoc agere *Strada*, & *Nicol. Burgundus* : qui tamen in eo toti sunt, ut de Principis Arausoniensis ejusque fautorum, Ordinum Belgii, Nobilium Belgarum, qui præeunte Henrico Brederodio libellum supplicem anno 1568. tradebant, animo atque intentione judicent, inque ipsos omnem malorum culpam transferant, & Regis Philippi, Hispanorum, Belgarum Hispanizatorum, consilia & facta extra culpam ponant ; *Strada* insuper familiam Farnesiam in duce Parmensi ad supremum famæ cœlum evehat. Longè aliter quamvis nostram religionem nunquam professi *Petrus Matheus*, & *Thuanus* : quorum posterior ideo non tantum libellum polemicum in historiam suam tit. *notationum*, &c. Ingolstadii 1614. in 4. sed & censuram sedis Apostolicæ anno 1610. passus est, & plura passurus fuisset, nisi Cardin. *Perronus* apud Papam intercessisset. De quo vide inter epistolas *Perroni* gall. editas, *epist. ad Thuanum*.

5. *Concl.* De viris bonis jam defunctis malum aliquod occultum, aut paucis notum non nisi summa necessitate adigente, referendum est. *Justus*, enim, *erit in memoriâ sempiternâ*, Psal. 112. *v.* 6. Hoc facit vulgatum illud dicterium:

De mortuis nil nisi bonum.

Et,

Livor post fata quiescit.

Et adagia, *cum larvis luctari : jugulare mortuos : mordere mortuos : cum umbris depugnare :* Quorum explicationem vide in *Erasmi opere adagiorum*. Si violare sepulcra, contumelioſe cadavera tractare honestati & humanitati repugnat, & legibus coërcendum judicatur (uti inter alios differit *Philip. Camerarius centur.* 1. *oper. subcis. cap.* 3.) : utique viros honestos post mortem diffamare longè iniquissimum est ; cum famæ violatio cadaveris, loculi, sepulcri violatione, deterior sit. Non tamen simpliciter & absolutè illicitum est, de mortuo mali quid sive notorii, sive etiam vulgò ignoti referre : ut nullo in casu illud honestè fieri possit. Sic ex. gr. ut *Chrysostomi* fama vindicetur, quædam de eximiis ecclesiæ Doctoribus *Severiano*, *Theophilo*, *Epiphanio*, referri necesse est, quæ ex ipsorum honore non sunt. Vide ejus vitam ex *histor. tripartitâ*, *Palladio*, &c. ab *Erasmo* descriptam. Et *Baronium in annal.* *Beza Erasti* vertigines contra sacram disciplinam maluisset tegere, nisi importunitas eorum, qui Erastiana post obitum ejus edebant, illum ad causæ Dei & sui ipsius defensionem coëgissent. Vide quæso ejus præfationem ad *lib. c. Erastum* de excommunicatione. Quam plurima theologorum

rum scripta apologetica pro se, & pro *Luthero*, *Zwinglio*, *Calvino*, *Bucero*, *Beza*, *Melanthone*, &c. edita; ubi cum adversarii mortuorum dicta, epistolas, judicia, testimonia ad partes vocant, quibus innocentia gravetur: non possunt justâ absterſione aut apologiâ defungi, rei gravitate & necessitate ita postulante, quin quædam aperiant, quibus defuncti, cætera boni, tangantur.

Rationes sint istæ.

Prima, quia scriptura sanctissimorum quorumvis Noachi, Abrahami, Lothi, Mosis, Davidis, Asæ, Hiskiæ, Josiæ, quin ipsius παρθένου virginis aut nævos aut graviores lapsus, post obitum eorum commemorandos notavit. Paulus *Gal.* 2. defectum Petri, & Demæ 2 *Tim.* 4. *v.* 10. aliorumque sociorum ecclesiis detexit; & quidem ita ut post obitum illorum ecclesiæ perpetuo recordari possint, non minus ac eorum, quæ à Petro præclarè gesta ipse ecclesias recordari voluit, 2 *Petr.* 1. *v.* 15.

Secunda, quia ut boni etiam post mortem loquuntur *Hebr.* 11. *v.* 4. per bene dicta, scripta, gesta dum in hoc tabernaculo commorarentur: sic non tantum mali per mala opera, dicta, scripta; sed & boni in præjudicium causæ Dei, aut justæ fratrum suorum causæ aliquid in vitâ dixerunt, aliique eos post mortem toties totiesque loquentes introducunt; ut ad communem ædificationem, seductionis præventionem, adversariorumque dictis, scriptis, factis, consiliis illis abutentium confusionem, necesse sit aliqua detegere, quæ caritas maluisset tegere.

Tertia, quia famæ imminutio non intenditur; nec fit animo diffamandi. Jam vero bonum per se & debitum officium, omitti non debet, ob aliquod incommodum tertii, quod ad illud sequi posset. Quod si sequitur, hoc fit per accidens. Bonum publicum & honor causæ Dei atque ecclesiæ, præferenda honori unius hominis, aut collegii. Huc applica illud vulgatum: *Potior est unitas quam unus.* Et analogicè illud Hieronymi: *Major est autoritas orbis, quam urbis.*

Quarta, quia si utrumque & mordentem, & morsum & lædentem & læsum, & privatam & publicam causam sive tacendo, sive loquendo juvare nequeo: juvandus erit læsus; cujus potius est jus, quam ejus qui iniquè illum læsit. Si sine diminutione honoris causa hæc peragi nequit, patiatur eam nocens, non innocens; unus, non unitas; causa hominis, non Dei apud homines. Si bonis obloquuntur, boni etiam post mortem respondent iis, qui viventes sive ab aliis sive à proprii affectus sui paroxysmo ad id inducti & seducti; & si alii imprudentes, forte malevoli καταλαλίας alicujus relatione, aut epistolarum, scriptorumve posthumorum (potius supprimen-

dorum) editione malam famam concitent: utique illicitum non erit injustè læsis etiam post mortem, ore aut calamo patronorum suorum pro se loqui; quamvis non sine imminutione famæ obloquentium. Vide exemplum in vindiciis præstantiss. theolog. *Fr. Junii* contra *Thuani* & *Scaligeri*, cætera summorum virorum, ante annos aliquot defunctorum detractiones, apud Clariss. *Gerh. Joh. Vossium*, *Junii* generum *in præfat. ad lib. de historicis Latinis*: quam velim à multis legi. Eruditiss. & piissimus theologus *Andr. Rivetus in Dialusi discursionis Grotianæ* anno 1646. in præfat. rationem reddit cur ad librum post mortem *Grotii*, typographo quem tamen vivens commiserat, respondere coactus sit. Legat quæso, quem hoc tangit, sapientissimam *Riveti* præfationem; Et acutum ibidem insertum epigrammatè, *justissimum est, ut qui velit Mordere moriens, mordeatur mortuus.* Non est parcendum aculeatis scriptis, quibus sacra & profana, publica & privata, ipsi patriæ proceres, illustres heroes Marte & arte celeberrimi, eorundemque tabulæ testamentariæ (e. gr. Ill. *Plessei*) crudelissimè mordentur. Imprimis, bono publico ita postulante, illis scriptis non parcendum, quæ ipsi autores ad instar Cardinalis Perroni (de quo *Molinæus in præf. ad novitatem Papismi*) demum post obitum suum edi voluerunt.

Scilicet impunè voluit nocuisse, nec umbræ
Credidit ultricem posse nocere manum:

Uti canit nobiliss. & literatissima virgo, in epigrammate Riveti Dialusi præfixo.

III. *Quæst. An mala de proximo prædicare liceat ad eiusdem pudorem aut contemtum, aut irrisionem; aut ad quamcumque honoris famæ, existimationis, dignitatis, autoritatis imminutionem? Resp.* Imminutio, & læsio, aut ablatio famæ, vel sequitur ad dicta & scripta alicujus: vel à dicente & scriptore intenditur.

Sit Ergo.

1. *Concl.* In casu, quo mala sed vera de proximo prædicari, aut occulta detegi necesse est, quamvis proximo incommoda inde oriri possent; ea quia per accidens evenirent, non debent quenquam absterrere ab officio per se honesto & debito. Quinam autem sint casus necessitatis, quibus mala occulta detegenda, supra ad quæst. 1. indicemus.

2. *Concl.* Idem judicandum est de vivis descriptionibus & characteribus vitiorum indefinitè sive voce, scripto propositis: ubi tamen personis parcitur. Illæ enim per se necessariæ aut utiles sunt: non obstante, quod aliqui, applicante propriæ conscientiæ judicio, se illis induant, aut induere possint, aut etiam tum benevoli tum malevoli sive rectè sive perperam aliquem, cui convenire putant, charactere illo notatum aut stigmatizatum velint

velint Virtutes per se & necessario laudandæ, vitia vituperanda sunt: idque adhibitis quibuscunque sapientię supernę & rhetoricæ divinæ artificiis. Quæcunque inde siniſtra suſpicionum, perturbationum, contentionum, contemtus incommoda sequi contingeret; ea haberent se planè per accidens: propter quę per se bona & necessaria omitti non debent; nedum ut quis ea putridis sermonibus, & infamibus chartis, etiam factis violentis infectetur, & siti addens ebrietatem pro viribus persequatur, ulciscatur. Probatur.

1. *Ex* exemplo prophetarum, & Apostolorum, qui Epicureismum & Atheismum *Psal.* 14. & 49. 1 *Corinth.* 15. hæresin, apostasiam 1 *Timoth.* 1. & 4. 2 *Thessal.* 2. 2 *Petr.* 2., ebrietatem, comessationes *Amos* 9. *Jesa.* 5. & 28. & 58. *v.* 11. 12. *Proverb.* 23. avaritiam *Jesa.* 1. 1 *Timoth.* 5. vanitatem & luxum in vestibus *Jesa.* 5. usuras mordaces, sacrilegia, scortationes, adulteria, dolos, obtrectationes, calumnias, &c. aliaque vitia passim sic characterizant, ut multi tunc temporis, & deinceps, & etiam hodie se ipsos istic invenire, aut alii sive inimici eos tacitè notare aut digito monstrare possent. Quod imprimis etiam applicari potest characteribus hypotheticis, seu descriptionibus Pharaonis, Datanis, Achanis, Adonibesek, Saulis, Sisera, Rehabaami, Jerobaami, Achabi, Jorami, Beltzazaris, Rabsake, Sanballati, Hamanis, Judæ Iscariotæ, Simonis Magi, Pilati, Herodis, Cajaphæ, Tertulli, Diotrephis, &c.

2. *Ex* officio legendi, aut audiendi scripturas, in quibus vitiorum characteres non exiguam partem faciunt. An cum Pontificiis, multa consequentia incommoda, aut otiosorum & maledicorum hominum abusus, contra scripturæ lectionem hic allegabimus? An publicæ prælectionis officium ob talia præsumta incommoda in ecclesiis abrogandum? quod prælectores sine ullâ mitigatione, sine verbis honoris, sine exceptione duras illas descriptiones de syllabâ ad syllabam religiosè prælegant.

3. *Ex* exemplis patrum, quorum conciones & tractatus, *Cypriani*, de zelo & livore, *Basilii* in *Psal.* 14. *c.* fœneratores, de avaritâ, de irâ, de invidiâ, de ebrietate; *Nysseni* de fornicatione, de his qui ægre ferunt reprehensiones; *Chrysostomi* c. concubinarios, & qui passim in homiliis quævis vitia disertè perstringit; *Maximi*, de avaritiâ; *Nazianzeni* invectivæ duæ in Julianum Apostatam. Ut Salviani libros de gubernatione & similia veterum scripta parænetica præteream; nec non recentiorum *Spinei*, *Taffini*, &c. & concion. *Lutheri*, *Calvini*, *Bezæ*, &c.

4. *Ex* exemplis omnium moralium scriptorum apud Gentiles, ut *Platonis*, *Aristotelis*, *Theophrasti*, *Plutarchi*, *Senecæ*, *Maximi Tyrii*; quibus adde satyricos, & comicos *Lucilium*, *Horatium*, *Juvenalem*, *Persium*, *Petronium*, *Plau-*

Plautum, *Juliani Cæsares*, *Luciani dialogos*, qui tam avidè leguntur, quamvis vitia nativis coloribus depingant, subinde personis non parcentes. Quid dicam de navi stultiferâ, *Erasmi* colloquiis, encomio moriæ, antibarbarorum, linguâ, querelâ pacis, detestatione belli? Quid de somniis Hispanicis (ita dictis) deque aliis innumeris recentiorum satyris, comœdiis, sillis, mordacibus epigrammatis, sive certorum autorum, sive anonymis, soluto aut ligato, latino aut vulgari sermone editis libellis; quibus vitia characterizantur, & qui nihilominus libenter leguntur? Libelli famosi, aut quicumque alii modum excedentes, imprimis mendaciis & calumniis, ne dicam blasphemiis in Deum & res divinas, turgentes, nullo numero hic esse debent.

3. *Concl.* Etiam contemtum alicujus aliquando intendere licet, debitis circumstantiis observatis; immo & quandoque necesse est.

Probatur.

1. *Ex* exemplo Dei 1 *Sam.* 3. *v.* 28. *honorantes me*, &c. *contemnentes autem me contemnentur.*

2. *Ex* exemplo servatoris, qui deprecationem Pharisęorum & scribarum correptionibus suis intendebat *Math.* 5. & 16. & 23. *Luc.* 18. quod apertè indicat. Math. 16. v. 6. *cavete vobis à fermento*, &c.

3. *Ex* mandato Dei & probatis exemplis sanctorum, qui justè & piè famæ immunitionem intenderunt, & atheorum, hæreticorum, improborum contemtum: ne simpliciores famâ & perversâ existimatione sapientiæ ac virtutis illorum moti, eos eorumque errores & prava exempla sequantur. *Rom.* 16. *v.* 17. 18. 1 *Corinth.* 5. *Philip.* 3. *Tit.* 3. *v.* 10. 1 *Timoth.* 1. *v.* 7. 20 Hoc probari necesse non est iis, qui epistolas Apostolorum, & Christi ad septem Ecclesias *Apocal.* 2. & 3. modo inspexerunt. Hoc exemplum imitati patres, qui fidei aut pietatis hostibus tum internis tum externis non pepercerunt: uti scripta eorum elenctica & apologetica, catalogi hęresęon, historiæ ecclesiasticæ, homiliæ abundè testantur.

De contemtu specialiter probatur ex *Psal.* 15. *v.* 3. 4. cum 139. *v.* 19. 20. & *Galat.* 6. 14. *De pudore & confusione*, ex *Tit.* 1. *v.* 12. 13. & 2 *Thess.* 3. *v.* 14. 1 *Cor.* 6. *v.* 5. *&* 15. *v.* 34. De irrisione, mycterismo, hoc est, de acri & aculeatâ peccati detestatione, contemtu, exprobatione & peccatoris convictione, ex exemplo Dei *Genes.* 3. *v.* 22. *Judic.* 10. *v.* 14. *Psal.* 2. *v.* 4. mandato Dei & probatis exemplis sanctorum *Judic.* 5. *v.* 27. - 21. 1 *Reg.* 18. *vers.* 27. *Jesaiæ* 37. *vers.* 22. Accedant exempla antiquorum, qui passim aculeata ejusmodi inspargunt; prælertim adversus Gentiles, eorumque religionem, &c. vide *Tertulliani*, *Nazianzeni*, *Minutii*, *Arnobii*, &c. Elenctica & Apologetica. Exstat etiam libellus Hermiæ tit. *derisor philo-*

philosophorum, Tiguri gr. lat. cum nonnullis aliis opusculis anno 1559. editus in fol. Recentiores aliqui eos imitati sunt, de quibus judicium depromo in diatribâ antehac editâ de lachrymis & risu, postea *Exercitiis pietatis* insertâ. Conferri possunt scriptores rhetoricę, ubi de *Ironia*.

IV. *Quæst. An calumnia dici debeat quælibet prava scripturæ, patrum, recentiorum theologorum interpretatio? Resp.* calumnia est materialis vel formalis: prout & mendacium dicitur vel materialitet vel formaliter. *Illa est*, cum quis ex errore, ignorantia, ἀκρισία, genuinum sensum non assequitur. *Ista* cum calumniosas & sophisticas artes animo calumniandi circa dicta aut scripta sacra, patrum, theologorum quis adhibet. Rursum calumnia est vel directa vel indirecta. Sit ergo.

1. *Concl.* Si quis in simplicitate suâ absque ullâ pravâ intentione, ex ignorantia aut ἀκρισία, verbum Dei, dicta & scripta theologorum, malè accipit, interpretatur, & aliis proponit: ei error aut crassa ignorantia tribui debet, non tamen formalis calumnia.

2. *Concl.* Si quis ignorans, negligens, ἀκκησιόσοφος, theologus extemporaneus & temerarius interpretationem, & inde accusationem contra theologos, quorum illic ager est, sibi cum Diotrephe assumat; utique à calumniâ saltem indirectâ excusari non potest: non magis quam quis medici aut Jureconsulti titulo, χθὲς κὴ πρώϊω repente medicus aut Jureconsultus prodiens, & artem profitens, si sanitatem ęgroti, aut causam clientis intervertat, ab indirecto homicidio aut causæ sive proditione sive perditione in totum excusari non potest.

3. *Concl.* Si quis rerum aut causarum, quæ tractantur, ignarus, ab aliquo ministro sive ecclesiastico sive politico, cujus prudentiæ, autoritati, aut fidei, aut eruditioni in simplicitate cordis sui nimium tribuit, per ejus dolosam χρησιολογίαν circumventus; sub nomine suo promulgari sinat ea, quę viros bonos, immo & communem ac receptam religionem orthodoxam, omnesque ecclesias reformatas, cujus ipse partem facit, traducat: an à directâ aut indirecta calumniâ, contumelia, opprobrio, obtrectatione excusari poterit? *Resp.* in totum Neg. in tantum aff. Hęc distinctio fundatur in verbis Christi Joh. 19. vers. 11. *Qui me tibi tradidit majus peccatum habet.*

Directæ contumelię, calumniæ, obtrectationis, &c. exempla habes in edictis Regum, Imperatorum, Magistratuum contra Waldenses, protestantes, reformatos: inter quæ nostris imprimis perpenda relinquo edicta Caroli V. & Philippi II. in Belgio contra reformatos promulgata.

Indirectæ exemplum dabat formula venię seu abolitionis in Galliâ reformatis sub nomine & in literis à patentibus regis ad parlamenta & came-

ras edictorum datis, anno 1612. concessę : contra quam synodus nationalis Privacensis edito scripto protestata est eodem anno, subscribentibus Chamiero præside, *Molineo* assessore, Marsenglard & Manialdo actuariis. Ubi inter alia in terminis sic loquuntur: *quod non debuerint insensibiles esse istius tam grandis opprobrii. Alterum* indirectæ exprobrationis & contumeliæ exemplum dabat decretum pro pace ecclesiarum sub nomine Illust. & potentum Hollandiæ Ordinum cum adjectis autoritatibus scripturæ, patrum, conciliorum, confessionum, &c. a. 1614. Editum, & excusum Leidæ apud Joh. Patium, & Ultrajecti apud Salomonem Rhodium. Absurda, à sanâ & communi reformatâ doctrinâ & pace ecclesiarum perquam aliena, quæ isti decreto involvantur, solidè ostensum est scripto anonymo anno 1615. lat. & belg. edito, & autoritatibus munito; & altero scripto anonymo, sed brevi, tit. *responsi ad tres quæstiones*; quod postea *D Triglandius* tanquam suum apertè contra *Joh. Uyttenbogardum* justâ Apologiâ defendit a. 1616. De quo consulenda historia ecclesiastica ad postulatum synodorum Hollandic. à D. *Triglandio* conscripta. Illius decreti tantâ farragine authoritatum muniti fabricatores (præcipui fuisse putantur *Joh. Uytenbogardus*, & *Petrus Bertius*), uti à directæ calumniæ crimine in multis absolvi non poterant; sic inprimis atrociſſimæ calumniæ sicâ reformatam religionem & ecclesiam, quantum in ipsis erat, vulnerabant, & hostium odio ac detestationi, domesticorum suspicionibus objiciebant, cum decreto illi cum farragine testimoniorum modo memoratâ DD. Ordinibus obtruso, dictum Platonis lib. 2. de Republ. instar purpurei panni latè splendentis præfigerent. *Omni contentione pugnandum est, ne quis in civitate, quam bene geri volumus, vel dicat vel audiat seu senex seu juvenis, seu in poëmate, seu in aliâ narratione, Deum causam esse alicui malorum*, &c. En caritatem & prudentiam scil. filiorum reformatæ ecclesiæ.

4. *Concl.* Sophistica & quæsita detorsio verborum & sensus scripturæ, non tam nomine calumniæ (quæ in perversâ legis humanæ interpretatione versatur), quam blasphemiæ, aut sacrilegii, aut similis indigitari posset.

5. *Concl.* formales calumnia est, cum quis theologorum orthodoxorum dicta in scholâ & ecclesia, aut scripta saltem in benigniorem partem accipienda, odiosè & calumniosè traducit, ad ministerii ecclesiastici & ordinis theologici, etiam orthodoxæ religionis & ecclesiæ contemtum; populi fidelis ab iis aversionem; & viam neutralitati, aut libertinismo, aut profanis erroribus & sectis muniendam; aut inveteratas corruptiones in doctrina & moribus defendendas. Calumniarum exemplis scatent elenctica scripta pro Papatu contra reformationem edita, qualia *Staphyli*, *Eckii*, *Cochlæi*, *Lindani*, *Turriani*, *Feuardentii*, *Herveti*, *Xainteſii*, *Bellarmini*, *Costeri*, *Giffordi & Reginaldi*, *Gretseri*, *Becani*. &c.

Re-

Remonſtrantes eadem tinctura Mercuriali non ſegniter uſos fuiſſe, cum titulo & communione reformatæ eccleſiæ adhuc gauderent, aut ſaltem gaudere vellent; patet ex ſcriptis *Grevinckhovii*, *Uytenbogardi*, *Barlæi*, &c, ut horrida *Epiſcopii*, *Tileni*, aliaque anonyma tum poſt ſeparationem, tum ante eam quam plurima publicata, nunc præteream. Inter quę publico ſocietatis nomine ſcripta imprimis indicanda, *Nullitates ſynodi*, *ſcripta antiſynodalia*, *apologia*, *Vedelius Rhapſodus*, *Reſponſum ad excerpta profeſſorum Leidenſium*. Qui tales delicias abſque nauſea avidè deglutiunt; non debent ita horrere ad reformati alicujus duriora aliquot (vera tamen) dicta juſtis orthodoxæ pietatis contra adverſariorum tum reales tum perſonales calumnias defenſionibus inſerta. Sed omnem modum exceſſerunt autores *tabellarum*, quæ excerpta reformatorum theologorum vernaculo ſermone exhibebant, nonnullæ alicubi affigebantur, cum provocatione omnium concionatorum, ad diſputationem, quales *Henr. Slaetſii* Paſtoris Bleiſwicenſis poſtea paricidæ & Hagæ-comitis in partes diſſecti; & *Adriani Romani* Paſtoris Goedeerenſis, temerarii, imperiti, & ad talem conflictum invalidi tunc juvenis; qui a. 1618. in *Synodo Delfenſi*, etiam ſuffragiis Remonſtrantium, qui ibi tunc partem faciebant, ob imprudens & inſolens illud auſum cenſurâ notatus eſt. Fuerunt & duæ aliæ tabellæ typis editæ & ſparſæ, ſine provocatione ad diſputationem: quarum una in folio patenti Ultrajecti 1617. excuſa: altera in 8. quæ exhibitis excerptis, reformatorum doctrinam comparabat cum Turcicâ & Manichaica. Hæc tabella in 8. judicio curiæ ſupremæ Ducatus Geldriæ Arnhemii combuſta eſt; & is, qui exemplaria illinc attulerat, quęſitus: ſed fruſtra; quippe qui maturè ſe ſubduxerat. Autor ejus tabellæ habebatur affinis paricidæ *Slaetſii*, qui antehac Zirizeanę ſcholæ rectorem egerat. Pręter iſtas tabellas, volitabant etiam excerpta habitarum ab orthodoxis concionum, non tantum ſermonibus per compita, fora, naves, pandochea, tabernas, ſed & editis libellis agitata: qualis ex. gr. tit. *recapitulationis* ex concione *Feſti Hommii* Leidæ habita ad *Rom. 8. v. 28.*

Artificia calumniatorum theologicorum (ita appellare liceat) pleraque in eo conſiſtunt, quod ne in benigniorem partem interpretentur, quæ tamen poſſent & deberent, ſi gutta caritatis adeſſet,

1. *Voculæ* alicui aut phraſi ſive obſcuræ, ſive catachreſticę, ſive etiam incommodæ (quæ per παρόραμα aliquod in fervore diſceptationis in libro elenctico aut apologetico, aut pro concione forte excidit) dentem infigunt; *ſceleratum eſt*, ait Lutherus tom. 1. oper. latin. pag. 415. *cum noveris pium & ſacrum eſſe alicujus ſenſum, ex verbis incommodè dictis ſtatuere errorem.* Chryſoſtomus *in Galat. cap. 1.* „Non convenit ſermonem per ſe nu„dum examinare, ſed obſervare mentem ſcribentis. In humanis enim ſermo-

„ monibus, nisi hâc ratione usi fuerimus, expendentes, quid senserit is, qui „ loquitur, inducemus simultates, omnia subvertentur.

2. *Quod* ipsum autorem adhuc superstitem mentis suæ optimum interpretem (imprimis si sit ejusdem religionis & communionis) præsentem prius audire aut per literas absentem compellare aut maligne nolint aut otiosè negligant, priusquam ad condemnatoria judicia & scripta φιλιδύπκα aut satyrica festinent: sive invidia, sive vindictę cupiditate, sive superbia, ad hoc stimulante.

3. *Quod* verba aliqua à reliquo contextu avulsa exhibent: omissis antecedentibus & consequentibus; quæ sensum autoris aperiunt. Quasi quis atheus scripturam traducturus aut derisurus ad imitationem tabellaticorum (liceat ita ἀνομαπποιεῖν), exhibeat illa verba: *Non est Deus* Psal. 14. *& faciamus mala, ut eveniant bona* Rom. 3. & *Edamus, bibamus, cras enim moriemur* 1 Cor. 15.

4. *Quod* consequenter, in interpretatione sensus à scriptore aut lectore, aut disputatore, aut oratore intenti, ludant & illudant fallacias amphiboliæ, compositionis & divisionis, accidentis, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ἐπεζητήσεως.

5. *Quod* objectio sive indirecta sive ad hominem, sive per impossibile & ab absurdo consequenti, sumitur pro ipsius autoris sententiâ.

6. *Quod* in verbis citatis aut exhibitis, vocula aut particula aliqua omittitur; & sic ex negante oratione affirmans, ex conditionali absoluta, & vice versa edolatur: sive ex imperitiâ (quod semi-literatis, aut vix semi-literatis, haut infrequens), sive ex animi morbo.

7. *Quod*, vox aliqua voci substituitur, aut synonyma alteri synonymæ, sed magis propriæ, distinctæ aut emphaticæ, saltem minus duræ aut odiosæ imperitioribus, aut semi-literatis.

8. *Quod* vox, aut particula, aut oratio, aut pars subjecti aut prædicati additur: ex figmento, aut per odiosam consequentiam tortoris.

9. *Quod* malè transferunt ex linguâ originali Græcâ, Latinâ, Gallicâ, Anglicâ, Belgicâ, &c. Hinc quidam apud *Muretum in variis lectionibus lib. 2. c. 2.* aliquos interpretes bonorum autorum ex idiomatè Græco in Latinum appellabat *contortores librorum.* Nos in libris theologicis exemplum unum atque alterum indicabimus. Slaetsius paricida in infami suâ tabella provocatoriâ, in Patæi verbis τὸ *reus* verterat **Verdoemt**: quod cognitioni linguæ Latinæ repugnat. Alii, sed anonymi verterant in thesibus D. *Gomari* de prædestinatione τὸ homo *creabilis*, **een ongeschapen niet**; ut plebi imperitiori magis odiosum aut ridiculum redderent. Iidem τὸ *necessitas* vertebant **Noodwandt**, (quod propriè notat *coactionem*) eâdem intentione. Nisi maluissent

sent σκηψαντῶν, facile poterant, immo debebant technologemata illa vertere, **Scheppelijck**/ vel, **die konde geschapen werden** &, **noodsaeck**/ **noodsaeckelijckheyt**. An fideliter & presse terminus *possibilis*, verteretur **een niet**, vel **een ongeschapen niet**; judicent Latinæ & Belgicæ linguæ periti. Certè Græcum Μὴ ὄντων absurdè à Latinis verteretur, *nihil* vel *nihilum*, vel *increatum nihil*.

10. *Quod* propositiones aut phrases, *malè sonantes*, aut *ambiguas*, aut *periculosas*, aut *imperitiorum offensivas*, faciant hæreses in formâ.

11. *Quod* numero studentes, quævis arripiunt, etiam optimè dicta, ut adversarium suum gravent, & suspectum reddant; aut ipsi errores suos jacto hoc retorsionis pulvere, quodammodo oculis subducant. Ita *Vorstius* tot tantorumque errorum manifestus, *Lubberto* theologo Franekerano 99. *errores* per retorsionem impingebat; ad quos *Lubbertus peculiari tract.* respondit. Et Remonstrantes novitatibus & heterodoxiis suis ecclesias Belgicas perturbantes, iisdem aut earum pastoribus nescio quas novitates & heterodoxias, in *secundâ* suâ *Remonstrantiâ* exprobrabant. Quos orthodoxi in secundâ suâ contra-Remonstrantiâ refutârunt. *Richeomus* Jesuita Papatui suo tot tantisque idololatriis infami aliquo modo succurrere voluit, evulgato scripto de Idololatriâ Hugonoticâ. Aliorum novaturientium aut novantium similem retorsionis methodum alibi forte indicabimus.

Hanc & sequentem Disputationem alibi collocandam, si ordinem systematis theologici spectemus, visum fuit hoc loco exhibere.

DISQUISITIO

Ad Thomæ 1. 2. *quæst.* 68. 69. 70.

DE DONIS, BEATITUDINIBUS, ET FRUCTIBUS SPIRITUS.

Resp. ADRIANO ab AMERONGEN Vadæ-Gelro 29. *Junii* 1666.

Scholastici non paucas in theologiâ suâ opiniones formârunt. 1. *Ex locis* scripturæ malè intellectis. 2. *Ex* scriptis antiquorum aut intermediorum Doctorum: sive genuinis sive suppositiis (ex. gr. ex. libris *Dionysio Areopogitæ* adscriptis): sive vera sive falsa asserentibus. 3. *Ex* glossis seu interpretationibus sensus scripturæ apud patres occurrentibus; sensus, inquam, non tantum literalis, sed & mystici, allegorici scil., aut anagogici, aut tropologici. 4. *Ex* philosophi alicujus

Gentilis inprimis *Aristotelis*, definitione aliquâ, aut axiomate, ex mente ejus bene aut malè intellecto: Sive illud verum sit, sive falsum. Si rectè intellectum, & verum sit; inde tamen per μεβασιν εις αλλο γενος, aut per aliam quam fallacem consequentiam, opinio seu conceptio illa theologica subinde male deducitur. 5. *Ex* fabulosis apparitionum, revelationum, exemplorum, factorum, observationum historiis, de quibus in *Desper. Causa Papat.* & 2. *part. select. disp. tit. de probat spir.* Singulorum specimina hâc vice non exhibebimus: sed solummode unum hoc de septem donis spiritus, octo beatitudinibus, duodecim fructibus spiritus: quod ex patribus se hausisse putant.

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS.

§. 1. AGit de iis *Lombardus lib.* 3. *dist.* 34. Sed aliter & pluribus *Thomas* 1. 2. *quæst.* 68. „ Qui art. 1. distinctionem donorum à virtutibus, & numerum eorundem septenarium accersit ex *Gregorio M. in* 1. *moral. in Jobum*, ubi dicit septem dona significari per septem filios Jobi; à tribus „ virtutibus theologicis, quas dicit significari per tres filias Jobi distincta: „ & in 5 *Moral.* distinguit eadem septem dona à quatuor virtutibus cardinalibus, quas dicit significari per quatuor angulos domus.

Prima ego quæstio artic. 1. à *Thoma* determinatur, quod dona à virtutibus Theologicis scil. & moralibus distinguantur. Quod rectè ante Thomam alii, ipso ibid. fatente, & post eum non pauci negârunt: quales *Lombardus loc. cit.* cum sententiariis suis, Scoto, (quem Minoritæ & Scotistę vix unquam deserere solent): cum *Gabriele* & *Themesvar*, quos nunc inspexi & contuli. *Gul. antisiodorien sis in summâ part.* 4. *quæst.* 8. *quæst.* 1. qui post disputationem in utramque partem, eandem concludit: *Propter hoc nobis videtur omnia dona esse septem virtutes.* Floruit autem hic ante Thomam circa anno 1240, Ex recentioribus *Corn. à Lapide in commentar. ad Jesa.* 11. negantem sententiam probat. Affirmantem sententiam ante Thomam, sed non ita distinctè & evidenter proposuit & defendit *Albertus M. in com-* „ *pendio Theologicæ veritatis lib.* 5. *cap.* 38. Licet, inquit, omnes habitus „ divinitus dati possint dici, generaliter tamen & approbatè sunt septem dona spir. &c. Thomę sententiam tenent præter comentatores ipsius, *Bonaventura* & *Durandus ad* 3. *dist.* 34. *Antoninus part.* 4. *summæ tit.* 10. *c.* 1. *Viguerius in Institut. theol. cap.* 13. §. 1. pag. 126. ubi distinctionem doni à virtutibus theologicis hac suâ definitione persicuè sic determinat, *Illa* inquit, *Dispositio, quâ specialiter & modo quodam super humano in repentinis movetur, vocatur donum.* Et videntur Hodierni locorum communium scriptores,

ſcriptores, & commentatores ad *Jeſa.* 11. *Math.* 5. *Galat* 5. quin & catecheſes quædam (ut *Caniſii*, *Bellarmini*, & anonymi juſſu & authoritate Ferdinandi I. an. 1557. edita) hanc diſtinctionem præſupponere: cum explicatis virtutibus theologicis & cardinalibus; ſeptem dona ſpiritus, octo, beatitudines legis euangelicæ, & undecim aut duodecim fructus ſpirit. ſubjiciunt. Diſtinctio donorum à virtutibus in quo conſiſtat, & rationes diſtinctionis non uno modo explicantur. *Thomas* relatis & rejectis aliorum explicationibus, ſuam adfert, ſed nihilò certiorem & evidentiorem. Laborant Thomiſtæ & ex Jeſuitis *Zwarex*, *Valentia*, *Tannerus*, *Vaſquez*, in explicandâ & ſalvandâ ſententiâ Thomæ in commentariis ad *cit. qu.* 68. Inter quos *Vaſquez* dubitat. Recentiſſimus *Ariaga diſp.* 38. poſt operoſam diſquiſitionem de mente Thomę, tandem eum deſerit, *ſect.* 3. *pag.* 429. dicens ſe magis propendere in ſententiam longè probabiliorem, quæ ſta-
„ tuit non eſſe ullo modo neceſſarium ponere actus eos ſpecie diverſos, qui
„ ad dona pertinent; ſed omnes reduci ad virtutes paulo excellentius aliquando operantes. Nos ſententiâ diſtinctionem affirmante breviter refutatâ; inter omnes Thomę interpretes & defenſores unum *Gregor. de Valentiâ*, qui ſociorum ſuorum modo nominatorum defenſiones legerat & expenderat, methodicè diſtincte, & perſpicuè ſua proponentem, examinabimus.

Specifica diſtinctio dictorum *donorum* refutatur. §. 2.

8. *Quia* omnes virtutes, omnia bona opera ſalvandorum ſunt & dicuntur dona 2 Petr. 1. v. 2. *prout divina vis ipſius omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent.* Atqui intelligentia, ſcientia, ſapientia, timor Dei, &c (quæ *Jaſa.* 11. *v.* 2. referuntur) non tantum ad vitam & pietatem pertinent, & non tantum à gratiâ Dei à ſpiritu ſ. ſalvandis donata ſunt; ſed etiam *fides*, quam Thomas cum ſuis inter virtutes Theologicas numerat. Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim iſtis ſervati per fidem, & hoc non ex vobis: ſed Dei donum eſt.*) Philip. 1. v. 29. *Quia gratis datum eſt vobis in Chriſti negotio, non ſolum in eum credere, ſed etiam pro eo pati.* Ergo fides eodem reſpectu eſt & dicitur donum, ut & ſpes, & caritas: quo ſcientia, ſapientia, timor Dei, &c. *Denique* addatur illud vulgatum *Auguſtini*, Deus, in nobis ſua dona coronat. Quod de omnibus virtutibus & bonis operibus noſtris intelligendum eſt.

11. *Quia*, ſcientia, intelligentia, ſapientia, quæ inter dona numerantur, includuntur in virtute fidei: ergo non ſunt habitus ſupernaturales à ſpiritu ſancto ingeniti, ſpecificè aut genericè ab infuſo habitu ſeu virtute fidei diſtincti. Antecedens probatur ex definitione fidei ſalvificæ; quæ eſt notitia & certus aſſenſus ſeu applicatio, &c. Quod alibi contra pontificiorum ignorantem & implicitam fidem probatur.

111. *Quia*, ut illa dicta dona per metonymiam efficientis dicuntur *ſpiritus*, Jeſa. 11. ſic & fides dicta *donum* dicitur *ſpiritus fidei* per eandem metonymiam, 2 Corinth. 4. v. 13. *& quoniam habemus eundem ſpiritum fidei.* Et 1 Cor. 12. v. 4. *Diſtinctiones autem donorum ſunt, ſed idem ſpiritus. v. 8. huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii vero ſermo cognitionis*, &c. *alteri vero fides per eundum ſpiritum*, &c. Ergo non ſunt nec dicuntur ſpecificè aut genericè diſtincti habitus ſeu diſpoſitiones, à virtutibus infuſis, fide, ſpe, caritate, prudentiâ, fortitudine, &c. diſtinctę.

§. 3. Videamus nunc explicationem *Gregorii de Valentia*: qui 1. Præmittit diſtinctionem vocis. 2. Refutat Scoti ſententiam 3. Thomæ explicat. 4. Eandem rationibus & teſtimoniis confirmat. 5. Ad Objectiones oppoſitæ ſententiæ reſpondet.

1. Quod ad primam, ait in ſcripturâ vocem *doni* diverſis modis accipi: *primo communiter* pro quocumque munere hominibus conceſſo *Jacob.* 1. *v.* 17. *Secundo* pro quibuſdam muneribus divinis, quæ *gratiæ gratis datæ* dicuntur 1 *Cor.* 12. *v.* 17. 8. *tertio* peculiari ratione pro quibuſdam ornamentis ſpiritualibus, quibus creduntur affici juſti, ſicuti etiam Chriſtus dominus iis ornatus fuit *Jeſ.* 11. Atqui in loco Jeſaiæ ſpiritualia illa ornamenta non dicuntur *dona*, ſed *ſpiritus*. Non rectè ergo locus *Jeſa.* 11. *v.* 2. adductus fuit, ad probandum vocem *doni* in ſacris literis hoc tertio modo & peculiariter accipi pro ornamentis illis ſpiritualibus, quæ Pontificii *ſeptem dona ſpiritus* appellant, ab infuſis virtutibus theologicis & cardinalibus eſſentialiter diſtinctis.

11. Refutat ſententiam Scoti & conſentientium, ex abſurdo conſequenti. Quia ſequeretur Chriſtum dominum aut caruiſſe aliquo dono, aut habuiſſe virtutem fidei. Quorum prius pugnat cum *Jeſa.* 11., alterum cum communi ſententiâ theologorum, qui in 3. *diſt.* 27. docent, Chriſtum dominum, quoniam ſemper fuit beatus, nunquam habuiſſe fidem. *Reſp.* Chriſtum habuiſſe fidem, non eſt abſurdum: uti nos in 2. *part. ſel. diſpp. tit. An & quam fidem habuerit Chriſtus*, &c. ex ſcripturâ probavimus.

„ 111. Ait Thomam velle, dona eſſe habitus per hoc à virtutibus diffe-
„ rentes, quod potentias animæ perficiunt ad actiones quaſdam heroicas,
„ non quatenus ejuſmodi actiones activè eliciuntur ab ipſis potentiis ſive
„ per vim naturalem ipſarum, ſive per vim aliquam ſupernaturalem ipſius
„ (leg. *ipſis*) additam, ſed quâ ratione peculiariter procedunt ex divino quo-
„ dam Spiritus Sancti inſtinctu, quo mens noſtra plerumque mirabiliter ſo-
„ let agi & impelli ad quædam opera præſtantia & rara, &c. Virtutes au-
„ tem concurrunt ad hæc & ad alia etiam ordinaria opera, eâ ra-
„ tione peculiari, quâ proficiſcuntur activè ex ipſis potentiis ſc. *Atque*

adeo

„*adeo in usu donorum potius agitur. In usu autem virtutum habet se potius* ut agens.

Refut. 1. Ad otiosum hoc commentum formandum, quot & quantis absurdis est! *Primum* enim virtus heroica, & actiones ejusdem virtutis heroicæ, quas Thomas cum suis *art.* 1. huc advocat, specie & formâ ab aliis non distinguuntur, sed tantum gradu. Magis enim & minus non variant speciem.

Refut. 2. Thomas in discursu suo artic. cit. videtur πλαγιαίζειν, cum dicit virtutes *humanas* (quas ita appellat) hoc est, virtutes theologicas infusas, fidei, spei, caritatis *perficere hominem, secundum quod homo est, moveri per rationem in his, quæ interius vel exterius agit: oportere ergo homini esse altiores perfectiones, secundum quas sit dispositus ad hoc, quod divinitus moveatur: & istæ perfectiones vocantur donum non solum quia infundantur à Deo, sed quia secundum ea homo disponitur, ut efficiatur promptè mobilis ab inspiratione divina.* Sed quomodo hæc conveniunt cum vulgato illo August., *Ille facit ut faciamus*: & cum illo: Quod gratia ad singulos actus bonos seu virtutes detur. Et cum Thomæ ac Thomistarum doctrinâ de gratiâ Dei, deque prædeterminationibus per *Math. de Rispolis*; & de motione primi motoris, per *Fr. Sylvium*, *explicata*? Quomodo cum scripturâ, *Philipp.* 2. *v.* 13. *Cantic.* 1. *v.* 4. *Hebr.* 13. *v.* 21. An ergo donum erit habitus virtutibus infusis superadditus? Quod si sic, an distinctus à gratiâ secundâ præmovente, excitante, prædeterminante ad singularitatem & ad specificationem cujusque actus boni? An vero idem cum gratiâ secundâ? Si idem: an gratia secunda movens, & excitans, prædeterminans seu præmotio, excitatio, & prædeterminatio esset novus & peculiaris habitus, seu dispositio infusa?

Refut. 3. Καινόφωνον & periculosum est illud Greg. de Valentia, quod homo potius *agitur* in usu donorum, & in usu virtutum habet se potius ut *agens*. Aut Semi-Pelagianè hoc dicitur, aut Enthusiasticè. Si homo à Deo seu speciali gratiâ Spiritus Sancti non agitur cum elicit actum virtutis, ex. gr. fidei aut caritatis, aut prudentiæ, aut fortitudinis: jam contradicitur textibus modo citatis. *Philipp.* 2. *Canticor.* 1. *Hebr.* 13. quibus adde *Psal.* 119. *v.* 33. 34. 35. 36. *Jerem.* 31. *v.* 18. Sin vero homo eliciens actum dicti *doni* ex. gr. consilii, sapientiæ, timoris Dei, fortitudinis, non tam agit seu agens est, quam patitur: jam distinguant hanc opinionem à phanatismo Enthusiastarum, & transcendentalium quorundam mysticę theologiæ Doctorum, qui unionem mysticam dicebant esse puram passionem respectu hominis. Quos à *Carthusiano* & *Zwaresio* refutatos esse indicavi *cap.* 3. *Exercitior. pietatis* §. 3. *qu.* 7, *pag.* 69. Non ferret *Thomas* cum suis, de

brutis, aliisque causis secundis inanimatis dici quod agerentur, & non agerent. Vide 1 *qu.* 105. *art.* 5. & 3. & contra Gentes, *cap.* 69.

Refut. 4. Quod Thomæ interpres & hyperaspistes *Valentia* videtur, peculiarem & extraordinarium instinctum, ac motum divinum, facere & appellare *donum*, de quo hic quæritur; ex. gr. Simsonis *Judic.* 16. Eleazari 1 *Machab.* 6. Salomonis 1 *Reg.* 3. hæc enim adfert exempla. Atqui plures peculiares fuerunt instinctus divini, e. gr. Abrahami *Genes.* 22. Pinehas *Numer.* 25. Eliæ 2 *Reg.* 1. Elizæi 2 *Reg.* 2. Petri *Actor.* 5. Quæ quomodo peculiariter appellanda sint *dona* spiritus à virtutibus distincta, velim explicari: Cùm talia imitanda non sint. *Luc.* 9. *v.* 1. Et dona juxta Thomam cum suis, sint habitus, ad perfectionem vitæ Christianæ omnibus salvandis ad salutem necessarii; quibus homo perficitur ad debitè obediendum Spiritui S.: Vide 68. *quæst. Thomæ artic.* 2. & 3.

§. 4. Rationes Gregorii sunt istæ.

1. *Object.* Quia dantur exempla in scripturâ, in quibus hæc ipsa donorum vis propriè eluxit: ut in Simsone & Eleazaro donum fortitudinis, in Salomone donum consilii. *Resp.* Quid opus est multiplicare entia absque necessitate, absque scripturâ? Cur Simsonis actio non tribuitur virtuti fortitudinis divinitus infusæ, quæ habilitasset & inclinasset voluntatem ejus, & accedente præmotione atque excitatione divinâ, actum illum elicuisset? „ Sed, inquit, humanâ ratione, aut alia ordinaria regulâ non potuisset Sam„ son ad id facinus induci? *Resp.* Loquitur de Samsone, quasi absque inhabitante Dei spiritu, & absque divinâ aspiratione, inspiratione, atque excitatione fuisset: tanquam Curtius quis, aut Leonidas Spartanus cum suis quadringentis: qui fere ad similia facinora inducti fuerunt. Habuit Samson spiritum fidei, habuerunt & alii sub V. T. Illi fidei, non habitui specie à fide, aliisque virtutibus distincto (quod specialiter *donum* appellaretur) facta tam ardua tam præclara adscribuntur, Hebr. 11. *v.* 32. *Et quid præterea loquor? deficiet enim me tempus narrantem de Gedeone, de Baraco & Sampsone & Jephte & Davide & Samuele ac Prophetis, qui per fidem debellarunt regna, operam dederunt justitiæ*, &c. usque vers. 39. Ut jam non dicam *donum* illud *fortitudinis*, à cardinali *virtute fortitudinis* distinctum esse *Jesa.* 11. non doceri. Adeo ut satis infeliciter argumentum hoc, & in eo argumento fortitudinem Samsonis in primâ acie collocaverit. *Quod ad* judicium Salomonis 1 *Reg.* 3. cur illud ad virtutem cardinalem *prudentiæ* æque referri non possit, ac ad donum consilii?

„ 11. *Object.* Quia distinctio donorum à virtutibus tunc etiam indicatur in „ scripturâ, cum in eâ hujusmodi dona peculiariter appellantur spiritus: ut „ patet ex illo loco *Jes.* 11. *v.* 2. &c. Unde *primo* rectè colligimus, dona hujus-

„ hujuſmodi peculiariter referri ad Spiritum Sanctum atque adeo mentem „ perficere, quatenus hæc à Spiritu Sancto poteſt. *Secundo* ex voce *& requieſcet*, rectè concluditur illa eſſe habitus permanentes, quorum ſit id munus. *Reſp.* 1. Sed ex textu cit. non concludit dona illa, quæ realiter à virtutibus infuſis tum theologicis tum cardinalibus diſtinguantur. Vidit hoc commentator ſocietatis *Corn. à Lapide*, ſuetus alioquin ubique tales textuum interpretationes cudere aut vindicare, quę receptis erroribus inſerviant. Initio quidem pro communi errore dixerat.

„ Nota *primo*. Hinc patres & theologi rectè, quidquid ogganniat *Oecolampadius*, colligunt ſeptem dona ſpiritus ſc., ſcil. primaria. *Secundo*, ſub „ hiſce ſeptem, quaſi ſub numero plenitudinis, intelligit Propheta omnia „ alia ejus dona, &c. *Thomas* & aliqui alii diſtinguunt dona à virtutibus, „ &c. Verum probabilius alii cenſent ordinariè hæc dona non diſtingui niſi „ ratione, à virtutibus ejuſdem nominis, ut donum pietatis, fortitudinis, „ ſapientiæ, à virtute pietatis, fortitudinis, ſapientiæ. Dicuntur enim virtu„ tes, quia animam perficiunt: dicuntur dona Spir. S. quia ab eo donantur „ & aſpirantur animæ, vel ut habitus, vel ut actus, &c.

„ Poſtea ad verba, *ſpiritus ſapientiæ & intellectus*: Spiritus ſapientiæ, ſeu ſa„ pientia eſt donum ſive virtus Chriſtiana, quâ contemplamur divina & æ„ terna, & ſecundum ea de rebus omnibus judicamus. *Reſp.* 2. Negamus dona *Jeſa.* 11. recenſita, peculiariter appellari *ſpiritus*, ideoque peculiariter & ſola referri ad ſpiritum. Cum quævis aliæ virtutes infuſæ ſive intellectuales ſive morales appellentur *ſpiritus*. Omnia chariſmata, quas gratias gratis datas vocant, 1 *Cor.* 14. *v.* 12. dicuntur ſpiritus. Et ſpiritus lenitatis *Gal.* 6. *v.* 1. ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus mentis *Epheſ.* 1. *v.* 13. 17. & 4. *v.* 23. ſpiritus gratiæ *Hebr.* 10 *v.* 29. ſpiritus veritatis 1 *Joh.* 4. *v.* 6. Breviter, Quidquid donorum animi non tantum ſalutarium, ſed & communem à ſpiritu confertur, ad ſpiritum propterea peculiariter refertur; e. gr. ſpiritus ſcientiæ, intelligentiæ, ſapientiæ, quo Deus Beſaleelem implevit *Exod.* 31. *v.* 3. *Reſp.* 3. Dato non conceſſo *Jeſa.* 11. chariſmata illa peculiariter appellari *ſpiritus* & referri ad ſpiritum: quomodo inde exſculpent ſua *dona*? cum in textu, qui eſſet ſedes hujus diſtincti à virtute *doni*, ne ſemel quidem *donum* appelletur: virtus vero nominatim fides, alibi in ſcripturis donum appelletur *Epheſ.* 2. *Philipp.* 1. *Reſp.* 4. In textu cit. agi de donis & de virtutibus Chriſti capitis: non membrorum Chriſti.

111. *Object.* Ex teſtimoniis patrum, *Cyrilli Alexandrini lib.* 2. *in Jeſa.* 2. *Chryſoſtomi de ſancto & adorando ſpiritu*, *Gregorii M. lib.* 1. *moral. cap.* 28. & *lib.* 2. *cap.* 36. *Auguſtini lib.* 2. *de ſerm. domini in monte cap.* 18. *Reſp.* Nullus ex cit. quodammodo controverſum illud diſcrimen inuere videtur.

Quin

Quin *Cyrillus* & *Chryſoſtimus* in verbis citatis virtutem & donum ſpiritus manifeſtè identificant. *Gregorius lib. 2. cap. 36.* quatuor virtutibus (Cardinalibus ſcil.) *mentem ad ſummæ rectitudinis culmen erigi dicit : & virtutes* (ſic conſtanter dicta dona, non vero diſtinctè *dona* appellat) *cæteras, quaſi quandam communem ſobolem ſe invicem paſcere.*

IV. *Obiect.* ducitur ex ratiocinatione philoſophi *Ethic. ad Nicom. lib. 7 cap. 1.* & Eudem. *morali lib. 7. cap. 18.* de virtute heroicâ. *Reſp.* 1. Hodierni ſcriptores Ethici ſtatuunt communiter heroicam non ſpecie à virtute qualibet, ut fortitudine, juſtitiâ, &c. differre, ſed tantum gradu. Hinc ergo nihil pro ſpecificâ diſtinctione doni à virtute. *Reſp.* 2. Quæ *Ariſtoteles* philoſophatur de virtute heroicâ, quæ ſit *divina* & ὑπὲρ ἡμᾶς *ſupra nos*, per quam ex hominibus δι' ἀρετῆς ὑπερβολὴν *dii efficiuntur*; illa tanquam effecta ad peculiaria quædam divina auxilia, hominibus naturalibus & à vitâ Dei alienis aliquando conferri ſolita, ſunt referenda. Sed *dona* ita dicta, & *virtutes*, ab eodem ſpiritu regenerante, ab eâdem regenerationis gratiâ procedunt: adeo ut effectus, qui procederet ex *dono fortitudinis*, non poſſet dici θεῖος *divinus* ὑπὲρ ἄνθρωπον *ſuperhumanus*, oppoſitè ad actum & effectum *humanum*, qui procederet ex virtute fortitudinis. *Reſp.* 3. Annectit *Valentia* ex *Thoma*, ad confirmandum argumentum ſuum ab Ariſtotelis virtute heroicâ ductum, *quod donorum munus ſit propriè hominum reddere bene mobilem à ſpiritu ſancto ; cum tamen virtutes propriè perficiant hominem, non ut eſt mobilis, ſed ut ipſe eſt movens.* Sed hæc, abſque ſcripturis abſque demonſtrantione theologica tam facile dictata, nos æque facile rejicimus. *Deinde*, opponimus dicta dona, quæ dicuntur eſſe habitus infuſi & permanentes, hoc eſt *principia quo*, *activa* in quovis homine regenito : & conſequenter per ea hominem regenitum fore actuoſum, & præmovente atque excitante gratia eliciturum actus convenientes e. gr. ſapientiæ, fortitudinis, timoris domini, &c. Et quomodo tum non æque ac virtutes perficerent hominem, ut eſt movens ? Eſt enim habitus virtutis infuſæ ex. gr. fidei, aut timoris domini aut prudentiæ, *principium activum* ſeu *principium quo*, ex quo præmovente & excitante *gratiâ*, quam appellant, *ſecunda*, eliciuntur actus convenientes. *Denique* uti ex & cum *Ariſtotele* de ſenſatione dicunt, ſenſus eſt actio & paſſio ; cur ſimiliter de qualibet ſenſatione (ita loquar) ſpirituali non dicunt eſſe actionem & paſſionem? Quandoquidem homoregenitus & ſpiritualis gratia ſpeciali & impreſsâ novâ creaturâ tanquam principio quodam actionum ſpiritualium donatus, hic & nunc tangitur, movetur, agitur, determinatur à primo omnis gratiæ motore (quod reſpectu ipſius eſt pati, terminare), idemque tactus, motus, actus, determinatus movet, agit, determinat ſe ſub prędeterminatione divinâ. *Cantic.* 1. v. 4.

v. 4. *Philipp.* 2. *v.* 12. 13. *Psal.* 119. *v.* 36. ubi de regenito & pio homine; & *passio* (respectu actionis divinæ, seu agentis Dei), & *actio*, indicatur.

v. Pergit *Valentia* & fundamentum contrariæ sententiæ, quod *Cajetanus*, *artic.* 1. ex Thoma *facile* (uti loquitur) refellit, sic aggreditur: Etsi, „ inquit, virtutes sufficiant ad attingenda suo modo quævis objecta, ta- „ men non sufficiunt ad attingenda illa omni modo & ratione: scil., ut „ actiones piæ peculiariter procedere possint à spiritus s. instinctu, atque „ adeo ut possint attingere objecta modo quodam excellenti, & ut *Duran-* „ *dus* loquitur *superhumano*, vel *inhumano*, ut loquitur *Henricus Ganda-* „ *vensis* scil.: qui est *Henricus Goethals de Gandavo*, archidiaconus Torna- censis, qui floruit circa annum 1290. inter scholasticos titulo *Doctoris Solennis* insignitus. *Resp.* 1. Dicimus, actiones ex. gr. infusę virtutis fidei, gratiâ se- cundâ præmovente, excitante, trahente, determinante (quodad omnem actum spiritualiter bonum absolutè necessarium est) non posse non elici & peculiariter procedere à spiritus s. instinctu: Insuper, Virtutem infusam fidei sufficientem esse ad objecta omni modo & ratione attingenda quâ spiritus s. seu gratia secunda interveniens, efficaci motione & prędetermination eandem attingi vult, & operantem attingere facit. Haut aliter ac Actor. 2. v. 4. *Repleti sunt autem omnes spiritu s. cœperuntque loqui aliis linguis, prout spiritus ille dabat eis effari* 1 Cor. 12. *qui* (Spiritus scil.) *operatur omnia in omnibus*, Hebr. 13. v. 20. 21. *Deus vero pacis*, &c. *compimgat vos ad omne opus bonum ad præstandam ejus voluntatem, efficiens in vobis, quod gratum sit.* Confer *Jacobi.* 1. *v.* 17. *Johann.* 3. *v.* 27. *Philipp.* 1. *v.* 9. 10. 11. Et supra cit. *Philipp.* 2. *Jerem.* 31. Fulgentius ad Monimum lib. 9. cap. 14. *ipse facit ut faciamus, quo in nobis operante fit omne bonum, quod facimus.* Au- gustinus lib. de correptione & gratiâ cap. 4. *Deus de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit.*

Quarto, quomodo convenienter scripturæ, theologiæ Anguſtinianæ, & Thomisticæ de gratiâ, præter impressionem novæ vitæ, seu novæ creaturæ per gratiam primam, & præmotionem, excitationem, ac prædetermina- tionem physicam renovati cordis, per gratiam secundam, habitus alii (quos dona appellant) necessario ponendi sint, per quos spiritualis effectus ab homine regenito, præcurrente ac concurrente gratiâ secundâ, producatur. „ Sed *dicit Valentia*, Denique ut rectè ratiocinatur S. Thomas hic „ artic. 2. virtutes quæ versantur circa divina & supernaturalia, non ita per- „ fectè participantur ab anima; ut non indigeant præter ea aliis hujusmodi „ donis tanquam adminiculis, quibus plenè subjiciatur motioni ac virtuti „ spir. s. *Resp.* est mera petitio ejus, quod est in quęstione: seu causę con- troversæ ex propriâ affirmatione defensio. Quando in naturalibus anima

vel creando infusa (ut in homine) vel ex potentiâ materię educta (ut in brutis) informat materiam, reddit hominem aut brutum aptum, hoc est, *bene mobile* (ut utar termino Valentiano) à primo motore, ac plane subjicit illud brutum motioni ac virtuti primi motoris ad actiones vitales & animales, positâ præmotione & prædeterminatione primi motoris, hic & nunc eliciendas. Ad quas actiones eliciendas ignis, aqua, lapis, metallum non sunt apta seu bene mobilia. *Resp.* 2. Quid est illud virtutes infusas perfectè non participari ab animâ? An eam non informant & perficiunt tanquam formæ accidentales? An anima regenita, & per spiritum s. tansformata, ac renovata, eas non habet, tenet, possidet? Quod si sic; quomodo dubitari potest de participatione animæ, quâ virtutes fidei, spei, caritatis, prudentiæ, fortitudinis, justitiæ, temperantiæ participat, quas spiritus s. infundendo communicavit, & communicando infudit, impressit, indidit, inplantavit, increavit? Philosophiæ Thomisticæ minine conveniret tale acroama: virtutes naturales, hoc est potentiæ seu facultates naturales ab aminâ brutorum circa naturalia non ita perfectè participantur, ut bruta non indigeant præterea aliis donis naturalibus tanquam adminiculis, quibus apta sint, & plenè subjiciantur motioni ac virtuti primi motoris. Evolvat hoc ænigma, qui potest. Et quid si de dictis *donis* quæratur, an ea perfectè participantur ab animâ hominis regeniti? *Si affirment*, probandum est talem perfectionem omnibus regenitis & fidelibus à primo momento infusionis seu communicationis divinæ, usque ad finem vitæ obtingere. *Sin negent*, jam redit eadem difficultas, & erunt superinfundenda atque imprimenda alia auxilia quocunque nomine dicta: & sic processus in infinitum. *Resp.* 3. Aptitudo seu potentia tum passiva *Johann.* 14. *v.* 17. tum activa *Johann.* 15. *v.* 5. 2 *Cor.* 3. *v.* 5. abest ab homine irregenito, quippe mortuo in peccatis *Ephes.* 2. *Coloss.* 2. Sed per gratiæ seu virtutum spiritualium infusionem utraque potentia confertur. Habitibus enim illis infusis (juxta Thomam 1. 2. qu. 51. art. 4.) *homo benè disponitur ad finem excedentem facultatem humanæ naturæ, quæ est ultima & perfecta hominis beatitudo. Et habitus illos proportinatos esse oportet ei, ad quod hanc disponitur.* Et quæst. 49. art. 3. de habitibus in genere determinat, *habitum ordinari ad actum & operationem ut principium.* Quæst. 111. art. 3. citat ex Augustini lib. de Naturâ & gratiâ: *prævenit ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur.* Cum *Thomas quæst.* 109. & *seqq.* inducit gratiam tanquam habitualem qualitatem & humanarum actionum principium; & quidem realiter ab infusis virtutibus distinctam (de quo in præsenti non disquirimus), atque insuper & habitus virtutum infusos, habentes ordinem ad actiones tanquam earum principium: ad quid absque sciptu-

râ

râ & absque ratione, aliud principium, *domi* scil realiter distinctum à gratiâ, & à virtute infusâ, ei subordinatum, aut coordinatum, aut præordinatum fingitur.

EXPLICATIO
ECCLESIAST. IX. v. 11.

Resp. BARTHOLDO ab HATTEM Thilano 3. *Julii* 1666.

TExtus hujus interpretatio verbalis est,

1. שבתי, id est, *verti me*, sic vulgata: *conversus sum*, sic §. 1. Ar. Montanus, & Pagninus; Munsterus absque *sum*. Græcus suo ἐπέστρεψα verbum Hebræum primę personę simpliciter transfert. Quem Syriaca & Arabica, more suo, exprimunt, verbo scil. præterito primæ personæ. Paraphrasticè addit vulgata, *ad aliud*; Munsterus *quoque*. Tigurina loco, verti me aut conversus sum, habet *rursus scrutatus*. Vatablus in notis, de verbo ad verbum Hebræa sic exprimit: *conversus sum & vidi*, &c. Mercerus in commentariis, *quasi dicat. Rursum vidi, animadverti præter superiores vanitates, hoc quoque*, &c. Chaldaica paraphrasis: *Dixit Selomoh rex, Cum sederem super solium regni mei, tum contemplatus sum & vidi*. Eandem & transitionis & connexionis formulam *conversus sum & vidi* habes Eccles. 4. v. 1. & 7.

* 11. וראה, id est, & *videre*: est enallage infinitivi pro præterito; uti colligitur ex *cap.* 4. *v.* 1. & 7, ubi habetur futurum cum ו conversivo: ואראה *& vidi*, Talem autem enallagen Hebræis inusitatam non esse, ex *Eccles.* 8. *v.* 9. colligi videtur ubi ונתון & *dare*. *Schelemo Jarchi* & *Aben Ezra* hic exponunt per רו *raiti*, id est, vidi. Sed quid si potius dicatur, esse ellipsin verbi finiti cum infinitivo constructi, ut dicatur Eccles. 8. *dando dedi*, & *Eccles.* 9. videndo vidi. Quomodo *Eccles.* 20. *v.* 8. זכור *sachor* recordari vel *recordando*, subintellige חזכור *tiscor*: ut sit *recordando recordaberis*. Quæ constructio verbi infinitivi (quod Hebræis tantum valet, ac Latinis gerundium in *do*) cum præterito aut futuro, quam emphasin habeat, nemini ignotum est, qui textum originalem legit. Jam vero *Exod.* 20. ellipsin talem & in locis *Eccl.* 8. *v.* 9. & 9. v. 11. malim agnoscere; quod integra phrasis *dando dedi cor meum*, illi loco & huic nostro, phrasis *videndo vidi* apprimè videatur convenire: infiniti enim cum verbo finito conjunctio facit ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam. Uti patet ex syntaxi infinitivi cum futuro, & imperativo.

* 111. *Τὸ vidi* hic rectè explicatur per *animadverti*, à Mercero: *contemplatus sum & vidi*, à Chaldæo. Eccles. 8. v. 9. phrasis eadem *vidi* occurrit; & additur, & *dedi cor meum ad omne factum*. Posset etiam exponi per *percepi*, cognovi, *consideravi*, *deprehendi*, *reperi*, *observavi*. Sunt enim scientiæ instrumenta 1. sensus, præsertim visus & auditus. 2. observatio. 3. experientia. 4. inductio. Notum est voces sensum externum, præsertim visum, ejusque actionem significantes, per metaphoram, ad intellectum ejusque actiones transferri. Joh. 14. v. 9. *Qui videt me, videt patrem*, & v. 7. *noviſtis illum* (patrem scil.) *& vidiſtis illum*. Ephes. 5. v, 15. *Videte igitur quomodo accuratè ambuletis*, &c.

* 1v. *Sub sole*) Chaldæus non malè בעלמא דין *in hoc sæculo sub sole*. Nota est distinctio & appellatio apud Rabbinos & Targumicos, עולם הזה seu עולם הבא & Gr. αἰὼνος τοῦ νῦν καὶ τοῦ μέλλοντος. Cum quâ convenit Math. 12. v. 32. *non remittitur ei*, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μελλοντι. Quę phrasis æquivalet phrasi, οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα. *Marc.* 3. *v.* 29.

Porro phrasis illa *sub sole* (alibi *sub cœlo* Eccles. 1. v. 13.) in scripturâ aliquando respicit omnes res & actiones sublunares, (ut vocant) seu in hoc mundo elementari, *Eccles.* 1. *v.* 9., aliqunndo angustius omnes res & actiones humanas *Eccles.* 1. *v.* 13. 14. & 2. *v.* 11.

* v. *Quod non* est *velocium* (vel *agilium*, vel *Levium*) *cursus*, &c. Si vulgata, *Pagninus*, *Tigurina*, *Vatablus*, *Marcerus*, *Munsterus*, Particula ל hanc constructionem facit: ut מזמור לדוד, i. e. *canticum Davidis*. Arias Montanus vertit *Canticum David*. Sicuti Gr. hoc loco: ᾠδὴ τοῖς κόφοις ὁ δρόμος. Quem secuti Syrus & Arabs, adhibent particulam ל. quod cum hebræo convenit. An eum inspexerint & respexerint, nescio. Latina versio translationis Syriacę apud *Joh. de Pineda in commentar.* pro *non levibus* habet, *non paucis*: quia vox Chaldaica קלל *kallil*. id est, levis, aliquando idem significat quod Chald. *kelil*, hoc est paucum, seu modicum. Hinc pluralè Syr. לקלילא vertit paucis. Sed circumstantiæ textus suadere debuissent, non rariorem vocis hujus acceptionem, sed alteram frequentissimam, & priorem ac simpliciorem hic spectandam fuisse. Chaldæus sensum enuntiationis optimè explicat: *Quod nec viri, qui veloces fuerint, sicut aquilæ, adjuti sunt in currendo, ut eriperentur è morte in prœlio*. Ex Rabbinis non ineptè huc advocant exemplum Hasaelis 2 *Sam.* 2. *v.* 19.

* v1. לחם *Panis*) id est, cibus, esca. victus. Confer. *Psalm.* 127. *v.* 1. 2.

* v11.) *Gratia*. Targum: *ut scientiis suis inveniant gratiam in oculis regis*.

* VIII. כי עת) Gr. ὅτι καιρὸς, id est occasio, opportunitas, certum momentum seu articulus temporis. Confer *vers.* sequentem; & loca N. T., ubi hæc vox occurrit. *Ar. Mont.* Vulgata, *Pagninus* vertunt *tempus.* Munsterus, *opportunitas.*

* IX. פגע) *Occursus*, Sic *Ar. Montanus*, *Munsterus*, cum quo convenit gr. interpretis ἀπάντημα. 1 *Reg.* 5. *v.* 4. additur adjectivum רע *occursus malus.* In Targum & apud Rabbinos *pegangh* & *pegigna* specialiter significat occursum, casum & eventum malum, qualis malignorum spirituum. Ita ut idem aliquando notet, quod *spectrum*: quod antehac observatum nobis in 1. part. sel. disp. tit. *de spectris. Pagninus. Vulgata, Tremell. & Jun. casus.* Potest etiam verti *eventus*, *accidens.* Mariana in scholiis, *id est, fortuna in omnibus dominatur. Hebr. sed tempus & casus accidit omnibus illis, id est, fortè fortuna cuncta eveniunt aliis & aliis temporibus. Quam perversitatem accusat.* Similiter Tigurina, *Nam tempus & fortuna universis usu venit.* Ubi Vatablus in notis: *Quia omnia omnium pendent à fortunâ. Hæc à ratione humanâ dicuntur, quæ stulta est.* Eundem sensum respiciens Castellio, *sed tempus & fortunam omnibus intervenire.* De quo mox infra. Targum: *eventus* pro *sydere eorum*: במזלהון *bamassalehon* in syderibus seu planetis, seu *influentiis cœlestibus eorum*: vel pro fortuna bona vel mala ipsorum. Quia enim felicitatem & infelicitatem omnium infortiorum à syderibus & signis cœlestibus dependere existimabant, *fortunam*, *fatum*, *providentiam* voce מזל *massal* denotarunt. Ita hoc eodem c. v. 3. דין מזל ביש בכל עלמא id est, *hoc fatum malum in omni mundo.*

* יקרה) *accidit.* Ar. Mont Pagninus, Trem. & Jun. Gr. in futuro συναντήσεται: Munsterus, *sed opportunitate & occursu quodam eveniunt omnia.* Vulgata non tansfert τὸ יקרה; *sed tempus casumque in omnibus*, supple τὸ *esse* ex antecedente, *Nec velocium esse cursum*, &c.

Accedamus nunc ad realem textus interpretationem. Variant hic interpretes 2. Sunt qui putant hęc verba esse non Salomonis, sed stulti Epicurei, quem introduxit Salomon loquentem contra providentiam divinam; quasi hic dehortetur ab omni labore; eo quod omnia à casu & fortuna pendeant. Talem sensum videntur amplexi Mariana, interpres Tigurinus, *Vatablus* supra cit. 2. Alii malunt, vanitatem novam, à Salomone proponi, quales sunt *Olympiodorus*, *Lyranus*, *Bonaventura*, *Titelmanus*, *Cajetanus*, *Joh. Campensis*, *Joh. de Pineda*, *Lorinus.* Hæc interpretatio nobis probatur. Convenit ea cum analogia fidei seu scripturæ, uti ostendent concordantes textus mox exhibendi; Et suadet formula illa transitionis; Converti me & contemplatus sum, seu considerави, seu deprehendi. §. 2.

Observanda ergo prior pars verborum καθ' ἄρσιν: & posterior pars κατὰ θέσιν.

1. Prior pars, *nec velocium esse cursum*, &c. His quinque exemplis præcipua quædam vitę sæcularis & Politicę negotia complexus est; ad quę reliqua omnia reduci, aut subintelligi possunt. Perperam ergo per anagogem tantum de spiritualibus hęc accipiunt, *Bonaventura*, *Hugo*, *Dionys. Carthus.* *Arboreus*, *Ferus*, Sed eos simplicitati sententiæ & instituto argumento minimè satisfacere, fatetur Pineda.

Negatur ergo velocitatem, sapientiam, fortitudinem, scientiam hominis, (subintellige solam & per se) effectum seu eventum intentum ac speratum dare; aut eundem ab illo solo absolutè & adæquatè dependere. Quomodo 1 Cor. 3. *Neque qui plantat est aliquid*, &c. *sed qui dat incrementum Deus* 2. Cor. 12. v. 11. *quamvis nihil sum.* Quæ pleraque alia in scripturis, limitatè sunt intelligenda. Aliquid enim erat Paulus, & talem se agnoscit, cum dicit: 1 Cor. 15. v. 10. *Gratia Dei sum quod sum.* Confer Joh. 7. v. 16. *Doctrina mea non est mea*: sed ejus, &c.

11. *Posteriori parte* Affirmatur, καιρὸν casum seu occursum, non incertum & ἄσκεπτον, sed quem Deus secundum beneplacitum suum determinat & ordinat, effectum ditationis, evasionis ex periculo, victoriæ in bello dare. Quamvis veloci, forti, sapienti potentia seu possibilitas causæ tribui possit, minime tamen possibilitas effectus. Hic ergo sit sensus: Etiam cum media optimè prępărata, composita, & dispositа sunt, cum homo instructus & maximè idoneus, accedit ad operandum & intendit effectum; minime tamen effectum operi, operanti & intentioni operantis respondentem obtineri: si Deus manum subtrahat, ut non prępoperetur, & omne opus nostrum operetur.

Dependere enim intenta, desiderata, sperata, & exspectata illa opera seu effecta, à tempore & casu, quatenus à Dei providentiâ sunt determinata; seu prout & quando Deus tempus, oportunitatem, successum, eventum ordinat & dirigit.

Probatur autem hæc ἄρσις & θέσις ita explicata ex Psal. 33. v. 16. 17. 18. 19. *Non rex salvatur in multitudine exercitus, potens non evadet in multitudine potentiæ. Mendacium est equus ad salutem*, &c. *Ecce oculus domini super timentes eum*, &c. *ut eruat à morte animas eorum.* Proverb. 21. v. 31. *Equus paratus est ad diem belli sed à Jehova salus.* 1 Cor. 3. v. 7. *neque qui plantat*, &c. Proverb. 10. v. 22. *Benedictio domini facit divites.* Cum quo confer Psal. 127. v. 1. 2. 3. *Nisi Dominus*, &c. Psal. 44. v. 1. *operatus es*, &c. *tu manu tuâ gentes expellere fecisti*, &c. *Quia non gladio suo possederunt terram*, &c. *sed dextera tua*, &c. Proverb. 16. v. 1. *Hominis sunt præparationes cordis, & à Domino est responsio linguæ.*

* Ἔκδικησις *seu vindiciæ hujus textus.*

1. Ab eorum interpretatione; qui Deam fortunam Ethnicorum idolum

lum hinc edolari putant: aut incertis casibus omnia ferri: saltem verbis sub personâ athei aut Epicurei prolatis, tale quid innui. Sed nihil tale est in textu; nec ex eo educi potest. Quamvis enim respectu hominis aliquid fotuitum sit, quia præter ejus intentionem fit & in aliis agentibus aliquid casuale: nihil tamen tale respectu universalis & primi agentis, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ *Ephes.* 1. qui nunquam intentione suâ excidit, cujus scientia est infallibilis, & potentia irresistibilis Quo respectu *Catechesis* nostra *quæst.* 25. omnem casum & fortunam excludit. Agunt de fortunâ *Lactantius lib.* 3. *c.* 28. *Augustinus lib.* 4. *de civit. Dei. cap.* 18. & ibi commentar. *Lud. Vivis.* Inter Philosophos commentantes ad *Arist. phys. acroas. lib.* 2. imprimis *Pererius toto lib.* 9. de rerum naturalium principiis & affectionibus. *Thomas* 1. *part. quæst.* 116. *art.* 1. Confer in *dissertat.* nostrâ de *Termino Vitæ*, *argum.* VI.

11. Ab interpretatione Rabbinorum, qui fatum mathematicum seu astrologicum, seu chaldaicum, hinc accersitum, aut potius huc infarctum eunt. Supra ex Targum allegavimus *massalot*; planetas seu constellationes & influentias cœlestes, à quibus omnes rerum humanarum prosperos & adversos eventus suspendunt. Quod exsertè asseritur hoc eodem c. 9. v. 2. בולא כמולא, &c. *Omne ex syderibus pendet, ex cœlo decretum est, quod futurum est ut fiat: omnibus unus eventus,* &c. Et cap. 7. v. 16. *A conspectu domini decernitur bonum & malum ut sint in mundo, ratione syderum quibus prædicti sunt homines.* Quamvis *Maymonides* hanc genethliacam vanitatem rejiciat & oppugnet epistolâ quadam ad judæos Massilienses scripta, quam hebr. lat. Coloniæ evulgavit *Joh. Isaac*, unâ cum physica *R. Aben Tibbon.* anno 1555. Nos alibi insanam illam superstitionem tangimus: & hic solum indicamus *Jerem.* 10. & leqq. *Jesa.* 47. *v.* 14. 15.

111. A detorsione eorum, qui hinc causarum secundarum, speciatim, hominum, & operationes, dispositiones, preparationes, omniumque usum mediorum rejiciunt: quasi moveantur, non moveant; aut Deus ad præsentiam earum operetur. Quod refutatum vide à Scholasticis ad 1. *qu.* 105. *artic.* 5. & ex nostris *Riveto ad Hoseæ* 2. *v.* 21. 22. *Augustinus lib.* 7. *de civit. Dei* cap. 10. *Deus administrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipse proprios exercere & agere motus sinat.* In actionibus spiritualibus liquidissimè illud ostenditur Philipp. 2. v. 12. 13. *Vestram ipsorum salutem conficite. Deus enim est, qui in vobis efficit & ipsum velle*, &c. Opinio de brutis non agentibus & moventibus, sed tantum actis & motis alibi ex scripturis & ratione refutanda est.

1v. A detorsione eorum, si qui casum & fortunam Ethnicè intellectam hinc omnibus rebus præficerent: exclusâ providentia divinâ,

seu

seu fato theologico, (uti vocant) & fato physico. De quibus alibi agendum.

§. 3. Ex textu à nobis explicato, exurgunt hæ theses, seu hæ doctrinæ, seu hæc dogmata theologica.

1. Ratione providentiæ seu gubernationis divinæ secundum immutabile consilium & beneplacitum voluntatis ejus, omnia in hoc mundo, etiam in se maxime contingentia, casualia, fortuita, certo, infallibiliter, necessariò evenire.

2. Etiam aptissimos, instructissimos, & diligentissimos, destitui, frustrari, excidere eventu intento, & spe jam devorato.

Priorem thesin, in loco communi, & in tract. de providentiâ theologi explicare & probare solent. Nos eo remissis studiosis, solummodo aliquot scripturę loca indicamus, quæ necessitatem, & certam determinationem indicant; qualia *Math.* 18. *v.* 7. 1 *Cor.* 11. *v.* 19. 2 *Thessal.* 2. *v.* 3. *Luc.* 22. *v.* 22. *Actor.* 2. *v.* 23. & 4. *v.* 28. Adde loca, quibus Deus dicitur facere opera nostra *Jesa.* 25. *v.* 9. consummare *Psal.* 138.,8. facere *psal.* 37. *v.* 5. implere potenter *Hebr.* 13. Et loca, quæ omnes creaturas, etiam homines faciunt instrumenta Dei *Jesa.* 10.

Posteriorem thesin prob. 1. ex hoc texru, aliisque concordantibus *Psal.* 33. *Proverb.* 21. &c. supra cit.

2. Ex communi experientiâ.

3. *Ex ignorantia*, oblivione, & inadvertentia: à quâ homo in hâc vitâ absolutè & planè immunis non est, aut esse potest; non tantum in negotiis & causis spiritualibus, sed & in sęcularibus tum œconomicis tum politicis, etiam in scientiis & artibus. Hinc illa παροιμία *quandoque bonus dormitat Homerus.* Et illud Arabum: *sapiens cum errat errore erudito errat.* Huc applica, Psal. 19. *Errata quis intelligit?* Jacob. 3. *in multis labimur omnes.* Ignorantia autem illa, aut παράπτωμα aut inadvertentia, aut hallucinatio versatur circa καιρὸν & oportunitatem rei cujusque hic, & nunc, & hoc aut illo modo, per hanc, aut hoc pro hoc aut his, contra hunc aut hos, incipiendæ, agendæ, perficiendę, differendæ. Nemo enim hominum omnes rerum & personarum aditus, circuitus, circulationes, flexiones, reflexiones, semper pervidere, servare, movere, admovere, removere, sistere, quietare potest. Solus Deus, uti omniscius est, sic & omnipotens est, qui omnes creaturas in potestate habet, qui certas mutationes, mutationumque secundum immutabile suum decretum periodos, figit, refigit, prevertit, convertit, intervertit, avertit, impedit, differt. *Quia etiam nescit homo tempus suum* Eccles. 9. v. 10 quod etiam ad opportuna tempora tacendi, loquendi, ædificandi, diruendi, &c (*Eccles.* 3.) aptari

potest.

potest. Unaquæque res horam & tempus suum habet, Eccles. 8. v. 3. 4. 5. 6. 7. *Secundum verbum est potestas*, &c. *& tempus & judicium cognoscet cor sapientis. Quia omni volito est tempus, & judicium. Quia malum hominis malum super eum. Quia nescit, quod futurum est*, &c. *Nullus homo est, qui potestatem habeat in spiritum, ut prohibeat spiritum*, &c.

Solius ergo Dei est omnia facere quæ vult & intendit? quia est solus sapiens 1 *Timoth.* 1. *v.* 17. *Jud. v.* 25. Homines vero omnes etiam sapientes, comparatè ad illum sunt brutales *Proverb.* 31. *v.* 2. *Psal.* 37. *v.* 22. Solus etiam Deus dicitur ὁ δυνατὸς *Luc.* 1. *v.* 49. & μόνος δυναστης 1 *Timoth.* 6. *v.* 15. Homo vero comparatè ad Deum vanitas, nihil. Et *Psal.* 62. *v.* 9. *Tantum vanitas sunt filii hominum, mendacium Filii viri, in statera si ascendant, Leviores sunt vanitate pariter*, 1 Sam. 2. v. 9. *Quia non in fortitudine roborabitur vir.*

4. *Ex* eo, quod Deus aliquod impedimentum possit sive ἔσω sive ἔξω objicere aut immittere; usum scientiæ, aut potentiæ, aut fortitudinis auferre aut sistere, ipso illo instanti quo agendum est, Psal. 76. v. 5. 6. *Spoliati fuerunt fortes corde, dormitaverunt in somno suo, & non invenerunt omnes viri fortes manus suas. Propter increpationem tuam Deus Jacob soporatus est & currus & equus.* Ibid. v. 12. *succidet spiritum ducum*, &c. Confer quę in *2. part. sel. disp. tit. de signis* subtit. de terrore Panico notavimus.

DISPUTATIO

Continens

POSITIONES ALIQUOT

Miscellaneas

Resp. GERARDO van OS Heucklemensi 24. *Maji* 1656.

Religio Papistica non est salutaris; quippe idololatrica, §. 1. superstitiosa, hæretica: syncretismus itaque nostræ ecclesiæ cum Romanâ nullus iniri potest; nec hujus conventicula & exercitia, cum reliquiis, & mediis retinendi aut propagandi inter nos Antichristianismi, ut nec sacrificuli aliique emissarii, exploratores, satellites Antichristi in Republ. nostrâ tolerari debent. Quo ipso tamen nec nova quasi inquisitio introducitur, nec vis conscientiis infertur, nec libertati unitæ Belgarum Reipublicæ, atque adeo bello pro ea con-

tra Hiſpanum tam diu, tam fortiter, tam feliciter per Dei ſingularem benedictionem geſto, quidquam præjudicatur. *Vide diſpp. noſtras, de Fide Papiſtarum, de ſede Romanâ incompatibili, de Papæ poteſtate temporali & part. 1. polit. eccleſ. lib. 4. tract. 1.*

Conſectar. Merito ergo eccleſię noſtrę per ſynedria, claſſes, Synodos in hac, aliiſque Belgii Provinciis à Chriſtianis Magiſtratibus petere non deſinunt, ut conſcientiæ Dei, & muneri ſuo, quin & propriis decretis hac in parte ſatisfaciant: quidquid ringantur Pontificii, Remonſtrantes, Libertini, Neutrales, &c.

§. 2. *Hæreſis Anti-trinitaria*, ad modulum ſive *Samoſateni*, ſive *Photini* aut *Socini*, ſive *Arrii*, ſive *Eunomii*, ſive *Franciſci Davidis*, efformata, fundamentalem Chriſtianorum fidem ſubvertit: ideoque nullus cum ea ſyncretiſmus ab eccleſiis noſtris iniri poteſt; nec ea à Magiſtratu Chriſtiano, cui poteſtas & potentia adeſt, tolerari debet. Vide *diſpp. de Trinitate, de articulis & erroribus fundamentalibus.*

Conſectar. 1. Laudandæ ergo petitiones & præmonitiones eccleſiarum, ut & Magiſtratuum decreta contra blaſphemæ & noxiæ hujus ſectæ tolerantiam.

Conſect. 2. Qui acta & decreta. Illuſtr. DD. Ord. General. anno 1598. & quorundam provincialium contra hæreſin Socinianam ad permiſſionem publici exercitii tantum reſtringunt, quaſi prædictæ hæreſi libertas privato publici exercitii per dicta decreta non ſit negata: contra ſcopum eccleſiarum petentium, & Magiſtratuum petitioni gratioſè annuentium, ac decernentium, ipſumque textum decretorum eadem interpretantur.

§. 3. *Remonſtrantica ſecta* & ſocietas aut errorum & hæreſium colluvies eſt, aut neutra & inter omnes media tum per participationem tum per negationem, ſeu magis ſcepticam ἐποχὴν. Affectatus aut admittendus (ſi fortuna foret) ejuſdem cum Socinianis ſyncretiſmus in propatulo eſt: itaque nullus ab eccleſiis noſtris ſyncretiſmus cum ea iniri poteſt; etiam rectè in Republica noſtra per decretum Illuſtr. & præpot. D. D. Ordd. General. 1619. libertas & permiſſio eidem denegata; quod decretum jure meritoque Illuſtr. ac potentes Hollandiæ Ordines contra Sinonias quorundam artes ac machinationes, tanquam perpetuum edictum annis aliquot poſt declararunt, & declarationem hanc ſuam ſolenni more ac modo per civitates promulgari fecerunt; eamque, non obſtante mutatione, quam per temporum injuriam & hic & alibi paſſi ſunt, etiamnum urbes aliquæ (e. gr. Dordracena, & Leidenſis) religioſè tuentur: ne dicam de provinciis & urbibus extra Hollandiam. Quomodo autem per ſolidam atque evidentem inſtructionem, & fortis caritatis perſuaſionem ſeducti & imbecilles à dictæ ſocietatis

tis corruptelis abducendi, & ad noſtram communionem adducendi, immo & ipſi ſed ſeductores miniſtri eorum ad reconciliationem ſalva fide & illeſa caritate admittendi ſint, abundè ac prudenter declaratum in *Synodis Zuyt-Hollandicis* 1619. 1623. 1627. 1628. Quarum veſtigiis ante triennium præter proper ſynedrium noſtrum ſtricte inſtitit; cum caſus de traducendis ac recipiendis membris dictæ ſocietatis hic Ultrajecti proponeretur: & omnem opeam dedimus, ne vel minima ſpecie tanquam independentes aut ſoli ipſi ex veteri more & perpetuo conatu, in hac noſtra eccleſia quidquam ſtatuerimus. *Vide noſtram catechizationem catechiſmi Remonſtrantici, & Therſitem Heautontimorumenum, & diſpp. Trinitate, de Articulis & erroribus fundamentalibus, de Methodo reſpondendi calumniis de Deo authore peccati & Polit. Eccleſ. part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1.

Conſectar. Meritò ergo *Synodus Nationalis Dordracena* anno 1619. judicium de Remonſtrantiſmo & Vorſtio tulit; & ſubſequentes ſynodi Provinciales judicium illud ſuis Eccleſiis & rebus applicuerunt? inſuper à Magiſtratibus petierunt, præſertim ab anno 1626. & deinceps, ut emergenti denuo huic ſectæ occurrerent; ſiquidem eccleſiæ & Reipubl. ſaluti conſultum vellent: idque abſque periculo aut imitatione (quod perpetuam ab adverſariis prætendebatur) inquiſitionis, perſecutionis eccleſiæ, conſcientiarum coactionis, tyrannidis.

Anabaptiſtica ſecta, ab incunabulis erronea à Reformatis judicata, poſt or- §. 4.
tam in Belgio factionem Remonſtranticam, viamque Sociniſmo & Arianiſmo apertam, profecit in pejus; & talem formam in non paucis Doctoribus & auditoribus progreſſu temporis acquiſivit, ut in Anabaptiſmo primogenium Anabaptiſmum difficulter agnoſcas: fatentibus & querentibus ejuſdem ſocietatis conſortibus, quorum melior ſententia menti: qui idem variis locis omni communioni eccleſiaſticæ cum illis renunciantes, ſeorſim conventus & exercitia ſua celebrare cœperunt, & pro veritatibus fundamentalibus de trinitate, Chriſti ſatisfactione, &c. cum univerſo Chriſtianiſmo & voce & editis ſcriptis graviſſimè proteſtari: quo nomine ipſi in domino laudandeuſque orandus, ut in cæteris ad perfectam veræ religionis cognitionem & profeſſionem eoſdem gratioſe adducat. Cum illâ ergo uti antehac eccleſiæ noſtræ ſyncretiſmum inire noluerunt, ſic nos multo minus in præſenti eandem affectare aut admittere debemus: quidquid de caritate, pace, moderatione, unione diſſecti Chriſtianiſmi ſpeciosè & in terminis generalibus, Remonſtrantes, aliique ipſis hâc in parte ſimiles, rhetoricentur.

Conſect. Ut Eccleſiis noſtris contra hanc ſectam vigilare convenit; ſic etiam piis Magiſtratibus eidem actionibuſque ejus attendere, ne paſſivâ

conniventiâ abutantur, male ex nobis trahendo. Stabilitam enim, conceſſam, promiſſam lege, pacto, decreto fœderati Belgii aut unius provintiæ permiſſionem aut libertatem, probare nequeunt. In quem finem coram Magiſtratibus ſuis confeſſionem ad propoſita interrogata edere tenerentur: atque ita prudenter ſtatui poſſet de conniventiâ mox abrumpendâ aut non abrumpendâ. Idem dico de hodiernis Remonſtrantibus, qui multùm mutati à Remonſtantibus anno 1611. ut quidem tunc præ ſe ferebant.

§. 5. *Antinomos veteres & recentes*, qui in Germaniâ tempore *Lutheri & Melanthonis* orti, & ſuppreſſi ſunt, & nuper in Anglia caput extulerunt, omneſque alios uſui legis, ejuſque accuratæ predicationi ſub novo teſtamento juxta catecheſin noſtram (quæſt. 115) directè aut indirectè, minus aut magis obloquentes, tanquam fanaticos (ſiquidem pertinaciter theſin ſuam defendant) ab omni Chriſtianorem communione removendos cenſemus. Quod ſi quis à Cyclopiciſmo, Epicureiſmo, & antiquis Gnoſticorum furoribus ſe alienum oſtendat, is operam det ut procul habita omni curioſitate & inani vitiligatione, ſcripturariis & in ſchola Theologicâ receptis terminis utatur, & vel ab omni ſuſpicione ſe immunem præſtet. Vide ſupra *diſp. de lege & Euangelio.*

§. 6. *Enthuſiaſtas, Libertinos*, alioſque fanaticos antiquos ac recentiores, unico fidei principio, ſcripturæ ſcil. divinæ, in totum aut ex parte renuntiantes, extra communem Chriſtianiſmum ſaltare, & nomine Chriſtiano indignos Judicamus. Vide *diſpp. de prophetia, & de probationibus ſpirituum.*

Conſect. 1. Qui ſibi in deſcriptione regni millenarii à nobis antehac refutatâ, aut in periculoſis & recoctis Libertinorum figmentis de ſcripturæ autoritate, aut interpolata Socinianorum ſcripturas ex ratione humana tanquam ſuperioti interpretandi ac torquendi methodo nimium indulgent; videant, ne tandem ad Sociniſmum, aut Scepticiſmum, aut alias fanaticas vertigines (quales θνμασὶς ſcilicet Heroſtrati Præ-Adamitici, & ſimilium) prolabantur. *Vide diſpp. noſtras de ratione humanâ in rebus fidei, de ſcripturæ autoritate, de Inſolubilibus ſcripturæ, de Regno millenario.*

§. 7. Formam regiminis & diſciplinæ in eccleſiis Belgicis, Gallicis, Scoticis, Germanicis quibuſdam (præſertim Belgio noſtro vicinis), contra oppoſitiones adverſariorum defendemus. Sunt autem ἀντίπαλοι ejus ab una parte Pontificii, Hierarchici, Remonſtrantes cum Grotio hierarchiæ tum politicę tum eccleſiaſticæ paraſitantes & velificantes: ab altera parte, dicti Independentes, & hodierni ſectatores Thomæ Eraſti. *Vide in Politicâ eccleſiaſticâ materias & quæſtiones explicatas, de eccleſiâ inſtitutâ, de poteſtate & politiâ eccleſiarum, de canonibus & decretis eccleſiaſticis, de liturgiis,*

giis de Episcopatu, de classibus & synodis, de presbyteris gubernantibus, de clavibus regni Cælorum.

Annexum 1. Perperam & olim & hodie nonnulli rerum alibi gestarum imperiti, Puritanos in Anglia & Scotia ita dictos, cum dictis Inpendentibus, & Browniſtis confundunt: siquidem dicti illi Puritani audiebant & erant zelotæ disciplinę Genevensis, & Gallicæ, (consequenter & nostrę Belgicæ), hoc est, presbyterialis; adhæc, puritatis & simplicitatis in ceremoniis, contra quasdam Papalium ceremoniarum reliquias. Quod ergo desiderabant reformati in Anglia (inter quos *Raynoldus*, *Wittakerus*, *Perkinsus*, *Cartwightus*, &c. (quodque illis vovebant ac suadebant *Calvinus*, *Beza*, &c. hoc nostræ ecclesiæ in Belgio per Dei gratiam effecerunt & tenent usque in hunc diem. *Vide Disp. nostras*, *Te Tempore nativitatis Christi, & de Festis*, & *Polit. eccles. part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 1.

Annexum 2. Non tam affectus erga dictas ceremonias Anglicanas, aut regimen episcopale; quam alia quæpiam & ἴσῳ cuique *divino Tilenum*, *Grotium*, *Grevinkhovium*, *Remonstrantes* in *apologiâ*, & si qui hodiè ipsos imitentur, ad orthodoxos nomine Puritanorum traducendos impulit.

Peccatum Adami nobis imputatum defendi debet, universo Christia- §. 8.
nismo consentiente: quem consensum summus theologus *Andr. Rivetus* peculiari tractatu exhibuit, & post eum *Ant. Gariſſolius* professor Montalbanensis in tract. de imputatione primi peccati Adæ. *Vide disp. nostram de propagatione peccati originalis.*

Gratia universalis, quæ jactatur, merum est σιδηρόξυλον; nec ulla ratione §. 9.
cum sententia *Synodi Nationalis Dordracenæ*, hoc est, cum communi ecclesiarum reformatarum, conciliari potest. Ita ut hyperaspistæ ejus, distinctionibus in pulverem sectis, usque ad finem contra oppugnationes methodice eam defensuri, tandem ad adoptandas hypotheses, si non theses, Remonstranticas aut ad indignas catachreses & novæ onomatopoëiæ ac logomachiæ lusus cogendi sint. *Vide disp. nostras de merito Christi.*

Dei absolutam primitatem & simplicitatem, omnimodam infinitatem §. 10
& immensitatem (quam Remonstrantes falsè ridentes atopicam atque atomicam appellant), absolutam potentiam, voluntatem immutabilem, certam futurorum secundum decretum prę scientiam; contra Socinianos, Vorstium, Remonstrantes, Jesuitas, eorumque ex asse, aut besse, aut semisse sectatores, defendimus. *Vide disp. nostras de Dei simplicitate*, *de scientiâ*, *de potentia.*

Consectar. Periculosæ sunt partim opiniones partim ἀκυρολογίαι, Deum à seipso positivè esse: Mundum esse infinitum: Absolutè este impossibilem plurium mundorum, aut alterius mundi creationem.

§.11 Bruta sunt animata, & anima ac vitâ sua sensitivâ ab automatis, plantis lapidibus, metallis, aqua, terra, astris, cœlo distincta. Homo quisque una & propria sua anima rationali prędituS est: quę natura sua & intrinsecè immortalis ac incorruptiblis, à corpore separabilis & separata existens ac permanens est, & immediatè à Deo creata. *Vide dispp. nostras de Creatione.*

1. *Consect.* Temerariæ aut otiosæ, aut malè sonantes ac theologiæ nostræ non satis feliciter servientes sunt assertiones, quibus Mundo anima intellectiva tribuitur; brutis anima & vita, actio & efficientia negatur; homini cuique tres animæ tribuuntur: immortalitas animæ humanę, non per creationem naturæ ejus increata, sed per gratiam supervenientem cum Socino; aut per continuatam conservationem ei competere, aut posse dicitur: & cum origo ejus non creationi, sed traductioni aut derivationi ab anima parentum, tribuitur.

2. *Consect.* Malè sonat, si quis insolenter & ἀκυρολόγως dicat: Animas brutorum æque esse immortalitatis capaces ac hominum.

§.12 Vera libertas Christiana per Christum nobis parta non consistit.

1. In indifferentia & neutralitate, quod ad sensum, professionem, & praxin veræ religionis.

2. *Nec* in laxatione aut immunitate à lege morali, aut ullo ejus præcepto; ut scil. sub N. T. eâ aut eo non teneamur, tanquam regulâ & directione gratitudinis nostræ, & tanquam medio convincendi nos de peccato, indignitate, & impotentia nostra. (Vide *catechef. qu.* 3. 86. 91. 115.)

3. *Nec* in immunitate ab omni subjectione ad ordinem humanum (*Rom.* 13. 1 *Petr.* 3. *Ephes.* 6.)

4. *Nec* in libertate prophetandi, & sectarum; quam utramque Remonstrantes tantopere celebrârunt: Vide de libertate conscientiæ, & de libertate prophetandi. *Polit. eccles. part.* 1. *lib.* 4. *tr.* 1.

5. *Nec* in libertate, seu potius splendida servitute & necessitate de omnibus saltem philosophicis (quæ an totam theologiam naturalem cum lege naturæ, Ethica, Politica, Oeconomica, complectantur, nondum determinatum est) dubitandi: Dubitatio enim proprie dicta est defectus & malum sive triste sive turpe: jam vero nullum malum est appetendum. Quod autem tanquam regiam sapientiæ viam, nonnulli dubitationem affectandam putant, abusi gnomis illis, qui nihil dubitat nihil scit, & ἐκ τῆς ἀπορίας ἡ εὐπορία γενέσθαι, &c. tantundem faciunt ac si alicui suaderent peccata & miserias ex illis gnomis: *Ubi abundat peccatum, abundat gratia: & ex malis moribus bonæ leges:* Et, *ubi nullum peccatum, ubi nullus resipiscentiæ locus, & consequenter nulla salus: Periißem nisi periissem: diligentibus Deum omnia operantur*

rantur in bonun : Vide 3. *part. select. dispp. tit. de fide & conscientiâ dubitante.*

6. *Nec* in libertate philosophandi; hoc est in licentia rationem atque ordinem docentium & discentium in scholis ita turbandi ut adolescentes à labore ad otium proclives, otiosis deambulationibus, phantasticis & desultoriis speculationibus, propriis inventionibus (quasi sc. essent ἀνέρνς ἀλφηςαί) breviter solitariis seu monasticis somniis indulgentes, & mente carnis suæ inflati ab assidua in cursu Academico bonorum autorum lectione, & auditione pręceptorum ad regnum soli ipsorum, traducantur; ibique dictatores agant, antequam philologiam, historiam, cum philosophiæ & artium fundamentis probè didicerint.

Annexum 1. Studiosi regnum Soli-ipsorum αὐθαδῶς affectantes ad solidam scientiam, præsertim rerum divinarum, rarissimè aut nunquam pervenient: quippe quibus eventurum, quod ante annos aliquot venditationi & magnæ spei novorum πανσόφων Hermeticorum seu fratrum roseę crucis, quę in fumum abiit & evanuit. Aut enim in limine studii theologici hęrebunt; quin adminiculis necessariis destituuntur: aut vasto novę quasi artis notoriæ hiatu delusos se sentientes, ad desperationem pari passu cum coævis methodicè studentibus currendi adigentur: aut ignorantiarum, dubitationum atque ἐλίγγων suarum vorticibus absorpti, à studio reformatæ theologiæ, quippe cum illis ἀσυςάτȣ, resilient; quin & eandem cum fidis ipsius cultoribus hostiliter insectabuntur: imprimis si novè & infeliciter philosophantem hanc theologiam, & ipsos propter eandem, omnibus aliis in promotione non pręferri contigerit.

Annexum 2. Typhus Soli-ipsorum, qui ad exemplum Papatus, omniumque antiquorum & recentium novatorum, satellitio sparsarum fabularum, calumniarum, cavillationum & similium tum realium tum imprimis personalium præjudiciorum, pugnare satagit; strictè controversorum principalium scholasticæ & acroamaticæ disceptationis, sepositis tantisper personalibus, & ἀπροσδιονύσοις digressionibus atque abductionibus, alligandus est.

Annexum 3. Non vanè metuendum est, ne Scholis à Soli-ipsorum contentione vastitas & barbaries impendeat: nisi maturè remedium adhibeatur. Si enim studia utriusque literaturæ, oratoriæ & eloquentiæ, poësios, antiquitatum & historiarum, philologiæ orientalis, logicę, metaphysicæ, Ethicæ, Politicę tepescant; si præstantissimi autores tum recentes tum imprimis antiqui non legantur, sed omnes ferociter contemnantur, dum phrasis, stylus, termini eorum non intelliguntur, non discuntur, nedum ut quis criticam circa ea exerceat; quid aliud restabit, nisi fracta imaginariæ pan-

sophiæ

sophiæ testa, & inane mentis cymbalum non nisi teretismata tinniens?

Annexum 4. Præsumtus conatus studii physici, qui cum aliquâ parte matheseos proximè illi inservientis, Soli-ipsis vindicari videtur, Academias ab impendente vastitate & barbariè, studiosos ab ἀγρίᾳ aut περίργῳ ac παρέργῳ, & consequenter ab ineptitudine ad studia facultatum liberare nequit. Ut facultati nostræ applicem (relictâ Juridicæ & Medicæ suâ cuique applicatione), dico hunc conatum in spongiam incubiturum, & in incunabulis suffocandum. Quia à paucis theologiæ studiosis matheseos perdiscitur; à pluribus etiam Soli-ipsorum monarchiam crepantibus, ne quidem attingitur; à nullis longissima & sumptuosissima tum imperatæ dubitationis, tum propriè in physicis, astronomicis, musicis & sonis, mechanicis & staticis, acquirendæ experientiæ invia via calcatur, nec in cursu Academico calcari potest aut debet, donec scil. ad claram & distinctam omnium per certa principia cognitionem deveniatur.

Annexum 5. Exspectent ergo, si qui ex theologiæ studiosis Soli-ipsorum sapientiam admirantur, donec Attalicis Regum & principum opibus Dictatores hujus regni Soli-ipsi adjuti, ex requisita experientia eruerint nobis non aliquam possibilem & hypotheticè imaginariam effectuum ex causis perspicuam explicationem ac certam demonstrationem; sed realem, ut de facto omnia in rerum natura se habent, ac constituta sunt: ita ut se aliter habere non possint. Nam παντοφίαν in solâ possibilium explicatione & certa demonstratione velle constituere, non video quam longè distet à Scepticismo & πῦ, *Nihil scitur*, quod libello aliquo celebratum dicitur: aut quomodo non ad mundum phantasticum, regnum & mundum in lunâ, *Thomæ Mori Utopiam*, Terram Australem incognitam, & similes ingenii lusus ac mythologica philosophemata inclinet. Et sic totius terræ motio, aut numeratio arenæ quæsita, commonstrabitur possibilis, ex sumtis hypothesibus Archimedeis. Atqui quærebatur de eo quod actu sit, non quod ex hypothesi possit esse: Jam vero à posse ad esse non valet consequentia.

§. 13 Non omne est philosophicum quidquid eo nomine palliatur, aut à philosopho quo agitatur. Ita Remonstrantes, cum circa trinitatem, Dei simplicitatem & immensitatem, resurrectionem ejusdem carnis, &c. suæ libertati prophetandi nimium indulserunt, os suum abstergere & theologis omnibus obstruere se putant, si modo pulveris exigui jactum de subtilitate, speculatione, controversia metaphysica, scholastica, philosophica interponant. Multa sunt quæ suo modo & theologus tractat, & philosophus: multa sunt quæ quamvis formaliter & adæquatè non sint theologica, theologiæ tamen & scripturæ defensioni atque explicationi proximè aut saltem

tem propinquè ancillantur. Limites illos discernendos aut herciscundos huic aut illi soli-ipsi aut philosopho in herba, nec ecclesię, nec Reip. commiserunt, exclusis omnibus Christiani aut reformati orbis theologis ac philosophis.

Consectar. 1. Pertinet ergo ad theologos falsò dictæ sapientiæ, philosophiæ & inanis deceptionis detectio ac refutatio, 1 *Timoth.* 1. 4. 7. & 6. v. 20. *Coloss.* 2. v. 8. Nec ipsi hac ratione tanquam ardeliones, aut ἀλλοτριεπίσκοποι, falcem in alienam messem mittunt, nec omnes facultates in Academiis subigere, iisque propriam potestatem ac libertatem eripere conantur: unde solita omnibus ecclesiarum turbonibus calumniosâ consequentiâ colligunt, idem jugum à theologorum tyrannide Principibus & Magistratibus imponendum. Mentire & calumniare audacter: semper hærebit aliquid. Theologi Deo hanc vindictam tradent, qui Satanam increpabit, & furores ejus compescet, ubi ipsi visum fuerit.

Consectar. 2. Non tangi theologos, nec tangi theologiam à philosophematis nonnullis, nemo credet, nisi qui decipi voluerit, aut odio in ordinem theologorum, aut in communem reformatorum orthodoxiam, excœcatus fuerit. Sunt autem philosophemata à pauculis quibusdam philosophis imperium (uti videtur) absque Senatus & populi suffragiis in theologos affectantibus hęc sequentia:

Ex sola Dei revelatione, seu ex verbo Dei, posse haberi certam rei alicujus scientiam: eo quod sensus, & intellectus hominis errare & decipi queant.

Quæritur ergo: quomodo theologiam naturalem contra *Atheos*, *Epicureos*, *Scepticos*, *Socinum* defensuri sint theologi? Ut jam nihil dicam de philosophis; quibus dignitatem scientiæ suæ defendendam relinquo.

Spiritum Sanctum in scripturis loqui subinde secundùm erroneam hominum opinionem: aut dicere atque enuntiare subinde quædam, ubi tamen docere & asserere in partem affirmantem, aut negantem non intendit.

Quæritur, quomodo theologi autoritatem scripturæ contra atheos, infideles, *Enthusiastas*, *Socinum*, *Castellionem*, *Herostratum Præ-Adamiticum* solidè defensuri sint.

Esse Deum, hactenus nec à philosophis cujuscunque religionis, nec à theologis antiquis seu patribus, nec scholasticis, nec reformatis, nec à scriptoribus de veritate fidei, solidè certò evidenter fuisse probatum.

Quæritur: Quid ergo fiet causæ fidei hactenus à Christianis scriptoribus contra Atheos defensæ? Quid antiquis patribus, & novis scriptoribus, *Thomæ* contra Gentes, *Savonorolæ*, *Steucho Eugubino*, *Ficino*, *Vivi*, *Plesseo*, *Grotio*? Quid ipsi scripturæ, quæ methodum demonstrandi ab effectis ad causam, præeunte sensuum notitia, exsertè nos docuit *Rom.* 1. *Psal.* 19. *Jes.* 40. *Actor.* 14. & 17.

Caput 1. *Geneſ. aliter explicandum, ac theologi Chriſtiani communiter explicant: Exemplum cape in uno hoc*; de *ſolis* Creatione *non quarto, ſed primo die.*

Quæritur: An manus ſint dandæ Simplicio Gentili philoſopho; quem magnus theologus Franc. Junius in prototkiſiis ſuis appellat antinomum, & refutat?

Non poſſe aut potuiſſe per Dei abſolutam potentiam plures mundos creari, & mundum hunc eſſe infinitum.

Quæritur: Quomodo theologi defenſuri ſint Dei propriam eſſe infinitatem & immenſitatem; & Dei omnipotentiam non eſſe exhauſtam.

Deo, Angelis & animæ humanæ extenſionem competere.

Quæritur: An accuratius ex hâc hypotheſi refutentur Vorſtiana phanthaſmatæ de Dei quantitate, compoſitione, accidentibus?

Terram moveri, ſolem quieſcere.

Quæritur, quid futurum ſit, textibus ſcripturæ hactenus à theologis non tantum, ſed & Chriſtianis phyſicis atque aſtronomis (quorum aliquos alibi indicamus) in contrariam ſententiam acceptis?

Animæ humanæ reali diſtinctione à corpore ritè probatâ, radicitus evelli & ex imis fundamentis ſubrui omnem Scepticiſmum & Atheiſmum?

Quæritur an diſtinctio naſi ab oculo, corporis humani à quantitate aut figura ſua, & accidentis cujuſlibet à ſuo ſubjecto probata, illius immortalitatem & naturam in ſe incorruptibilem contra atheos demonſtret? Et an ante jactatam hanc novam demonſtrantionem contra Atheos, Chriſtianæ fidei veritas contra Atheos, Epicureos, infideles triumphare nequiverit?

Animam humanam eſſe cogitationem, & conſtitui per cogitationem, aut in ſolâ cogitatione conſiſtere, eandemque per naturam rerum poſſe eſſe vel ſubſtantiam, vel ſubſtantiæ corporeæ modum.

Quæritur, An hac ratione optimè refutetur Galenus, qui animam facit κρᾶσιν ſeu temperamentum, hoc eſt, purum modum, aut accidens corporis? Et ſi Athei hinc colligerent eſſe actionem tranſeuntem, ſeu motum, aut potius novam ſolummodo motus determinationem, an & quomodo ex dicta hypotheſi ſolidè aſtrui poſſit immortalis ejus ſubſtantia; & Athei refutari? An quidquam pro animæ immortalitate contra Atheos, & infideles ſcripturæ autoritatem negantes à Chriſtianis dici poſſit aut debeat?

Animam humanam eſſe tantum in glandulâ pineali.

Quæritur, An in glandula pineali tota ſit animæ ſubſtantia, & tota in qualibet parte? Si non, an ſit in minima glandulæ particula, denique

que in atomo ejusdem? Et an hac ratione optimè contra Vorstium & Socinianos explicari ac defendi possit Dei indivisibilis immensa assentia?

Hominem quemque habere liberum arbitrium ad bonum.

Quæritur, an hac philosophiâ ancillante necessitas & efficacia gratiæ contra antiquos & novos Pelagianos feliciter defendi possit.

Certissimè illud esse verum quidquid clare & distinctè percipio.

Quæritur, si hoc non sit ad ἀδολεσχίαν & lusum nominalem relegandum; an enuntiationum quarumcunque clara & distincta perceptio, aut fundet aut infallibiliter signet, certissimam veritatem?

De omnibus esse dubitandum, ut ad veram sapientiam perveniamus.

Quæritur, Si hæc non sit ἀδολεσχία nominalis, terminorum ignorantia aut abusus; an etiam dubitandum sit de rebus fidei? an vero tantum de omnibus iis quę pertinent ad theologiam naturalem; aut ad legem naturæ & communem honestatem? aut ad rerum naturam, e. gr. an sint cœli, sydera, mare, terra, arbores, nox, dies, æstas, hyems, &c.

Bruta omni sensu, seu animâ ac vitâ sensitiva carere: & bovem ligneum seu automaticum non differre specie à bove vivente.

Quæritur: quid ergo fiet textibus scripturæ, qui spiritum vitę, cognitionem, exspirationem ac mortem brutis tribuunt?

Nullas esse notiones innatas, & κοινὰς ἐννοίας.

Quæritur: quid ergo fiet illis, quæ theologi contra Atheos, & Socinum pro theologia naturali, pro lege naturæ, pro conscientia naturali hactenus congesserunt.

Hominem esse ens per accidens.

Quæritur: An hac ratione optimè & tutissimè explicari ac contra infideles & atheos defendi possit unio hypostatica in Christo?

Hominem constare, ex mente & ex animâ & corpore, quæ duo posteriora constituant animal humanum.

Quæritur: An hoc dicto melius explicari & defendi possint theologica capita de creatione hominis ad imaginem Dei, de libero arbitrio & statu peccati, de regeneratione, de personâ Christi, de statu animæ separatæ?

Mundum animâ intellectivâ præditum?

Quæritur: An & quantum hæc opinio distet à Platonicâ? Et an theologia de creatione, de Dei Providentia, de fine mundi, &c. hac ratione tutius & facilius explicari, ac defendi possit, quam hactenus à theologis factum.

Quantitatis aliquam esse efficaciam.

Quæritur: An hac ratione juventur theologi & philosophi Chri-

ſtiani in ſuperſtitionibus, vanis obſervantiis, & arte Magica refutanda?

Opliatriam ſeu unguentum armarium eſſe licitum?

Quæritur: Quid futurum ſit decreto Synodi Roterodamenſis anno 1595.? Quid torrenti Doctorum tum theologorum tum philoſophorum in toto Chriſtianiſmo? Quomodo occurrendum ſcandalo, quod apud Pontificios contra noſtras eccleſias & Academias ob hæc & ſimilia ab aliquo reformato dogmatizata, excitatur. Vide 3. *part. ſelect. Diſpp. tit. de Magiâ.*

Principium juſti & honeſti eſſe conſervationem & defenſionem ſui ipſius?

Quæritur: An principium & norma honeſti ſit aut non ſit voluntas Dei naturaliter & ſupernaturaliter revelata, & quidem ſub forma mandati?

Choreas, ſortes ludicras, ſeu luſum chartarum, ludos ſcenicos, eſſe licita?

Quæritur: An hac ratione rectè defendi poſſint, antiquarum & noſtrarum ſynodorum decreta, ut & conſenſus noſtrorum theologorum; & conſequenter ſtudioſi ad ſtudium theologiæ practicæ ac concionatoriæ feliciter à ſic philoſophantibus præparari? *Vide ſupra diſpp. de Excelſis Mundi.*

Unionem aut ſyncretiſmum poſſe iniri cum Remonſtrantibus? ſeu quinquarticulanos ad communionem noſtram recipi poſſe?

Quæritur: An & quâ rerum eccleſiaſticarum experientia præſumtus quis ſpeculator tam facile difficillimum hunc caſum determinare potuerit; circa quem tam anxiè & laboriosè occupatæ fuerunt tum claſſes & ſynodi (anno 1619. 1627. 1628.) tum ipſa panegyris Ill. Ordd Hollandiæ?

Logicam ſcientiam & praxin nullius, aut parvi faciendam.

Quæritur: Quid ergo judicandum de theologicis in ſcripturam commentationibus, locis communibus, ſcriptis elencticis hactenus, præſertim jam à tempore reformationis, editis? Quomodo ſtudioſi hac opinione imbuti ea cum judicio legent & intelligent?

His & ſimilibus dum ſtudioſi, præſertim theologorum ſpeciali inſpectione & inſtitutioni commiſſi, certatim ad orthodoxam theologiam & veram pietatem (ſcilicet) præparantur); nefas erit theologis contra hiſcere: niſi ſuſurris, dicteriis, ſatyris, libellis famoſis exagitari, omniumque odiis objici velint; uti hoc factum, & etiamnum fieri, experientia clamat.

Annexum 1. Theologi, cum tali in caſu muneri impoſito & conſcientiæ ſuæ ſatisfaciunt, nec petulantiam unius atque alterius heterocliti capitis in pernitiem ſtudii theologici graſſari ſinunt; nullum dominatum epiſcopalem aut Papalem in Academias, aut Eccleſias, multo minus in Rempubli-

blicam affectant; sed potius ne Diotrephes quis per ἀπάτην aut corruptam ancillam in theologiâ, Academiâ, ecclesiâ, primatus sui tyrannidem erigat aut stabiliat, pro viribus impediunt.

Annexum 2. Iidem nec in verba Aristotelis jurant, nec alios directè aut indirectè ad hoc inducunt, nedum ut compellere studeant: Nec quisquam soli-ipsorum in æternum probabit in hac nostra, aut ullâ Academia reformata Theologos reperiri, qui absque ratione, nedum contra rationem, propter solam autoritatem Aristotelis, non dicam integra systemata scientiarum, sed vel unam thesin, aut hypothesin, aut axioma, aut objectionis solutionem, aut probationem recipiat ac tueatur. Mercurium non tam in pedibus quam in lingua habent, qui Academias reformatas & doctores earum hac in parte traducunt.

Object. Atqui prescribi solet in Academiis & scholis illustribus, aut etiamnum præscribitur. Ut Aristotelis logica, aut physica, aut Ethica aut politica, &c. explicetur. *Resp.* Sit ita: *Euclidis elementa*, *Rami Geometria*, *Theoricæ planetarum Purbachii*, *Geographia Ptolomei*, *Plinii liber.* 2., *Timeus Locrus de animo mundi*, *Cleomedis meteora*, *Sphæra Sacrobosci*, *Galeni varii tractatus*, *Hippocratis aphorismi*, Institutiones juris, Loci communes *Melanthonis* aut *Calvini institutiones*, Compendia Logica, Metaphysica, Ethica, Politica, recentiorum quorumvis authorum ex.gr. *Melanthonis*, *Molinei*, *Burgersdicii*, *Besoldi*, *Senguerdii*, & complurium aliorum autorum in Academiis & Scholis alicubi publicè privatimve proponentur. Dicam amplius, catechesis nostra ubique in Scholis & Ecclesiis proponitur. An inde calumniose inferent cum Remonstrantibus, nos Catechesin æquiparare, immo præferre ipsi scripturæ.

Annexum 3. Communis reformatarum scholarum philosophia, Christianæ fidei accommodata & ancillans, Peripatetica dicitur; non quod ad particulares omnes opiniones, sed quod ad bonam immo & potiorem partem; hoc est, quod ad methodum docendi, & quod ad generalia principia ac præcipua luminis naturalis & rectæ rationis axiomata ductu universalis experientiæ, per tot sæculorum observationes, & ventilationes trita, recepta, & studiis discentium ac docentium accommodata. Quæ ita incerpolata, æque aut magis philosophia Christiana, quam Peripatetica dici posset.

Annexum 4. Qui absque hac philosophia probè percepta ad solidam eruditionem theologicam, & quorumvis theologorum (patrum, scholasticorum, recentiorum, adde & quorumvis hæteticorum ac fanaticorum) intelligentiam, collationem, examen, fideique Christianæ contra adversarios quoscunque defensionem, se idoneum fore putat, Icarum ac Phaë-

tontem imitatur. Hæc ego anno 1656., de infelicibus quibusdam, periculosis & malè sonantibus philosophematis studio sacro parum convenientibus studiosos theologiæ monebam. Sed plura post illud tempus eruperunt & detecta sunt : de quibus theologi jam monere cœperunt.

§.14 Vocatio & electio ministrorum ecclesiastica est ; eique repugnat vulgò jactatum jus patronatus. Quod perperam ex additamento anno 1619. in *Synodo Dordracena* canonibus regiminis ecclesiastici defensum eunt. Cum ex historia constet illud additamentum à synodalibus non propositum, nec inventum, nec probatum, nec adjectum; sed à provinciæ unius atque, alterius delegatis politicis, synodales plerique à se quamvis invitis & frustra obnitentibus πάππῳ hoc debere tolerari judicarunt ; siquidem communi omnium provinciarum autoritate ordinem suum ecclesiasticum comprobatum ac munitum vellent. Sed hæc colerantia ac συγκαπιβασις eos longè fefellit. Idem evenit *Synodo Nationali Hagæcomitanæ an.* 1586., quæ ob turbas & dissensiones Leycestrianas, ex necessitate & eadem intentione ac spe Constitutionibus suis adjici passa est artic. 34. sessionem delegatorum Magistratus in quovis conventu synedrii. Unde inique & imperitè nonnulli inferunt jus ecclesiasticum ab ipsa ecclesia ad meliorem ædificationem constitutum. Nihil minus. Vide hæc abundè explicata in *1. part. polit. eccles. lib. 1. tr. 2. & part. 2. lib. 3.* Longè alii sunt canones & decreta, continentia materiam conceptam in pectore ecclesiæ, convenienter verbo Dei ad meliorem ędificationem per se & positivè facientem, quam ecclesia ex proprio sinu volens, libens depromit, proponit, urget. Qualia ex. gr. de habendis Synodis, Classibus, Synedriis ; de visitationi bus ecclesiarum & visitatoribus ; de senioribus gubernantibus, eorumque potestate ac munere ; de ecclesiasticâ electione ministrorum per synedrium ; de legitimâ translatione ministrorum ad alias ecclesias ; de curâ ministrorum emeritorum ; de correspondentia ecclesiarum Wallonici & Belgici idiomatis in una urbe ; de subscriptione formularum doctrinæ, à ministris & ludi magistris exigendà ; de non admittendis ad cœnam domini absque edita fidei confessione, & vitæ probatione per testimonia ; de æquali potestate ecclesiarum & ministrorum ; de transitu membrorum ab ecclesia ad ecclesiam non sine scripto testimonio ; de disciplina ecclesiastica & excommunicatione. His & similibus canonibus accedant decreta Synodorum de catechizatione, ut *Dordracenæ* anno 1619. *Sess.* 17. De exauthoratione & reconciliatione ministrorum Remonstrantium. Ibid. *sess.* 138. collatum cum decreto *Synodi Holland. Brielanæ* anno 1623. Adde quamplurima & iterata Provincialium Synodorum decreta de emendandis Sabbathi profanationibus, aliisque clam antibus peccatis ; de impedienda & sistenda Papismi, Remonstrantismi,

tiſmi Anabaptiſmi propogatione; de prævenienda Sociniſmi irruptione, de modo admittendi membra Remonſtrantica, de tollendis & expurgandis etiam minimarum ſuperſtitionum reliquiis, ex templis, compitis, à ſepultura mortuorum, &c.; de arcendo fœnore publico, ſeu eo non tolerando; imprimis de manifeſtis fœneratoribus (quos trapezitas appellant) ad communionem non admittendis; de emendando luxu in veſtium & capillorum ornatu, de arcendis choreis, comœdiis, ſortibus ludicris; de ſarta tecta conſervanda poteſtate eccleſiaſtica, præſertim in electione miniſtrorum, contra patronorum, toparcharum, Magiſtratuum (inter quos non rarò à religione alieni) uſurpationem. Pro his & ſimilibus canonibus ac decretis, quæ *motus proprios* appellare poſſumus, ex corde ipſius eccleſiæ profectis zelare nos convenit, talia urgere, & rationes theologicas contra ignavos, tepidos, ἀπάθεις, novaturientes, Soli-ipſos, allegare. Sed aliter ſtatuendum de aſſumento de jure patronatus, & de permiſſione ſeſſionis in ſynedrio, & ſi quę his ſimilia; quę à nullo theologo decorè allegari, multo minus urgeri debet, minimè omnium eccleſiæ alicui invitæ prætextâ autoritate Synodi Nationalis imponi; ita ut nefas illi eſſet libertate ſuâ hic uti, aut quidquam pro eâ dicere ac tentare, & quidem ad meliorem ædificationem; niſi univerſalis omnium eccleſiarum Belgicarum in Synodo Nationali congregatarum per formalem revocationem, aut expunctionem, contrariamque ſanctionem liberatio & manumiſſio à duplici hoc jugo ſeu onere preceſſiſſet. Nec valet hic regula, per quam poteſtatem & fotmalitatem quid conſtitutum eſt, per eam tantùm abrogari aut mutari debet. Quia hęc à Synodis citatis nec inventa, nec conſulta, nec ſuggeſta ſunt, ne quidem ſponte admiſſa; nedum ut ex mandatis aut poſtulatis claſſium, ſynodorum provincialium talia tractare & determinare debuerint: ſolummodo tolerata, cum tollere non poſſent à vi majori impoſita, ad majora mala vitanda, & bonum approbati ac confirmati communis ordinis eccleſiaſtici, ab omnibus Belgii provinciis obtinendum. Si quæ ergo eccleſia particularis hactenus immunis fuit ab his aliiſque per potentes, aut per violentam conſuetudinem, impoſitis, aut ſi quę ſubjugis liberationem & libertatem ſuam quibuſvis legitimis mediis molitur: illi hoc fraudi eſſe non debet, nec ea à vicinis eccleſiis ad defectum hunc retrahi, & vel ad momentum in eo retineri debet. Idem dicimus de correſpondentia in vocatione miniſtrorum, cujus ibidem meminit *ordo eccleſiaſticus* anno 1619. *artic.* 4. quæ in præjudicium liberę electionis inſtar naſi cerei paſſim ad quidvis flectitur. Et hanc diſtinctionem inter canones ſeu eorum partes; decreta, conſilia, & conatus ſynodorum provincialium, claſſium, ſynedriorum abundè nos docuerunt. Quid contra jus patro-

na-

natus tentatum sit, statim post *Synodum Nationalem* anno 1619. *in synodo Holland. Leidensi*, discе ex actis, & egregia remonstrantia, Ill. & præpot. Hollandiæ Ordinibus tunc exhibita. Ut sequentes Hollandicas, aliarumque provinciarum Synodos, Classes, ecclesias nunc præteream, quæ quamcunque occasionem aut captare aut observare non desinunt. Mitto referre, quid contra sessionem alicubi actum, & quâ curâ eandem post habeant aut declinent omnes propemodum ecclesiæ, pauciſſimis exceptis. Hæc omnia statuta & decreta sub distinctione allatâ, ex mente ecclesiarum nostrarum, à theologis defendenda, & filiis prophetarum in scholis inculcanda: quod si seriò, fideliter, sedulo agunt, utique immunitatem à calumniis, insectationibus, & diffamationibus promereri videntur.

§. 15 De Sabbathi sanctificatione variant aliquot reformatorum theologorum sententiæ. Communis, aut saltem communior, sententia est, designationem unius Dei ex septem, esse juris divini moralis, sic *Beza*, *Fr. Junius*, *Piscator*, *Paræus*, *Kuchlinus*, *Perkinsus*, *Wittakerus*, *Deodatus*, *Festus Hommius* in tabulis catecheticis, &c. alii aliqui sentiunt partitionem istam libertati atque arbitrio tum ecclesiastico tum politico, in N.T. reservari: quales fere sunt aut esse videntur *Calvinus*, *Danæus*, *Ursinus*, *Rivetus*, &c. Pontificii ecclesiæ suæ omnium festorum & temporum determinationem tribuunt, & conscientias determinationi illi subjiciunt. Nos cum primis sentimus, esse partitionem illam ἄγραφον & juris divini; & sic optimè argumentum Socinianum pro mutatione legis per Christum novum legislatorem submoveri censemus. Quod ad diem primum hebdomadis, quem dominicum vocamus, an ille ex circulo hebdomadali à Christo immediatè, aut ab Apostolorum sive doctrina sive praxi & exemplo in N.T. sit designatus, & consequenter an sit juris divini immutabilis; an vero liberæ & temporariæ observationis Apostolicę, quę omnes ecclesias semper & ubique non obstringeret, quæritur. Ego ut verum fatear, in hac controversia vix alicui contradicerem, si modo partitionem ex 4. decalogi præcepto admittat, & sabbathum Christianum à primo die hebdomadis in alium transferendum, non contendat: nec tamen video orthodoxiæ, aut praxi pietatis quidquam præjudicari, si inclinem in partem priorem. Imprimis autem, quamcunque sententiam quis elegerit, omnibus nobis de praxi sabbathi laborandum censeo; ut omnes à profanationibus abducti exercitiis pietatis occupentur. De quibus exercitiis, & tota praxi, oppositisque profanationibus consulendi *Kuchlinus & F. Hommius* loc. cit. & decreta *Synodi Nationalis Dordracenæ in post-actis*, aliaque quamplurima Synodorum Provincialium. Infinitas curiosulas, sæpe ineptas quęstiones hic præterimus; quibus simpliciores magis confunduntur, quam ædificantur. Quisque potius conscientiæ suæ, prudentiæ; & caritati Christianæ atten-

attendat, quum otiosis quæstiunculis indulgeat, ad piam diei dominicæ observationem ac praxim excutiendam, aut laxandam comparatis. Vide 3. *part. sel. disp. tit. de sabbatho & festis.*

De definito tempore administrationis Cœnæ Dominicæ nihil in scriptura definitum est: nihil ergo libertati ecclesiarum præscribendum. Pontificii festo (uti vocant) paschali allegârant: hinc factum, ut idem tempus à reformatis Ecclesiis quibusdam retineretur, sed tamen liberè; idque ut neophytis & infirmis, qui tempori illi assueverant, sese accommodarent, exemplo Pauli. 1 *Cor.* 9. *v.* 20.-24. Aliæ tamen Ecclesiæ, etiam in Belgio nostro, nec illo, nec aliis dictis festis administrant. Ita ut planè adiaphorum hoc semper habitum sit: nec quisquam in hac aut illa temporis partitione & designatione mysticum quid quæsierit. Constitutione nostræ Ecclesiasticæ anni 1581. secundo quoque mense, si quidem fieri posset, cœnam celebrari volunt: Anno 1586. additum est futurum ad ædificationem ut fiat diebus Paschæ, pentecostes, nativitatis, ubi ratio & constitutio Ecclesiarum ita fert. Hoc consilio nullæ Ecclesiæ se tanquam lege obligari putârunt. Sunt enim multæ, forte pleræque, quæ quater quotannis, paucæ, quæ die pentecostes, multæ, quæ nec die Paschæ, nec nativitatis celebrant. Nostra Ecclesia Ultrajectina ante quadriennium præter propter (hoc ita scribebam anno 1656.) quaternas vices antea inæqualiter divisas per trimestres exactè divisit: & primum diem dominicum tertii cujusque mensis designavit: quo factum, cum in diem nativitatis cœnæ distributio non incideret, illum diem abrogatum, & consequenter ipsum Christianismum imperiti & malevoli nonnulli blaterarent: cum de priori in synedrio nostro deliberatum non esset, multò minus concluſum. Fabulam illam propagabant in vicinis civitatibus nonnulli ex emissariis sacrificulis: de quo per epistolam amici tunc certior factus sum. Paulo post ille strepitus cessavit, usque ad annum præcedentem: quo de novo à nescio quibus susurronibus concitatus est; & futile hoc mendacium futiliori accusatione coloratum, quod Ecclesia nostra incurrisset in constitutiones Ecclesiasticas, quæ cœnam dominicam diei scil. nativitatis affigunt. Φεῦ τ ἀθεολογίας & ἀδιαστολίας! Quid sit de catachresticè dictis festis (ut rectè judicat *Piscator in Galat.* 4.) quomodo Ecclesiæ nostræ Belgicæ propter autoritatem Magistratus volentes nolente animo dies illos retinere debuerint, eosque ideo hominum ignavum otium avertendum in conciones impendi consultum duxerint, ante annos complures satis superque declaravimus in *disp. de tempore nativitatis Christi*, & *de sabbatho & festis.* Conferant, φιλομαθεῖς *constitutiones Ecclesiasticas Dordrac.* 1575. & 1578. cum *constit. Middelburg.* 1581. & *Hagæ-Comit.* 1586. Et ex Antagonistas Pontificiorum, *Calvinum in Institut.* & in Epistolis, aliosque alibi à

§. 16

nobis cit. Hoc in disquisitionibus de observatione istorum dierum prudenter cavendum, ne Ecclesiis nostris Belgicis in prima sua caritate & optimè constitutis, Gallicis præterea, Scoticis, Genevensi, &c. aut præstantissimis theologis reformatis, quidquam præjudicemus, & pontificiis erroribus non satis validè resistamus.

Syllabum istarum quæstionum, quo in privatis collegiis decalogicis, aliquoties usus sum: hic in gratiam studiosorum, aliorumque φιλυμαθῶν exhibeo.

SYL-

SYLLABUS QUÆSTIONUM AD DECALOGUM.

PROLEGOMENA.

1. AN & quomodo una sit Theologia, & plures dici possint, ut Positiva, Didactica, Elenctica, Problematica, Historica, Practica, moralis seu Casuistica, Ascetica, Politica-Ecclesiastica? *Dist.*

2. An Theologia Practica, seu pars illa de observantiâ, dividi possit, in moralem seu Decalogicam, Asceticam, & Politicam Ecclesiasticam? *Aff.*

* *Tract. de bonis operibus in generali.*

1. AN Theologia moralis rectè dividatur in duas partes, scil. 1. de bonis operibus in generali. 2. de bonis operibus in particulari? *Aff.*

2. An tractatus de bonis operibus in generali rectè dividatur,

in istas partes { 1. De subjecto & principibus bonorum operum? } { 2. De adjunctis requisitis? } { 3. De divisione? } { 4. De oppositis. } } *Aff.*

* Titulus I. *De subjecto & principiis bonorum operum.*

* Subtit. I. *De subjecto.*

1. AN omnis actio hominis sit humana? *Neg.*

2. Quænam propriè dicatur actio humana? an facultatis rationalis; an etiam sensitivæ & loco motivæ? an etiam vegetativæ? *Dist. & E.*

3. An omnis actio humana necessariò sit moraliter bona, vel mala? *Dist.*

* Subtit. II. *De principiis actionum humanarum* { *internis.* / *externis.*

* *De principiis internis.*

* *De intellectu.*

1. AN intellectus distinguatur ut à voluntate? *Aff.*

2. An distingui possit in agentem & patientem; in apprehensivum & indicativum; in Theoreticum & practicum? in directum & reflexum? *Aff.*

3. An & quomodo ingenium distinguatur ab intellectu? *Aff. pr. expl. post.*

4. An dici possit intellectum habere species intelligibiles, tum impressas, tum expressas? *Incl.* in *Aff.*

5. An omnium rerum cognoscibilium species intelligibiles humano intellectui sint impressæ, eique connatæ? *Neg.*

6. An species intelligibilis Dei, eaque clara & distincta humanæ menti connata sit & impressa? *Neg.*

7. An facultas seu potentia Deum cognoscendi, seu quod sit Deus, humanæ menti connata & impressa? *Aff.*

8. An illa facultas sit actualis Dei cognitio omnium hominum mentibus impressa? *Neg.*

9. An species intelligibilis impressa, aut expressa, sive conceptus formalis Dei, sit & rectè dicatur idea? *Neg.*

10. Et si hoc significaret Idea; an detur aut dari possit in hac vitâ species intelligibilis immediata directa & propria, infinitum Deum repræsentans; sive impressa, sive expressa? *Neg.*

11. An intellectus rationalis sit in brutis? *Neg.*

* *De voluntate.*

1. AN voluntas sequatur *ultimum* judicium intellectus practici? *Aff.* cum *Dist.*

2. An judicium sit formaliter in & à voluntate; non in & ab intellectu? *Neg.*

3. An voluntas in quocunque statu sit libera? *Aff. c. Dist.*

4. An libertas voluntatis formaliter consistat in eo, quod possit agere, aut non agere, positis omnibus ad agendum requisitis? *Dist.*

5. An prædeterminatio voluntatis tollat τὸ voluntarium seu liberum? *Neg. c. Dist.*

6. An

6. An voluntarium & liberum realiter differant? Neg. cont. Becan. in Theol. Scholast.

7. An voluntas possit cogi aut pati violentiam in actibus elicitis, aut saltem in actibus imperatis? *Neg.*

8. An Deus possit immediatè operari intra voluntatem, & facere ut velimus, absque coactione & violatione libertatis? *Aff.*

* *De sensu, seu potentiâ sensitivâ.*

1. AN sensus externi & interni sint principia humanæ cognitionis? *Aff.*

2. An pars sensualis, hoc est affectus & cupiditates distinguantur à rationali voluntate? *E.*

3. An subjaceant directioni & Imperio voluntatis? *Aff.*

* *De appetitu seu affectibus.*

1. AN passiones rectè dividantur in irascibiles & concupiscibiles? *Aff.*

2. An in omnibus passionibus humanis inveniatur bonum, aut malum morale? *Aff.*

3. An omnis passio animæ, seu affectus sit moraliter malus? *Neg. cont. Stoicos.*

4. An amor sit prima passionum inter concupiscibiles? *A. c. D.*

5. An spes sit prima inter passiones irascibiles? *Aff.*

6. An quatuor passiones, gaudium, tristitia, spes, timor numerandæ sint inter principales? *Aff.*

7. An amor sit in concupiscibili? *Aff.*

8. An sit idem quod dilectio? *Neg.*

9. An rectè distingui possit in amorem amicitiæ, & concupiscentiæ? *Aff.*

10. An in amorem benevolentiæ & amicitiæ? *Aff.*

11. An bonum sit sola causa amoris? *Aff. c. D.*

12. An cognitio quà talis sit causa amoris proxima & immediata? *Neg.*

13. An affectus, seu appetitus amoris, rectè distingui possit, in desiderii, complacentiæ seu acquiescentiæ, & benevolentiæ? *Aff.*

14. An zelus sit effectus amoris, & in quo formaliter consistat? *Aff. pr. Expl. post.*

15. An causa & objectum odii sit malum? *Aff.*

16. An odium causetur seu proveniat ab amore? *Aff.*

17. An concupiscentia tantum sit in appetitu sensitivo? *Dist.*

18. An quis odio habere possit seipsum? *Neg. cum Dist.*

19. An concupiscentia possit dici infinita? *Dist.*

20. An dici possit delectationem, gaudium strictè dicta differre? *Dist.*
21. An motus sit causa delectationis? *Aff. c. Dist.*
22. An spes & memoria? *Aff. c. D.*
23. An omnis delectatio sit mala, an verò bona? *Dist.*
24. An dolor sit passio animi an verò corporis? *Dist.*
25. An tristitia idem sit quod dolor? *Neg. cum Dist.*
26. An delectationi contemplationis sit aliqua tristitia contraria? *Neg. cum Dist.*
27. An concupiscentia sit causa omnis doloris? *Neg.*
28. An dolor impediat actiones virtutis? *Dist.*
29. An magis noceat valetudini corporis, quam alii affectus? *Dist.*
30. An lachrymis seu fletu dolor aliquando mitigari possit? *Aff.*
31. An etiam per somnum, aut per vigilantem contemplationem? *Aff.*
32. An omnis tristitia sit mala? *Dist.*
33. An tristitia possit esse bonum honestum? *Aff.*
34. An spes sit idem quod desiderium & cupiditas? *Neg.*
35. An spes dici possit aliquo modo esse in brutis? & quod discrimen inter spem brutorum & hominum. Expl.? *Dist.*
36. An in hâc vitâ detur desperatio? *Aff.*
37. An desperatio cadat in verè fideles? *Neg.*
38. An omnis timor sit malus? *Neg.*
39. An objectum timoris sit bonum, an malum? *Dist.*
40. An magis timere debeamus malum culpę, an pœnæ? *Aff. pr.*
41. An, & quomodo amor sit causa timoris? *Aff. pr. Ex. post.*
42. An audacia sit opppositа spei? *Aff.*
43. An ira sit specialis passio? *Aff.*
44. An objectum ejus bonum & malum? *Aff. c. dist.*
45. An & quomodo differant ira & odium? *Aff. pr. Exp. post.*
46. An ira causet delectationem? *Aff.*

* *De loco motivâ.*

1. AN actiones loco motivæ subsint rectæ rationi, & bonitatis & malitiæ moralis capaces sint? *Dist.*

* *De Habitu.*

1. AN dentur habitus virtutum, tum Theologicarum, tum moralium; an verò tantum sint actiones transeuntes? *Aff. pr.*
2. An habitus illi sint infusi, aut acquisiti? *Dist.*

* *De*

* *De Conſcientiâ.*

1. AN Conſcientia ſit potentia naturalis, an habitus ſive infuſus, ſive acquiſitus, an actus ſecundus? *Diſt.*

2. An conſcientia ſit in omnibus hominibus, & creaturis intelligentibus? *Aff.*

3. An in ullâ creaturâ intelligente exſtingui vel tolli poſſit? *Neg.*

4. An partes ejus rectè conſtituantur, *ſyntereſis*, *conſcientia* ſtrictè dicta, quę index eſt, & *Epicriſis*, quæ judex eſt, ſeu ſententia judicis? *Aff.*

5. An lex Dei ſit adaquata conſcientiæ regula? *Aff.*

6. An lex naturalis, an verò ſupernaturalis revelata? *Neg. prius*, *Aff. Poſt.*

7. An Conſcientia errans ſit regula actionum noſtrarum? *Neg.*

8. An ergo operandum ſecundum Conſcientiam errantem, an contra eam? *Neutrum.*

9. An conſcientia dubia ſit regula actionum noſtrarum? *Neg.*

10. An ea ſit affectanda, aut retinenda? *Neg.*

11. An conſcientia ſcrupulosâ exiſtente, tamen agendum ſit quæ Deus præcepit? *Aff.*

12. An conſcientia rectè dividatur in bonam & in malam; & an bona rectè dividatur in honeſtè & pacatè bonam? *Aff.*

13. An conſcientia mala rectè dividatur in quietè, & triſtiter malam? *Aff.*

14. An conſcientia rectè & juſtè accuſans peccatorem de peccato, ſit honeſtè bona, an mala? *Aff. pr.*

15. An conſcientiæ cauterizatio, 1 *Tim.* 4. dicat totalem privationem? *Neg.*

* Subt. II. *De bonorum operum principiis externis* { 1. Lege Dei. 2. Exemplis aliiſque motivis. 3. Gratia Dei.

* *De lege Dei.*

1. AN & quomodo lex differat ab Euangelio? *Aff. pr. Exp. poſt.*

2. An lex divina rectè dividatur in moralem, ceremonialem & forenſem? *Aff.*

3. An lex omnis à Thomâ rectè dividatur, in æternam, divinam, naturalem & humanam? *Neg.*

4. An rectè reciprocentur moralis & naturalis; ſive à parte Dei dicatur talis

talis, hoc est absolutè & necessario homini ponenda; sive à parte hominis? *Neg.*

5. An ergo detur lex positiva, seu ejus præceptum aliquod, quod sit morale; non tamen absolutè necessarium & naturale, tum à parte Dei, tum à parte hominum? *Aff.*

6. An decalogus contineat legem moralem? *Aff.*

7. An rectè dicatur Decalogum continere fœdus gratiæ? *Neg.*

8. An fideles in V. Test. aut etiam in N. T. sint sub lege tanquam fœderis veteris instrumento, & sic sub maledictione: an verò sub gratiâ? *Aff. post.*

9. An decalogi præceptum peculiare, sit secundum de imaginibus, an verò solummodo sit explicatio primi? *Aff. pr. Neg. post.*

10. An decimum præceptum rectè dividatur in duo? *Neg.*

11. An ante lapsum fuerit lex moralis? *Aff. c. Dist.*

12. An post lapsum usque ad Mosen? *Aff.*

13. An lex moralis decalogica, alia fuerit ante, alia post Christi adventum? *Neg.*

14. An Christus sit novus legislator, & tulerit nobis legem, (quam vocant) Euangelicam, in multis auctam, in quibusdam diminutam? *Neg.*

15. An *Math. 5.* Christus correxerit aut mutârit legem decalogicam à Mose & Prophetis traditam? *Neg.*

16. An Euangelium strictè dictum habeat præcepta, & quidem nova, quæ lex moralis propriè dicta sub V. T. non habuit? *Neg.*

17. An Euangelium legaliter præcipiat fidem in Christum? *Neg.*

18. An Fides illa præcipi intelligatur primo decalogi præcepto? *Aff.*

19. An & quomodo sub fœdere gratiæ, præsertim sub N. T. præcipiatur fides in Christum? *Expl.*

20. An Euangelium tempore V. T. revelatum & cognitum fuerit? *Aff.*

21. An Euangelium tollat justitiam legis, sive in totum sive in tantum? *Dist.*

22. An Euangelium præcipiat Resipiscentiam, an verò lex? *Neg. pr. Aff. Post.*

23. An solum Euangelium habeat promissiones? an etiam lex? *Neg. pr. Aff. Post.*

24. An promissiones temporales sint Euangelicæ, an legales? *Expl.*

25. An Euangelii promissiones de temporalibus sint absolutæ, an conditionatæ? *Aff. Post.*

26. An ejus promissiones de spiritualibus, sint absolutæ, an conditionatæ? *Dist.*

27. An promissiones spirituales sint universales ? *Neg.*

28. An difficilior sit prædicatio Euangelii ; an legis ? *Dist.*

29. An lex vetus sub V. T. fuerit typus legis (ut vocant) novæ sub N. Test. *Neg.*

30. An aliqua sub V.T. secundum legem moralem fuerint licita, quæ nunc sub. N. T. sint illicita ? *Neg.*

31. An vice versa aliqua secundum legem moralem sub V. T. fuerint illicita, quæ nunc sub N. T. sunt licita ? *Neg.*

32. An rectè & accuratè à Pontificiis dicatur legem novam à Christo datam continere triplicia præcepta, moralia, legalia, & Fidei ? *Neg.*

33. An lex ceremonialis fuerit ante Mosen ? *Aff.*

34. An fuerit aliqua politica forensis in familiis Patriarcharum ? *Nihil repugnat.*

35. An & quem usum habeat sub N. Test. lex ceremonialis & forensis ? *Expl.*

36. An forensis Mosaica rectè dicatur nos obligare, quoad quædam præcepta, & abrogata esse quoad alia ? *Neg.*

37. An obliget omnes politias usque ad finem mundi in quibusdam quæ moralia vocantur, vel quæ sunt communis juris, sive naturalis, sive moralis ? *Neg. c. Dist.*

38. An obliget universaliter, quoad pœnarum capitalium sanctiones? *Neg.*

39. An leges humanæ in quâque politiâ sub N. Test. ferri possint ? *Aff.*

40. Quænam earum sit regula, quæque requisita ? *Expl.*

41. An lex humana pœnalis (ita dicta) omnes, ubique & semper obliget in conscientiâ ? *Neg. c. D.*

42. An Euangelio excellentia tribui possit supra legem ? *Aff.*

43. Quo respectu objectum Euangelii, scil. fœdus gratiæ, sit excellentius ? *Expl.*

44. An perfectio legis sit umbra perfectionis ejus, quæ est in lege nova. seu Euangelio ? *Neg.*

45. An lex moralis, & obedientia Deo secundum illam præstanda tanquam directorium sub. N. T. sit mitior seu laxior, quam sub V. T. atque adeo major nunc libertas & immunitas ? *Neg.*

* *De motivis bonorum operum & specialiter de exemplis.*

1. AN motiva rectè distinguantur in legalia & Euangelica ? *Aff.*

2. An inter legalia rectè numerentur 1. Beneficia Dei 2. Judicia seu pœnæ & castigationes 3. Quatuor novissima. 4. Ordinaria verbi prædicatio, & sacræ politię ac disciplinę administratio. 5. Extraordinaria signa.

* *De gratiâ Dei.*

1. AN gratiâ Dei sit causa omnium bonorum operum in nobis? *Aff.*
2. An gratia rectè distinguatur in internam & externam? *Aff.*
3. An interna recte dividatur in illuminantem, regenerantem, & sanctificantem? *Aff.*
4. An gratia sanctificans rectè distinguatur in primam seu prævenientem, quę regeneret; & in secundam seu subsequentem; quæ conservet, excitet, prædeterminat, applicet, & faciat ut faciamus? *Af.*
5. An gratia omnis efficaciter regenerans, aut sanctificans, sit irresistibilis? *Af.*

Objectio. Objicitur tum homo cogitur, quia non vult.

Resp. Resp. Quo ad actum & momentum primum, nec volentem, nec nolentem se habet homo: merè enim passivè se habet, quippe mortuus: quod ad actum & momentum secundum, Deus voluntatem inclinat, ut nihil contra eam fiat.

Objectio. Objicitur porrò., Judæi *Act.* 6. 10. dicuntur restitisse spiritui loquenti in Stephano; & proinde est resistibilis.

Resp. Resp. Sic est: restiterunt Spiritui S. loquenti in Petro, non autem intus in ipsis operanti: Immo finis Spiritus S. non fuit ipsos convertere, sed tantum convincere: Sicque alius fuit finis operis, scil. quod Stephanus quidem intenderit eorum conversionem: alius finis operantis, Spiritus scil. S. Confer in primâ parte Thologiæ locos communes de attributis divinis, & de Regeneratione.

* Titulus II. *De adjunctis & requisitis bonorum operum.*

1. De veritate seu sinceritate.
2. De necessitate.
3. De præcisitate seu ἀκριβεία.
4. De constantia seu progressu.
5. De efficaciâ seu causalitate, & oppositio merito.
6. De imperfectione.

* Subtit. I. *De veritate.*

1. AN verum bonum opus possit esse, sine actu interiori; aut an sine exteriori? *Neg. pr. Af. post.*
2. An opus (quod vocant) operatum sit verus actus religionis? *Neg.*

* Sub-

* Subtit. II. *De necessitate.*

1. AN bona opera sint necessaria? *Aff.*
2. An possint dici necessaria ad salutem? *Aff. c. Dist.*
3. An reformati negent bona opera esse facienda intuitu mercedis? *Neg.*
4. An sola necessitas finis, seu salutis obtinendæ, hic locum habeat? *Neg.*
5. An ergò essent necessaria, si nullum præmium salutis expectandum foret? *Aff.*

* Subtit. III. *De præcisitate seu ἀκριβείᾳ.*

1. AN, & quo sensu præcisitas sit adjunctum & requisitum bonorum operum? *Expl.* Vide *disp. de præcisitate.*
2. An ulla religio sub nomine Christianismi, magis doceat ac urgeat præcisitatem, quàm Reformata? *Neg.*
3. An Pontificia aut Remonstrantica æque doceat & urgeat, ac Reformata? *Neg.*
4. An ἀκρίβεια seu præcisitas sit hypocrisis, aut Pharisaismus, aut superstitio Monachalis, aut enthusiastico-phanatismus? *Neg.*

* Subtit. IV. *De constantiâ seu incremento.*

1. AN constantia sit necessarium requisitum bonorum operum? *Af.*
2. An etiam progressus & incrementum? *Af.*
3. An in fidelibus detur totalis intercisio cursus bonorum operum? *Neg.*

* Subtit. V. *De efficaciâ.*

1. AN bona opera aliquo modo dici possint producere vitam æternam? *Aff. c. Dist.*
2. An detur meritum de congruo, aut condigno? *Neg.*
3. An detur meritum supererogatorium? *Neg.*

* Subtit. VI. *De imperfectione in hâc vitâ.*

1. AN bona opera fidelium in hac vita sint perfecta? *Neg.*
2. An ullum bonorum operum (specificè distinctum à peccato) sit perfectum? *Neg.*

* Titulus III. *De divisione.*

2. AN Bonum opus rectè dividatur in virtutem, & ejus actionem? *Af.*

2. An in religionem, & juſtitiam? *Aff.*

3. An in opus internum & externum *Af.*

4. An in officia charitatis erga Deum & proximum? *Af.*

5. An in tres virtutes Theologicas, & quatuor morales? *Diſt.*

6. An ſeptem ſint dona Spiritus S. nec plura nec pauciora? *Neg.*

7. An dona (ita dicta) differant à virtutibus, *Neg.*

8. An ſeptem illa dona (quæ ita vocant) ſint chariſmata, ſeu gratiæ (quas ita vocant) gratis datæ? *Neg.*

9. An ſint octo beatitudines Euangelicæ *Math.* 5. enumeratæ, hiſce verſiculis comprehenſæ.

Sit pauper, Mitis, Lugens, Juſtus, Miſeranſque
Mundus, pacificus, pro perſequentibus orans? Neg.

10. An illæ beatitudines à virtutibus, donis, & chariſmatibus diſtinguantur? *Neg.*

11. An ſint novem fructus ſpiritus, nec plures, nec pauciores, ex *Gal.* 5.? *Neg.*

12. An illi fructus ſpiritus à virtutibus Theologicis & donis diſtinguantur? *Neg.*

* Titulus IV. *De oppoſitis, peccatis ſcil.*

1. AN peccatum privativè an contrariè opponatur bono operi? *Diſt.*

2. An reatus ſit de ratione formali, ſeu eſſentiâ peccati, quâ talis? *Neg.*

3. An peccatum omne ſit mortale? *Aff. cum Diſt.*

4. An obduratio in peccatum aut mens ἀδόκιμος, aut conſcientia cauterizata, conſtituat peccati ſpeciem diſtinctam? *Neg.*

5. An illa cadant in regenitos & fideles? *Neg.*

6. An in electos ante actualem converſionem? *Aff.*

7. An peccatum in Spiritum S. cadat in electos, ſive ante ſive poſt converſionem? *Neg.*

8. An peccatum regnans cadat in regenitos & fideles? *Neg. c. Diſt.*

9. An ſecuritas carnalis? *Diſt.*

10. An peccatum contra conſcientiam? *Aff.*

11. An etiam peccatum præſumptionis? an vero omnia eorum peccata ſint ignorantiæ aut infirmitatis? *Diſt.*

12. An peccatum omiſſionis, ſit ſine commiſſione? *Neg.*

13. An circumſtantiæ aggravent peccatum? *Aff.*

14. An continuatio, & relapſus ſeu recidiva? *Aff.*

15. An peccata contra primam tabulam graviora ſint peccatis contra ſecundam Tabulam? *Aff. c. Diſt.*

TRACTATUS II.

DE BONIS OPERIBUS IN PARTICULARI,

Titulus I. *Ad primum Decalogi præceptum.*

* Subtitulus I. *De cognitione Dei ejusque oppositis.*

1. AN necessaria sit Dei, rerumque divinarum cognitio? *Aff.*
2. An necessaria necessitate medii, an præcepti? *Aff. pr.*
3. An & laicis (ut vocant) sit necessaria? *Aff.*
4. An detur aliqua cognitio Dei naturalis, innata & acquisita? *Aff.*
5. An nulla sit notitia naturalis, nisi ex ideâ, & per ideam Dei in homine? *Neg.*
6. An omnis ignorantia sit peccatum. *Dist.*
7. An aliqua ignorantia possit dici docta & quomodo? *aff. pr. Ex. Post.*
8. An & quomodo inconsideratio seu inadvertentia differat ab ignorantia? *Aff. pr. Expl. Post.*
9. An ista inconsideratio seu inadvertentia sit peccatum? *Dist.*
10. An oblivio sit peccatum? *Dist.*

* Subtit. II. *De fide, ejusque, oppositis.*

* *De Fide.*

1. AN fides sit virtus distincta à spe & charitate? *Aff.*
2. An fides formaliter distinguatur ab obedientia mandatorum sive legalium, sive (ut vocant) Euangelicorum *Aff.*
3. An dupliciter considerari possit, absolutè & materialiter, ut species virtutis & boni operis, & relatè seu formaliter, ut instrumentum quo Christus apprehenditur? *Aff.*
4. An fides justificet instrumentaliter, quâ efficax per charitatem? *Neg.*
5. An fides salvifica seu justificans formaliter dicat tantum assensum generalis veritatis propositæ & divinitus revelatæ: an insuper assensum specialem seu applicativum? *Aff. Post.*
6. An fidei divinæ possit subesse falsum: & an Deus mandet, aut mandare possit, ut credamus falsum? *Neg.*
7. An fides sit formaliter & adæquatè in intellectu? & à fiduciâ distinguatur? *Af.*

8. An ultima analysis fidei sit in revelationem divinam seu scripturam? *Dist.*

9. An fides distingui possit in formatam & informem? *Neg.*

10. An fidei salvificę actus recte distinguatur in directum & reflexum? *Aff.*

11. An fides προσκαίρῳ eadem specie & formâ sit cum fide justificante salvandorum? *Neg.*

12. An fides salvifica totaliter & finaliter possit deficere? *Neg.*

* *De oppositis fidei* { Infidelitate / Hæresi / Apostasiâ / Dubitatione.

* *De Infidelitate, Hæresi, & Apostasiâ.*

1. AN omnis error in Theologiâ, aut in interpretatione scripturæ sit infidelitas? *Neg.*

2. An omnis error sit hæresis, & omnis hæresis apostasia? *Neg.*

3. Quomodo differant ignorantia, error, hæresis, blasphemia, infidelitas, apostasia? *Expl.*

4. An quis possit hęreticum quid proferre, ut tamen non sit hæreticus, aut laboret hæresi? *Aff.*

5. An hæresis necessariò includat constantiam & pertinaciam? *Aff.*

Vide 3. part. sel. disp. tit. de errore & hæresi.

* *De dubitatione.*

1. AN dubitatio à scientiâ, opinione, conjecturâ, discentiâ, inquisitione, fide, ignorantiâ, errore, hæresi distinguatur, & quid sit? *Aff. pr. Exp. post.*

2. An dubitatio sit affectanda & laudanda, tanquam via ad veram sapientiam? *Neg.*

3. An omnis dubitatio sit moraliter bona, an mala, an neutra? *Dist.*

4. An omnis dubitatio in fide, sive generali, sive speciali sit peccatum? *Aff.*

5. An sceptici in negotio religionis ad fidem per comminationes & supplicia sint compellendi? *Neg.*

6. An studioso sapientiæ divinæ aut humanæ semel & ex professo sit dubitandum de omnibus, quæ antehac didicit, quæque clarè & distinctè percepit? *Neg.*

7. An ad illa omnia quoque referatur cognitio Philosophiæ & Theologiæ naturalis, de Dei existentia, attributis & essentiâ? *Neg.*

8. An de communione præsentis gratiæ in Christo, eique annexæ gloriæ perpetuo sit dubitandum? *Neg.*

9.

9. An quid faciendum dubitante conscientia? *Neg.*

10. An ergò in statu dubitantis conscientiæ divinitus necessitemur ad peccatum sive illud agendo (ex. gr. de frequentanda missa) sive omittendo? *Neg.*

11. An scrupuli quilibet constituant conscientiam dubitantem, quâ positâ nec agere nec abstinere possumus sine peccato? *Neg.*

12. An conscientiam hominis cogere liceat ad religionem recipiendam? *Neg.*

Vide 3. part. sel. disp. tit. de Theologiâ, &c. dubitante.

* *De adhæsione Dei.*

Et quidem { 1. Fiducia cum oppositis, ut { Diffidentia. / Dei tentatione. / Præsumptione. / Securitate.
2. De Spe cum opposito desperatione.

* *De adhæsione Dei.*

1. AN adhæsio Dei *Psal.* 63. 9. *Rom.* 12. 9. *Psal.* 73. 28. doceatur? *Aff.*
2. An realiter idem sit cum unione cum Deo & Christo? *Aff.*
3. An adhæsio sit intellectus an voluntatis? *Aff. Post.*
4. An adhæsio Dei sit fiduciæ, spei, charitatis? *Aff.*
5. An adhæsio fiduciæ eadem sit cum adhæsione spei? *Dist. & Expl.*
6. An omnis diffidentia & desperatio sit culpabilis? *Neg. c. Dist. Expl.*
7. An & quomodo Deus ab hominibus tentari possit? *Aff. pr. Expl. Post.*
8. An & quomodo præsumptio differat à superbia. *Expl.*
9. An detur aliqua securitas bona & licita? *Aff.*
10. An securitas carnalis cadat in verè fideles? *Dist.*

* *De spe & desperatione.*

1. AN & quomodo spes differat à fide, fiducia, à securitate & tranquillitate animi. *Aff. pr. Exp. Post.*
2. An desperatio cadat in verè fideles? *Neg.*
3. An desperatio aliqua sit salutaris & necessaria? *Aff.*
4. An nostri theologi, (nominatim *Calvinus*) docuerint Christum in cruce desperasse? *Neg.*

* Sub-

* Subtit. IV. De { amore Dei. / desiderio. / zelo. / oblectatione. / gaudio. / pace conscientiæ & } { oppositis scil. { odio Dei. / invidia erga Deum. }

* *De amore Dei.*

1. AN sit amor Dei naturalis? *Dist.*
2. An deus amandus propter seipsum, an propter beneficia nobis collata, & præmia à nobis expectanda? *Aff.* utrumque,
3. Quis amoris gradus sit superior & præstantior? *Resp prior.*
4. An homo possit odio habere vel odisse Deum? *Aff. c. D.*
5. An & quomodo homines gloriam & potestatem Deo invidere possint? *Aff. pr. Expl. Post.*

* *De desiderio.*

1. AN desiderium sit πρμήειον salutis & regenerationis? *Dist.*
2. Quibus notis salutare desiderium dignoscatur? *Exp.*
3. An in vitâ æternâ sit futurum desiderium? *Dist.*

* *De zelo, & oppositio frigore ac tepore.*

1. AN omnis zelus Dei seu pro causa Dei sit laudabilis? *Neg.*
2. An tepor spiritualis sit justum & salutare fidelium temperamentum? *Neg.*

* *De oblectatione & gaudio.*

1. AN tantum in Deo, an etiam in aliis rebus præter Deum, liceat gaudere? *Aff. Post.*
2. An & quomodo gaudium & oblectatio sit in Deo & creaturis? *A. p. E. P.*
3. An fidelibus semper gaudere liceat? *Aff.*
4. An ergò semper gavisuri sint? *Neg. c. D.*

* *De pace conscientiæ & tranquilitate.*

1. AN pax cum Deo, & pax conscientiæ differant? *Dist.*
2. An pax angelorum & cœlituum eadem sit cum pace conscientiæ in his terris? *Neg. c. D.*

3.

3. An & quomodo pax conscientiæ maneat in paroxismo tentationis, aut in luctâ resipiscentiæ? *Expl.*

* Subtit. V. *De Humilitate & superbiâ spirituali.*

1. AN & quomodo humilitas prima præcipua & quasi universalis virtus aliquando dicatur? *Expl.*

2. An & quomodo superbia dici possit elementum malorum & vitiorum? *Af. pr. Exp. Post.*

3. An superbia sit primum peccatum angelorum lapsorum probabiliter? *Aff.*

4. An præter gloriam Dei, & nostram quærere per bona opera apud homines, sit formaliter peccatum? *Neg. c. Dist.*

* Subtit. VI. De { *obedientiâ, inobedientiâ, rebellione, patientiâ, impatientiâ, murmuratione, abnegatione, resignatione, mortificatione, odio sui ipsius.*

* *De obedientiâ, & oppositis.*

1. AN Deo in omnibus absolutè obediendum? *Aff.*

2. An obedientia divina aliquo respectu possit dici cœca; & quomodo? *Aff. pr. c. D. Exp. Post.*

3. An obedientia divina, tantum & primò fundetur in beneficiis Dei erga nos, aut in promissione præmii? *Neg.*

* *De patientiâ & oppositis, Impat. scil. & murmuratione.*

1. AN virtus patientiæ tam necessaria sit, ut sine eâ nemo salvari possit? *Aff.*

2. An ante lapsum locum habuerit, aut in cœlo habitura sit? *Neg.* Utrumque?

3. An in hac vitâ Stoicorum ἀπάθεια sit affectanda & laudanda? *Neg.*

* *De abnegatione sui, resign. mortif. odio suiipsius.*

1. AN homo in hac vitâ totum se abnegare debeat, intellectum suum, voluntatem suam, præterea amicos, bona animi corporis & fortunæ? *Aff. c. Dist.*

2. An & quomodo seipsum odisse debeat? *Aff. pr. Exp. Post.*

* Subtit. VII. *De timore Dei.*

1. AN omnis timor sit licitus & salutaris? *Neg.*

2. An timor servilis sit salutaris? *Dist.*

3. An timor filialis sit in solis regenitis? *Aff.*

4. An fideles in quocunque statu actum hujus timoris possint aut debeant elicere? *Aff.*

* Subtit. VIII. *De resipiscentia vid. quæst. ad locum comm. de resipisc. in part. prim. Theol. & quæst. ad praxin pertinentes in exercitiis pietatis.*

* Subtit. IX. *De honore, religione & cultu Dei, & oppositis.*

* *De honore & cultu Dei seu religione.*

1. AN religio soli Deo tribuenda? *Aff.*

2. An media aut instrumenta, seu adminicula religionis sint aut possint esse objectum cultus? *Neg.*

3. An cultus Dei distingui possit in naturalem & institutum? *Aff.*

4. An actus religionis rectè distinguatur in interiorem, & exteriorem: & ad illum referantur orationes mentales & meditationes: ad istum verò sacrificia, primitiæ, decimæ, laudes Dei, seu cantus spirituales? *Aff.*

5. An religio ante lapsum sit eadem cum religione post lapsum? *Dist.*

6. An religio ante lapsum etiam habuerit actus exteriores cultus instituti? *Aff.*

7. An post lapsum sola religio Christiana sit salutifera? *Aff.*

8. An quisque in quacunque alia religione servari possit? *Neg.*

9. Quomodo veritas religionis Christianæ contra Atheos, Epicureos & infideles probari possit? *Exp.*

* *De oppositis, in defectu, irreligiositate, impietate, profanitate, atheismo.*

1. AN irreligiositas rectè dividatur in negligentiam & neutralitatem 2. in religionis contemptum 3. in subsannationem 4. in ejusdem odium, detestationem, blasphemiam? *Aff.*

2. An irreligiositas & profanitas possit dici atheismus? *Dist.*

3. An atheismus rectè distinguatur in directum & indirectum; *Aff.*

* *Oppositum in excessu, superstitio.*

Cujus species { *Idolotatria.* / *Magia* / *Superstitio strictè dicta.*

* *De idololatriâ.*

1. AN superstitio rectè dividatur in idololatriam, magiam & superstitionem strictè dictam? *Aff.*

2.

2. An idololatria rectè dividatur in directam & indirectam, seu interpretativam & participatam? *Aff.*

3. An idololatria de ratione formali dicat intentionem colendi aliquid ut unum verum Deum? *Neg.*

4. An idolum tantum notet imaginem rei fictæ seu non existentis idque in lingua Græca & in scriptura? *Neg.*

5. An Ecclesia Romana sit idololatrica directè, & indirectè, & in quibus? *Aff. pr. Exp. Post.*

6. An Romana idololatria æquârit, aut etiam superârit omnium gentiam idololatriam? *Aff.*

* *De Magia.*

1. AN sit magia in rerum naturâ? *Aff.*

2. An sit ars licita? *Neg.*

3. An intercedat pactum cum diabolo? *Aff. c. D.*

4. An rectè dividatur indirectam & indirectam seu interpretativam? *Aff.*

5. An per magiam quid effici possit? *Aff.*

6. An rectè dividatur in operatricem & divinatricem? *Aff.*

7. An nullo in casu possimus operâ Diaboli uti ad ea explicanda aut operanda quę ingenio & industria humana explicari aut fieri nequeunt? *Neg.*

8. An magi sint puniendi, præsertim malefici? *Aff.*

9. An criminis istius convinci possint, & judices certi esse de ipsorum culpa? *Aff.*

10 An proba per aquam frigidam, aut per ponderationem, aut signa aliqua in corpore eorum inventa possit certos reddere judices? *Neg.*

* *De superstitione strictè dictâ, omnique vana observantia.*

1. AN ad quantitatem, numerum, figuram, item tempora, &c. attendendum sit, quasi alicujus essent efficaciæ, aut certæ bonorum aut malorum significationes? *Neg.*

2. An volatibus aut garritibus avium, aut extorum constitutioni tale quid tribuendum? *Neg.*

3. An astrologia prognostica & judicaria de particularibus hominum eventis sit vana & superstitiosa? *Aff.*

4. An præsagium malorum publicorum ex apparitione cometarum alicui aut aliquibus, aut omnibus populis, quibus apparuit, futurorum, præsumi aut desumi possit absque superstitione? *Aff. c. Dist.*

TITULUS II.

Ad ſecundum Decalogi præceptum.

* Subtitulus I. *De cultu inſtituto & ſacris ritibus.*

* *De cultu inſtituto.*

1. AN omnis cultus inſtitutus ejuſque partes & circumſtantiæ verbo Dei præcipiantur? *Aff.*

2. An aliquid per prætenſas opiniones, auctoritatem Eccleſiæ, aut poteſtatem magiſtratus, conſcientiis hac in parte imponi poſſit? *Neg.*

3. An cultus inſtitutus jure naturali, (quod ad Deum & quod ad homines) nos obliget? *Diſt.*

4. An cultus inſtitutus ſit mutabilis? *Aff. cum. Diſt.*

* *De Sacro.*

1. AN Sacrum fundetur in ordinatione ſpeciali, & mandato divino? *Aff.*

2. An ſub N. Teſt. aliqua ſint relative ſacra, ut templa, tempora (excepto Sabbatho hebdomadali) utenſilia, menſæ, calices, lampades, pulpita, ſuggeſta, mappæ, veſtes miniſtrorum? *Neg.*

3. An ſub N. Teſt. prædicatio verbi ſit Sacrum, aqua baptiſmi, panis & vinum in euchariſtiâ? *Aff.*

4. An quælibet Eccleſia inſtituta, externa, particularis ſit ſacra? *Aff.*

Vide diſp. de benedict. & ſacramental.

* *De ritibus & ceremoniis.*

1. AN omnes ritus, qui in exercitio religionis, ſeu cultus divini tum publici tum privati adhibentur, ſint ſacri? *Neg.*

2. An cerimoniæ ſive ritus in cultu publico ſint multiplicandi, ad majorem devotionem, attentionem, reverentiam in hominibus excitandam? *Neg.*

3. An aliquæ cerimoniæ, quæ dicuntur adiaphora invitis eccleſiis & miniſtris imponendæ; & quidem ſub pœna graviſſimæ cenſuræ, immo & depoſitionis? *Neg.*

4. An cerimoniæ recte diſtinguantur in divinas & humanas? *Aff.*

5.

5. An divinæ sint necessariæ observatu, saltem necessitate præcepti divini? *Aff.*

Reliquas quæst. de cerimoniis, vide l. 2. Polit. Eccles. tract. 2.

* Subtit. II. *De pseudo-sacro & pseudo-cultu.*

* *De consecrationibus & rebus consecratis, benedictionibus in genere, & sacramentalibus in specie.*

1. AN omnis cultus idololatricus, cum adjunctis suis, sit pseudo-sacrum & pseudo-cultus? *Aff.*

2. An benedictio seu consecratio in Papatu sit operativa, & quidem moraliter? *Neg.*

3. An ergo sit merè denunciativa, aut pure ἐυκτικὴ seu votiva? *Neg.*

4. An res consecratæ secundum theologiam Papisticam sint partim substantię, partim accidentia? *Aff.*

3. An sacramentalia ipsis specialiter & strictè significent ritus quosdam, in administratione sacramentorum adhibendos; & latè quosvis ritus & ceremonias? *Aff.*

Vido 3. part. sel. dispp. de bened. & sacramental.

* *De Imaginibus.*

1. AN imagines Dei, sive in cultu, sive extra eum fieri aut adhiberi possint? *Neg.*

2. An creaturarum imagines, quæ fieri possunt, sint media & instrumenta cultus instituti? *Neg.*

3. An possit Deus ad imagines, per imagines, in imaginibus sive Dei sive creaturarum coli aut adorari? *Neg.*

4. An imagines in templis haberi possint ad institutionem, ut libri laicorum? *Neg.*

5. An tanquam adiaphora in templis haberi & retineri possint, ad decorum & ornatum civilem; an potius arcendæ & tollendę? *Neg. pr. Aff. post.*

6. An imagines Dei aut creaturarum religiosè sint adorandæ, aut colendæ? *Neg.*

7. An hoc ab Ecclesia Romana statuatur, & quidem, ut sit de fide? *Aff.*

8. An statuant, imagines eodem cultu, quo πρωτότυπον, esse adorandas; hoc est, imagines trinitatis & Christi ut & crucem latriæ; imagines Mariæ cultu hyperduliæ, &c. ? *Aff.*

Vide de hisce disp. sel. p. 3. de imaginibus.

* *De Cruce.*

1. AN crux, in qua Christus pependit, fuerit immissa, an vero commissa? *Non liquet.*

2. An tres fuerint clavi, an vero quatuor? *Non liquet.*

3. An crux illa, aut partes illius sint in rerum natura? *Neg.*

4. An sacra sit & religiose colenda? *Neg.*

5. An, siquidem crux supereſſet, aut aliqua ejus particula, contra dæmones & quævis mala corporis aut animi, aliquam efficaciam haberet? *Neg.*

6. An signum crucis tanquam tessera fidei in crucifixum, in baptismo in precibus seu benedictionibus aliisque ritibus & exercitiis sacris sit adhibendum; & an templis, turribus, navibus, &c. sit imponendum, in amuletum, aut in tesseram? *Neg.*

Vide 3. part. sel. disp. tit. de Cruce.

* *De sanctorum Canonizatione, & cultu.*

Vide quæst. de Canonizatione, & sanctis chimæricis in 3. part. sel. dispp.

* *De reliquiis & peregrinationibus.*

1. AN reliquiæ & cadavera hominum sanctorum sint elevanda, & transferenda, ad honorem religiosum ipsis exhibendum? *Neg.*

2. An religiose sint adoranda & colenda? *Neg.*

3. An peregrinationes sacræ ad ea, & ad loca ubi habentur, sint vovendæ & suscipiendæ? *Neg.*

4. An reliquiis talibus aliqua efficacia sanationum, miraculorum, &c. sit tributa; seu an Deus gratiam sanationum, aliarumque liberationum, ut & exauditionis precum, reliquiis & locis illis affixerit? *Neg.*

5. An reliquiæ quas in Papatu ostentant, sint genuinæ; præsertim Christi, Mariæ, Apostolorum, virorumque Apostolicorum, martyrum? *Neg.*

* *De rebus consecratis, Agnis Dei, aquâ benedictâ, &c.*

1. AN agnis Dei absque horrendâ idololatria, sacrilegio, blasphemia, tribui possint, quæ à Papistis tribuuntur? *Neg.*

Vide 3. part. sel. disp. tit. de agnis Dei.

2. An benedictio triplex oleorum, sive chrismatum, salis benedicti, adhæc ovorum, agni paschalis, candelarum, panis, &c. Et an cibi sic benedicti habeant aliquam efficaciam sive operativam sive mystice significativam? *Neg.*

Vide disp. de benedict. & sacramental.

* *De*

* *De templis & templorum utensilibus, campanis, altaribus, item consecrationibus seu dedicationibus, encœniis.*

Vide quæstiones in polit. eccles. part. 1. l. 41

* *De Rosariis, Litaniis, horis canonicis, processionibus.*

Vide de his 3. part. sel. disp.

* Subtit. VIII. *De ieiuniis, vigiliis, aliisque abstinentiis, eorumque oppositis pseudo-mortificationibus Papatus.*

Vide quæstiones in polit. eccles. p. 1. l. 2 & in 3. part. select disp. tit. de Pseudo-mortificationibus; & 4. part. sel. disp. tit. de homicidio suiipsius, & flagellationibus spontaneis.

TITULUS III.

Ad tertium Decalogi præceptum,

* Subtit. I. *De usu & abusu nominis divini in scripturæ lectione, auditione, applicatione, sacramentorum perceptione, præcationibus publicis & privatis.*

1. AN codex scripturæ, aut sectio ejus, aut comma, aut quęcunque ejus sententia sive pronuntiata sive scripta tanquam amuletum aut periaptum, adhiberi possit ad morborum, & vulnerum curationem, ad pestis, diabolici maleficii, aliorumque malorum averruncationem, aut curationem? *Neg.*

2. An textus, aut loca scripturæ ad jocos aut alios usus profanos convenienter 2 *Tim.* 3. *v.* 16. adhiberi possint. *Neg.*

3. An & quomodo quis sacramentis abuti possit? *A. pr. Exp. Post.*

4. An purgatio à crimine impositio, rite peragi possit aut debeat per sumtionem cænæ dominicæ? *Neg.*

5. An per probam aquæ frigidæ, aut ferventis, aut ferri candentis, aut transitus per ignem, aut monomachiæ, aut cruentationis cadaverum, veritas & justitia causæ probari debeat? *Neg.*

6. An provocatio ad vallem Josaphat, (uti ante tempora reformationis fieri solet), sit licita? *Dist.*

Vide 3. part. sel. Disp. de sortis, aliisque divini nominis abusibus.

* Sub-

* Subtit. II. *De confessione & martyrio.*

* *De confessione.*

Vide de confessionibus & apologiis politicæ ecclesiasticæ part. 3. lib. 1.

* *De Martyrio.*

Vide polit. eccles. part. 2. lib. 1.

* Subtit. III. *De benedictionibus; & oppositis maledictionibus & execrationibus.*

* *De benedictionibus.*

1. AN hominum, brutorum, domuum, agrorum, navium, armorum, omniumque rerum & utensilium benedictiones in Papatu usitatæ, sint licitæ? *Neg.*

2. An & quomodo benedictiones aquæ, panis, vini in sacramentis, aliârumque rerum in vitâ communi differant à benedictionibus in Papatu? *Aff. pr. Ex. Post.*

3. An benedictio, seu consecratio, seu dedicatio templi aut suggesti, pari passu eant cum benedictione aquæ, panis, vini in sacramentis? *Neg.*

* *De maledictionibus, diris, execrationibus, & anathematis.*

1. AN ulla maledictio sive execratio seu imprecatio erga proximum licita? *Aff.*

2. An ulla sit licita erga nosmetipsos? *Aff. c. Dist.*

3. An ullæ sive res sive personæ humanæ possint devoveri devotione, quæ *cherem*, sive anathema dicitur? *Aff.*

4. An *cherem* sive anathema tantum conveniat temporibus, V. T. non temporibus N. T.? *Neg.*

5. An *cherem* rectè distinguatur in usuale & destructivum? *Aff.*

6. Quomodo Achan peccaverit in *cherem*, an in usuali an vero in destructivo? *In utroque.*

7. An in utroque commiserit furtum & quidem qualificatum, seu certæ speciei, quod sacrilegium vocant? *Aff.*

* *De blasphemiâ.*

1. AN recte dividatur in directam & interpretativam; in subitam in perturbatione prolatam, & in permanentem, quæ ex proposito, aliquando ex præsumtione & quasi elata manu committitur? *Aff.*

2. An

2. An ratione adjuncti recte dividatur in simplicem & qualificatam, eamque hæreticam, idololatricam, apostaticam, magicam, & in peccatum in Spir.? *Aff.*

3. An blasphemia morte puniri posset? *Dist.*

* Subtit. IV. *De juramento, ejusque oppositis, juramento temerario, perjurio, mentalibus reservationibus; & æquivocationibus.*

* *De juramento in genere.*

1. AN juramentum sub N. T. sit licitum? *Aff.*

2. An per solum Deum sit jurandum, & non per creaturas? *Aff.*

3. An sit bonum opus absolute necessarium; an vero ex hypothesi? *Aff. post.*

4. An omne juramentum includat execrationem aut imprecationem, seu devotionem? *Aff.*

5. An sit actus religionis? *Aff. c. Dist.*

6. An aliqua adjuratio sive obtestatio per nomen Dei, & autoritativa veritatis declaratio alicui ab aliquo imposita, sit licita? *Aff.*

7. An aliquo in casu, juramentum purgationis sponte offerri & præstari possit? *Aff.*

8. An recte dividatur in assertorium & promissorium? *Aff.*

9. An item in juramentum occasionatum, & ordinarium ac commune; in juramentum fidelitatis, sive spontaneum sive imperatum? *Aff.*

* *De juramentis religionis, & juramento ex officio seu inquisitorio.*

Vide 3. part. select. dispp. de juram. religionis.

* *De perjuriis, perfidia, mentali reservatione, verbis & factis otiosis, juramento temerario.*

1. AN perjurium sit juramentum non servare, quod in veritate, justitia, judicio, præstitum est, aut præstari debebat? *Aff.*

2. An fides juramenti aut simplicis cujusque promissi hæreticis aut rebellibus facta sit servanda? *Aff.*

3. An perjurium sit in præstando juramento uti æquivocationibus, aut mentalibus reservationibus? *Aff.*

4. An temerarium sit juramentum, quando quis per incogitantiam, aut malam assuetudinem utitur formulis & phrasibus depravatis? *Aff.*

5. An *amen, amen, verè, verè, in veritate, certo, certò* sint formulæ jurandi? *Neg.*

6. An ejuſmodi fortioribus aſſeverationibus in communi ſermone, & ſine neceſſitate, uti liceat? *Neg.*

7. An verbis otioſis libere & ſine ſcrupulo in communi ſermone uti liceat? *Neg.*

8. Idem quæro de factis? *Neg.*

* *De exorciſmo ſeu adjuratione dæmonum, infantum baptizandorum & aliarum creaturarum.*

Vide 3. p. ſel. de exorciſmo.

* Subtit. V. *De uſu & abuſu ſortium, deque ſponſionibus.*

1. AN aliquæ ſortes ſint licitæ? *Aff.*

2. An in aliquo caſu ſortes diviſorię adhiberi poſſint? *Aff.*

3. An adhiberi poſſint in electionibus & vocationibus ſacris? *Aff.*

4. An ludicræ ſortes ſint licitæ & ſpecialiter, luſus aleæ, taxillorum, chartarum, &c.? *Neg.*

5. An ſponſiones, de futuris contingentibus, quæ nec à naturâ, nec ab arte dependent, ſint licitæ? *Neg.*

6. An ſponſiones de effectis, quæ ab homine arte & induſtria, ut à propria causâ producantur? *Aff.*

7. An ſponſiones de veritate rei præſentis & præteritæ ſint licitæ? *Aff.*

*Subtit. VI. *De votis, Monachatu, confraternitatibus.*

* *De votis.*

1. AN votum ſit opus bonum, principale, per ſe, uti precatio, verbi auditio, &c. an vero ad & propter aliud, ut auxiliare? *Neg. pr. Aff. Poſt.*

2. An, & quomodo dici poſſit actus religionis? *Aff. pr. Expl. Poſt.*

3. An omne votum ſit cerimoniale, an vero aliquod morale, & pertinens ad ſtatum N. T. *Neg. pr. Expl. Poſt.*

4. An votum naziræatus ſit cerimoniale & pertinens ad ſtatum *V. T. Aff.*

5. Quid de voto Jephtæ Jud. 11. ſit ſtatuendum? *Expl.*

6. An vota abſtinentiæ ab aliqua re, cujus uſus eſt adiaphorus & aliquando neceſſarius, ſint vovendæ in perpetuum; an vero potius ad tempus? *Aff. Poſt. c. Diſt.*

* *De monachis, & monachatu, ſeu de regularibus & religioſis.*

Vide 2. part. polit. eccleſ. lib. 4.

* *De militibus ſeu equitibus ſacris.*

* *De Confraternitatibus.*

Vide ibidem de utriſque.

TITULUS IV.

Ad quartum Decalogi præceptum,

* *De Sabbatho & festis.*

* Subtitulus I. *De Sabbatho.*

1. AN sabbathum hebdomadale sit juris divini, immutabilis? *Aff.*
2. An fuerit ante lapsum? *Aff.*
3. An in decalogo sit præceptum aliquod cerimoniale & quidem quartum? *Neg.*
4. An Sabbathum hebdomadale, septimo die à creatione celebrandum, sit juris divini, immutabilis, naturalis, moralis? *Neg.*
5. An translatio Sabbathi in diem Dominicum, & observatio hujus diei, sit juris divini & immutabilis ad finem mundi? Inclinamus in *Aff.*
6. An ipsa quies & cessatio ab opere in se, & per se sit sancta, atque adeo quiescendo à laboribus Sabbathum proprie sanctificetur? *N. C. Dist.*
7. An quies sub V. T. cerimonialiter & typicè fuerit sancta? *Incl. in Aff.*
8. A quibus operibus sub V. & sub N. V. fuerit quiescendum & quæ excipiantur? *Expl.*
9. An superstitionem committat catechesis nostra quæst. 103. & Belgicarum synodorum decreta, diem dominicum appellando *Sabbathum*, *& Belgicè* Rustdagh? *Neg.*

* Subtitulus II. *De festis.*

* *De festis in genere & de festis V. T.*

1. AN, & quæ festa per Mosem à Deo fuerint imposita? *Aff. pr. Expl. Post.*
2. An omnia fuerint legis ceremonialis & Typica? *Aff.*
3. An festum expiationis fuerit festum propriè & strictè dictum? *Neg. c. D.*
4. An dies jejuniorum quæ tanquam sabbatha extraordinaria? *Neg. c. Dist.*
5. An præter anniversaria & menstrua festa, item Sabbatha annorum, & Jubileâ potuerint sub V. T. quædam extraordinaria & occasionata festa celebrari? *Aff.*

* *De festis vulgo ita dictis. sub N. T.*

Vide de iis 3. part. sel. disp. tit. de Sabbatho & festis.

* *De diebus jejuniorum seu supplicationibus.*

Vide quæstiones 1 parte pol. eccles. lib. 2.

TITULUS V. *Continens*

Prolegomena ad ſecundam Tabulam Decalogi.

* Subtitulus I. *De dilectione creaturarum.*

* *De dilectione omnium creaturarum ; & ſpecialiter Angelorum.*

1. AN omnis creatura ſit deligenda? *Aſ. c. Diſt.*
2. An ſit deligenda propter ſe ipſam? *Neg.*
3. Quâ gratiâ, benignitate, miſericordia ferri debeamus erga bruta? *Expl.*
4. An Angeli ſint diligendi? & quomodo? *A. pr. Expl. Poſt.*
5. An dilectio angelorum, aliarumque creaturarum ad primam legis tabulam, an vero ad ſecundam ſit referenda? *Aff. Poſt.*

* *De dilectione ſui ipſius.*

1. AN nos ipſos debeamus diligere? *Aff.*
2. An charitas incipat à ſe ipſo ; ſeu an homo ſe ipſum magis quam proximum diligere debeat? *Diſt.*
3. An quis debeat aut poſſit ſeipſum prodere, aut affligere, aut punire? *Neg.*
4. An aliquo in caſu membrum ſibi quis amputare, aut propriam carnem vulnerare *poſſit*? *Aff.*

Conſer quæſt. ad 6. præceptum.

* *De dilectione proximi ſeu alterius hominis.*

1. AN omnis homo ſit proximus noſter? *Aff.*
2. An omnes homines ſint æqualiter diligendi? *Neg.*
3. An cum omnibus aut promiſcue cum quibuſvis amicitiam contrahere & colere teneamur? *Neg.*
4. An quis aliquo in caſu poſſit proximum ſuum odio habere? *Aff. cum Diſt.*
5. An quis poſſit contemnere proximum *Aff. c. Diſt.*
6. An aliquo in caſu liceat ridere proximum? *Aff.*
7. An quis in adverſitatibus, temporali afflictione aut perditione proximi gaudere poſſit? *Neg. c. Diſt.*

* *De charitate erga defunctos.*

1. AN, & quomodo sint defuncti objectum charitatis nostræ *Aff. pr. Expl. Post.*

2. An & quomodo charitas exeratur erga animam defunctorum; aut corpus eorum; aut famam, aut posteros? *Expl.*

* Subtit. II. *De exemplo bono, ejusque imitatione; deque oppositoscandalo.*

Vide quæstiones in 4. part. select. disp. tit. de exemplo bono, &c.

* *De justitia, æquitate, restitutione; & oppositis, injustitiâ, injuria,* Προσωπολησία, *ingratitudine.*

* *De justitia & jure; & oppositis, injustitia, & injuriâ.*

1. AN justitia particularis recte dividatur in distributivam & commutativam? *Af.*

2. An aliqua justitia locum habeat inter Deum & hominem? *Dist.*

3. An eleemosyna detur proximo, ex justitia? *Neg. c. Dist.*

4. An volenti fiat injuria? *Af. c. Dist.*

5. An injuriam propulsare liceat? *Af. c. Dist.*

6. An etiam vindicare? *Dist.*

7. An talio Pythagorica sit justitia? *Neg.*

* *De* ἐπιεικείᾳ *seu æquitate.*

1. AAn & quomodo summum jus dicatur summa esse injuria? *Dist. & Expl.*

2. An ἐπιείκεια repugnet justitiæ; An vero ad eam reducatur? *Neg. pr. Af Post.*

* *De* προσωπολησίᾳ *seu acceptione personarum.*

1. An omnis προσωπολησία intrinsice & per se sit mala? *Neg. c. Dist.*

* *De gratitudine & ingratitudine.*

1. AN gratia benefactoribus tantum sit habenda, sed etiam referenda? *Af.*

2. Quando sufficiat gratiam habere seu agere & non referre? *Af.*

* *De restitutione.*

1. AN restitutio sit necessaria? *Af.*

2. An, qualis, quanta restitutio requiratur in bonis externis, etiam cum homo impotens est? *Expl.*

3. An & quæ reſtitutio requiratur in caſu læſionis proximi, aut mutilationis proximorum? *Expl.*

4. Quæ, & qualis in caſu homicidii? *Expl.*

5. In caſu violatæ pudicitiæ ſeu ſtupri? *Expl.*

6. In caſu læſæ famæ? *Expl.*

* Subtit. IV. *De humilitate erga proximum, de humilitate erga ſuperiores.*

Vide quæſtiones ad 5. decalogi præceptum.

* *De humilitate erga æquales.*

1. QUalem quis poſſit exhibere æqualibus, ut authoritatem & dignitatem ſuam non proſtituat? *Expl.*

2. An quis punctum honoris (quod vocant) apud & erga æquales bonâ conſcientiâ tueri poſſit? *Diſt.*

* *De humilitate, erga inferiores.*

1. AN, & quomodo quis, inferioribus ſe ſubmittere poſſit, abſque injuſtitia: aut loci, & dignitatis ſuæ neglectu, aut præjudicio? *Expl.*

* Subtit. V. *De liberalitate ejuſque oppoſitis.*

Vide quæſtiones apud ſcriptores Ethicos, & ad 8. Decalogi præceptum.

* Subtit. VI. *De operibus miſericordiæ.*

* *De eleëmoſynâ.*

1. AN omnes teneantur dare eleemoſynam? *Diſt.*

2. An omnibus petentibus teneamur dare? *Diſt.*

3. An eleemoſyna, tantum petentibus, aut palam pauperibus danda ſit? *Diſt.*

4. Quoties & quantas eleemoſynas quiſque teneatur erogare? *Expl.*

5. An omnibus æqualiter pauperibus æqualis eleemoſyna ſit danda: an vero inter æqualiter pauperes præferendi ſint domeſtici fidei à fide extraneis; & cognationis, aliove vinculo nobis propiores, remotioribus? *Aff.*

6. An eleemoſyna ſit opus meritorium, aut ſatisfactorium? *Neg.*

7. An quicquid donatum aut legatum eſt eccleſiæ, ad ipſius ædificationem, miniſterii & ſcholarum ſuſtentationem, fidei propagationem, &c. dici poſſit eleemoſyna? *Aſſ. c. Diſt.*

8. An omnia bona eccleſiaſtica fundata ſint per eleemoſynas, ſpontaneas oblationes, & donationes? *Neg.*

* *De*

* *De hospitalitate.*

1. AN omnes & singuli ad officium hospitalitatis teneantur? *Af. c. Dist.*
2. An quosvis peregrinos, ignotos, aut notos quorum vitia nobis nota sint, in propriam domum recipere teneamur? *Neg.*
3. Quomodo ergo hospitalitas erga tales exercenda? *Expl.*

* *De visitatione infirmorum, captivorum, viduarum, pupillorum, &c.*

1. AN quisque personaliter teneatur ministrare ægrotis, quocunque morbo laborantibus? *Neg.*
2. An ergo sit necessarium aut genuinum opus misericordię, cum Papæ, Cardinales, Episcopi, reges, reginæ, pedes pauperum quorundam quotannis lavant; aut iis mensæ accumbentibus ministrant? *Neg.*
3. An captivi, viduæ, pupilli, à quovis fideli immediate sint visitandi, & immediatè verbis, operâ sint sublevandi? *Neg.*

* *De operibus misericordiæ erga proximum, quibus animæ salus promovetur; adhortatione scil. correptione, conversione ab errore, consolatione.*

1. AN quisque ad illa officia teneatur pro re nata: an vero soli ministri? *Af. pr. Neg. post.*

Vide reliquas quæstiones in nostris exercitiis pietatis cap. 24.

* Subtit. VII. *De concordia, pace, amicitia, & oppositis.*

1. AN pacem cum omnibus hominibus colere teneamur? *Af. c. Dist.*
2. An concordia & pax, discordiâ & bello potior sit? *Af. c. D.*
3. An liceat discordiam excitare, & fovere, inter cives & cives, magistratus & magistratus, populos & populos, collegia & collegia, scholas & scholas, familias & familias, &c.? *Neg.*
4. An pii ad fidei, pietatis, concordiæ causam promovendam, occasione illâ uti possint & debeant? juxta illud vulgatum? *Bellum hæreticorum est pax ecclesiæ? Aff.*
5. An amicitia proprie dicta cum aliquibus hominibus, aut saltem uno & altero ineunda sit? *Af.*
6. An cum omnibus fidelibus, quos peculiari charitate complecti debemus, secundum communionem sanctorum ineunda sit? *Neg.*

Reliquas Quæstiones vide in Wendel. in Ethicâ; & Danei tractatu de Amicitia.

* Sub-

* Subtit. VIII. *De convictu & conversatione civili.*

* *De civilitate morum.*

1. AN civilitas morum & decorum in conversatione, tum quod ad sermonem, tum quod ad gestus pertineat ad virtutem Christianam? *Af.*

2. An hujus virtutis sint extrema? *Af.*

3. An omnes partes & actus vere civilitatis in jure divino & naturali fundentur? *Af.*

4. An civilitas & decorum etiam in sacris cætibus locum habeat? *Af. c. Dist.*

5. An omnes ritus & gestus, qui in sacris conventibus tum à concionatore tum ab auditoribus adhibentur, sint formaliter sacri? *Neg.*

* *De Conviviis.*

1. AN convivia celebrari & frequentari possint? *Af.*

2. An sæpe? *Neg.*

3. An agapæ Christianorum primorum fuissent potius retinendæ, quam abrogandæ, juxta regulam, tollatur abusus maneat rei substantia? *Neg.*

* Subtit. IX. *De prudentiâ & imprudentiâ.*

1. AN prudentia sit directrix omnium aliarum virtutum, præcipuè homileticarum? *Aff.*

2. An zelus repugnet prudentiæ, aut prudentia zelo? *Neg.*

Reliqua vide apud scriptores ethicos, & Scholasticos ad 22. quæst. Lessium de justitia & jure lib. 1.

TITULUS VI.

Ad quintum Decalogi præceptum,

De majoritate seu ὑπεροχῇ & minoritate, seu subjectione; gradibus superiorum & inferiorum; & inæqualitate inter homines, ordinis, potestatis & dignitatis: oppositâque barbarie & cycloplica confusione.

* Subtit. I. *De gradibus superiorum, inferiorum, & inæqualitate.*

1. AN gradus illi sint juris divini & naturalis, an vero juris humani? *Dist.*

2. An qui sunt juris divini, sint juris primigenii & absoluti: an vero secundi & hypothetici, per interventum peccati? *Dist.*

* Subtit.

* Subtit. II. *De humilitate, & superbiâ.*

1. AN humilitas omnibus hominibus conveniat, etiam superioribus erga inferiores & pares? *Af. c. Dist.*

2. An cum humilitate consistere possit, authoritas & gravitas superiorum? *Af.*

3. An vitium superbiæ pejus sit multis aliis, & malorum elementum dici possit? *Af.*

* Subtit. III. *De honore, dignitate, nobilitate.*

1. AN honor sit in honorante: an in honorato *Af. pr. c. Dist.*

2. An jure divino, aut naturali determinatum sit, quid honoris externè cuivis tribuendum sit, quæ puncta honoris, quæ præcedentię, quis catalogus gloriæ mundi? *Neg.*

3. An ministri ecclesiastici de præcedentiis & punctis honoris laborare debeant? *Neg.*

4. An & quomodo quisque proximum suum se præstantiorem æstimare debeat, juxta *Philipp. 2. v. 3. Expl.*

5. An nobilitas, seu gradus honoris, seu dignitatis familiæ alicui adstrictus, licita sint inter Christianos? *Aff.*

6. An fundetur in jure divino aut humano? *Dist.*

7. An homines quamvis vitiis suis ignobiles, eâ tamen donati ab iis, penes quos potestas est, sint dicendi & habendi nobiles? *Af.*

8. An homines vitiosi & moribus degeneres sint vere nobiles? *Dist.*

9. An ob demerita rebellionis, proditionis, perfidiæ, parricidii seu assassinatus, dignitas seu privilegium nobilitatis in facinoroso illo præscindi, & posteri eo privari possint? *Af.*

* Subtit. IV. *De officiis superiorum erga inferiores, & viceversa in genere.*

* *De officiis superiorum erga inferiores in genere.*

1. AN hæc sint officia, amor, benevolentia, gratia, clementia, misericordia, benignitas, beneficentia in suppeditandis necessariis quæ illis debentur, in illis defendendis; humanitas, justitia, æquitas, fides; quarum opposita sint perfidia, injuria, & oppressio, in corpore, libertate, formâ, honore, bonis, lenitas, tolerantia, longanimitas? *Af.*

2. An potestas omnium superiorum erga inferiores, sit absoluta & arbitraria; & an usus potestatis, & regimen quodcunque sit prorsus arbitrarium? *Neg.*

* *De officiis inferiorum erga superiores in genere, eorumque oppositis.*

1. AN sint obedientia, humilitas, timor, honor, pietas, gratitudo, fides, patientia, tolerantia, προσφορία? *Af.*

2. An inferiores superioribus absolutam in omnibus obedientiam promittere ac præstare teneantur? *Neg.*

3. An licita sit cęca obedientia erga superiores? *Neg.*

4. An inferiores possint se subducere obedientiæ superiorum? *Dist.*

5. An superiores possint sibi subjectos ab omni subjectione absolvere? *Neg. c. Dist.*

* *De officiis superiorum & inferiorum in specie.*

* *De mutuis maritorum & uxorum officiis.*

1. AN jure divino, & naturali primigenio uxores subjiciantur maritis, & quodnam ejus fundamentum? *Aff. pr. Expl. Post.*

2. An maritus jus vitæ & necis in uxorem habeat? *Neg.*

3. An jus pœnæ corporalis infligendę per verbera, flagella, &c.? *Neg.*

* *De viris & fœminis.*

1. AN sexus fœmineus, extra statum conjugii, virili inferior sit potestate & dignitate? *Af.*

2. An etiam potentia, ἱκανότης, ad quasvis functiones & vitę occupationes? *Af. c. Dist.*

3. An fœminæ ad principatum & magistratum admittendæ? *Dist.*

4. An ad militiam? *Neg. c. Dist.*

5. An fęminæ sint homines ejusdem speciei cum viris; an vero sint monstra & mares occasionati? *Af. pr. Neg. Post.*

6. An ex textu (*Eccles. 7.*) probari possit fœminam nullam esse bonam? *Neg.*

* *De ordine & officiis parentum & liberorum.*

1. AN parentes debeant liberis alimenta? *Af.*

2. An in eos habeant jus vitæ & necis? *Neg.*

3. An pater deponere, aut in alium tranferre possit patriam potestatem? *Neg.*

4. An in filium emancipatum, & seorsim patremfamilias factum, nullam potestatem patriam habeat; & si habeat, qualem, & quantam? *N. pr. Expl. post.*

5.

5. An patre defuncto, in illam potestatem succedat mater? *Af. c. Dist.*
6. An parentes in casu necessitatis, liberos suos possint vendere? *Neg.*
7. An in casu extremæ famis eos mactare & edere? *Neg.*
8. An liceat liberis absque consensu parentum matrimonium inire? *Neg.*
9. An aliquod vitæ genus seu occupationem amplecti? *Dist.*
10. An votum monasticum edere, idemque implere? *Neg.*
11. An aliquo in casu parentum suorum crimina ad judices deferre possint? *Dist.*
12. An mater possit infantes aliis lactandos tradere? *Neg. c. Dist.*

* Subtit. V. *De vitricis, novercis, privignis, soceris, socrubus, generis, &c.*

1. AN vitricus in privignum habeat potestatem patriam, & noverca in eundem, maternam; & privigni illis debeant filialem subjectionem? *Aff. c. Dist.*
2. Idem quæro de soceris & socrubus? *Idem.*

* Subtit. VI. *De adoptione & adoptivis.*

1. AN jus illud adoptionis sit divinum & naturale; an vero mere humanum? *Af. post.*
2. An sit illicitum, aut juri divino, ac naturali repugnans? *Neg.*
3. An quis, non sine consensu suo, adoptatus, debeat patri adoptanti filialem obedientiam? *Af. c. dist.*

* *De tutoribus legalibus, dativis, testamentariis.*

1. AN tutoribus, convenienter juri divino & naturali, filialis subjectio & obedientia debeatur? *Af. c. dist.*

* *De præceptoribus & discipulis.*

1. AN præceptori jus modicæ castigationis competat? *Af.*
2. An discipuli præceptoribus suis subjectionem, obedientiam, honorem, gratitudinem debeant? *Af.*
3. An in omnibus eos sequi & doctrinam eorum amplecti? *Neg.*
4. An liceat cum iis contendere, iis obloqui, & aliam doctrinam sectari? *D.*

* *De officiis mutuis senum & juniorum.*

1. AN omnibus senibus, ratione ætatis, reverentia à junioribus debeatur? *Af.*
2. An juniores, consilia senum, item dicta, exempla, consiliis dictis, exemplis, juniorum præferre debeant? *Ut plurimum.*

* Subtit. VII. *De dominis & servis.*

1. AN servitus recte dividatur in liberam & coactam ? *Af.*

2. An servitus coacta seu strictè dicta sit juris divini seu naturalis, aut tantum juris gentium seu juris humani positivi & arbitrarii ? *Dist.*

3. An omnes infideles (gentiles scil, Judæi, Muhamedistæ) sint servituti subjiciendi, si potentia adsit ? *Neg.*

4. An omnes habitantes in gente armis subjugatâ sint redigendi ad servitutem ? *Neg.*

5. An etiam posteri eorum in infinitum ? *Neg.*

6. An promiscua emptio & venditio ejusmodi servorum, & quidem nolentium, in conscientiâ sit licita ? *Neg.*

7. An Christiani, si fiant tales servi, in servitute illâ retineri possint; an vero æquis conditionibus libertate donandi ? *Aff. Post.*

8. An domini in ejusmodi servos habeant jus vitæ & necis ? *Neg.*

9. An servus injustâ venditione aut injusto bello captus & subjugatus teneatur in foro conscientiæ servitutem illam servire, nec possit prudenter & pro viribus fugâ, aut quâ aliâ ratione in libertatem se vindicare ? *Neg. pr. c. Dist. Af. Post.*

* Subtit. VIII. *De mutuis officiis ministrorum & fidelium in corpore ecclesiastico.*

1. AN omnes fideles honorem, amorem, fidem, obedientiam debeant ministris ecclesiasticis tanquam patribus, præceptoribus, ductoribus spiritualibus ? *Af.*

2. An ministri regere debeant potestate dominante ? *Neg.*

Vide reliquas quæst in 2. part. polit. eccles. lib. 1. & 2.

* Subtit. IX. *De Magistratibus & subditis in genere.*

1. AN sit potestas publica seu magistratus jure divino & naturali à potestate œconomicâ distincta ? *Af.*

2. An ordo & potestas talis fuerit aut fuisset in statu integritatis; an vero per peccatum intraverit ? *Incl. in Af. pr.*

3. An vigere possit aut debeat tempore N. T. ita ut Christianus Magistratum bonâ conscientiâ gerere possit ? *Af.*

4. Qui & quales ad magistratum promoveri debeant ? viri, an fœminę; docti, an indocti : nobiles, an plebei ; divites seu potentes an tenues aut mediocres; orthodoxi & pii an vero politice tantum honesti; cives an extranei; senes an juvenes ? *Expl.*

5. An præstet magistratus esse ambulatorios ; an vero perpetuos ? *Dist.*

6. An per successionem , an per electionem ? *Dist.*

7. An Magistratus potestas sit absoluta & independens in terris ? *Dist.*

8. An nullo in casu necessitatis magistratui tyranno, sive usurpanti, sive abutenti resisti possit ? *Neg. c. Dist.*

9. Penes quos sit judicium de tyrannide ; atque adeo de licitâ opportunâ resistentiâ ? *Expl.*

10. An quilibet resistentiâ negativâ ei resistere possit & debeat ; si imperet agenda , quæ Deo & bonæ conscientiæ repugnant ? *Af.*

11. An certa forma regiminis, Monarchica, Democratica, Aristocratica, mixta, positivè à Deo sit præscripta ; an vero jure divino nationibus quibusvis & hominum societatibus hoc relictum sit ? *Af. poster.*

12. An Magistratus habeat potestatem ecclesiasticam & quidem supremam in terris ; an vero potestatem formaliter politicam circa ecclesiam & ecclesiastica ? *Af. poster.*

13. An habeat potestatem cogendi homines ad receptionem religionis sive veræ sive falsæ ? *Neg.*

14. An omnibus infidelibus aut sectariis libertatem exercitii in Republica suâ concedere teneatur ? *Neg.*

* *De Magistratibus, eorumque ministris : seu munerariis in specie.*

1. QUæ regiminis forma sit præstantissima ? *Dist. & Expl.*

2. An jus regis Israëlitici , & cujusque supremi Rectoris 1 *Sam.* 8. à Deo præscribatur ? *Neg.*

3. An ibidem doceatur, quid reges aut supremi rectores in foro poli debeant, aut possint facere ? *Neg.*

4. An Reges , Principes , Magistratus , quævis onera populo suo in foro conscientiæ imponere possint ? *Neg.*

5. An subditus quisque ad tributa, vectigalia aliaque onera bono publico imposita, exsolvenda teneatur ? *Af.*

6. An si populum , aut aliquos ex populo nimium gravent , illi positivâ resistentiâ, ex privato cujusque judicio, resistere possint ? *Neg.*

7. An Magistratibus subalternis , & munerariis à Magistratu constitutis : aut ministris regni & regis, honorem & obedientiam subditi quique, quibus illi præfecti sunt, præstare teneantur ? *Aff.*

8. An jus legationum & legatorum tantum ex jure gentium (prout stricte à Jureconsultis hoc accipitur) ; an vero ex jure divino naturali ortum sit ? *Ex utroque.*

9. An legatorum violatio? *Neg.*

10. An si fiat, juste hoc vindicari possit? *Af.*

11. An legatorum delicta à magistratu à quo missi sunt, an vero à Magistratu, ad quem missi, punienda sint? *Dist.*

12. An legati in malâ causâ, aut in bonæ causę malis mediis (ut fraudibus, mendaciis) principi suo inservire debeat, aut possint? *Neg.*

13. An consiliarii Regibus, principibus, & quidem plures, sint utiles? *Af.*

14. Quales debeant eligi consiliarii, & quod nam eorum munus?

Vide quæstiones huc pertinentes in tractatibus particularibus de consilio & Consiliariis: quales Keckermanni in disp. practicis, Hippolyti à Collibus tract. de Consil.

15. An uni viro multa, & quidem ad modum diversa munera sint demandanda? *Dist.*

16. An pastoribus ecclesiasticis, aut Theologis Academicis munera politica sint imponenda e. gr. legatorum, consiliariorum, judicum, prætorum, quæstorum, præfectorum civilium aut militarium, cancellariorum, &c. sint imponenda? *Neg. c. Dist.*

TITULUS VII.

Ad sextum Decalogi præceptum,

* Subtitulus I. *De humanitate, clementiâ & oppositâ crudelitate.*

De mansuetudine, tolerantiâ & placabilitate, & oppositis, irâ, iracundiâ, vindictæ cupiditate, invidiâ, lentitudine.

1. AN ira intrinsece, & in se sit mala, seu an omnis ira sit peccatum? *Neg.*

2. An omne odium sive rerum, sive personarum sit peccatum? *N. c. D.*

3. An omnis vindicta, & vindictæ cupiditas sit peccatum? *Neg. c. Dist.*

4. An invidia aliqua sit licita? *Neg.*

5. An aliqua æmulatio? *Aff.*

6. An lentitudo sit vitium? *Aff.*

* Subtit. II. *De fortitudine, ejusque oppositis, timiditate & audaciâ.*

1. AN fortitudinis objectum sint tantum pericula bellica? *Neg.*

2. An tantum mors? *Neg.*

3.

3. An αὐτόχειρες sint fortes dicendi? *Neg.*

4. An duella offerentes aut suscipientes? *Neg.*

5. An aliquo in casu licitum sit oblatam aut imperatam monomachiam suscipere? *Aff.*

6. An cum rex regem, imperator exercitus imperatorem, ad monomachiam provocat ad bellum finiendum, ea suscipienda sit? *Incl. in Neg.*
Vide de hoc casu Zoucheum in Iure feciali p. 291. 293. & autores ibi cit.

7. An stante bello publico miles ad monomachiam â milite hostili provocatus, eam suscipere possit, exemplo Davidis? *Incl. in Neg.*

8. An martyres verè sint fortes? *Af.*

9. An omnis fuga fortitudini repugnet? *Neg.*

10. An fortes sint, qui magicis artibus, pharmacis narcoticis ἀναισθησίαν quandam membris suis conciliant? *Neg.*

11. An timor omnis sit vitiosus? *Neg.*

12. An metus in foro poli quem absolvere, aut liberare possit ab omni peccato, si quid contra legem Dei commiserit? *Neg.*

* Subtit. III. *De concordiâ, discordiâ, rixis, dissidiis, verbis asperis.*

1. AN verbis quis dici possit occidere? *Af.*

2. An quis possit bono publico discordias inter homines excitare? *N.*

3. An ortis discordiis aliorum, uti in bonum? *Af.*

* Subtit. IV. *De læsione, mutilatione sui ipsius, aut aliorum.*

1. AN quis aliquo in casu se ipsum mutilare, aut aliis mutilandum dare possit? *Aff. cum Dist.*

2. An flagellatio sui ipsius in Papatu usitata, sit licita, & partem faciat salutaris pœnitentiæ? *Neg.*

3. An castratio seu eunuchizatio sui ipsius, aut aliorum sit licita? *Neg. pr. Dist. Post.*

4. Quomodo intelligendus locus *Mathei* 19. *Expl.*

5. An eunuchismus naturalis aut per hominum violentiam illatus, faciat aliquem irregularem? *Neg.*

* Subtit. V. *De homcidio sui ipsius & aliorum.*
[* *De* ἀνθρωφονίᾳ.

1. AN aliqua ἀνθρωφονία sit licita? *Neg.*

2. An sententiâ judicum sive juste, sive injustè damnati, ipsi sententiam laqueo, aut gladio, aut alio quo instrumento, exequi possint? *Neg.*

3.

3. An incendium pulveris pyrii, quo navis cum vectoribus, in frusta discerpitur, aut comburitur; ad ἀνθροφονίαν reduci debeat? *Aff.*

4. An femina nocens sumendo poculum zelotypiæ (de quo Numer. 5.) peccasset ἀνθροφονίας? *Aff.*

5. An justè condemnatus, ut fame moriatur; cibum clam subministratum edere possit? *Aff.*

6. An licitum sit in morbo periculoso, abstinere à cibi aut potus genere, per regulam, seu vota, interdicto? *Neg.*

7. An injectio diabolica, aut tentatio ad ἀνθροφονίαν, sit formaliter ἀνθροφονία; aut saltem peccatum aliquod? *A. pr. dist. post.*

8. An ἀνθρόφονοι judicandi sint totaliter, & finaliter desperare, atque adeo in æternum perire? *Neg.*

9. An funambuli, volantes, torneantes, in circo pugnantes, aut spectacula illa instituentes, ac curantes, aliique ἐνψοκινδύνοι, ab ἀνθροφονίας aut ab omni culpâ absolvi possint? *Neg.*

10. Idem quæro de duellatoribus, qui ad vindicandam injuriam, aut ad ostentationem roboris, aut ad oblectationem spectantium, aut ad manifestandam causæ suæ justitiam, duella offerunt aut suscipiunt? *Neg.*

11. An ullum duellum publicâ authoritate concedi possit? *Incl. in Neg.*

12. An quis duellum seu monomachiam sub pœnâ capitis, ab hoste aut tyranno sibi impositum suscipere possit? *Aff. c. Dist.*

* *De homicidio aliorum.*

1. AN omnis occisio hominis sit intrinsecè mala? *Neg.*

2. An publicâ authoritate magistratus justam ob causam quis occidi possit? *Aff.*

3. An, & quo in casu privatus licitè occidere possit? *Aff. pr. E. Post.*

4. An omne homicidium casuale sit inculpabile? *Dist.*

5. An aliquo in casu magistratui aut communitati liceat innocentem occidere de mandato hostis aut tyranni, ut interneciônem aut excidium totius populi, aut civitatis avertant? *Neg.*

6. An judici inferiori liceat condemnare, & satelliti occidere, idque mandato superiorum, quem scit esse innocentem? *Neg.*

7. An liceat reipublicæ innocentem quem ab hoste, aut tyranno postulatum, eidem tradere, quem scit ab ipso occidendum? *Dist.*

* Subtit. VI. *De abortu, hydrophobis, monstris, mortuis hominibus, & expositione infantum.*

1. AN abortum qui procurat, homicidii sit reus? *Dist.*

2. An liceat abortum procurare, ut mater præsentissimo mortis periculo eripi possit? *Neg.*

3. An

3. An hydrophobi publicâ authoritate magistratus occidi possint? *Neg.*

4. An monstra quævis ex brutis nata occidi possint; aut necessariò debeant? *Aff. pr. Neg. Post.*

5. Idem quæro de monstris, ex hominibus, natis? *Dist.*

6. An sævire liceat in mortuos, seu cadavera hominum? *Dist.*

7. An in extremâ necessitate carnibus humanis vesci liceat? *Aff. cum Dist.*

8. An aliquo in casu infantes exponere liceat? *Aff. cum Dist.*

* Subtit. VII. *De sævitiâ, & clementiâ erga bruta.*

1. AN virtus clementiæ aut humanitatis, & opposita vitia etiam locum habeant erga bruta? *Aff. juxta Proverb. 12. v. 10.*

2. An ad virtutem referri possit Pythagorica à brutorum mactatione, & manducatione abstinentia? *Neg.*

3. An ante diluvium Noachicum esus carnium fuerit, & quidem licitus? *Aff.*

4. An etiam in statu integratis, mactatio, & usus earundem, fuerit aut fuisset licitus? *Inclin. in Aff.*

* Subtit. VIII. *De vitandis & fugiendis periculis, terrâ aut mari se offerentibus; item de peste, leprâ, dysenteriâ, aliisque morbis contagiosis.*

1. AN quis pie, & honeste præsenti periculo, in bello, aut navigatione, exponere se possit? *Dist.*

2. An pestem, & loca peste infecta fugere liceat? *Dist.*

3. An peste, aliove morbo contagioso laborantes, absque Dei tentatione, absque amore periculi, absque temeritate, visitari & adjuvari possint? *Aff cum. Dist.*

4. An lepra hodierna eadem sit cum antiquâ Ægyptiorum, & Judæorum? *Neg.*

5. An homines reddiderit immundos magis quam alia quævis mala scabies, aut alii miserabiles morbi, sive contagiosi sive non contagiosi, immunditia scil. ceremoniali; an etiam morali ac spirituali? *Aff. pr. Neg. Post.*

6. An ergo hodierni leprosi, cessante immunditiâ & lege ceremoniali necessario extra urbes, vicos, castra, & quasvis hominum communitates habitare debeant, adhæc mendicare, & mendicatum panem edere? *Neg.*

Vide quæstiones de leprâ & leprosis 1. part. polit. eccles. lib. 2. tract. 2. sect. 4. p. 768. & lib. 4. tr. 4. sect. pag. 894.

* Subtit. IX. *De medicina, & medicis.*

1. AN usus medicinæ, & medici licitus sit ? *Aff.*

2. An imperiti & irrationales medici, quos empiricos vocant, sint tolerandi, & illi bonâ cum conscientiâ praxim medicam exercere pos. sint ? *Neg. cum Dist.*

3. An Judæis, aut nomen Christianum simulantibus, sed revera, atheis & prophanis publica praxis medicinæ inter Christianos sit permittenda ? *Incl. in Neg.*

4. An quis medicus pharmacum calamitosum alicui propinare, aut gravidę abortum procurare, aut quem lucri causâ in morbo detinere possit ? *Neg.*

5. An peccet medicus si per ignorantiam artis suæ, aut imperitiam, aliquem in totum, aut in tantum perdat ? *Aff.*

6. An experiendi, aut in arte medicâ proficiendi gratiâ, aliquod medicamentum adhibere liceat, de cujus virtute, & viribus non satis certus sit ? *Neg.*

7 An artis medicæ, & experientiæ augendæ causâ vivi homines à medicis anatomizandi sint ? *Neg.*

8. An ejusdem artis jam inventæ ostentandæ, ac commendandę causa medicus sibi ipsi, aut alteri alicui homini venenum propinare, & mox antidotum addere, aut vulnera sibi aliisve infligere, & mox unguentum illinere possit ? *Neg.*

* Subtit. X. *De oppositis, & remediis homicidii.*

* *De custodiâ & conservatione vitæ ac sanitatis.*

1. AN quis possit fugere pericula ? *Dist.*

2. An & quando quis possit, aut debeat vitam ponere, pro vitâ proximi ? *Af. Post. E. Post.*

3. An ad accuratam dictam in victu ut usu rerum pro re natâ & complexione suâ quis teneatur ? *Af. cum. Dist.*

4. An conservatio sui ipsius sit primum & universale principium honestatis aut moralis bonitatis in actionibus humanis ? *Neg.*

5. An carcerem effringere & vitam præsenti supplicio eripere liceat in casu innocentiæ ? *Af.*

6. An, & quomodo hoc licitum in casu martyrii ? *Dist. & E.*

* *De*

** De conservatione & custodiâ vitæ & sanitatis proximi.*

1. AN quis teneatur vitam proximi tueri, eumque morti eripere, sive ex igni, sive ex aquâ, sive è manu ferarum aut latronum, etiam cum periculo suo? *Af.*

2. An præcipue hoc obtinere debeat in custodiâ vitę parentum, principum, uxorum? *Af.*

3. An insidiæ adversus vitam proximi sint detegendæ? *Af.*

4. An insidiæ & conspirationes contra rempublicam, ab eo qui juramento fidelitatis obstrictus est, sint detegendę? *Af.*

5. An hoc obtinere debeat, quando insidiæ, aut conjurationes innotuerunt verbi ministro per modum querelæ, & exonerationis conscientiæ, & postulati ab illo consilii spiritualis? *Dist.*

6. Quid si innotuerit alicui parentes suos, aut maritum, aut liberos conjurationis aut rebellionis consiliis nondum cessantibus implicari, aut saltem eorum esse conscios, quid tali in casu faciendum? *Expl.*

** De moderatione inculpatæ tutelæ, & de vindictâ.*

1. AN aliquâ ratione vim vi repellere liceat? *Dist.*

2. An, præteritam injuriam privatâ & propriâ vindictâ, seu per se ipsum vindicare? *Neg.*

3. An morali cerritudine aut satis verisimili conjecturâ præsumens sibi injuriam, aut vim inferendam ab aliquo, eundem vi illatâ, aut violentâ quâcunque coercitione prævenire possit? *Incl. in Neg.*

4. An sit moderamen inculpatæ tutelæ, si quis aggressori resistat, imo eidem mortem inferat, in casu quo fugere, aut auxilium aliunde ipsi præstari possit? *Neg.*

5. An mulier pro conservandâ pudicitiâ, violento raptori, aut stupratori usque ad vitæ ipsius privationem (si aliter fieri nequeat), &c. resistere possit? *Aff.*

6. An inculpata tutela sit, si quis pro conservatione domus, & rerum suarum non tantum raptorem violenter repellat, sed & occidat? *Dist.*

7. An inculpatâ tutelâ quis uti possit contra aggressorem, patrem, aut principem suum? *Dist.*

** De pœnâ homicidii, de asylis, deque veniis.*

1. AN pœna capitalis homicidii sit meræ constitutionis & legis forensis Mosaicæ, populo Israelitico specialiter latæ? *Neg.*

2. An illa semper & necessario debeat esse capitalis? *Neg.*

3. An asyla in politiis Christianis sint necessaria? *Neg.*

4. An templa, monasteria, aliaque loca sacra, aut pia (ut vocant) debeant, aut possint esse asyla? *Neg.*

5. An propinquis sanguine vindicta homicidii committenda sit? *Neg.*

6. An in casu corrupti, aut cessantis Magistratus, ipsi jus hoc sibi sumere possint? *Neg.*

7. An venia homicidis, seu immunitas à supplicio concedi possit, ob occursum aut conspectum Cardinalis, aut virginis vestalis, aut ob lętum introitum principis aut episcopi? *Neg.*

8. An ob bonum (ut vocant) diem Veneris, seu crucifixionis Christi? *Neg.*

9. An omne homicidium involuntarium puniri, aut impunitum esse debeat? *Dist.*

10. An munus carnificis aut satellitis, aut spiculatorum, in foro conscientię sit illicitum? *Neg.*

11. An ecclesiasticè, aut politice sit infame? *Neg.*

12. An quosvis condemnatos etiam innocentissimos præsertim martyres Christi, bonâ conscientiâ occidere possint, aut cœcâ obedientiâ Magistratui in eo parere? *Neg. cum Dist.*

* Subtit. XI. *De bello in genere, ejusque oppositis, & bello Belgico in specie.*

* *De bello in genere.*

1. AN bellum, etiam justum, sit bonum; an vero malum triste? *Dist.*

2. An omne bellum sub N. T. sit malum, turpe, illicitum? *Neg.*

3. An bellum recte distinguatur in offensivum, & defensivum? *Af.*

4. An in bello specie & formâ defensivo, nulla debeat fieri offensio? *Neg.*

5. An in extraneum, & civile? *Af.*

6. Quænam requirantur ad hoc, ut bellum sit justum? *Expl.*

7. An bellum suscipi aut geri debeat à privato homine, aut ab hominibus privatis, aut ab ecclesiâ quâ tali, aut ab antecessoribus ecclesiasticis qua talibus, ex. gr. episcopis, concionatoribus, senioribus, synedriis, synodis? *Neg.*

8. An possint institui, aut esse milites ecclesiæ, & milites sacri, uti vocantur? *Neg.*

9. An inferiores magistratus, quibus etiam competit jus gladii, aliquo in casu bellum suscipere possint, contra magistratus superiores *Af. c. Dist.*

10. Quænam sit justa causa belli, & quidem proxima? *Expl.*

11.

11. An necessaria defensio religionis? *Dist.*

12. An alterius populi flagitia, & mores ferini ac cyclopici coërcendi? *Dist.*

13. An propter denegatum transitum? *Dist.*

14. An ob violatos legatos? *Af.*

15. An ob punctum honoris, & præcedentiæ, aut τῦ &c.? *Neg.*

16. An ob non-restitutionem eorum, quæ reipublicæ, aut subditis injustè ablata sunt? *Af.*

17. An cum præscriptio adest, aut subsequens approbatio eorum quorum intererat; aut cum defuncti sunt omnes illi qui damnum passi erant, cum omnibus hæredibus? *Neg. pr. Dist. Post.*

18. An bellum ab utraque parte possit esse justum? *Neg.*

19. Quibus armatis civibus, aut militibus in bello sit utendum, viris, an juvenibus, piis, an impiis, fidelibus, an infidelibus, hæreticis, an orthodoxis? *Dist. & Expl.*

20. An etiam operâ fœminarum? *Dist.*

21. An quibusvis in quovis bello operam suam quis addicere, aut locare possit? *Neg.*

22. An etiam canibus, elephantis, aliisque brutis in bello uti liceat? *Af. cum Dist.*

23. An fœdus bellicum, & usus auxilii fœderatorum sit licitus? *Af.*

24. An fœdus cum infidelibus, hæreticis, idololatris: &c. iniri possit? *Af. cum Dist.*

25. An, & quale temperamentum in hostibus oppugnandis, & victoriæ usu sit adhibendum quoad vitam, libertatem, bona eorum? *Af. pr. E. Post.*

26. An insontes extra causam belli positi aliqua ratione affligi possint in vitâ, seu sanitate suâ, in libertate, in bonis? *Dist.*

27. An temperamento adhibendo repugnet bonorum deprædatio, aut captivitas? *Neg.*

28. An redactio in servitutem? *Dist.*

29. An uti liceat exploratoribus, & proditoribus? *Af. cum. Dist.*
Vide supra dispp. ad 9. decalogi præceptum.

30. An, & quibus stratagematis uti liceat? *Af. pr. E. Post.*

31. An retorsione, & repræsaliis? *Af. cum. Dist.*

32. An privati utriusque partis, aut neutrales extra partes bellicas constituti, pyraticam illam belgicè dictam **Caperye**, aut **repne Meering**, absque ullo conscientiæ scrupulo exercere possint? *Resp.* De alienis, & de civibus à parte belli injusti, absolutè Neg. de civibus à parte belli justi incl. in? *Neg.*

33. An percussoribus, & assassinis, contra reges, aut principes, cum quibus bellum intercedit, uti liceat? *Neg.*

34. An urbes incendio perdere, & omnes incolas internecioni dare liceat? *Neg. cum. Dist.*

35. An militibus occisionem infantum, imbellium senecionum, puellarum, & vetularum (quæ arma non gestant) permittere liceat? *Neg.*

36. An mulierum nuptarum & innuptarum, stuprationem ac violationem? *Neg.*

37. An bona pauperum, pupillorum, ecclesiastica, & similia, militum, aut aliorum πλεονέκτων prædę, ac rapinæ exponere liceat? *Neg. cum Dist.*

* *De belli oppositis, tumultu scil. seditione, rebellione, latrocinio, pyratica, pace & iudiciis.*

1. AN bellum, seu continuatio belli pace dubiâ tutior sit? *Aff. cum Dist.*
2. An, & quomodo induciæ differant à pace? *Af. pr. E. Post.*
3. An; & quomodo confæderatio à pace seu neutralitate? *Af. pr. E. Post.*

* *De bello Belgico.*

1. AN bellum Belgicum fuerit defensivum contra tyrannidem? *Af.*
2. An primo inchoatum sit propter religionem; an vero propter libertatem politicam, & conscientiæ? *Dist. pr. & Af. Post.*
3. An in progressu, præfectis & magistratibus ad religionem conversis gestum sit pro religionis reformatæ (tunc publicæ & religionis status) defensive? *Aff.*
4. An etiam pro exclusione falsæ & idololatricæ religionis papisticæ? *Aff.*
5. An in omnibus fæderatis, seu unitis provinciis pariter & eodem tempore pro exclusione Papismi bellum geri cœptum sit? *Neg.*

TITULUS VIII.

Ad septimum Decalogi præceptum,

* Subtit. I. *De Castitate.*

1. AN virginitas sit virtus, & quidem maxima; an vero adiaphorum quid? *Neg. pr. Aff. post.*
2. An cœlibatus sit prę ferendus conjugio? *Neg. c. Dist.*
3. An castitas tantum locum habeat in cœlibatu; an etiam in conjugio? *Neg. pr. Aff. post.*

4.

4. An castitatis subjectum inhærentiæ sit voluntas? an vero appetitus sensitivus & inferior facultas? *Aff. pr. Neg. post.*

5. An virtus castitatis idem sit quod continentia, seu donum continentiæ? *Neg.*

6. An stimuli, seu motus primo primi luxuriæ sint peccata? *Aff.*

7. An impuritates omnes cum antecedentibus & consequentibus, modis & circumstantiis, æque ac aliorum peccatorum, pro concione & in publicis lectionibus ac catechizationibus sint proponendæ? *Neg.*

* Subtit. II. *De flagitiis non nominandis.*

1. AN ejusmodi flagitia in prælectionibus Academicis sint describenda, & minutim explicanda? *Neg.*

2. An in concionibus & catechezationibus? *Multò minus.*

3. An prudentia justorum sit, quod confessarii sub Papatu super abominandis illis torquent, & torquere docentur conscientias puerorum, puellarum, cœlibum, conjugatorum, viduarum, ad confessiones accedentium? *Neg.*

4. Et quod in libris Casuisticis, & confessionalibus præsertim in vasto volumine Thomæ Sanchez de matrimonio, talia proponunt? *Neg.*

Vide de his part. 3. polit. eccles. lib. 3. tract. 1.

* Subtit. III. *De raptu, adulterio, incestu, & violento concubitu.*

1. AN & quomodo incestus judicandus sit è lege morali? an vero forensi Mosaica? *Aff. pr. Neg. post.*

2. Quomodo gradus consanguinitatis, & affinitatis computentur, & in quibus gradibus conjugium prohibitum? *Expl.* in 1. part. Polit. Eccles. lib. 3. tr. 1.

3. An conjugium cum regulari, aut cum cognato spirituali initum sit incestus? *Neg.*

4. An pœna adulterii, in specie semper debeat esse capitalis, ut in politia Mosaica? *Neg.*

5. An raptus sit quecunque virginis seductio, & abductio? *Dist.*

6. Quid censendum sit de raptu Benjaminitarum *Jud. 21.? Expl.*

7. An compressio Dinæ à Simeone & Levi justè vindicata sit? *Neg.*

* Subtit. IV. *De concubinatu, stupro, scortatione & fornicatione, item de lupanaribus, meretricibus, arteque lenonià.*

1. AN concubinatus (qui dicitur quasi conjugium, seu conjugium carens solennitatibus) sit licitus? *Neg.*

2.

2. An ſtuprator teneatur virginem à ſe humiliatam ducere? *Aff. c. Diſt.*

3. An lupanaria, lenocinia, meretrices ſint in Rep. toleranda? *Neg.*

* Subtit. V. *De ſpuriis, & infantibus ſuppoſititiis & expoſititiis.*

Vide quæſtiones in 1. part. polit. eccleſ. lib. 3. tract. 1.

* Subtit. VI. *De hermaphroditis, Eunuchis, frigidis,* &c.

Vide ibid.

* Subtit. VII. *De luxuriæ incitamentis, occaſionibus, manuductionibus.*

Vide ſupra diſpp. de ebrietate, & de Excelſis Mundi.

* Subtit. VIII. *De prophylacticis & antidotis luxuriæ impudicæ, temperantiæ, continentiæ, verecundiæ, pudore, coniugio, & pœnis impuritatis.*

* De { temperantia. / continentia. / verecundia.

1. AN omnis non tantum diæta & tenuis victus, ſed & abſtinentia à ſomno, cibo & potu ſit adhibenda? *Aff.*

2. An aſſidui labores & occupationes inter prophylactica ſint numeranda? *Aff.*

3. An continentia ſit diſtincta à dono continentiæ? *Aſ. vid. Ethicos.*

4. An donum continentiæ ſit virtus per ſe, idemque cum caſtitate? *Neg.*

5. An numerandum ſit inter chariſmata, ſeu gratias (ut vocant) gratis datas? *Diſt.*

6. An plerique homines, ſaltem multi eo dono ſint præditi? an vero pauci, ſi non pauciſſimi? *Neg. pr. Aff. poſt.*

7. An donum illud ſit perpetuum & permanens? an vero mutabile, & πρόσκαιρον? *Neg. pr. Aff. poſt.*

8. An donum illud abſolutè à Deo ſit petendum? an vero conditionaliter? *Neg. pr. Aff. poſt.*

9. An verecundia & pudor ſint virtutes? *Vide Ethicos.*

* *De conjugio, & oppoſitis.*

1. AN conjugium hominum ſit mandatum? & an jure naturali primigenio? *Aff. c. Diſt.*

2. An ſit remedium divinitus ordinatum contra incontinentiam, uſionem & vagas quaſque libidines? *Aff.*

3. Reliqua de ſponſalibus, conjugio, eique oppoſ. divort. deſert.

Vide in 1. part. Polit. Eccleſ. lib. 3. tract. 1.

* De

* *De pœnis impuritatum.*

1. AN omnium impuritatum pœna debeat esse capitalis? *Neg.*
2. An quarundam impuritatum ordinaria pœna debeat esse capitalis? *Aff.*
3. Idem quæro de quibusdam speciebus incestus? *Aff.*

TITULUS IX.

Ad octavum Decalogi præceptum.

* Subtit. I. *De rerum dominio, divitiis, paupertate.*

* *De dominio rerum.*

1. AN sit distinctio dominiorum & jure divino & naturæ? an vero omnia debeant esse communia? *Aff. pr. Neg. post.*
2. An omnes res cadant sub distincta dominia particularia ex. gr. oceanus, lumen solare, aër, ventus, &c.? *Neg.*
3. An aliquæ res sint & dici possint in nullius esse bonis, & quænam? *Aff. pr. Expl Post.*
4. An fretum aliquod, an pars maris mediterranei possit sub Dominium cadere, eoque respectu vocari mare clausum? *Aff. c. Dist.*
5. An vectigal navigantibus imponi, & navigatio eorum justas ob causas impediri possit? *Aff.*
6. An piscatio in fretis, æstuariis, lacubus, paludibus, rivulis, fluminibus à principe & communitate pro privatis incolis contra extraneos vindicari possit? *Aff.*
7. An alveus fluminis plane mutatus mutet dominium ejus? *Aff.*
8. An venatio & aucupium à Principe aut communitate vindicari possit contra extraneos aut quosvis incolas privatos? *Aff.*

* *De divitiis & paupertate.*

1. AN paupertas sit morale bonum, & hominem Deo gratum faciat? an vero sit adiaphorum? *Neg. pr. Aff. Post.*
2. An sit affectanda, aut sponte accersenda? *Neg.*
3. An divitiæ sint malæ, & consequenter an liceat esse divitem? *Neg.*
4. An liceat directe cupere & affectare divitias? *Neg.*

5. An liceat mediis illis uti, quibus per Dei benedictionem legitimè comparentur? *Af.*

* Subtit. II. *De Modis acquirendi.*

* *De acquirendo dominio in genere, ejusque oppos.*

1. AN quisque aliquam particularem vocationem ad vitæ occupationem amplecti debeat? *Aff.*

2. An quis vocationem suam particularem, in quâ constitutus, deserere & commutare possit? *Aff. c. Dist.*

3. Cum diversæ sint vocationes & vitæ occupationes, an unusquisque scire possit, quænam præ aliis capessenda sit, *Expl.*

4. An otiosa validorum mendicantium circumvagatio sit honesta? an vero ad furtum referenda sit? *Neg. pr. Aff. Post.*

5. Idem quæro de Cyngaris, peregrinantibus religionis ergo, inclusis & eremitis, monachis mendicantibus? *Neg. pr. Aff post.*

6. Idem quæro de lenonia, arte meretricia, funambulatorio, histrionia, piratica, quamvis publicâ auctoritate munitâ, feneratoria? *Idem.*

7. An cauponaria sit licita? *Dist.*

8. An militia mercenaria? *Dist.*

9 An omnes vocationes aliorum recreationibus inservientes? *Dist.*

10. An aleatoria? *N. Vid. Tract. nost. de usu aleæ.*

11. Quænam vocationes sint honestæ & licitæ? *Expl.*

12. Quinam modi acquirendi? *Expl.*

* *De primâ occupatione, alluvie & insulis.*

1. AN terras inhabitatas, nulliusque dominio subjectas occupare liceat, & dominium earum sit primi occupantis? *Aff.*

2. An alluvies jure cadat in dominium ejus ad cujus agrum fit alluvies? *Dist.*

3. An omnis alluvies cedat privatis, an communitati aut principi? *Dist.*

4. An insula in flumine nata sit ejus cujus est flumen? *Dist.*

5. An per inundationem dominium cujusque privati amittatur? *Dist.*

6. An liceat arte & industria procurare alluviem, muniendo suam & sic abradendo ripam oppositam? *Dist.*

* *De præscriptione & usucapione.*

1. AN jus usu capionis præscriptionis legitime constitutum sit? *Af.*

2. Quantum temporis requiratur, ut rei possessæ derelictionis moralem certitudinem fundare queat? *Expl.*

3. An sine scrupulo aliquis jure usu-capionis uti possit? *Af. c. Dist.*

* *De donatione & hæreditate.*

1. AN donatio sit legitimus acquirendi modus? *Af.*

2. Quænam requirantur ad legitimam donationem? *Expl.*

3. Quænam res donari possint, & an omnes? *Ex. pr. Neg. Post.*

4. Quinam donare possint, & non? *Expl.*

5. Quibus donari possit, & non? *Expl.*

6. An quodvis donum à quovis accipi & affectari possit; & an detur vitium δωροφαγίας belgicè gavenslicker? *Neg. pr. Aff. post.*

7. An donatio omnium bonorum sit licita? *Neg. c. Dist.*

8. An donationes inter virum & uxorem, patrem & liberos, à Magistratu restringi possint? *Aff.*

9. An donatio aliqua revocari aut rescindi possit, & quibus de causis? *Aff. pr. Expl. post.*

* *De contractibus in genere.*

1. AN contractus recte dividantur in proprie dictos, nominatos, innominatos, dubios seu quasi contractus? *Aff.*

2. Quænam requirantur ad legitimum contractum? *Expl.*

3. Quinam contrahere prohibeantur? *Expl.*

4. An vim habeant contractus, qui fiunt metu cadente in virum fortem & constantem? *Dist.*

5. An contractus validus sit, in quo deest solennis formula seu conditio juris scripti? *Aff. c. Dist.*

6. An ea, quæ quis habet ex quasi contractu aut ex testamento possit bona conscientia sibi retinere? *Aff. c. Dist.*

7. An dolus reddat contractum irritum? *Aff. c. Dist.*

8. An per donationes causâ mortis, & testamentarias dispositiones legitime quis acquirat hæreditatem & legata? *Dist.*

* *De promissionibus & pollicitationibus, vide ad 9. præc.*

* *De contractu* { *emptionis* & *venditionis.*

1. AN hic contractus sit juris naturalis, gentium, civilis? *Dist.*

2. An omnes res sint venales? *Neg.*

3. An omnia publica munera debeant esse venalia? *Neg.*

4. An quælibet servorum emptio & venditio sit licita? *Neg.*

5. An & quibus de causis emptio & venditio revocari ac rescindi possit? *Aff. pr. Expl. post.*

6. An hoc sit ob vitium rei venditæ? *Aff. c. Dist.*

7. An & quomodo pretium rei venditæ æstimari debeat, & quibus de causis juste retineri aut remitti possit? *Expl.*

8. An omnium venalium pretium sit certum, definitum & perpetuum? *Neg.*

9. An major, ita dicta, mercatura sit simpliciss. tutiss. acquirendi modus? *Neg.*

* De { *sortibus* / *sponsionibus* / *assecurationibus.*

1. AN per aleas aliasque sortes ludicras legitime acquiratur? *Neg.*

2. An ex contractu & præeunte utriusque partis consensu sortes diviso-riæ legitime adhibeantur? *Aff.*

3. An sortilegia illa, quæ loterias vocant, legitimè institui, & per ea legitime acquiri possit? *Neg.*

4. An si in usum non privati alicujus, sed pauperum, aut Reip. & Eccles. instituantur? *Neg.*

5. An sponsiones omnes sint licitæ, & per eas legitimè acquiratur? *Neg.*

6. An illicitæ sint illæ, quæ de præsentibus aut præteritis fiunt, ad acuendam hominum artem & industriam? *Neg. c. Dist.*

7. An mercatura fuerit exercita in populo Israëlitico cum Israëlitis sc. aut extraneis; an vero absque ulla mercatura vixerint? *Aff. pr. Neg. post.*

8. An contractus assecurationis sit legitimus acquirendi modus? *Dist.*

9. An possit assecurari alicujus persona, per loca ubi periculum ab hostibus? *Dist.*

10. An judici munera accipere liceat? *Neg.*

* *De censibus.*

1. AN contractus censuales censuum liberorum, liberandorum, perpetuorum seu hæreditariorum & vitalium sint liciti? *Aff.*

2. An census reales perpetui emi & vendi possint? *Aff.*

3.

3. Quæ conditiones ad legitimum censum requirantur ? *Expl.*

* *De cambeis & permutationibus seu commutationibus.*

1. QUænam res sub commutationem cadant ? *Expl.*
2. An cambia sint licita ? *Aff.*

3. An liceat campsoribus tanto plus accipere, quanto tempus solutionis distantius est ? *Aff.*

* *De mandato.*

1. AN mandatum sit legitimus contractus ? *Aff.*
2. An sit juris naturæ ; an gentium aut civilis ? *Aff. primum.*

* *De acquisitione per jus fisci, item belli & victoriæ.*

1. AN cum jure divino jus fisci consistere possit ? *Aff. c. Dist.*
2. An aliena bona quæ jure belli & victoriæ acquiruntur, legitime cedant victori ? *Dist.*

3. An temperamentum aliquid in justissimo bello adhibendum sit circa spoliationem bonorum hostil. ? *Aff.*

4. An privata civium pyratica sub concessione publicæ potestatis sine scrupulo conscientiæ pie exerceri possit ? *Incl. in Neg.*

* *De bonis naufragantium & represaliis.*

1. AN represalia sive in bello sive extra id sint licita ? *Aff. c. Dist.*
2. An bona naufragantium jure acquirantur à fisco, aut supremo littoris domino, aut à particulari domino, aut prætore terræ proximę isti littori ? *Neg. c. Dist.*

* *De oppignoratione, emphyteusi, feudis, infeudatione, fide-jussione.*

1. AN quævis res pignori dari, & accipi possint ? *Exp. pr. Neg. post.*
2. Quinam possint emphyteusin dare & accipere ? *Expl.*

3. An emphyteuticarius in re sibi in emphyteusin data aliquod jus habeat ; & quale ? *Aff. pr. Expl. post.*

4. An & quomodo fiat successio emphyteusis ? *Aff. pr. Expl. post.*

5. Quibus de causis liceat Domino emphyteuticarium ab emphyteusi repellere ? *Expl.*

6. An emphyteusis Ecclesiastica legibus civilibus subjiciatur ?

7. Quæ res possint in feudum dari? *Expl.*

8. Qui possint feudum dare & accipere? *Expl.*

9. Quibus modis feudum acquiras? *Expl.*

10. Quibus obligationibus beneficiarius Domino teneatur? *Expl.*

11. Quando feudum sine culpa vasalli finiat, & desinat? *Expl.*

12. An nunquam, an vero semper liceat postulatam fidejussionem præstare seu fidejussorem agere? *Neg. utrumque.*

* *De depositо, commodato, mutuo & contractu usurario, locatione, conductione, contractu societatis, deque precario.*

1. QUæ & à quo res deponi possit? *Expl.*

2. An restitutio differri aut negari possit? *Aff. c. Dist.*

3. An depositarii teneantur restituere depositum perditum, aut damno aliquo affectum? *Dist.*

4. Quæ possint commodari? *Expl.*

5. Qui & cui possint commodare? *Expl.*

6. An qui commodatum accipit ex casu fortuito? *Neg. c. Dist.*

7. Quæ res mutuo dari & accipi possint? *Expl.*

8. An mutuatio ex se sit officium charitatis, æque ac eleemosyna? *Aff.*

9. An contractus mutui, qua talis seu per se, fundet jus aliquid exigendi pro mutuatione? *Neg.*

10. Qua vi lucrum exigatur, seu τὸ interesse? an jure contractus mutui simpliciter ita accepti? an jure peculiari aut distincti contractus, qui usurarius dicitur? *Aff. post.*

11. An quævis usura sit licita in foro conscientiæ, modò Magistratus eam toleret, permittat, aut ordinet? *Neg.*

12. An usura à paupere, aut attenuato sit exigenda? *Neg.*

13. An Magistratus modum usurarum ponere debeat, & consequenter illicitam ex parte creditoris aut debitoris facere licitam? *Neg.*

14. Quæ sint legitima locationis & conductionis requisita? *Expl.*

15. An quis rem alienam possit locare? *Dist.*

16. An de conductionis pretio aliquid remittendum sit ob sterilitatem, & similes casus, præcipue per vim majorem illatos? *Af.*

17. An conductor, an vero locator teneatur ad damnum, si quod obvenerit rei conductæ, præstandum? *Dist.*

18. Quæ conditiones in societate negotiationis requirantur? *Expl.*

19. Quot, & quibus modis societas finiatur? *Expl.*

20. Quomodo lucrum & damnum, & pecuniæ superstites sint dividendæ? *Expl.*

21. An licitæ societates officiorum, quales in curia Romana? *Neg.*

22. Quæ pacta in precario apponi consueverint? *Expl.*

23. Quando & quomodo precarium finiatur? *Expl.*

* Subtit. III. *De furto ejusque speciebus & affinibus.*

* *De furto.*

1. AN omnis fraudulenta rei alienæ contrectatio invito Domino lucri-faciendi gratia contineat furtum? *Aff.*

2. An omnis acceptio rei alienæ contineat furtum? *Neg.*

3. An furtum sit in casu extremæ necessitatis cibaria aliena auferre? *Neg. c. Dist.*

4 An furtum sit festucam aut aciculam in domo alienâ tollere? *Neg. c. Dist.*

5. An furtum sit parvam summam ex. gr. 2. à 3. assium auferre? *Aff.*

6. An liberi circa bona parentum, & servi circa bona domini furtum committere possint? *Aff.*

7. An Israelitæ furtum commiserint auferendo vasa Ægyptiorum? *Neg.*

8. An factum *Jacobi Genes.* 39. ab omni furto excusari possit? *Dist.*

9. An furtum sit rem suam aut ejus æstimationem propria auctoritate ab injusto detentore aut possessore accipere & auferre? *Dist.*

* *De speciebus furti magis manifestis & directis, plagio, sacrilegio, simonia, peculatu, abigeatu, spoliatione agrorum, rapina violenta rerum mobilium, pyratica, latrocinio, & grassatione.*

1. AN omnis fraudulenta contrectatio rei ad ecclesiam aut ad pias (ut vocant) domos, pertinentis sit sacrilegium? *Af.*

2. An plagium sit furtum graviss.? *Af.*

3. An ad plagium referri debeat seductio liberorum à parentibus, qualis blanditiis, & seductione, à Jesuitis, aliisque regularibus fieri solita? *Af.*

4. An ad plagium referri debeat suppositio partus alieni, quamvis mater ipsa & pater consentiant? *Af.*

5. An ad plagium referri possit, cum quis alienum sibi tribuit & tanquam suum ostentat? *Af.*

6. An quævis emptio & venditio rerum ad Ecclesiam pertinentium sit sacrilegium? *Neg.*

7. An bona ecclesiastica in alios usus, quam propriè & directè ecclesiasticos impendi possint? *Dist.*

8.

8. An Achan *Jos.* 7. Ananias cum Saphyra *Act.* 5. ſacrilegium commiſerint, & propter illud à Deo puniti ſint? *Af.*

9. An exempla illa pœnarum rectè ad uſurpationes & abuſus bonorum eccleſiaſticorum, ſuperiori & præſenti ſæculis commiſſos, à proteſtantibus ac reformatis tum theologis tum Jureconſultis applicata ſint? *Aff.*

10. An hodierna Simonia ſit emptio aut venditio chariſmatum; an vero munerum & vocationum ſacrarum? *Af. poſt.*

11. An Simoniam committant miniſtri eccl. qui pro impartitione ſpiritualium, temporalia accipiunt? *Neg.*

12. An Simonia tantum committatur ablatione aut collatione muneris à manu; an & muneris à lingua aut obſequio? *Af. poſt.*

13. An etiam per comminationem ſubſtractionis, aut actualem ſubſtractionem lucri, commodi & beneficii, quo alioquin quis fruitur aut fruiturus eſſet? *Af.*

14. An fraudatio vectigalium & tributorum ad peculatum referri poſſit? *Aff.*

15. An fraudatio hoſtilium tributorum, qui injuſto bello Rempublicam noſtram perſequuntur? *Neg.*

16. An bonorum publicorum negligens adminiſtratio ad peculatum referri poſſit? *Diſt.*

17. An bonorum illorum perverſa diſtributio? *Aff.*

18. Cur abigeatus & ſpoliatio agrorum, item aggerum, navium, portarum urbium ſit furtum qualificatum aut tam grave? *Expl.*

19. An rapina violenta, latrocinium, pyratica ſint furtum qualificatum? *Af.*

20. An cuique privato ejuſmodi furibus non tantum reſiſtere liceat, ſed etiam ablata eiſdem extorquere, & violenter eripere, modo potentia adſit? *Af.*

21. Quid ſtatuendum de *Jud.* 11. 3. *Expl.*

22. Quid de Davide vagante in deſerto 2 *Sam.* 21. & 22.

23. Quid de ejuſdem excurſionibus in Philiſtæos 2 *Sam.* 28.

* *De ſpeciebus furti minus manifeſti aut craſſi, δωροφαγία, fucata merce, fraudulenta menſura, monopolio, flagellatione annonæ, adulteratione & abraſione monetæ, fœnore & uſura mordente, ceſſione doloſâ, uſurpatione venationis, aucupii, piſcationis, fraude & abuſu circa res inventas aut depoſitas, abuſibus circa teſtamenta & legata, de confiſcatione bonorum naufragantium.*

1. AN liceat Magiſtratibus & munerariis publicis munera accipere? *Diſt.*

2.

2. An judicibus à litigantibus? *Neg.*

3. An liceat munera politica emere & vendere? *Dist.*

4. An etiam munera judicum? *Incl. in Neg.*

5. Quot modis peccetur fucatione? *Expl.*

6. Quot modis fraudulenta mensura? *Expl.*

7. An omne monopolium sit illicitum? *Dist.*

8. Quomodo flagellatio annonæ ad furtum referri possit? *Expl.*

9. An omnis præoccupatio, aut occupatio quæstus alieni sit illicita? *Dist.*

10. An adulteratio monetæ committatur tantum ab iis, qui eam conficiunt? an & ab iis, qui scientes eam erogant? *Neg. pr. Af. Post.*

11. Idem quæro de abrasione nummorum? *Resp.*

12. An lucrum aliquis ultra sortem ex mutuata pecunia, idque vi contractus petere liceat? *Af. c. Dist.*

13. An lucrum tantum stipulari aut petere liceat, quantum visum fuerit, aut à mutuante obtineri possit? *Neg.*

14. An solius Magistratus sit modum usuræ in foro conscientiæ determinare? *Neg.*

15. An modus in foro conscientiæ sit licitus, quemcunque Magistratus determinat? *Neg.*

16. An hodierni trapezitæ, quamvis publici, usurarii manifesti, & professi dici possint? *Aff.*

17. An consistere possit cum charitate & æquitate Christiana fœnus extortum pauperibus ex eleemosyna viventibus? *Neg.*

18. An fœnus extortum omnibus pauperibus non-eleemosynariis? *Resp.*

19. An fœnus hoc à peccato excusetur, si homines sponte sub stipulatione lucri à fœneratore petant & accipiant? *Neg.*

20. An si intercedat Magistratus concessio, aut etiam auctorizatio? *Neg.*

21. An omnes foro cedentes peccent injustitiâ & furto? *Neg. c. Dist.*

22. An, qui absque culpa sua solvendo non sunt, peccent, si relinquentes omnia bona sua creditoribus, incarcerationis, aut servilis detentionis, aut cujuscunque alterius incommodi, aut ignominiæ declinandæ causa se subducant? *Neg.*

23. An ex pacto cum creditoribus tantum? an vero etiam sponte teneatur quis in conscientia creditoribus ex bonis per hæreditatem aut honestam vitæ occupationem partis satisfacere? *Aff.*

24. An res inventæ pertineant ad inventorem? *Neg.*

25. An, in casu, quo ignoratur Dominus rei perditę? *Neg.*

26. Quid & hoc in casu agendum? *Expl.*

27. An cuivis ubivis, aut saltem in terra habitationis suæ venari aut piscari liceat? *Neg.*

28. An liceat pro arbitrio suo de bonis disponere? *Neg.*

29. An semper absque scrupulo qualvis testamentarias dispositiones sequi & exequi possimus? *Neg.*

30 An liberâ & bonâ conscientiâ testamenti executionem post-habere: quod sc. solennitatibus careat? *Neg.*

31. An bona naufragantium juste cedant primo inventori; aut domino proxime adjacentis ripæ & littoris; aut fisco publico? *Neg.*

* *De recreationibus & ludis.*

1. ANullæ recreationes seu exercitia recreantia sint licita? *Aff.*

2. An quævis tum animi, tum corporis recreatio, cujuscunque sexus, ætatis, conditionis, vocationis hominibus conveniat? *Neg.*

3. Quis modus in honestis & licitis ludis adhibendus? *Expl.*

4. An lusus aleæ aut quæcunque aliæ sortes ludicræ sint licitæ? *Neg.*
Vide libellum nostrum de lusu aleæ.

5. An ludus *Schachicus*, orbiculorum, & similes, qui mero ingenio, arte, & industriâ ludentium peraguntur, sint liciti? *Aff.*

6. An conveniant magis mente seu animo juxta vocationem suam laborantibus, e. g. studiosis, an vero corpore magis? *Dist.*

7. Quæ conditiones in ludis licitis sint observandæ? *Expl.*

8. An exercitia ludicra affectanda sint in quibus periculum est nocendi suæ aut aliorum vitæ & sanitati, ut torneamenta, ludi taurorum? *Neg.*

9. Quid de exercitiis actionum scenicarum & similium, item saltationum sit judicandum? *Expl.*
Vide supra disp. de Excelsis Mundi.

* Subtit. IV. *De causis & occasionibus furti, ejusque oppositis remediis.*

* *De avaritia & sollicitudine circa temporalia.*

1. ANavaritia committatur in bonorum acquisitione, an vero usu? *Aff. utr.*

2. Quomodo dicatur radix omnium malorum, 1 *Tim.* 6. ? *Expl.*

3. An ratio dari possit cur senibus hoc vitium sit magis familiare quam juvenibus? *Aff. & Expl.*

4. An quęvis cura & quodvis studium circa res temporales sit illicitum? *N.*

* *De*

* *De prodigalitate seu profusione.*

1. UTrum majus sit vitium avaritia, an prodigalitas? *Aff. pr.*
2. An profusio & luxus in cibo & potu, conviviis, vestibus, suppellectili, frequenti famulitio committi possit? *Af.*

* *De ignavia, otio, & negligentia.*

1. AN ignavia & negligentia in sese sint peccata, & cui virtuti opponantur? *Af. pr. Expl. post.*

* *De curiositate.*

1. AN curiositas sit peccatum per se? *Dist.*
2. Idem quæro de ἀνθρωποεπισκοπῆ, & πολυπραγμοσύνῃ? *Af.*

* *De prophylacticis & remediis, & antidotis furti, ἀυτάρκεια, labore in operibus vocationis, parsimonia, justitia, æquitate, restitutione, pœna & coercitione furti, recto usu & administratione bonorum temporalium.*

* *De ἀυτάρκεια.*

Vide Amesi. in Medullâ ad 10. præc. & commentar. ad 1 Tim. 6.

* *De labore.*

Vide sup. de diligentia & sedulitate.

* *De parsimoniâ, Justitiâ, & Restitutione.*

1. AN omnibus conveniat parsimonia, etiam iis, qui bonis abundant? *Af.*

Vide scriptores Ethicos & Oeconomicos.

* *De Justitiâ.*

Vide supra quæstiones super Prolegomenis ad secundam tabulam Decalogi.

* *De Restitutione.*

Vide supra disp. de Restitutione.

* *De pœnis furti.*

1. AN quis privatus vi adhibita ablationem bonorum suorum mobilium impedire possit; & an ablata furibus aut injustis possessoribus eripere ac sibi restituere possit? *Af. pr. Dist. post.*

2. An quis ablationem impedire possit ipsa occisione furis? *Dist.*

3. An furta non tantum multis pecuniariis, plagis corporeis, infami theatrizatione; sed etiam mortis supplicio vindicari possint? *Dist.*

4. An præstet tales ergasteriis includi, aut ad remos, metalli fodinas, aliosque labores damnari, quam extremo supplicio affici? *Af. c. Dist.*

TITULUS X.

Ad nonum Decalogi præceptum,

* Subtit. I. *De veracitate & mendacio in genere.*

1. AN veracitas sit virtus specialis ? *Af.*
2. An esse quid falsum seu falsum dicere sit mendacium ? *Neg.*
3. Anveritatem quam in totum aut ex parte reticere sit mendacium? *Neg.*
4. An quis vera dicens materialiter, formaliter tamen possit mentiri ? *Af.*
5. An omne mendacium sit peccatum, officiosum, jocosum, humilitatis? *A.*
6. An apologi seu fabulæ, fictiones parabolicæ, hyperbolæ, ironię sint mendacia ? *Neg.*
7. An veracitas & mendacium tantum consistant in verbis prolatis aut scriptis ; an vero etiam in quibusdam factis & gestibus ? *Neg. pr. Af. post.*
8. An omne mendacium sit peccatum mortale? *Af.*
9. An omne mendacium sit confitendum confessione auriculari ? *Resp.* est quæstio inepta.

Vide Navarrum in Manuali.

* Subtit. II. *De candore, simplicitate, fidelitate in verbis & promissis ; & oppositis simulatione, adulatione, dolis, fraudibus, æquivocatione, mentali reservatione, seu restrictione.*

1. AN & quomodo sit promittendum ? *Af. pr. Expl. post.*
2. An omnes promissiones sint prędandæ ? *Resp.* in male promissis rescinde fidem.
3. An fides data sit servanda hęreticis & rebellibus; hocque neget doctrina Pontif. ? *Af. pr. c. Dist. Af. post.*
4. An, si quis circumventus sit ab illis, quibus fidem dedit, servare debeat, ut Israelitæ Gibeonitis *Jos. 9.* ? *Af.*
5. An si quis ob metum aliquid promiserit ? E.g. latronibus, ant hostibus illud præstare teneatur ? *Af. c. Dist.*
6. An à promissis & fide data liberari & absolvi quis possit per superiores ut Magistratus, parentes ? *ac Dist.*
7. An Papa per dispensationem à voto, juramento, promisso, fide data, absolvere possit ? *Neg.*
8. An omnis simulatio sit peccatum ? *Aff.*
9. An omnis dissimulatio ? *Neg.*

10. An absque adulatione proximi infirmitates, aut peccata tegere possimus? *Af. c. Dist.*

11. An absque adulatione proximo apud alios laudes tribuere possimus? *Af. c. Dist.*

12. An aliquando proximus fraudulenter laudari possit? *Af.*

13. An dolus aliquis sit bonus? *Neg.*

14. An omnis circumventio sit mala? *Neg.*

15. An fraudes sint licitæ & pro religione aut Ecclesia? *Neg.*

16. An in sermone cum proximo liceat uti æquivocatione? *Neg. c. Dist.*

17. An ulla ars in talis reservationis in testimoniis, promissis, contractibus, juramentis licita? *Neg.*

* Subtit. III. *De crassioribus quibusdam mendacii speciebus, detractione, cavillatione, obtrectatione, calumnia, seu diffamatione per verba, scripta, comedias, libellos famosos.*

1. AN omnis revelatio secreti sit proditio? *Neg.*

2. An nihil revelare liceat, ne quidem si sub sigillo confessionis, ut loquuntur, indicatum sit? *Neg.*

3. An quis sine peccato patriam aut civitatem suam, Principem aut Magistratum hostibus prodere possit? *Neg.*

4. An & quomodo alieno peccato proditionis, & seditionis uti quis possit sine peccato? *Af. pr. Expl. post.*

* *De calumnia, convitio, diffamatione.*

Vide supra quæstiones huc pertinente in dispp. ad 9. præceptum.

* *De irrisione.*

1. AN quis possit irrideri? Vide Ascet. nostr. tit. de lachrymis & risu.

2. An scriptio satyræ, quæ vitia hominum perstringit, sit licita? *Af.*

3. An scriptio talis satyræ, quæ non tantum in genere aut indefinitè & in individuo vago vitia perstringit, sed in individuo signato? *Af. c. Dist.*

4. An ratio libelli famosi, seu pasquilli consistat in dissimulatione nominis sui, an vero in diffamatione injusta singularis personæ aut singularium personarum? *Neg. pr. Af. Post.*

5. An juste omnes non denunciantes libellum famosum Magistratui, teneatur eadem pœnâ, quâ libelli famosi auctor? *Dist.*

6. Quid tutissimum sit agere illi, in cujus manus veniunt libelli famosi? *E.*

* Subtit. IV. *De radicibus & occasionibus mendacii, invidiâ scil. superbia, arrogantia, præsumptionibus, suspicionibus, nimia credulitate, loquacitate seu garrulitate, dicacitate πολυλογίᾳ, βωμολογίᾳ, omnibusque jocis illiberalibus, denique de verbis otiosis.*

* *De invidiâ, superbia, arrogantia, temerario judicio, præsumtione & suspicione.*

1. AN æmulatio aliqua sit licita, & an, & quomodo differat ab invidia? *Af. pr. Expl. Post.*

2. An arrogantiæ sit cum quis, sibi tribuit quod nullo modo habet; aut cum eo, quod habet, nimium gloriatur & quidem cum contemptu proximi? *Af. utrumque.*

3. An judicium ferri de proximi defectibus sit illicitum? *Neg.*

4. An omnis præsumtio aut suspicio sit illicita? *Neg.*

5. An omnis credulitas, seu fides humana sit illicita? *Neg.*

* *De loquacitate, seu multi-loquio.*

1. AN omnis verborum multitudo sit mala? *Neg.*

2. An omnes joci sint illiciti & illiberales? *Neg.*

3. An quædam verba, licet vera, sint otiosa, ac consequenter mala; & quænam sint, ac verè dicantur verba otiosa? *Af. pr. Expl. Post.*

* Subtit. V. *De remediis & cöercitione mendaciorum, de taciturnitate, regimine linguæ, retentione & vindicatione famæ, pœnis mendaciorum, obtrectationum, calumniarum; denique de judicio publico.*

* *De taciturnitate, regimine lingua, famæ defensione & vindicatione.*

1. AN & quomodo tacendum sit? *Af. pr. Expl. Post.*

2. An aliquo in casu liceat famam nostram defendere?

3. An etiam restitutionem à diffamatore petere, aut eundem ad eam judicio Ecclesiastico & politico compellere? *Af.*

4. An si quis injuste detraxerit famæ proximi, ad restitutionem teneatur, & qualem? *Aff. pr. Expl. Post.*

* *De pœnis mendaciorum.*

1. AN Ecclesiâ censuris, & correptione calumniandi aut diffamandi licentiam coercere possit? *Af.*

2. An forum poli sive conscientiæ internum differat à foro tum Ecclesiastico, tum politico exteriori; & an quod justum, licitum, aut tolerabile est in foro exteriori, etiam in interiori sit licitum ac honestum? *Neg.*

3. Quinam sint judices Ecclesiastici, quodnam objectum istius judicii, quis modus procedendi, quæ pœnæ aut censuræ, quæ qualisque executio? *Expl. In Polit. Eccles. P. 3. lib. 4. de clavibus Regni cœlorum.*

4.

4. An quis in foro exteriori Politico honeſte excuſari poſſit? *Aff.*

5. An reus ſe ipſum purgare aut excuſare poſſit, ſive in totum ſive in tantum? *Aff.*

6. An reus poſſit ſe ipſum mendacio directo aut indirecto expedire? *Neg.*

7. An in judicio criminali ex ore duorum teſtium capitis damnari quis poſſit? qui cętera honeſtus audit & conſtanter negat, nec ullæ aliæ probationes contra illum ſint? *Incl. in Neg.*

8. An reo juramentum ſit imponendum in judicio criminali? *Neg.*

9. An tortura ſit adhibenda? *Diſt.*

10. An advocatus cauſas quaſvis ſibi oblatas, defendendas ſuſcipere poſſit? *Neg.*

11. An falſis inſtrumentis, teſtibus, legum detorſionibus, mendaciis defendere poſſit cauſam etiam bonam, ſive reo autor eſſe ut malis illis remediis ſe defendat? *Neg.*

12. An judex judicare debeat, ſecundum conſcientiam, an vero ſecundum allegata & probata? *Diſt.*

TITULUS XI.

Ad decimum Decalogi præceptum,

* Subtit. I. *De virtutibus.*

1. AN ita ſorte noſtra contenti eſſe debeamus juxta 1 *Tim.6.* ut alia ſive plura, ſive majora, ſive meliora non liceat appetere? *Neg. c. Diſt.*

2. An liceat appetere divitias? *Diſt.*

3. An cupiditas opum debeat menſurari opibus, an viceverſa? *Expl.*

Vide comment. in 1 Tim.6. & Ameſii medullam ad 10. præceptum tit. de contentatione.

* *De gaudio & ἐυθυμίᾳ.*

1. AN & quomodo ſemper ſit gaudendum? *Expl.*

2. An ſolus Deus ſit objectum gaudii? an vero etiam alia præter Deum? *Aſ. poſt. c. Diſt.*

3. An omnia præter Deum ſint æquale objectum gaudii? *Neg.*

4. An mala triſtia hujus vitæ ſint objectum gaudii fidelium? *Aſ. c. Diſt.*

* De

* *De zelo.*

Vide 1. præceptum.

* Subtit. II. *De vitiis concupiſcentia, & motibus primo primis.*

* *De concupiſcentia inhærente & actuali.*

1. AN concupiſcentia inhærens ſit peccatum? *Af.*
2. An concupiſcentia actualis, ſive motus primo primus ad malum contra aliquod Dei præceptum abſque deliberato voluntatis conſenſu ſit peccatum? *Af.*
3. An in ſomno peccata poſſint committi? *Af.*
4. An inſomnia Diabolica tanquam peccata ſomnianti ſint imputanda? *Diſt.*

* *De acedia, quærimonia, ſollicitudine.*

1. AN acedia ſit ſpeciale peccatum ab aliis diſtinctum? *Af.*
2. An quærimonia ſit ſpeciale peccatum? *Af.*
3. An ſollicitudo? *Af. c. Diſt.*

* *De φιλαυτίᾳ & ἐπιχαιρεκακίᾳ.*

1. AN homo debeat ſe ipſum amare? *Af.*
2. An debeat ſe plus amare, quam proximum? *Diſt.*
3. An, & quomodo gaudere quis poſſit, de alieno malo abſque peccato? *Expl.*

FINIS.

AD-

ADDENDA.

Ad Disp. de Foro Poli & Soli §. 9. pag. 83.

VBi cito scriptores de judicio Westphalico dicto **Frijdingh**. Adde sequentia:

Aliud est judicium illud, sive mos ille, secundum quem Magistratus, alicubi civem aut inquilinum ex civitate suâ citra pœnam citra mulctam, dimittere dicitur. Quia nullum hic supplicium capitale, nulla deportatio, nulla infamiæ nota, nulla bonorum confiscatio: uti quidem judicium illud à nobiliss. & consultissimo, *Theodoro Graswinkelio* in dissertatione de præludiis justitiæ & juris adversus Fr. Rebellum Lusitanum ex societate Jesu anno 1660. pag. 158. & seqq. describitur. *Nulla*, inquit, *hic relegationis nota, nedum exilii, nulla infamiæ sequela, nedum ut id designetur, ob ullum meritum pœnæ.* Paulo ante dixerat: *sunt civitates quædam apud nos, quæ se tuentur privilegio: quod non tango.* Et pag. 159. *si cui provocandi ad hoc animus est, ut se gravatum justas per probationes pervincat: Magistratu (si nullas sonticas justasve causas habuerit) etiam cum rigidissimè se tuetur, in omnem causam allegante, factum hoc à se, publicum rectius habendi ergo, vernaculè* **by forme van politijcke correctie**. *Eo in causam allegato, Magistratus omnia pro se dixit. Quod sive vigore privilegii facit, sive pro jure (barbarè loqui liceat) Magistratico; quod jam nunc insinuavi obtinet fiduciarie: nec revelletur (si modo unquam, quod me latet, revellitur) nisi per sententiam curiæ diffinitivam.* Hęc hactenus, in genere ita dicta, non videmus, quin ex ipso jure Magistratus deriventur. Non minus enim liberum Magistratui ob causas magnæ necessitatis & boni publici, civem aut incolam dimittere, ac cuique civi liberum est aliò migrare, & civitatem illam relinquere. Ex civitate jam jam ab hostibus obsidendâ ad tempus dimittitur imbellis turba commeatui absumendo magis idonea, quam defensioni præstandæ. Tali in casu dimissi aliquando in Belgio nostro clerici aliqui Pontificii, quin etiam ad breve tempus ex laicis Pontificiis ditiores aut potentiores: de quibus justè metuunt, ne ad nutum sacerdotis illâ occasione cum hostibus imminentibus aut civitatem obsidentibus manus jungant, juxta immota religionis suæ principia. Sicuti juris naturalis & Magistratus, quos vis extraneos etiam amicos, absque ullâ eorundem culpa, ab incolatu aut commoratione apud se arcere possunt & solent; ne Rempublicam bello à potentioribus inferendo, aliisve periculis & incommodis

exponant. De traditione innocentum in manus hostium, deque percussione Zeba filii Bichri 2 *Samuelis* 20. & filiorum Achabi 2 *Reg.* 10. longè alia est quæstio. Nihil ergo in jure & modo procedendi politico inveniri potest, quod juri divino & naturali repugnet; & consequenter in foro poli non sit licitum. Sed non immerito quæri posset, an in foro poli justum & æquum sit, si vel princeps territorialis, vel Magistratus urbicus juris hujus exercitium extenderet ad quosvis cives opibus, potentiâ dignitate, gratiâ, virtute, prudentiâ præ aliis pollentes, absque aliquâ ipsorum culpâ, absque præsenti aliquâ necessitate dimittendos. Hoc enim ostraciſmo aut petaliſmo affine quid habere videretur: ut non dicam de judicio Barbarico, quo fratres, aut proximi consanguinei immo & filii è medio tolluntur, de quibus suspicionem aut metum concipiunt magni domini, ne aliquomodo imperio digni aut proximi, imperium aut affectent, aut ad illud per fas per nefas à proceribus & subditis, promoveri, sibique viventibus substitui possent: siquidem ipsi ob duram & iniquam procerum populique gubernationem, aliasve ob causas justas aut prætextas iisdem ingratos fieri contingeret. Quæritur ergo, an lex, aut privilegium, aut consuetudo judicium hoc dimissionis extendat ad quosvis cives, inquilinos, convenas, advenas, & ad quasvis causas sonticas non sonticas, graves leves: exclusâ omni provocatione gravati, ad curiam, aut ad principem, Magistrastumve superiorem: exclusâ omni spe mutationis per sententiam curiæ, aut superioris Magisttatus: gravato etiam ignorante causam cur præ aliis sui ordinis concivibus dimittatur. Inprimis à nobilisſ. & consultissimo *Grasswinckelio* jurium, privilegiorum, consuetudinum & antiquitatum patriæ suæ non minus ac juris Romani callentissimo, aliquando explicari velim, Quando judicium tale præter & extra omnem ordinariam judiciorum formam sive lege sive privilegio introductum & exerceri cœptum sit: quandoquidem politiam & regimen harum provinciarum & inter se, & cujusque per diversa tempora haut parum variasse, ex historiis & specialium politiarum scriptoribus, speciatim ex *Fr. Zypæi* officialis Antwerpiani *Hiatu Jacobi Cassani obstructo*, &c. *lib.* 1. *cap.* 16. compertum est.

Præterea, an lex aut privilegium, aut immemorialis consuetudo, aut ipsum jus magistratus ferat, ut talis dimissio & exclusio fiat ad definitum aliquod tempus solummodo, aut ad tempus indefinitum, aut exsertè in perpetuum; & quidem sub pœna exilii, aut aliâ aliquâ graviori, si dimissus eo unquam redeat, aut civitatem illam transeat? An exclusio sit ab omni vel brevissimâ & transitoriâ commoratione (quę nullis peregrinis negatur), in quocumque necessitatis casu; an vero tantum ab incolatu aut jure civitatis.

In-

Insuper an dimittendo indicandum sit si quę videretur in ipso culpa aut causa esse; sin nulla, an postulanti testimonium talis innocentiæ voce aut scripto perhibendum non sit? Absque quo, ab omni infamiâ aut ejusdem suspicione, alibi esse vix potest: præsertim, si hâc similive formulâ dimittatur: *Tu es nobis inutilis civis.* Pręterea, an dimittendi sint sine omni auditione, ac defensione, uti in ostracismo: an salvo honore & salvis bonis, uti in ostracismo: an ad certum tempus, & post exactum illud tempus cum subsequente revocatione, uti in ostracismo: an vero in perpetuum, aut ad tempus indefinitum, sub pœnâ exilii, si injussus redeat. An & quomodo salvo honore & salvis bonis ad tempus aut in perpetuum exesse possit: siquidem in munere publico e.gr syndici, secretarii, quęstoris, professoris juris, &c. constituti sit, cujus lauto salario familiam sustentat; & quo per necessitatem consequentiæ privatus, forte ὅλου βίου jacturam patitur: pręsertim si aliunde, ubi honesto munere & stipendio fruebatur, evocatus & per specialem contractum ad hoc munus & lautius stipendium translatus sit. Durum sane videtur absque crimine inter duas sellas medium sedere. Explicandum insuper an & quomodo salvis bonis exesse queat, si quam artem aut negotiationem lucrosam, in illâ civitate exerceat, alibi non ita exercendam. Quod si dimissus ἐν ἀρχῇ sive ordinis fenatorii sive consularis in patriâ civitate fuerit, quæ illi alibi, quippe peregrino, non obtingeret, quomodo salvâ dignitate, salvo honore exesset? Nec prætereunda explicatio, An & quomodo à supremâ regionis aut territorii curiâ, siquidem injuriam sibi factam probaverit, juvari posset? An & quomodo à supremis ejusdem regionis potestatibus, si dimissionem à Consulibus aut Senatu factam approbaverint, aut Senatus ex totâ regione seu territorio eundem exesse jussisset. Certè lex illa, secundum quam hæc dimissio facta dicitur, si exhibita fuisset aut saltem indicaretur, ubi illa à nobis reperiri posset, aliquam forte lucem huic negotio inferret. Non memini in Brabantiæ læto introitu, in *Grotii antiquitate* Reipublicę Batavicæ, in statutis politicis liberæ Reipublicæ Batavicæ, in statutis Caroli V. aut alibi tale quid reperiri. Denique explicandum videtur, quomodo dimissio illa jam descripta, ibidem dicatur *politica correctio*: si politica correctio, ergo præsupponitur culpa dimittendi: si culpa dimittendi, cur ipse princeps, aut consules, si sint vice accusatorum, testium, judicum dimittendo culpam non proponunt, & sententiam in ipsum latam non denuntiant; uti rex Salomon Abiathari 1 *Reg.* 2. *v.* 26. 27. Sed manum de tabulâ. Materiam hanc de *judicio, correctione, & justitiâ* (ut nonnulli appellant) *politicâ* à Jureconsultis & antiquariis planius & plenius explicari convenit, & nos velimus: quo solo fine quæstioninibus nostris occasionem aliquam hic suppeditamus.

* *Ad disp. de Iudiciis Dei part.* 2. §. 11. *quæst.* 3. *pag.* 112.

OCcasione textus 1 *Samuel.* 22. hoc anno 1666. à me pro concione explicati, conferebam *Psal.* 52. & dehortationem instituebam à Doëgicis injuriis, persecutionibus, oppressionibus, verbo aut facto, proximis, speciatim Ecclesiæ Dei ejusque fidelibus ministris per dicta, consilia, facta inferendis. Paulo post habitam hanc concionem accidebat aliquid, quod ab aliquibus auditorum cum meâ dehortatione additisque exemplis, aliisque rationibus & motivis, collatum percipiebam. Postea eodem anno die quodam menstruæ supplicationis seu menstrui jejunii (occasione calamitatis bellicæ instituti) in concione ad *Psal.* 62. *v.* 2.- 10. habitâ, ex *v.* 4. observabam mortem, præsertim immaturam, aut repentinam, aut violentam, aut insolentem ex particulari judicio divino quibusdam immitti; & hinc monendos esse omnes, ne injurii essent in proximum, præsertim in pios & fideles Dei servos. Cautionem hanc addebam: non esse ideo de statu æterno, omnium sic mortuorum temerè aut peremtoriè judicandum; quamvis manum & judicium Dei in morte eorum ad nostram admonitionem & viarum nostrarum considerationem observare & agnoscere debeamus; etiam de quorundam post hanc vitam statu magis metuere quam bene sperare cogamur: ut studia & facta eorum contra fidei veritatem, aut pietatem, justitiam, temperantiam, aut contra disciplinam ecclesiasticam, contra fidelissimos & vigilantissimos in muris Zionis speculatores. Addebam per mortem repentinam, aut insolentem, aut infelicem piorum, quam præcessisset vita assiduo fidei, pietatis, justitię, temperantiæ omniumque aliarum virtutum studio præfulgens, nullo siniſtro de ipsorum salute judicio, aut metui, aut suspicioni occasionem nobis præberi posse.

Et quia post habitam hanc concionem fideli nostræ admonitioni forte obtendi potuisset, de statu gratiæ & salutis aliorum non esse siniſtrè judicandum, quamvis universalem cursum fidei & pietatis aliqua ipsorum etiam gravia peccata commaculassent: proximè sequentibus duabus concionibus ad *Actor.* 20. pluribus hortationem de attentione ad aliorum mortem repentinam, aut insolentem, aut, &c. explicui; quę omnia additis quibusdam ad pleniorem explicationem, repetere constitui.

Quæstio ergo sit, *an piè & prudenter mortem & excessum quorundam hominum sive Christianorum sive infidelium, considerare & observare possimus, immo debeamus; & in eâ manum ac judicium Dei agnoscere; ad nostram admonitionem.* Nos affirmantem mox luculenter probabimus. Si quis antithesin

sin & elenchum facere velit, necesse est neget in iisdem terminis, & negantem suam probet ex scripturis, addito ex abundanti orthodoxorum consensu.

1. Præmittimus probationi nostræ hæc sequentia repetita ex disputatione de judiciis Dei generalem distinctionem judicii divini in judicium justitiæ vindicatricis, seu vindictæ propriè & strictè ita dictæ; & in judicium castigationis seu παιδείας, ad Dei gloriam, patientis salutem, & ad aliorum admonitionem, ac correctionem, immissum. Quam distinctionem apud tyrones elementarii nostrâ theologiâ leviter imbutos hic ulterius explicare, & contra Pontificias satisfactiones tueri, vix operę pretium est. Videant, si qui eam non didicerunt, aut antehac perceptam obliti sint, *Synopsin Leidensem disp.* 39. §. 23. 24. Unicum solummodo textum 1 *Cor.* 11. *v.* 30. 31. 32. in præsenti exhibemus. *Propterea* (ob abusum circa cœnam domini) *inter vos multi infirmi, & valetudinarii, & dormiunt multi. Etenim si nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur. Sed dum judicamur à domino erudimur, ne cum mundo pereamus.* Ecce hic morbos, & mortem, Dei judicia; sed castigationis seu παιδείας; non justitiæ vindicatricis & condemnationis. Confer judicium à domo Dei incipiens, quo non obstante, justi servantur. 1 *Petr.* 4. *v.* 17. 18. 19.

11. Quorundam repentinam aut insolentem & miserandam mortem in scripturis memoratam referre audemus ad judicium, justissimæ vindictæ, ut Judæ & Pharaonis. De Herodis, Achabi, & similium insolenti aut infelici morte, nihil benignè judicare possumus. De morte Core, Datan, Abiram, iisque adhærentium; denique Achithophelis, Absolomi, Nabalis non immeritò metuimus & in sinistram partem suspicamur: malumus tamen ἐπέχειν, quam peremtoriè determinare. De morte Er & Onan, Adonibezek, Jorami, Joasi, Achanis, Ananiæ & Saphyræ, in sinistram partem determinare nolumus. Sufficit in omnibus exemplis scripturariis judicium aliquod Dei in genere agnoscere. In exemplis extra scripturam e. gr. Simonis Magi, Cerinthi Manetis, Arii, Juliani apostatæ, regum Galliæ Henrici 2. Caroli 1x. fratrum Guisianorum, aliorumque in Theatris Judiciorum Honsdorfii, & Chassanionis, & in speculis tragicis notatorum, similiter in genere, judicium Dei agnoscatur: quamvis de multorum condemnatione, per τὸ *non liquet*, aut per τὸ ἐπέχω tutius abstineri possit & divinæ scientiæ & justitiæ arcanis totum hoc relinqui.

111. Omnes illi, in quorum insolenti morte ex scripturâ, aut ex ratione & experientiâ peculiarem Dei manum & judicium agnoscimus, sunt trium quatuorve generum. 1. *Qui* quod ad totum vitæ cursum καθ' ἐξοχὴν improbi aut injusti. 2. *Qui* quamvis in ordinariò vitæ cursu non ita mali præ

aliis ; quamvis in ordinariò vitæ curſu quibuſdam impietatis, aut injuſtitiæ, aut inclementiæ, aut hoſtilis machinationis & molitionis ſive adverſus orthodoxam religionem & orthodoxos, ſive adverſus vim pietatis & pios, ſive adverſus eccleſiam, ejuſque poteſtatem clavium, & fideles zelotaſque miniſtros ſpeciminibus ſe commaculârint. Fideles & zelotas miniſtros voco, quales, *Paulus*, *Chryſoſtomus*, *Athanaſius*, *Hilarius*, *Lutherus*, *Blaurerus*, *Calvinus*, *Farellus*, *Thomas Cartwrightus*, *Bucerus*, *Joh. Raynoldus*, &c. perſecutiones & vexationes paſſi. 3. *Qui* orthodoxi, pii, juſti, per totum vitæ curſum, gravibus tamen lapſus aut lapſuum maculis candidam pietatis & juſtitiæ veſtem infecerint: quales Aſa & Uzzia.

IV. De quorundam immaturâ aut repentinâ morte dici poteſt, fuiſſe illis, per ſingularem Dei clementiam non tam judicium (quod ad ipſos) quam beneficium & benedictionem: quod per eam malis ſuperventuris prærepti ſint. 1 Reg. 14. v. 12. 13. *Morietur puer. Iſte enim ſolus ingredietur*, &c. *quia inventum eſt verbum bonum in eo*, &c. Quomodo etiam in genere de immaturâ morte Eduardi VI. Regis Angliæ & ſimilium honorantium creatorem ſuum in adoleſcentiâ, pronuntiari poteſt, quod reſpectu eccleſiæ Anglicanæ fuerit judicium Dei, reſpectu ipſius benedictio divina. Certè pii quique ſi cum Apoſtolo exclamare coguntur, *Miſer ego homo*, *quis me liberabit*, &c. Rom. 7. non poſſunt non agnoſcere Dei benignitatem & clementiam in liberatione ſuâ per mortem, à circumſiſtente & oppugnante peccato. Ut non malè dictum ſit ab autore libri ſapientiæ cap. 4. v. 10. 11. *Placens Deo factus dilectus*, *& vivens inter peccatores tranſlatus eſt. Raptus eſt*, *ne malitia mutaret intellectum ejus*, *aut ne fictio deciperet animam illius.* Quod de Enocho nonnulli accipiunt; ſed nos rectius in genere de piis & Deo dilectis, cum pleriſque interpretibus & patribus: illis enim mors beneficium eſt, quamvis immatura, aut violenta (qualis *Joſiæ* 2 *Paral.* 34.) aut repentina, quia liberatur à peccato, & à tolerandis peccatis aliorum, imprimis ſibi propinquorum, & malis triſtibus populo ſuo, eccleſiæ, domui aut cognationi ſuperventuris. Obſervârunt hoc ad citationem hujus ſententiæ ex lib. Sapientię cap. 4. *Ambroſius*, *Paulinus*, *Fulgentius*, *Cyprianus*. Ingentibus regni & familiæ ſuæ malis per mortem ſubducendum Hiskiam, innuitur 2 *Reg.* 24 & *Jeſa.* 39. Et generali ſententiâ de piorum morte idem affirmatur Jeſa. 57. v. 1. 2. *Juſtus periit*, &c. *miſericordes congregantur ad populum ſuum*, &c. *quia propter malum in mundum venturum congregatur juſtus ad patres ſuos. Ingredietur in pace*, *requieſcent in cubilibus ſuis*, *qui ambulaverit coram Deo.* Sic *Auguſtinus* per mortem ſuam, quam à Deo poſcerat, præreptus fuit horrendæ vaſtationi illarum partium & *Hipponenſis* civitatis per Vandalos (de quâ Victor in perſecutione Vandalicâ): uti notat

tat Possidius in vitâ Augustini cap. 28. & 29. Et cum quis in adolescentia aut juventute suâ maturus cœlo & suspirans cœlum *Philipp. 1. v. 23. Apocal. 22. v. 20.* immaturâ simul & repentinâ morte hinc excedit (uti juvenis ille 24. annorum in Angliâ, cujus meminimus in *2. part. select. disp. tit. de signis pag. 960.*), licebit sane singularem favorem & benedictionem divinam in eâ agnoscere.

Accedamus nunc ad assertionis nostræ probationem.

1. Prima est ex *1 Cor. 11. v. 29.-33.* ubi judicium in morte aliquorum ob abusum circa cœnam Dominicam.

2. *Ex* exemplo Achanis *Jos. 7.* cum *cap. 22. v. 20.* & Ananiæ ac Saphyræ Actor. 5. ubi v. 11. dicitur, *metum obortum fuisse toti ecclesiæ, & omnibus qui hæc audiebant.*

3. *Ex* interitu Corah, Dathan, &c. Numer. 16. de quo Moses v. 28. *Si, ut moriuntur omnes homines, morientur ipsi, & visitatio hominum, visitabitur super eos; non dominus misit me.*

4. *Ex* interitu Nadab & Abihu Levitic. 10. de quo v. 3. *Illud est, quod loquutus erat Jehova dicendo, in propinquis meis sanctificabor, & ante conspectum totius populi glorificabor.*

5. *Ex* interitu 5070. Betsemitarum 1 Sam. 6. v. 19. De quo superstites Bethsemitæ dicebant v. 20. *Quis posset consistere coram Jehova Deo sanctissimo*, &c.

6. *Ex* subitâ morte Huzza 2 Sam. 6. de quâ ibidem v. 8. 9. *quapropter vocat quisque locum illum ruptura Huzzæ usque in diem hunc. Et timens David Jehovam illo die, dixit, quomodo intraret ad me arca Jehovæ.*

7. *Ex* morte filiorum Eli & posterorum ejus, 1 Sam. 4. cum cap. 2. v. 30. *Et non erit senex in domo tuâ omnibus diebus.* v. 31. *Omnis multitudo domus tuæ morientur juvenes. Et hoc tibi signum, quod veniet duobus filiis tuis Chophni & Pinehas, die eadem morientur ambo.*

8. Ex 2 *Sam. 12.* Ubi judicium Dei in morte immaturâ infantis, ob lapsum Davidis.

9. Ex *Psal. 62. v. 4.* ubi judicium Dei in morte violentâ, aut repentina, aut insolenti quorundam, ob injurias & oppressiones. Quod Sauli ejusque præfectis & ministris Davidem sine causâ persequentibus (*Psal. 4.*) applicari potest, qui ceciderunt in montibus Gilboah 1 *Sam. v. 31.*

10. Ex *Psal. 52.* ubi judicium Dei in morte repentinâ, aut violentâ, aut quasi violentâ Doëgi, ob injuriam & sævitiam, erga Dei sacerdotes. Ubi v. 5. 6. *Etiam Deus destruet te in sæculum, tollet te, evellet te è tabernaculo, & eradicabit te è terra viventium. Selah. Et videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt*, &c.

11. Ex *Psal.* 49. *v.* 13. 14. 15. 16. 17. *Sicut pecora in inferno ponentur*, &c. Confer *Psal.* 37. *v.* 4. 5. 6. 7. 8.

12. Ex Psal. 50. v. 11. *Intelligite quæso hoc, qui obliviscimini Dei, ne forte rapiam, & non sit qui eruat.*

13. Ex Psal. 55. v. 15. & 24. *Tu autem Deus descendere facies eos in puteum foveæ: viri sanguinolenti & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

14. Ex morte Pharaonis, Hamanis, Nabalis, Achitophelis, Herodis, *Actor.* 12. & Abimelechi Judic. 9. v. 53. 54. de quo ibidem v. 56. 57. *Reddidit-que Deus malum Abimelech*, &c.

15. Ex interitu Siseræ, &c. exercitus ejus, Judic. 4. cum 5. v. 26. *De cœlo pugnaverunt Stellæ*, &c. v. 3. *Sic pereant omnes inimici tui Domine*, &c.

16. *Ex* violentâ morte multorum Israelitarum *Exod.* 32. *Numer.* 21. & 25. cum 1 *Cor.* 10. *v.* 5. 6. ubi dicitur. Hæc *typos nostros fuisse, ut ne coram piscamus res malas*, &c. & *v.* 10. omnia illa evenisse eis typicè: *scripta vero esse ad nostri admonitionem*, &c. Hic adde insolentem mortem primogenitorum Ægypti *Exod.* 12. & tot millium in exercitu Sanheribi, & ipsius Sanheribi *Jesa.* 37. *v.* 36. 38. & duorum pseudoprophetarum, quos rex Babyloniæ igni combussit *Jeremi.* 29. *v.* 23.

17. *Ex* contrario. Si piè consideramus & observamus exitum piorum, præsertim fidelium Christi servorum, ut fidem eorum, imitemur, juxta *Hebr.* 13. *v.* 5. ergo etiam observare licet infelicem aut insolentem exitum sive improborum, sive facto aliquo impio aut injusto insignitorum; ut Deum timeamus, & procul à similibus factis fugiamus. 1 *Cor.* 10. *v.* 5. 12.

18. Ad cumulum addantur ex historiâ ecclesiasticâ observationes judicii divini in morte hæreticorum Cerinthi, Simonis Magi, Montani, Manetis, Arii, &c. Et in morte persecutorum ecclesiæ, Neronis, Domitiani, Galerii, Maximini, Juliani Apostatæ, Valentis. Et aliorum complurium jam inde à temporibus Waldensium, & Hussitarum, de quibus in historiâ Waldensium, & in historiâ ecclesiarum Slavonicarum. Insuper aliorum à tempore pertendentis reformationis (ab anno scil. 1517.) usque in hunc diem. Elucent hic exempla regum Galliæ Henrici 2. & Caroli 9. Henrici 3 fratrum Guisianorum, ducis scil. Guisii & Cardinalis Lotharingici, Cardinalis Betoni in Scotiâ, Philippi 2. Hispaniarum Regis. Crescentii legati Pontificis exitum refert Sleidanus; Ruardi Tapperi, Egmundi, Latomi trium theologorum Lovanienſium præfatio ad celebrem inter Belgas libellum, anno 1571. ex latino in nostrum idioma translatum, tit. **Hemelbaert van Huart Tappart**: Quorum *illum* ait Bruxellis repentinâ morte percussim

in

in præsentiâ hospitis, cui etiam mox caput apoplexiâ distorquebatur: *istum* in jurgio cum ancillâ, ibidem subito suffocatum: *hunc* desperabundum & blasphemantem exspirasse. In vitis Pontificum Romanorum, tragici & insolentes aliquorum exitus reperiuntur. De morte Clementis V. & Philippi Pulchri regis Galliarum, & de provocatione injustè damnatorum ad judicium Dei, antehac dixi in 3. *part. select. disp. tit. de Sortis aliisque divini nominis abusibus.* Hic addo ex *Joh. Gastii Convival. tom.* 2. *pag.* 126. judices omnes, qui innocentem quem igni adjudicarant, cum septem falsis testibus intra mensem miserè interiisse; & filium, qui patrem falso prodiderat, laqueo vitam finivisse. *Ibid. pag.* 125. refert quatuor ex judicibus, qui innocentem condemnarant, interiisse: unum fulmine ictum, alterum gladio confectum, tertium suspensum ob furtum, quartum post longos cruciatus in agone mortis diabolum vocantem ut animam suam tolleret, exspirasse. Ibidem habet duo exempla à dęmonibus ablatorum. Agmen claudant syndici & senatores Genevenses, quorum ductu Calvinus cum duobus collegis ex civitate Genevensi indignissimè ejectus. Quorum unus ob homicidium capite plexus est: alter cum fugiens justitiam è fenestrâ se præcipitem daret, corpore confracto miserè exstinctus est; reliqui duo ob crimen aliquod à se commissum inde profugerant. Hæc tanquam Dei judicia à Beza in vitâ Calvini notantur.

Mitto nunc exempla ἀνδροφόνων, fulmine percussorum, à feris laniatorum, à muribus corrosorum, à diabolo enectorum, infami supplicio affectorum: qualia in theatris exemplorum, in theatris judiciorum, in speculis tragicis, in catechismis historialibus, & similibus collectaneis, notata sunt.

19. Ex Gentilium aliorumque infidelium observationibus, de judicio Dei in morte improborum, aut injusta patrantium: quæ in Poëtis, historicis, aliisque ipsorum scriptoribus leguntur. Nota est ex Herodoto *lib.* 2. inscriptio statuæ regis Assyrii.

In me quis intuens, pius esto.

Et illud Virgilii,

Discite iustitiam moniti, &c.

Et illud Horatii,

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci,
Descenduut reges & siccâ morte tyranni.

Aliæque ipsorum gnomæ, judicia Dei in infelici interitu tum improborum in genere, tum aliquorum specialium peccatorum, prædicantes. Cum quibus conferri possunt sententiæ scripturariæ, qualis illa Prov. 30. *v.* 17. *Oculus qui subsannat patrem*, &c. & hodiernorum Christianorum diverbia, quale

illud in Germaniâ de malâ morte eorum, qui cætera honestas virgines stuprant, nec eas ducunt. Quod à me antehac relatum fuit ex *Cypræo 1. part. polit. eccles. lib. 3. pag. 252 9.* Ex hactenus allatis concludimus, posse & debere piè observari judicia Dei in morte immaturâ, aut repentinâ, aut insolitâ, aut horribili, aut violentâ, aut infami eorum; qui impietate adversus Deum, aut injustitiâ in proximum, aut invidiâ, odio, maleficio adversus ecclesiam, adversus pios & innocentes, præsertim adversus fideles Christi & ecclesiæ ministros, pro orthodoxiâ, pietate, euraxiâ ecclesiasticâ, animarum salute armis spiritualibus (*2 Cor. 10. v. 3.*) decertantes, peccarunt.

Fortè aliqui omnem ad mortem quorundam attentionem, indeque metum & tremorem ad judicia Dei, atque aversionem ab ejusmodi factis mortem præcedentibus, longè à se removebunt, ut & omnem diem malum: quod audiant ex scripturis doceri, non esse judicandum *Math. 7. v. 1. 2. Jac. 4. v. 11. 12.* saltem non esse judicandum de statu Christiani & quidem reformatam religionem in communione ecclesiæ nostræ professi, & cætera boni atque honorati civis. *Resp.* Quomodo & de quibus ac qualibus judicandum aut non judicandum sit, alibi explicatur; & agunt hoc comment. ad loca cit. Quod ad statum gratiæ & salutis, non abjudicandus est ille omnibus, qui in vitâ aut in morte præ aliis hominibus affliguntur. Hoc discimus ex inprobato judicio amicorum Jobi *Job. 42.* & discipulorum *Joh. 9.* collatis *Eccles. 9. v. 1. 2.* & *Psal. 73.* Quæstio hic est, An saltem manum & judicium aliquod Dei agnoscere liceat in morte repentinâ, aut insolenti, aut infelice, &c. ex gr. Heli *1 Sam. 2.* cum 4. Asæ *2 Paralip. 16.* Uzzia *2. Paralip. 26.* Huzza *2 Sam. 6.* prophetæ illius à leone percussi *1 Reg. 13.* quorum facta præcedentia Deo displicuerant. Non est autem quæstio, an illi à nobis nominati fuerint extra statum gratiæ, & plaga ipsis immissa fuerit iræ & vindicantis justitiæ. Si David aut Petrus statim post lapsum repentinâ aut insolenti aut violentâ, aut quâcunque infelici morte hinc excessissent, absque actuali, explicitâ & speciali resipiscentiâ, quæ quidem nobis innotescere potuisset; utique divinum damnationis judicium iis tribuendum non fuisset; quamvis peculiare aliquod Dei judicium agnoscendum, ad aliorum cautelam, & similis homicidii aut abnegationis evitationem. Sed supra satis judicium Dei distinximus: ut post caecta illa de nemine judicando, deque non desperando de proximi sic defuncti salute, nemo se abdere possit. Ut ut enim Deo judicium hoc relinqnere possimus: nihil tamen prohibet quin studia aut facta eorum considerando, in tali morte manum & judicium Dei observemus, ad nostri admonitionem: Saltem abstineamus à μακαρισμῷ eorum in corde nostro

aut

aut apud alios: ad metum omnem excutiendum, & maturam ab istis aut similibus studiis & factis respiscentiam sufflaminandam. Sed de arte quorundam hodiè nimis frequenti, alibi monuimus: quâ non contradicendo in terminis orthodoxæ assertioni, sed aliud quid dolosè substitutum probando ac defendendo; aut orthodoxis affictam opinionem & præcisitatem Pharisæorum, Monachorum, Tremulorum seu Quakerorum, Brownistarum sarcasticè exagitando; manus peccatorum confirmant: quos satis nôrunt, aut nosse debebant, defensionem illam, aleæ suæ, *salutum* ingurgitationi, comœdiis, choreis, luxui & vanitati in vestibus, capillis, fuco, ad hæc comessationibus & feriis suis Bacchanalibus, encænialibus, Martinalibus, &c. insuper indirectæ aut participatæ suæ superstitioni atque idololatriæ (applicare atque obtendere. Deus hæc videt, nec irridetur. *Væ dicentibus malum bonum esse, & bonum malum, qui ponunt tenebras lucem & lucem tenebras*, &c. Jesa. 5. v. 20. Sed de his hactenus. Unum hâc occasione prœterire non possum de sinistrâ observatione & judicio Pontificiorum de infelici exitu & insolenti morte Lutheri, Zwinglii, Oecolampadii, Carolostadii, Buceri, primorum reformatorum, aliorumque professionis nostræ præstantium theologorum, nominatim Calvini. In vitis eorum, quæ leguntur, videre est, non peculiare Dei judicium, sed potius beneficium. Fabulę, quas de Luthero, Oecolampadio, Carolostadio, Calvino, narrat Bellarminus *lib.* 4. de notis ecclesiæ *cap.* 17. ex abundanti refutatæ sunt ab ejusdem Antagonistis. Ut de Lutheri morte quid dicam, celeberrimus mendaciorum hamaxarius Laurentius Surius in commentariis rerum in orbe gestarum ad ann. 1546. pag. 411. nihil de eâ referre potuit, quod repentinum, aut violentum, aut insolens quid saperet, & Sleidani relationem lib. 16. ad ann. 1546. de placido viri illius transitu refutaret. Quæ ibi mors *repentina* (ut eam Bellarmino loc. cit. notare libuit)? quæ immatura? quę insolens? quæ miserabilis? quæ violenta? quæ horrendis cruciatibus terribilis, ut de eâ dici posset illud Numer. 16. v. 28. *Si, ut moriuntur omnes homines, moriuntur isti*, &c. Et illud Psal. 52. v. 5. *Etiam Deus destruet te in sæculum, tollet te, evellet te è tabernaculo tuo, eradicabit te è terra viventium.* Annum ætatis suæ 63. jam attigerat, & in opere pacificationis, ad quod vocatus, versabatur & valetudine infirmiori utens vesperi post placidum somnum, paulo ante dolore pectoris afficiebatur, sermonibus (non facetiis, uti fingit Surius) & de cœlesti vitâ, & de Euangelio Christi à Tridentinis oppugnando, præmissis, ut etiam privatâ ad Deum precatione pro more suo, alios insuper ad preces hortatus, morbum sentiens ad mortem se componebat, in fide Christi ejusque constanti confessione, in fiduciâ misericordiæ divinæ, in certâ spe

& desiderio melioris vitæ, & ardentibus ad Deum precibus, *ubi spiritum suum in manus Dei semel atque iterum commendasset, tanquam dormiturus paulatim è vita decedebat, nullo corporis, qui quidem animadverti posset, cruciatu:* sunt verba Sleidani.

Quæ eadem in vitâ Lutheri ex scriptis ejusdem, & historiis collectâ narrantur à Melchiore Adamo, qui addit dicta ab eo ex Johann. 3. v. 16. „*Si Deum dilexit mundum*, &c. & ex Psal. 68. v. 21. *Deus noster Deus salvos faciendi, & dominus educendi ex morte.* Postea medicamento quo„dam exhibito, cum id absorbuisset, *Ego*, inquit, *hinc abeo & spiritum „meum jam reddam Deo:* & cum dicto celeriter tertium, *pater in manus „tuas commendo spiritum meum, redemisti me Deus veritatis.* Hic tanquam „dormiturus, è vitâ discedit, nullo corporis, qui quidem animadverti po„tuit, cruciatu. Cumque D. Jonæ ac Cælius inclamarent, *reverende pater, „morieris ne per Christum in confessione ejus doctrinæ, quam hactenus annun„tiasti constanter?* Respondit ita; ut exaudiri posset, Jae: quæ vox po„strema ejus fuit. An non hæc vera ἐυθανασία mors placida, mors matura, mors fiducialis, vita fidei in morte: ad quam pii omnes verbis Bileami *Num.* 23. *v.* 10. exclamare queant: *Moriatur anima mea morte iustorum, & sit exitus meus sicut ipse.* Quid contra hæc mendacia Bellarmini ex Cochleo, ex quo seu fonte perenni eadem depromserunt Hosius, Laingæus Scotus Doctor (uti se appellat) Sorbonicus, in vitâ & moribus atque rebus gestis hæreticorum nostri temporis, &c. anno 1581. Paris. apud Michaëlem de Roigny; aliique hos secuti? Quamvis Laingæus cum Surio loco cit. fateantur de morte ejus scriptores non convenire. Hæc enim verba Laingæi *fol.* 21. *a* „De morte ejus non omnes scriptores inter se conveniunt, aliqui „dicunt cum furgeret, ut operi naturæ satisfaceret, mox cecidisse mortuum. „Quispiam nomine Justus scribit illum ex dolore stomachi interiisse. *Surii „verba pag.* 411. *Ejus obitus non eodem modo à catholicis & euangelicis id „temporis referebatur.* Sed quid dicti catholici de eo referre potuerunt, nisi figmenta sua, cum nulli ex illis adfuissent? Ut omnis similium figmentorum occasio, præscindatur, prudenter factum, quod ad nobiliss. *Plessiaci, Andr. Riveti, Petri Molinæi* novissimas horas inter auditores & spectatores admissi, etiam acciti sunt Pontificii, uti videre est in Novissimis trium istorum horis, gallicè editis. Hæc miseria Papistarum, quod crassissimorum ejusmodi mendaciorum furfuribus pascuntur, quia amorem veritatis non habuerunt 2 *Thessal.* 2. Et quamvis mendaciorum istorum architecti ἐπαυτοφώρῳ toties deprehensi sint, nunquam tamen desinunt uno conclamato, aliud fabricare. De Bezæ obitu & ad Papismum conversione, cum appendentibus, fabula coram mundo castigata fuit tum Bezę vitâ

super-

superstite usque ad annum 1605.; tum libello à Genevensibus a. 1597. edito tit. *Beza redivivus*: tum ipsius Bezæ contra hanc fabulam eleganti epigrammate, eidem libello (si bene memini) præmisso. De quibus fidelium ministrorum excessibus non fingunt, quod aut terribiles & insolentes fuerint, aut cum desperatione conjuncti, aut cum palinodiâ seu apostasiâ ad Papismum. Cum ego anno 1628. & 1629. juxta cum aliis operam meam commodarem in plantandâ & ordinandâ ecclesiâ urbis Sylvæducensis nuperrimè fœderatorum armis subjugatæ, rumor in eâdem illâ sparsus & aliquamdiu continuatus, quin & in viciniam & Hollandiam inter Pontificios propagatus, de infelici obitu unius ex ministris. Cumque nostri istic contradicerent, à credulitate suâ abduci non poterant, replicantes, à nostris hoc studio negari, ut causæ suę honori consulerent. Provocabatur ad ἀνοψίαν, postulabatur, ut indicium facerent ministri: quandoquidem omnes adhuc vivi & valentes essent. Sed frustra: hærebat menti eorum infixa mendacii sagitta. Simulac ego Hagam comitis à synedrio ablegatus essem negotii cujusdam pro ecclesiâ curandi causâ, ibique ad tres hebdomadas hęrerem, scindit se nubes & in æthera purgat apertum, & confidenter assertum passim, revera unum ex ministris miserabili morte obiisse, Voetium scilo concionatorem Heusdanum; cujus nomen Sylvæ-ducensibus non ignotum, quod ecclesiæ Vlymensis uno à Sylvâ ducis lapide distantis ministerio per sexennium functus essem, & eâ occasione urbem illam ego & domestici mei frequentassent. Ne autem fabulæ illi choragium deesset, typis edita fuit in Hispaniâ scheda narratoria de miserabili morte unius ex concionatoribus Sylvę-ducensibus, qui scil. inter concionandum contra crucem, quam se ferre posse negasset, medius crepuisset, & omnia intestina sua effudisset. Jungebatur in eâdem scedula concionatori commentariensis quidam legionarius qui similiter miserabili morte ibidem excessisset: quod sub finem obsidionis desertis partibus Hispanicis ad castra Fœderatorum transiisset, & celsiss. principi Arausionensi defectum pulveris pyrii & statum obsessæ urbis indicasset. Verum quidem est quod de viri illius transitu & indicio referunt, quem & ego in castris urbem obsidentibus tunc vidi, & andivi respondentem ad varia, quę de statu obsessorum ex illo quærebat Ill. & generosus comes Wilhelmus Nassavius præsidii Heusdani & pro tempore partis illius castrorum prępfectus; ubi ego tunc castrensis concionatoris munere pro tempore fungebar. Sed de dicti commentariensis habitatione seu mavis commoratione ibidem, post captam urbem, ne fando quidem unquam auditum fuit, multo minus de ejusdem morte, minime omnium de miserabili & exemplari morte. Ut ad fabulam de morte meâ revertar, simulac Hagâ redux Sylvam-ducis pedem intulissem, aliqui ex no-

ſtris mihi tanquam *pulchro mortuo* (phraſi Belgicâ, **eenen ſchoonen Dooden**) acclamabant, & reditum gratulabantur : ajentes famam illam per abſentiam meam in auras ita ſe extuliſſe & caput inter nubila condidiſſe, ut fruſtra apud miſerrimos illos credulos contradictio omnis adhiberi videretur. Adhibebam ergo argumentum reale, quale fere Diogenis in refutatione Zenonis, deambulando frequenter per urbis mœnia & plateas, ut me adhuc viventem ſpectarent, & tandem oculis ſuis crederent. Quo quamvis loquax fama haut parum compeſceretur : non tamen ita exſtinctam comperimus, quin occaſione alterius meæ ab urbe abſentiæ iſtic reviviſceret : & Hagæ-comitis ab ampliſſimo quodam viro civitatis Schoonhovianæ conſule eodem hoſpitio & eâdem menſa mecum utentis, ſollicitè peteretur, quid eſſet de interitu unius ex concionatoribus Sylvæ-ducenſibus, quem confidenter matrona quędam Papiſtica ſibi nota nuperrimè in navi quâdam, multis aliis audientibus, objeciſſet. Quærebat, quis ex concionatoribus obiiſſet (nam aliquem obiiſſe non videbatur dubitare), cujus morti talia affingebant. Cum reſpondiſſem me eſſe, de cujus inſolenti morte, fabula narrata fuiſſet : reliquos concionatores prima illa plantatione Sylvęducenſi defunctos, jampridem ſalvos & ſanos inde diſceſſiſſe, & ad ſua ac ſuos rediiſſe, etiamnum per Dei gratiam ſuperſtites. Addebam crucem & crucifixum ligneum ab ædilibus, me tunc abſente, ex magno templo & conſpectu ablatum, & in conclavi eccleſiaſtico repoſitum fuiſſe : inde occaſionem quæſitam huic fabulæ de infelici interitu unius ex concionatoribus, quem contra ligneum illud delubrum blaſphemè pro concione declamaſſe & ſublationem ejus mandaſſe, ajebant. Ille his auditis, & me vivo tunc conſpecto, gaviſus, nec minus attonitus ad tam ſtupenda mendacia, pollicebatur ſe matronæ illi, primâ occaſione, hoc ſerio ingeſturum.

Charta ſeu libellus, cujus ſupra meminimus, de duplici miraculo Sylvæducenſi (uti dicitur) a. 1628. in horribili morte concionatoris, & viri militaris edito, impreſſus fuit Hiſpanicè anno 1632. cum licentiâ, in ædibus *Miguel de Lorenzana*, Granati, Hiſp. *Granada* : quæ urbs Hiſpaniæ, regni Granatenſis caput, Archiepiſcopatu, Academiâ, & conventu juridico, inter alios ſecundum ſibi locum vindicante, inſignis. Titulum hunc prędcribit : *Relatio* (ſeu narratio) *mirabilium ſignorum, quæ evenerunt Sylvæ-ducis, & pœnæ, quam Deus Dominus noſter maledictæ ſectæ concionatoribus immiſit.*

* *Examen hujus novellæ mirabiliariæ de horrendo interitu*, &c.

„ 1. Exordium ducit à calamitatibus & miſeriis, quas catholici Sylvæ-
„ ducenſes ſuſtinere coguntur, quippe onerati intolerabili exactione tributorum,

„ torum, & crudeliter tractati à magnâ militum multitudine, qui vi & vio-
„ lentiâ hæresin ibidem sustentant. *Resp.* Vectigalia alia aut graviora ipsis non sunt imposita, quam omnibus Hollandicarum, Zeelandicar. &c. civitatum incolis. Et gravamen illud luculenter compensatum fuit levamine, quod cives sentiebant ex lucro, quo urbs illa fruebatur ex tot millium stipendiis illic perpetuò expendendis.

2. Crudelem civium per milites tractationem nemo ullo colore obtendere potest : qui nôrit, iis hebdomadatim & promtè stipendia ab Illustr. & præpot. DD. Ordinibus exolvi, eosque strictæ militari disciplinæ subjectos esse. Si quis hoc narraret de militibus Hispanicis, quibus stipendia exolvi non solent, facile & civium & agrariorum in Belgio Hispanico assensum impetraret ; qui didicerunt eos non esse chamæleontes, & consequenter rapinâ aut mendicatione, aut utrâque defectum suum solere supplere.

„ II. Omnia illa insignia templa in stabula equorum fuisse conversa, im-
„ mo & in pejora. *Resp.* Splendidum hoc mendacium, ipsi Papistę Sylvæducenses castigabant satis, cum dolerent magnum templum cum tribus quatuorve aliis à Belgicis, unum ab Anglicis, unum à Gallicis, unum à Germanicis concionibus, unum à catechizatione fuisse occupata ; ubi antehac missæ celebrabantur : Quâ occasione mundiora & à scamnorum aliâque necessariâ supellectile instructiora evasere, quam ante fuerant, & nos eadem inveneramus. Quod autem in unum atque alterum templum vacuum pars aliqua militum, in illâ festinatione & necessitate introducta fuit (siquidem tam frequenti multitudini è vestigio de hospitiis prospici non potuerat), id sane non infert transformationem in stabula equorum aut in pejora ; quę, ut honos esset auribus, ferreæ hujus legendulę scriptor, nominare noluit. Et nihil tale fuit a. 1632. quo hæc fabula Granatensis dias in luminis oras prodiit : quandoquidem intra pauculos ab occupatâ per nostros urbe menses, omnibus præsidiariis, civium lucro, non damno, de habitatione prospectum fuit. Cum has fabulas Granato-Hispanicas de rebus Sylvæ ducis gestis considero, venit in mentem Hispanicum proverbium, quod ex Melch. Cani Canariensis episcopi *Lib.* 11. de locis theolog. *pag.* 653. ante complures annos didici. *De luengas vias luengas mentiras.* Templum in patriâ meâ, quod unicum istic erat habendis concionibus, omnibus armatis prę sidiariis sæpe repletum vidi, in casu lustrationis ; nec tamen illud in stabulum equorum conversum putavi. Et à stabulatione militum in templis sive nostris sive Papisticis, ne quidem à templorum direptionibus & incendiis tam alienos non esse Pontificios, docuit nos experientia. Quæ de templorum per nostros demolitionibus, incendiis, &c. à Papistis jactari solent, antehac discussimus in *Desperatâ causâ Papatus Lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 11.

III.

„ III. Sed inter multa mirabilia, quæ iſtic (Sylvæ-ducis) acciderunt, „duo referam. Prius eſt de ſupremo & maximè celebri hæreticorum con- „cionatore ſeu miniſtro ; qui occupatâ urbe Sylvæ-ducenſi, conſcenſurus „ſuggeſtum, animo plenus blaſphemiarum & improborum verborum con- „tra Deum ejuſque ſanctos, mandavit ut imago domini noſtri Chriſti con- „fringeretur, quæ in magno templo ſtabat, & devota admodum imago „erat, & multa ſemper miracula ediderat; & quia tam inſignia miracula „edebat, hæretici eam in ſtatione ſuâ reliquerant, abſque ejuſdem demo- „litione & combuſtione, ſicuti aliis aliorum templorum imaginibus factum „erat. Quod plus eſt pro certò dicitur, ipſum Principem Arauſionen- „ſem ordinaſſe, ne imaginem illam attingerent. *Reſp.* 1. De lignei iſtius crucifixi miraculis nunquam aut ante aut poſt occupatam urbem quidquam Sylvæ-ducis auditum, aut per manus traditum, aut ſcripto conſignatum: quamvis non neglexerint per Jeſuitam *Zylium* miracula Mariæ Sylvæ-ducenſis, annis aliquot poſt occupatam urbem peculiari libro buccinare. 2. Omnia craſſiſſima & ſtolidiſſima mendacia ſuperat, narratio de hæreticis ob tam multa, quæ patrabat miracula, imaginem illam in ſtatione ſuâ relinquentibus, & de mandato celſiſſ. Principis Arauſionenſis. Quantus heros ille & hæretici, quos vocant, admiratores & amatores fuerint imaginum, & quam credibilia ipſis fuerint miracula, quæ Papiſtæ venditant, nemini potuit ignotum eſſe. Quin contra reformati citius & ſtudioſius, lapidem illum offendiculi tollerent, cui tam multa miracula, & tantam religionem à Papiſtis tribui, & devotionem conferri noſſent. Ut jam non dicam, celſiſſ. Principem aliis curandis & ordinandis illo tempore occupatiſſimum ad particularia illa in repurgandis & parandis templis ad uſum reformatorum, aut ad imaginem crucifixi ex templo, cœmiterio, aut imaginem columbæ ex ſuggeſti pinnaculo tollendam aut non tollendam, non deſcendiſſe. Qui præparationem magni templi ad primam concionem à noſtris in eo habendam curabant, varias ſupellectilis idololatricæ reliquias ſuſtulerant. Sed in illâ feſtinatione, relicta aliqua, quæ poſt aliquot menſes ſucceſſivè ſublata: inter quę prȩcipua erant ligneus crucifixus ſuper ſepto intergerino chori collocatus, & crucifixus æneus in cœmiterio, & columba lignea, imago ſcil. ſpiritus ſancti ſuper faſtigio operculi ſuggeſti.

„ IV. Sed hic concionator, inſtinctu diaboli volens hoc mandatum „(Principis ſcil. Arauſionenſis) quippe negotium eccleſiaſticum concer- „nens, reformare, iteratò mandavit, ut ſanctum illum Chriſtum confrin- „gerent: clamando admodum obſtinatè, ſi crucem & Chriſtum in eâ „pendentem non dejicerent, ſe nolle nec poſſe pergere ad habendam con- „cionem, quam tamen auditores tantopere deſiderarent. Sic tandem illi obedien-

„obediendum fuit, ita ut sanctus ille Christus frustulatim confringeretur; „& tunc concionator suam concionem haberet, horrendis blasphemiis re„sertam; ita ut ipsi milites hæretici eam audientes horrerint? *Resp.* Potior & pretiosior pars, inter quas argenteus Johannes urbis patronus, hæreticorum expurgationi jam subducta erat. De concionatoris mandato, & quidem contra mandatum celsiss. principis, fabulatur, ac si Granati, aut alibi in Papali hierarchiâ hæc gesta essent, ubi gladius temporalis stringi debet ad nutum sacerdotum? Longè alia apud nos rerum facies. Secundum reformatam religionem, imagines ex publicis templis auferre, non est negotium aut officium ecclesiasticum, sed per se & formaliter politicum; quamvis circa ecclesiam & ecclesiastica. Apud ecclesiasticos, ex sententia reformatorum, non est jurisdictio cum imperio, nec ulla coactiva potestas. Tam imprudens, tam fungus non fuisset concionator, ut mandatum suum mandato celsiss. principis opposuisset. Ecclesiastici nostri talia à potestate politicâ submisse petunt: sed ipsi nec per se nec per alios id faciunt, aut fieri mandant: & si quis tale quid auderet, experiretur procul dubio, arma concionatorum esse verbalia, Dominorum verò realia. 2. Ubi, quomodo, quando mandatum hoc concionator promulgârit, exponendum fuisset; an in cursu concionis, an ante concionem: an stans in suggesto, an stans ad gradus suggesti Stentoreâ voce ita contenderit, ut ab omnibus exaudiri potuerit. 3. Quod ait concionatorem protestatum, se nolle nec posse concionari, nisi dejectâ illâ cruce: id non modo nunquam factum, sed ne verisimile est, potuisse fieri. Concionator, qui primam in magno templo concionem habuit nomine *Conradus Mirkinius* Illustr. & præpot. DD. Ordinum Generalium delegatis ad castra à sacris concionibus, stante ligneo illo crucifixo, aliquoties in templo concionari potuit, & cœnam domini ibidem celebrare. Nec concionatorum ingressum in templum, & ex eodem egressum impedichat vasta illa moles ænei crucifixi in cœmiterio splendens & infinitis penè istic prætereuntium religiosis devotionibus salutata; cum quâ ligneus ille crucifixus materiâ, figurâ, formâ spectabili, minime comparandus. 4. Hispanicus hic vates longè aliter anno 1632. cecinit ac fama Sylvæducensis, a. 1630. Ille enim miraculum percussi concionatoris & decantati illius crucifixi dejectionem incidisse vult in tempus proximum post urbis occupationem, cum istic adhuc subsisteret Celsiss. princeps. Ista vero idem miraculum factum primum mussitabat, postea garriebat, post & propter dictum crucifixum actu ex statione suâ detrusum; quod mensibus aliquot post urbem occupatam, ecclesiam jam ordinatam, cœnam domini celebratam, demum contigit. Quandoquidem autem concionatores, quotidie vivi & valentes istic conspici poterant, occasione absentiæ meæ per tres ferme

hebdomadas, & ablati tunc lignei crucifixi, cuſa eſt in me hæc faba & fabula: me jam apertè deſignabant, ob proteſtationem contra ligneum illud idolum & contentionem & mandatum (hæc phraſis fabulatorum) ut dejiceretur, infelici morte hinc evulſum: quidquid noſtri propter honorem ordinis & cauſæ ſuæ (ita ajebant) diſſimularent aut negarent.

Cum, concionatoribus reliquis ad ſua jam reverſis, ego ad poſtulatum ſynedrii iſtic ultra quinque menſes adhuc ſubſiſterem, & quotidie conſpicerer, dum conciones, viſitationes paſtorales, aliaque negotia eccleſiaſtica obirem, ad hæc frequentius, ad fabulam conficiendam, per mœnia, & celebriores quaſq; plateas deambularem: ſiſtebatur quidem in urbe hujus famæ curſus, non tamen æque in agro vicino, nec in exteris regionibus, quo jam penetraverat: uti videre eſt in Mercuriali illâ ſcedulâ Granati editâ; ubi tamen à nomine meo abſtinetur. Nec Lovanienſes theologi Janſenius & Gul. ab Angelis, nec Jeſuita Johannes de Gouda in libellis adverſus concionatores Sylvæ-ducenſes a. 1630. (inter quos me ſuperſtitem agnoſcebant,) hujus miraculi μορμολυκεῖον objicere auſi: quamvis ab aliis fabulis & mendaciis effutiendis non ita abhorrerent. Mitto nunc alias fabulas, tempore commorationis noſtræ illic & in viciniâ ſparſas, de uno ex concionatoribus (D. Everwino ſcil.) Sylvâ-ducis profugo, & ejuſdem Bredæ ad Papatum tranſitu. De celebris & venerabilis ſenis Boxhornii antehac concionatoris Bredani, tunc emeriti & Leidæ degentis, obitu & regreſſu ad Papiſticam religionem; quam ante tot annos deſeruerat; qui vivus & valens à me Leidæ ſalutatus, & de hac fabulatione monitus, eleganti ad nobiliſſ. Dominum Bergagne prætorem Sylvæducenſem epiſtolâ oſtendebat ſe vivere, & quidem in conſtanti religionis noſtræ profeſſione & Papalis idolomanię deteſtatione. De nobiliſſimi D. prætoris uxore Dominâ Heert, non tam generis nobilitate, quam religionis & pietatis ſtudio, prudentiâ, morum honeſtate modeſtiâ & elegantiâ, decoratâ; ſub mortem conversâ ad fidem Papiſticam: ductore ſcil. uno ex patribus Jeſuitis, qui ex lætali morbo decumbenti & morienti adfuiſſet. Hanc fabulam novellæ hebdomadales Antwerpianæ, non abſque præviâ viſitatione & licentiâ editæ, orbi Papali, & Sylvæ-ducenſibus tunc propinabant; ad fidei ſcil. Romanæ exaltationem. Sed ſi Sylvæducenſes conſuluiſſent, præcipue Papiſticam illam fœminam, ex ordine ſororum miniſtrantium ægrotis, quæ decumbenti & morienti perpetuo aderat, & preces ad Deum fuſas, conſolationes à me ſubminiſtratas, cum decumbentis & agonizantis piiſſimis reſponſis & ad vitam meliorem ſuſpiriis audiverat, ejuſque beatum in vivâ fide, & cœleſti conſolatione deceſſum viderat: non dixiſſent, Jeſuitam decumbenti & morienti adfuiſſe, per quem ad Papiſticam religionem traducta aut in eâdem confirmata fuiſſet:

niſi

nisi me fingant tunc Jesuitam fuisse, qui in primâ morbi aggressione jussu decumbentis evocatus; assiduò verbo consolationis & precibus, etiam in agone, illi præiveram: nullo Jesuitâ illic unquam conspecto.

„ V. Sed statim diabolus concionatorem illum aggressus est vehementi „ intestinorum cruciatu, qui miserrimè medius crepuit ante oculos omni- „ um circumstantium, omnibus intestinis in terram effusis, & maledictâ „ animâ non tantum in diaboli manus evomitâ, sed etiam corpore: Nam „ uti plerique ex populo pro vero narrabant, corpus ita evanuerat, ut nun- „ quam sciri potuerit, ubi illud mansisset. Unde omnes homines non sine „ bono fundamento sibi persuadent, eum & animo & corpore in inferno „ sepultum esse debuisse. *Resp.* Hæc fabulę hujus catastrophe: cui nihil repono; quandoquidem jam pridem Delphis (Sylvæducis) oracula illa cessârunt. Alteram fabulam, quæ de miraculosâ & miserabili morte viri militaris Papistici in eadem sceda Mercuriali refertur, volens prætereo: tum quod ex uno hoc ungue leo satis cognosci possit, tum quod supra eam attigerim.

INDEX LOCORUM
S. SCRIPTURÆ.

Qui in hàc Quarta parte vel explicantur vel vindicantur ab Adversariis.

Cap.	Vers.	Pag.
	Genesis.	
3	6.	160
17	20.	31
18	31.32	106
19	21.	106
31	27.	343
37	3.	113
	Exodus.	
15	20.	342
22	26.27	563
25	19.	118
32	6.	500
	19.	343
	Leviticus.	
18	4. 22.27.31	
19	14.	141
	27.	476
25	35.36.37	563
	Numeri.	
22	6.7	524
	Deuteronomium.	
6	5.	136
17	14.15	227
	18.	129
22	5.6.10.	118.335
	11.	419
24	15.	564
	Josia.	
2	4.6	656
6	15.	224
7		
8		
1		
4		
16		
21		
2		
8		
14		
27		
6		
12		
21		
13		
14		
5		
16		
4		
1		
2		
3		

Vers.	Pag.	Cap.
1.	165.709	
3.	129	1
Judicum.		
24.	656	1
17.	*ibid.*	4
30.	259.286	15
21.23.	326.328	19
1 *Samuel.*		32
13.	224	53
6.	219.220	60
11.	9	109
11.- 19	211	116
26.	459	119
11.	224	
2 *Sam.*		
16.	326	
9.	164	139
	165	
1 *Reg.*		8
33.	526	12
3.	522	16
2 *Reg.*		28
16.	525	
10.	129	3
Ezra.		
1.	129	7
Esther.		8
8.	393	9
17.	113	
14.	129	12

Vers.	Pag.
Job.	
14.	184
Psalm.	
2.	17
1.	343
5.	564
8.9	17
9.	190
1.	343
1.	129
22.	326
15.	500
4.	136
13.20.30	92
6.9.59	189
36.	34
21.22	122.204
Proverb.	
14.15	213
10.	118
18.	141
8.	564
Ecclesiast.	
4.	342
8.	113
8.	115
9.	224
10.	103
11.	739
14.	92

Can-

Cap.	Vers.	Pag.
	Cantica.	
1	4.	34
5	1.	493
	Jesaia.	
2	3.	17
3	6.	141
	22.	448
	24.	485
9	11.20	92
11	2.	734
26	9.	92
29	9.	493
51	17.	92
53	7.	57
	8.	103
57	1.	106
	10.	107
	Jeremia.	
6	21.	141
7	12. 13	104
10	11.	129
31	34.	19
32	39.40. 19.34.35	
43	10.19 110.111	
	Ezechiel.	
18	8.	564
	Daniel.	
3	6.	201
6	8.11.18	201
	Zephania.	
1	3.	141
2	1.	92
	Matthæus.	
4	7.	131
	23.	19
5	29.30	141
	39.	176
	45.46	126.130. 131.138
6	10.	127
7	12.	119
8	4.	67
	8.	516
10	37.	113
11	11.	20
	29.	130.133
13	16.	52
	41.	146
15	14.	183
16	23.	141.149
18	9.17.	150. 169 170
21	12.	527
22	39.	119
23	3.	195
25	36.	406
26	27.	500
27	20.	160
	Marcus.	
1	1.	18
	14.	19
	Lucas.	
1	69.70	18
2	10.11	18
6	35.	564
9	55.	130.131.176
10	7.	522
	26.	17
14	26	252
19	23.	584
22	34.	215
24	25. 27.44.17.20	
	Johann.	
1	21.	406
5	24.	92
7	22.	201
8	34.	17
13	14.15	138
16	25.	17
21	7.	405
	Acta Apostol.	
5	2.	709
	28.29	201
7	53.	17
8	18.	516
9	16.	406
13	15.	17
24	14.	137
	ad Romanos.	
1	1.	18.20
	9.	19
	16.17	22.39
	24.	185
2	12.14.15.	18.41
	16.	35
3	21.	17
	27	17
	29.30	23.53
	31.	22
4	15.	18
6	14.	18.22.55
	17.	129
7	12.	17.58
8	3.4	17.22.27
12	19.	176
13	1.	207
14	13.	141
	1 *ad Corinth.*	
1	11.	169. 170. 192
4	3.	66
5	2.7.13	165.177
6	1.2.3	179
7	34.	438
8	10.	391

Cap.	Vers.	Pag.
9	14.	18
10	6.	127
	7.	500
	21.	391
	32.	148
14	13.	17
15	29.	2
	2 ad Corinth.	
2	16.	36
	17.	662
3	6.	19.52
	7.	18.52
	18.	36
4	2.	662
	3.4	35
5	10.	92
7	9.10.	121
8	13.	584
11	15.	129
13	10	136
	ad Galatas.	
3	13.	103
	19.	17
	24.	18
3	24.	18
4	18.	18.55
	ad Ephes.	
1	1.	130
	15.	136
	29.	251
	ad Coloss.	
3	13.	178
	ad Philipp.	
2	12.13	34
	ad Titum.	
3	13.	136
	15.	113
	1 ad Timoth.	
1	8.	17
	16.	128
2	9.	423.439.485
4	12.	128.29
5	4.	624
2	*2 ad Timoth.*	
3	13.	128
	25.	33
1	8.	31
	ad Hebræos.	
2	12.	42
19	14.	23
	16.	523
	5.6	31
	17.	195
	21.	34
	1 ad Petr.	
1	16.	130
	21.	130.133
		138
3	3.	423.485
	5.	405
	2 ad Petr.	
1	2.3	31.32
	Jacob.	
2	25.	656
	11.	715
	7.	178
	1 ad Joh.	
	8.	53
	18.19.36	35
	2 ad Joh.	
1	10.	173
	Apocalyps.	
	20.	165
19	10.	116

INDEX RERUM
ET
QUÆSTIONUM

Hâc Quartâ Parte Selectarum Disputationum Theologicarum, Contentarum.

A.

Abnegatio sui-ipsius, *vide de eâ varias quæstiones.* 777

Absolutum *quot modis dicatur?* 31. 32

Accommodationis *via vide* Amnestia.

Achan, *an & quomodo peccati Achan particeps fuerit totus Israel, &c.?* 165. *quid de eo sentiendum?* 701. 709

Actio humana *vide de eâ pag.* 763

Actio scenica *vide* Dramata.

Adamus, *an ab eo in puris naturalibus creato, aut post lapsum in Republicâ humanâ invincibiliter ignorante totum ordinem gratiæ, & colente aliquo modo Deum, Simonia potuerit committi?* 537

Adhæsio Dei, *vide pag.* 775

Adhortationes *distinguuntur.* 159

Adulterium, *vide de eo. pag.* 807

Ægroti, *illis auxilia præstanda sunt.* 309

Æquitas *vide de illâ quæstiones.* 789

Æquivocatio, *an hujus in vocibus, aut amphiboliæ in sententiis usus sit licitus?* 644. *Conclusionibus quæstio determinatur.* 645. 646. *rationibus vera sententia prob.* 646. 647. *an nostri doceant, aut probent, aut ex præscripto religionis suæ artem hanc exerceant?* 648. *an Remonstrantes?* 649. *an pontificii?* 652

Affectus: *de illis vide quæstiones.* 765

Agnus Dei, *Vide varias quæstiones.* 782

Alimenta: *an his alicui utendum sit, ut magis ad τὰ ἀφροδίσια excitemuletur?* 388

Amare magis *seu* plus *tribus modis intelligitur.* 120

Amnestia, *an illâ uti possimus in reconciliatione?* 180

Amor, *ejus divisio.* 114. 122. 765. *ejus objectum duplex.* ibid.

Amor Dei, *vide de illo quæstiones.* 776

Amphibolia, *vide*, Æquivocatio.

Anathema *distinguitur.* 709. 710.

Anabaptistica secta *ab incunabulis erronea.* 747

Angeli: *an malis angelis tanquam instrumentis divinæ ultionis attribui possit*

possit pestis, 316. *an his competat extensio?* 754
Animus injuriandi *describitur.* 707
Animæ hominum, *an his competat extensio?* 754. *an sit cogitatio.* ibid. *an tota in glaudulâ pineali?* ibid.
Annulus, *de digitorum & brachiorum armillis agitur.* 423
Antinomi *veteres & novi.* 748
Antitrinitaria *hæresis fundamentalem christianorum fidem subvertit.* 746
Apostoli, *an hi sub* N. T. *debeant dici prædones legis, an Euangelii?* 36
Appetitus officii sacri, *an omnis, etiam externa petitio, sive tacita sive expressa sit simonia, aut saltem illicita?* 551
Appetitus : *de eo variæ quæstiones.* 765
Aqua fortis, *sive* vitæ ; *quid statuendum de quotidiano*, &c. *ejus usu?* 390
Archiepiscopus, *an hic potestatem ad abolendum ambitum simoniacum sibi tribuere aut usurpare possit, sic ut non incidat in simoniam?* 531
Argumenta *ab absurdo consequenti describuntur.* 1. *sunt duplicia.* ibid. *quid ad rectam formationem eorum requiratur?* 2. *in practicis ad sex classes revocantur.* 4. *illa indicantur.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *quæ deducuntur ad absurdum, indicantur per exempla dogmatica, practica* 12. 13. *scopuli aliqui indicantur.* 14. 15
Ascetę, *an antiquorum vestes laudandæ?* 418
Astus, *an aliquis sit licitus?* 643
Aurum *ejus abusus in ornatu corporis notatur?* 423
Ἀυτοφονία, *an hujus directæ aut indirectæ damnari possint pii & fideles illi, qui parentes, uxores*, &c. *peste laborantes*, &c. *invisunt*, &c. *atque ita peste moriuntur?* 270. *vide* Homicidium *sui-ipsius &* Pestis.
Ἀυτόφονοι, *an omnes, nemine excepto, simpliciter sint damnati?* 268. *vide porro* Homicidium sui-ipsius.

B.

Balettæ *quare indignæ?* 334. *An à solis virginibus aut fœminis institui, atque ita condemnationi patrum*, &c. *subduci possint; quod non sint* γυναικωνῖτιδες? 344
Barclayus *refutatur.* 222
Balneum, *quid de antiquorum balneis sentiendum?* 389. 398
Banckettæ : *quid de illis censendum?* 397
Bellum *vide de eo.* 804
Benedictiones *vide de illis.* 784
Beneficentia : *ejus actus.* 123
Beneficia ecclesiastica, *an autoritate Papæ liceat hæc vendere?* 539. *vide.* p. 541
Beza *an fuerit autor libelli tit. Vindiciæ contra Tyrannos?* 231. *& seqq.*
Bileam *an commiserit Simoniam conventionalem?* 524
Blasphemia, *vide de illa.* 784
Bona caritativa *quotuplicia sint, indicatur.* 120. *vide* 771. 772
Bona Ecclesiastica, *circa illa sophismata deteguntur.* 5. 6. 9. 10

Bona patrimonialia, *an hæc aut munera publica*, &c. *alicui subtrahenda sint, quem judicamus rebus prosperis insolentem, & in peccata, &c. lubricum fore?* 161

Bruta *sunt animata.* 750.755

C.

CAlceus, *vide de illis.* p.423

Calumnia *describitur.* 702. *angustius describitur.* 703. *quomodo in judicio secundum JCC. committatur.* 705. *quomodo à reo.* ibid. *à judice.* ibid. *vide* Judex.

Calumnia *extra judicium in multas species distinguitur.* 706. *quot modis alicujus verbis calumnia struatur, indicatur.* 712. *divisio varia instituitur.* 711. *ad* 714. *An malum aliquod de homine dicere, sit absolutè, &c. malum: ita ut nullo in casu honestari possit; & an sic intelligendus textus* Jacobi 4. 11. 715. *an calumnia & detractio sit, si quis mortuis malè dicat?* 717. *An mala de proximo prædicare liceat ad ejusdem pudorem, &c?* 722. *an calumnia dici debeat quælibet prava scripturæ, patrum, &c. interpretatio?* 725. *directæ exempla suppeditantur.* ibid. *ut & indirectæ.* ib.

Calumniator Theologicus: *eius artificia in quibus consistant, ostenditur.* 727.728.729

Candelæ, *an hæ à promovendo ad beneficium dare aut promitti possint?* 548

Canditatus ministerii *an huic simonia imputari possit, quando patronus, &c. ei præsentationem confert, sub hac conditione, ne gaudeat omnibus reditibus pastorali curæ annexis, &c?* 533. *an sapiat simoniam si in defuncti locum vocandus teneatur relictam defuncti viduam, aut filiam, &c. in uxorem ducere?* 532. *quomodo quis crimine falsi teneatur.* 698

Capilli, *quæ ad illos referenda?* 450. *horum sciographia præmittitur, & circa hanc varia considerantur.* 452. *variis conclusionibus res determinatur.* 453.454.455. *rationes variæ, quibus determinatio nostra probatur, adducuntur.* 456. *objectionibus fit satis.* 457. *an quæstiones illæ morales & casus conscientiæ de capillis alicujus sint momenti, saltem tanti, ut theologi, &c. ad ea attendere debeant?* 458. *an tanti sint illæ vanitates, ut disciplinâ eccl., &c. iisdem occurri debeat aut possit?* ib. *an ordinarii usus capillorum alii sint, quam illi tres quos recenset Ambros. &c?* ibid. *Quid censendum de usu prolixi capillitii, &c.* 459. *an in decurtandis & promittendis capillis imitatio fuerit luctus, imo & superstitionis Gentilium?* ibid. *an fœminis necessarium sit velamen capitis, quo capillos tegant; idque ab Apost. præscribatur?* 459. *an propter infirmitatem liceat uti capillitio alieno?* ibid. *an Absolomi capilli detonsi æquarint pondus quatuor librarum & ultra?* 459.460. *varii autores citantur.* 463. *ad* 493

Cardinalis Lotharingius *notatur.* 2

Caritas, *ejus officia circa proximum peccantem indicantur.* 157. *& seqq. quid hujus officiis repugnet?* 163. *ejus actus varii tum interiores tum exteriores.* 167. 174. *ejus officia circa proximum peccantem quoad nos ipsos.* 181

Caro, *an homines ante diluvium ederint carnes viventium*, &c? 387

Carthusiani, *an eorum dicta pseudospiritualis*, &c. *sit rationalis & medica?* 387

Castitas, *vide de illa varias quæstiones.* 806

Catechesis palatina, *an hæc à Monacho Coppensteinio excalvinizata*, &c. *sapiat crimen falsi?* 682

Catena aurea, *in ea potest peccari.* 423

Caupona, *an has frequentare sit illicitum & indecorum?* 400

Ceremoniæ, *vide de illis.* 780

Census *vide de illis.* 812

Choreæ, *de illis varia consectaria proponuntur.* 334. 335. 336. *objectionibus fit satis.* 336. 344. *an choreæ germanicæ, rotundæ & rusticæ*, &c. *à viris & fœminis exercendæ*, &c. 345. *exceptioni fit satis.* ibid. *quomodo ab ecclesiis nostris arcendæ aut profligandæ*, 346. *vide plura* 756. *& in voce* Saltatio.

Christus *an in diebus carnis suæ fuerit subjectum judiciorum Dei?* 103. *an is secundum humanam naturam sit propriè proximus noster.* 115. *ejus* Imitatio *vide* Imitatio.

Cibus, *modus in hoc ut servetur quinque evitanda.* 386. *an magis salubris præferendus sit magis delicato?* 387. *quoties quotidie sumendus, & an simpliciter illicitum esset bis in die saturari? ut vult Plato.* 388. *An temperantiæ & frugalitati magis conducat, certis ac statis temporibus diei cibum sumere: quam*, &c. 389

Circumventio, *an aliqua sit licita?* 644

Civilitas morum, *vide de illâ.* 792

Cœna dominica, *de ejus definito tempore administrationis in verbo Dei nihil definitum est.* 761

Cognitio Dei, *vide de illa quæstiones*, 773

Cognitio peccati alieni *duplex est*, 168. *ejus partes sunt apprehensio & judicium.* ibid.

Collationes, *quid de illis statuendum?* 397

Collum, *in ejus ornatu quadruplex vanitas committitur.* 460

Cometæ, *an rectè dici possint, prænunciare pestem?* 317

Comœdia, *ejus actiones ratione materiæ sunt vel sacræ, quæ iterum duplices sunt.* 357. *vel profanæ, quæ etiam duplices sunt.* 358. *ratione actorum, finis & adjunctorum, quæ & quotuplices.* ibid. *vide porro* Dramata.

Communio, *vide*, Societas.

Competitores, *an ab his in concursu concursum circa ordines simonia committi possit?* 539

Compensatio *duplex est.* 628

Concilium Neocesarienſe, *an rectè prohibuerit clericis, ne nuptiis Bigæ-*

gamorum interessent. 399
Concionator: *an reformatis in ecclesiis suis reformatis facilior sit accurata ex scripturis prædicatio legis, quam Euangelii, an contra?* 47. 48. 49. *An hi legitimè vocati ad veram religionem docendam mutare teneantur in aliquo capite, quotiescunque principi, &c. visum fuerit veritatem antea confessam, &c. mutare?* 88. *objectionibus fit satis.* ibid. *vide plura pag.* 90. *An teneantur in peccata suorum inquirere.* 169. *an his tempore pestis fugere liceat, vel an immunes sint ab auxilio fratribus laborantibus præstando?* 270. 275. 311. *objectionibus fit satis.* 313, *ad* 316. *an choreæ ab his ecclesiasticè tolerandæ.* 346. *an iis liceat conviviis, imprimis mixtis interesse?* 396. *an iis liceat uti tabernis?* 400. *an iisdem liceat tabernas aperire?* ibid. *an uno ac definito vestium genere ab omnium hominum distincto, uti debeant?* 418. *an sapiat simoniam si in locum defuncti vocandus teneatur relictam defuncti viduam, aut filiam, &c. in uxorem ducere?* 532. *an illi simonia imputari possit, quando patronus ei præsentationem confert sub hac conditione, ne gaudeat omnibus reditibus pastoralibus, &c.?* 533. *an iis liceat de eo paciscí?* 546. *an piè & decorum sit illis, ut Trapezitis familiariter utantur?* 587. *eorum vocatio & electio ecclesiastica est.* 758
Concordia, *ejus species duæ sunt.* 124. *vide plura.* 791
Conditionatum *quot modis dicatur?* 31. 32
Confessio peccati *quotuplex?* 178. *an ab utraque parte hæc fieri debeat?* 180. 628
Conjugium, *vide de illo quæstiones.* 808
Conniventia peccati *quid.* 164. *an in perpetuam & lege stabilitam tolerantiam mutari debeat?* 166
Conscientia, *vide de eâ quæstiones.* 767
Consensus *peccati quid.* 164
Consecrationes: *vide de iis.* 781
Consequentia, *quid sit, & quot generum in scientiis compareat, ostenditur.* 1. *quid de deducentibus ad absurdum vide* Argumenta, &c.
Consilia *describuntur.* 159
Contractus, *vide de illo, ejusque speciebus.* 811
Contumelia, *vide,* Calumnia.
Conversio, *ejus media indicantur.* 176
Convivium, *ejus etymologia datur.* 390. *dividitur ac subdividitur.* 391. *an & qualia sint licita?* 392. *conditiones & requisita horum suppeditantur.* 193. *ad quæstionem propositam variis conclusionibus respondetur.* 392. 394. *an ad convivia vocandi non sint, nisi ejusdem pietatis & religionis consortes; & an ad nulla alia accedendum?* 395. *an his mixtis liceat ministris interesse?* 396. *quid statuendum de filicerniis & epulis exequialibus, ac se-*

ptenariis? 396. *quid de sympositis, quæ vulgo collationes, &c. censendum?* 397. *quid de secundis mensis?* ibid. *quid de unguentis & floribus in fine adhibitis?* ibid. *quid de balneis & lotionibus statuendum?* 398. *qui ludi in his aut post sublatam mensam ferendi sint?* 399. *an leges cibariæ ferendæ ad luxum præveniendum?* 400. *vid.* 792

Cooperatio *cum peccato quotuplex?* 164

Corpus, *quæ ad hujus refectionem pertineant, & quotuplicia illa sint, ostenditur.* 386. *an omnis ornatus corporis sit illicitus?* 419. *an quis ornari possit ad tegendam turpitudinem aut defectum corporis?* 421. *an ad fingendam pulchritudinem, quam non habet?* 421

Crux *vide quæstiones.* 782

Cultus institutus, *vide.* 780

D.

רבר *quid significet.* 593

Danhauwerus J. C. *citatur ac refutatur.* 589

Dapes, *an inemtæ minus pretiosæ, &c. sint præferendæ?* 388

Decalogus, *an hic legem moralem perfectè contineat?* 53. *an fœdus gratiæ?* 54

Deceptio *vide* Fallacia.

Dehortationes *sunt duplices.* 159

Delatio, *an sit licita?* 659

Delatio peccantium, *an & quæ ad superiores aut adeos, quorum interest, sit licita?* 170. *an peccata clandestina, si quæ ecclesiæ, &c. innotescunt, per illam debeant ad Magistratum deferri?* ibid. *utrum secutâ emendatione proximi teneat eum, &c. ad superiorem deferre?* 171

Dentes eburnei *vide.* 447

Desiderium, *vide de illo quæstiones.* 776. *circa peccatum.* 174

Desperatio, *Vide pag.* 775

Determinatio, *quid sit?* 163

Detractio, *modi quatuor directi, quatuor indirecti statuuntur.* 627. 628. *vide porro* Calumnia.

Detractio *extra judicium in varias species distinguitur.* 706.

Deus, *an alicui possit mandare mendacium, aut mandare ut quis credat falso?* 633. *Deum esse, an solidè antehac fuerit probatum,* 757. *an ei extensio competat.* 754 *Dei imitatio vide* imitatio.

Diæta Carthusianorum *vide* Carthusiani.

Diffamatio *dividitur in species.* 712. *ex objecto reali.* ibid.

Diffamator, *vide de eo pag.* 630

Dilectio: *ejus nomen explicatur.* 113. *An damnati, & animæ beatæ sint objectum dilectionis nostræ?* 115

Dilectio Proximi, *quomodo hæc se extendat ad angelos bonos?* 116. *Quid de angelis malis?* ibid. *Quid de peccantibus in Sp. S.?* ibid. *An homines improbi, &c.* ibid. *an proximus mortuus, etiam quoad cadaver. &c.?* 117. *an quisque homo sibi ipsi sit objectum dilectionis?* ib. *quomodo dilectio nostra feratur in bruta, &c.?* ibid. *Modus dilectionis*

nis dupliciter consideratur. 119. ejus oppositum datur. 121. ejus actus speciales & generales. 122. 123. *Vide* Proximus, & pag. 788

Diplomata Regum *an hæc typis excusa parodicè in principali materia mutata*, &c. *typis iisdem*, &c. *excudi*, &c. *possint*? 682. *an hæc eo modo falsare ac supponere liceat, si quidem contineant mandata ac prohibitiones de religione*? 683. *exceptionibus fit satis.* ibid.

Directio *quid*? 163

Dissimulatio : *an omnis sit illicita, an aliqua vero sit licita*? 636. *conclusionibus res determinatur.* ibid. *an Josephi*, &c. *culpâ omni carue rint*? 639

Divitiæ, *vide.* 809

Doctor, *an illi sub V. T. debeant dici præcones Euangelii, an vero legis*? 36. *an sub N. T. debeant dici præcones legis, an Euangelii*? ibid.

Dolor super peccatis. 171. *quæ huic repugnent*? ibid.

Dolus *an aliquis sit licitus*? 640. *mali synonyma, species, & effecta indicantur.* 641. *quomodo vox doli in sacris litteris sumitur.* 641. *determinatur.* 642

Dominium rerum. *vide.* 809

Domus, *vide*, Utensilia.

Dona Sp. S. *vox doni quot modis secundum* Greg. *de* Val. *in scripturis accipiatur.* 732

Dramata *varia describuntur.* 359. *An & quæ dramata, aut quasi dramata, sint licita.* 360. *quæstio hæc variis conclusionibus determinatur.* ibid. & seqq. *quæ res divinas & sacras ex scriptura exhibent, sunt illicita.* ibid. *objectionibus ac exceptionibus fit satis.* 362. *nec admittenda, quæ ex ecclesiastica historiâ, aut martyrologiis aut vitis patrum desumuntur.* 363. *nec Gentilium Deorum virtutes*, &c. *exhibentia.* 364. *exceptionibus fit satis.* ibid. *satyrica sunt illicita.* ib. *vide porro, qualia illicita sunt*, pag. 365. 366. *An actiones scenicæ communiter usitatæ sint licitæ*? 367. *negativa sententia rationibus generalibus & specialibus ut & consensu piorum ac bonorum probatur.* 368. *ad* 376. *porismata quædam ponuntur.* 377. *objectionibus respondetur.* 378. *ad* 380. *an à solis puellis, aut fœminis drama aliquot exhiberi possit*? 381. *vide porro tredecim quæstiones propositas.* 382. *ad* 385

Dubitatio : *quomodo ei occurratur*? 163. *An de omnibus sit dubitandum.* 755. *vide porro quæstiones.* 774

E.

EBrietas, *definitur.* 493. *distinguitur ab ebriositate.* ibid. *rejicitur definitio pontificiorum.* ib. *ejus objectum quodnam* 494. *causæ tum procreantes tum conservantes hanc sunt vel generales, & quæ.* 495. *vel speciales, quæ indicantur.* ibid. *hujus causæ & occasiones aliundè suppeditatæ in Belgio nostro, indicantur : adjuncta seu propria & effecta indicantur.* 497. 505. 506. *dividitur in quinque species.* ibid.

quæ ei opponantur? 498. *modus hanc evitandi & expugnandi delineatur.* ibid. 504. *variæ quæstiones circa hanc proponuntur.* 499

Ebrius, *ebrium esse quid significet?* 493. *an ebrius non compos rationis si fornicaretur, peccaret?* 498

Ecclesia, *an contra ejus canones sanctione censuraru munitos unquam in foro poli quidquam committere aut omittere liceat?* 201

Ecclesia, *an cognitio & coercitio criminis falsi ad ecclesiam pertineat, an ad politiam?* 680. *vide plura in* Falso.

Ecclesia Græca: *an cum secundum novellas Isaaci Commeni singuli episcopo pendunt septem nummos aureos,* &c. *simonia committatur?* 530

Ecclesia Romana, *an hæc tum praxi frequenti,* &c. *tum professione & doctrina,* &c. *possit dici simoniaca?* 531

Eleemosyna, *vide.* 790

Enthusiastæ *notantur.* 748

Elenchus justus, *quid ei repugnet.* 2.3

Episcopus *an horum investituræ,* &c. *implicent simoniam?* 528. *vide.* 542

Ephron *an simoniam commiserit in venditione agri in sepulturam?* 525

Epulæ exequiales, *quid de illis statuendum?* 396

Esau, *an venditione primogenituræ commiserit simoniam?* 523

Euangelistæ: *an hi sub* N.T. *debeant dici prædones legis, an Euangelii?* 36

Euangelium *quid significet, indicatur.* 18. *an Euangelium tempore V. T. revelatum & cognitum fuerit fidelibus?* 20. *objectionibus respondetur.* 21. *an ἐπιείκεια seu æquitas, aut potius justitia Euangelii, quæ illic patefit & offertur* Rom. 1. v. 16. 17. *tollat præcepta legis sive in totum, sive in tantum; ita ut iis non obligentur, qui gratiam Euangelii fide amplectuntur?* 22. *an strictissimè acceptum,* &c. *legis moralis præcepta minuat, augeat, aut quacumque ratione immutet,* &c. 23. *an strictè & propriè dictum, imprimis missionis seu impletionis, ut in* N.T. *à Christo & Apostolis dispensatum est, differat formâ & essentiâ à Lege; an vero tantum gradu perfectionis,* &c? ibid. *an strictè aut etiam strictissimè dictum,* &c. *habeat præcepta nova,* &c? 24. *nonnulli antiqui & recentiores orthodoxi excusantur.* 25. *objectionibus ut & instantiis occurritur.* 25. 26. 27. 28. 29. *an solum habeat promissiones?* 30. 31. *an Euangelii promissiones sint universales?* 34. *an habeat comminationes?* ibid. *objectionibus respondetur.* 34. *an habeat promissiones temporales?* 35 *an naturaliter notum sit, aut esse possit?* ib. *an ejus prædicatio sit de necessitate?* 36. *an Euangelium cum lege totam doctrinam salutarem scripturis contentam exhauriat?* 38.

38. *an hujus promissiones cum præceptis legis coincidant?* ib. *an Euangelium promittendo impletionem præceptorum, &c. dici possit implere legem, &c?* ibid. *an facilior sit prædicatio Euangelii, quam Legis.* 46. *an huic excellentia tribui possit supra legem?* 52. *quo respectu objectum hujus, &c. sit excellentius, &c?* ibid. *vide porro* Lex. *& pag.* 768

Excelsa Papatus *quæ.* 325

Exemplar *describitur.* 125

Exemplum *describitur.* 125. *quid latè sumptum significet.* ibid. *distinguitur.* ibid. *subdividitur.* 126. 127. *vide* Imitatio.

Exploratio, *an sit proditio, & an eâ quis licitè uti possit?* 658

F.

FAcies: *circa illam vanitas vario modo se exerit.* 429. *an pigmentis seu fuco hæc expolienda & ornanda sive à viris, sive à fœminis?* 430. *vera sententia variis conclusionibus explicatur.* 431. *& variis argumentis stabilitur.* 432. 433. 434. *objectionibus & exceptionibus fit satis* 435. *ad* 443. *remedia proponuntur.* 435. *An aliquo honesto fine & in casu necessitatis liceret faciem nativam sive tectoriis sive pigmentis tegere, &c.?* 444. *an liceat fucos parare aut vendere?* ibid. *tutior sententia conclusionibus explicatur.* 445. 446. 448. *exceptionibus respondetur.* ibid. *varii autores citantur.* 463. *ad* 493

Facile, *quid sit indicatur.* 42

Facta realia *describuntur,* 160

Fallacia, *an aliqua sit licita, quâ aliquem in errorem adducimus?* 644. *quid de facto Gibeonitarum statuendum?* ibid.

Falsum *quomodo sumatur.* 662. *describitur.* ibid. *destinguitur subjectis, objectis,* ibid. *distribuitur per tres classes.* 663. 664. 665. *prima classis continet crimina falsi in re aliqua commissi.* 663. *res illæ duplices sunt.* ibid. *secunda classis continet crimina falsi, quæ in personis, earumque partibus, adjunctis, actionibus & effectis, sexu & qualitatibus ementiendis committuntur.* 664. *ad* 668. *tertia classis continet crimina falsi, quæ in libris & scriptis committuntur, & hoc falsum distinguitur.* 668. *ad* 676. *An tria ad falsum necessariò requirantur, immutatio veritatis, dolus, & damnum, &c.?* 677. *an falsum inter gravissima peccata, & conscientiam turbantia, &c. an vero inter infirmates fidelium numerandum, &c.?* 678. *Quodnam inter crimina falsi sit turpissimum?* 679. *An & cur Theologi accurratam hujus criminis cognitionem affectare debeant?* 680. *an cognitio & cœrcitio hujus ad ecclesiam, an ad politiam pertineat?* ibid. *an cognitio criminis falsi à foro politico ordinario, cui reus subest, aut à judicio ecclesiæ, cujus membrum est, aliò transferenda sit, &c.?* ibid. *An ab ecclesia conveniendi sint cives ipsius, quorum falsum est notorium, an etiam*

iam illi, qui de falso suspecti sunt, &c.? 681. an crimine falsi teneantur, non tantum primi autores, qui concinnant aut subdole substituunt eiusmodi libros, sed etiam amanuenses, typographi, &c. 682

Vide

Catechesis palatina

Diplomata Regum, Principum, &c.

Papatus

an à falso excusandus sit, qui fabricans falsum instrumentum, aut ab aliis fabricato utens, ubi ope ejus obtinuerit intentum contra proximum, ipse illud deserit aut abjicit? 692. An possit quis excusari à falso, si prætendat vera esse omnia, quæ supposititio aliquo scripto continentur, eaque convenire cum mente ejus, cujus scriptura fingitur? 693. an sit crimen gravissimum, & unde gravitatis gradus æstimari debeant? 694

vide porrò

Plagiarius

Scriptura

an genus illud falsi sit detestabile cum antiquæ inscriptiones, aut antiquæ chartæ, aut laminæ venditantur, quas novi impostores ipsi fabricarunt, &c.? 696. vide plures quæstiones de crimine falsi in iis qui mentiuntur titulum

Advocati

Candidati ministerii

Chirurgi

Medici

pag. 698. 700. an crimine falsi participet, qui alios sollicitat ad dandum falsum testimonium? 700

Fama *quid significet.* 702

Festa, *quid de illis.* 787

Fideles: *an rectè dici possit, hos sub V. T. justificatos esse, &c.? 55. objectionibus sit satis.* 56

Fides *ejus actus seu virtus præcipitur lege non Euangelio. 25. objectionibus satis sit. 26. 27. 28. vide de ea quæstiones.* 773

Flagellatio spontanea, *illam esse illicitam rationibus variis prob. 263. pro alio non præstandam rationibus prob.* 266. 267

Floristæ. *Vide* Hortus.

Fœdus *dividitur. 19. quælibet pars divisa quid dicat, indicatur.* ibid. *cur vetus dicatur?* ibid. *cur novum?* ibid. *mandatur omnibus, quibus revelatur.* 27

Fœnerator *vide* Trapezita.

Fœnus *vide* Usura.

Forum *metonymicè notat judicium.* 65

Forum *distinguitur in* poli *&* soli. *62. hujus distinctionis utilitas variis exemplis illustratur.* ibid. *& seqq. distinctio Pontificiorum suppeditatur. 67. 68. 69. an idem sit forum poli & soli? 70. negativa sententia argumentis & generalibus & specialibus probatur. 71. ad 84. circa hanc distinctionem variæ quæstiones proponuntur. 86. 87. 88. 89. 90*

Forum poli: *circa illud sophismata solvuntur. 11. definitur.* 66.

Forum foli. *circa illud sophismata solvuntur.* 11. *definitur.* 66. *duplex est.* ibid. *quid hic attendatur.* ibid. *de scrimen inter ecclesiasticum & politicum datur.* 67

Fucatio; *an fucatio sit pustulas tollere.* &c. 447. *vide plures quæstiones eádem pagina.*

Fucus, *an eum liceat parare aut vendere?* 444. *vide* Facies.

Fuga *circa peccata.* 177. *tempore pestis.* 270. 306

Furtum *de eo vide.* p. 815

G.

Gaudium; *an unquam liceat gaudere de peccatis proximi?* 171. 174

Gemitus, *an in casu injuriæ à proximo illatæ, unquam gemere liceat.* &c. ? 178

Gemmæ, *earum usus.* 422

Gibeonitæ, *quid de eorum facto statuendum?* 644

Giezi, *an hic simoniâ peccarit?* 524

Gradus superiorum inferiorum, &c. 792

Gratia Dei: *de ea variæ quæstiones proponuntur.* 770

Gratitudo *describitur.* 609. *vide plura.* 789

Gregorius de Valentia *notatur ac refutatur.* 732. *ad.* 739

Grotius *notatur.* 8. 9. 226

Γυμνός *quid notet?* 406

H.

Habitus *vide de eo quæstiones.* 766

Hebræi: *eorum jus regium, de quo vide pag.* 211. *& seqq.*

Hæresis *vide* pag. 774

Hobbes *notatur.* 64

Hospitalitas, *vide.* 791

Homicidium: *An ob præsumtum & metuendum peccatum, speciatim injuriam à proximo nobis aut publico inferendam, eum vitâ privare liceat?* 160. *vide.* 800. 803

Homicidium suiipsius, *ejus synonyma, causæ externæ & internæ* 245. *instrumentales causæ dividuntur.* 247. *latè quid significet.* ibid. *stricte quid dicat.* 248. *ejus opposita quæ.* 349. *antidota contra hujus tentationes dantur.* 250. *an hoc sit licitum?* 251. *negativa sententia variis arg. prob.* 254. 154. *quinam adversam sententiam defenderint?* 255. *fontes solutionum suppeditantur.* 256. *An liceat navem propriam atque adeo seipsum incenso pulvere pyreo tollere?* 256. 281. *neg. sent. variis arg. prob.* 257. 259. *object. sit satis.* ibid. *& seqq.* 282. *& seqq.*

Homicidium sui ipsius. *An quis corpus suum mutilare, lædere, deformare, aut stoliditatem simulare possit, ut sic proximi peccatum luxuriæ, quod probabiliter metuendum, avertat & præveniat?* 161. *Vide.* 799

Homo, *An habeat liberum arbitrium ad bonum* 755. *An sit ens per accidens.* ibid. *An constet ex tribus.* ibid.

Humilitas, *vide quæstiones.* 777. 790. 793

Homo, *an hic corpus mutilare, stoliditatem simulare possit*, &c. *ut sic proximi peccatum luxuriæ avertat* : 161. *an ante diluvium ederit carnes viventium*, &c. 387

Hortus, *an horum cultura & ornatus cum hydraulicis*, &c. *artificiis*, &c. *sit illicita?* 427

I.

IAcob, *an emtione primogenituræ commiserit simoniam?* 523.524

Janitor, *an sit simonia huic dare pecuniam, ut pateat accessus ad Episcopum*, &c ? 549

Idololatria, *vide de eâ quæstiones.* 778

Jeroboam, *an fuerit simoniacus?* 526

Jesuitæ *notantur.* 185. 186. 395. 428

Imagines : *vide de illis.* *pag.* 781

Imitatio *describitur.* 129. *ejus voces synonymæ.* 136. *ejus terminus à quo & ad quem, item ejus motus ad terminum datur.* ibid. *est triplex.* ibid. *an dicta & facta quævis Dei, & Christi Mediatoris sint nobis exempla imitanda ?* 130. *quomodo cognosci possit quænam opera Dei & Christi nobis formaliter & in specie sint imitanda; & quænam tantum quod ad genus*, &c ? ibid. *per conclusiones respondetur.* 131. *exceptioni fit satis* 132. *an imitatio Christi non tantum universalis seu perfecta perfectione partium esse debeat : sed etiam perfecta perfectione graduum?* ibid. *exceptionibus & instantiis respondetur.* 133.134.135. *an facta quælibet hominum quorumcunque, aut saltem fidelium ac piorum*, &c. *sint exempla bona nobis imitanda*, &c. 137. *an exempla & praxis Apostolorum, aut ecclesiæ Apostolicæ, quæ & quousque assistentia*, &c. *alicujus Apostoli frueretur, omnibus sequentibus Ecclesiis exemplum sit in regiminis & disciplinæ ecclesiasticæ administratione necessario, aut saltem licitè ac tuto imitandum ?* 138. *an exempla V. T. transferenda sint ad usum nostrum ?* 141. *an cujusque ecclesiæ post-Apostolicæ*, &c. *praxis in modo & executione regiminis, omnibus passim ecclesiis, aut huic atque illi ecclesiæ, sit exemplum obligans?* 144. *an nihil agendum sine exemplo præeunte*, &c. 145

Impeditio *peccati quid complectatur, & quotuplex?* 162

Infidelitas *vide.* *pag.* 774

Injuria *latè sumta definitur.* 702. *strictius quid notet ?* ibid. *strictissimè quid ?* ibid. *quomodo à Thomâ distinguatur.* 703. *verbalis in genere describitur.* 707. *verba injuriosæ quæ.* ibid. *animus injuriandi describitur.* ibid. *dividitur in species modos & gradus.* 711. *materialis describitur, ut & formalis & virtualis.* ibid.

Injustitia : *quid per eam intelligatur.* 702

Injustum *describitur.* 702

Instructio verbalis *distinguitur.* 159.

Intellectus, *vide de illo quæstiones.* 764

Ira

Ira *directe erga peccata, indirectè erga peccatores adhibenda?* 172
Judas, *an venditione Christi commiserit simoniam.* 526
Judex *quomodo incurrat in crimen falsi?* 700. *quomodo ab ipso calumnia committatur.* 705. *an possit aliquem condemnare, etiamsi non sit accusatus; &, utrum debeat iudicare non secundum veritatem quam esse novit, sed secundum leges, & ea, quæ per allegata, &c. ipsi publicè innotuerunt?* 705. *vide plures quæstiones.* 706
Judicium *dividitur.* 65. *vide* Forum.
Judicium *circa peccatum quid.* 168
Judicium Divinum *quid in scripturis notet?* 92. *ejus descriptio datur.* ibid. *dividitur variis modis.* 93. 94. 95. 127. *causa efficiens, ut & procatarcticæ dantur.* 97. 99. *eorum fines.* 100. *objectum seu subjectum horum datur.* 101. *circumstantiæ quæ sint, indicatur.* 103. *eorum antecedentia tum remota, tum propinqua quæ?* 104. 105. 106. *consequentia quotuplicia & quæ.* 107. *effecta in genere & in specie respectu fidelium & infidelium.* 108. 109. *proprietates & affectiones indicantur.* ibid. *eorum opposita.* 110. *de illis quæstiones subjiciuntur.* 110. 111. 112. 113
Judæi, *an emtione Christi commiserint simoniam,* 526. *an in occupando pontificatu tempore Christi, & post, &c. fuerint simoniaci.* ibid.
Juramentum *vide* pag. 785
Jus Patronatus, *an hoc, quomodocumque in papatu, &c. limitatum sit, ab omni labe simoniæ excusari possit?* 528
Jus regium Hebræorum *vide* Hebræi.
Jus *seu* justum *describitur.* 702
Justitia *ejus actus qui.* 123. *ejus oppositum.* 702. 789. *est duplex.* ibid. *vide plura.* 789
Justum & honestum. *An principium justi & honesti sit conservatio & defensio sui ipsius,* 756

K.

Κῶμος *quid notet.* 335. 337

L.

Læsio sui ipsius *vide.* Homicidium.
Larvæ: *an earum aliquis sit usus?* 449
Leo X. *quid censendum de ejus contractu cum Francisco* 1. *Rege Galliæ, &c.?* 532.
Leges: *vide* Sanctiones.
Lex cibaria: *an ferenda, ad luxum præveniendum?* 400
Lex humana *definitur.* 201
Lex Dei? *vide circa eam quæstiones.* 767
Lex *quæ notet?* 17. 18. *quomodo ejus obedientia nunc sublata?* 22. 23. *an detur lex nova?* 24. *An actus seu virtus fidei præcipiatur lege?* 25. *objectionibus satis fit.* 26. 27. 28. *an habeat promissiones?* 31. *vide porro* promissio.
Lex moralis. *An ejus cognitio & prædicatio ad salutem sit necessaria tum in V. tum in N.T.?* 37. *An lex & Euangelium totam doctrinam salutarem scripturis contentam exhau-*

riant? 38. *An dici possit, ejus præcepta & promissiones cum Euangelii coincidere?* ibid. *An lex eadem fuerit ante lapsum, quæ post lapsum tam sub V. quam sub N. T.* ibid. *An lex ante lapsum, & post habeat promissiones vitæ æternæ?* 39. *An hujus promissiones & Euangelii conveniant*, &c.? ibid. *an vitam æternam quam lex & Euangelium pariter promittunt, fideles accipiant vi utriusque promissionis?* 39. *objectionibus fit satis.* ibid.

Lex Moralis, *an hæc eadem sit sub V. & N. T.; an vero aut hic aut illic extensior & strictior fuerit?* 40. *objectionibus respondetur.* 41. *An facilis sit cognitio & prædicatio legis*, &c.? 42. *delineatur ejus longitudo & latitudo in theologiâ*, &c. 43. *negativa sententia probatur variis rationibus.* 42. 44. *conscientiis difficulter applicari, constat ex quinque potissimum.* 44. 45. *An facilior sit prædicatio Euangelii quam legis?* 46. *an concionatoribus reformatis*, &c. *facilior sit accurata ex scripturis prædicatio legis, quam Euangelii: an vero contrà?* 47. *An perfectio legis sit tantum umbra perfectionis ejus, quæ est in Euangelio?* 52. *An Lex Moralis*, &c, *sub N. T. sit mitior seu laxior, quam sub. V. T.* &c.? 53. *An satis distincte & accuratè dicatur Legem moralem per epitomam in decalogo propositam, fœdus gratiæ*, &c. *continere?* 54. *An fideles sub lege justificati sint*, &c.? 55. *objectionibus fit satis.* 56. 57. *Quomodo legi dicitur ἀδύνατον quid cum extra aut citra statum peccati non sit illi δυνάτον?* 58. *Quomodo legi productio & augmentum peccati tribuatur. Rom. 7.* ibid *respondetur per varias conclusiones.* 59. 60. *Vide porro* Euangelium.

Lex Ceremonialis, *an hæc & moralis naturâ notæ sint, an tantum ex supernaturali Dei revelatione?* 41. *An sub N. T. hujus usus sit?* 58

Lex pœnalis *definitur.* 201. *prohibens quæ.* ibid. *præcipiens quæ.* ibid.

Lex positiva; *an hæc circa peccatum alienum inducat participationem?* 166

Lex nova: *an hæc accuratè dicatur à Pontificiis triplicia præcepta*, &c. *continere?* 54

Libertas Christiana, *in quibus non consistat, ostenditur.* 750. *hinc varia annexa.* 751

Libertini *notantur.* 748

Libum, *quid de horum distributione inter pueros & de lactis appositione, aut largâ vini fusione in funere infantum censendum?* 397

Logica, *an ejus scientia & praxis nullius sit facienda* 756. *annexa proponuntur, & objectioni fit satis.* 757

Lothus, *an ab incestus immo & ebrietatis crimine excusari possit?* 499

Lucrum: *vide* usura,

Ludus: *qui ludi in convivis ferendi?* 399

Luxuria: *circa quam variè determinantur.* 386

M.

M.

MAgia *vide quæstiones circa illam.* 779
Maledictiones *vide.* 784
Magistratus *an teneantur in peccata suorum inquirere.* 169. *an contra eorum leges pœnales unquam in foro conscientiæ quidquam committere, aut omittere liceat?* 201
Magistratus politicus *ejus potestas & quod quis bona conscientia eâdem defungi possit, variis argumentis probatur.* 206. 207. *est à Deo.* ibid. *non est absoluta.* ibid. *se extendit ad judicia capitalia, bella,* &c. ibid. *etiam ad religionem & sacra.* 208
Magistratus *officia?* 208. *An eo mutato privati cives priori perpetuam obedientiam & fidelitatem debeant?* 228. *An si hic capitali sententiâ in nocentem latâ mandet ipsi executionem, parendum sit?* 269. *objectioni satis fit.* ibid. *an rectè faciat, qui modum aliquem furori vestiario statuit?* 422. *an piè toleret Trapezitas.* 687. *vide porro p.* 595. 596. 597. 607. 796. 797
Malum *vel est peccantis vel proximi vel publicum, quæ describuntur.* 175
Medicamenta, *quomodo his utendum.* 387. *an his utendum ut quis ad τὰ ἀφροδίσια magis excitemuletur?* 388
Medicus: *an possit fugere tempore pestis, & an teneatur visitare pestè infectos, si qui operam ipsius desiderent?* 317. *an contra pestem uti liceat operâ Medici Judæi?* 322
Mediatores: *an hi simoniæ culpam incurrere possint?* 539
Melanthon, *ejus subscriptio articulorum Smalcaldicorum citatur.* 8. *ejus sententia de bonis Ecclesiasticis.* 9. *ejus sententia de jure regio Hebræorum.* 226
מחול Machol *quid notet?* 326. 343
מלך *quid notet.* 224
Mendacium *definitur?* 632. *an omne sit peccatum?* 632. *an ulla ratione honestari possit,* &c.? 633. *an pernitiosum sit turpissimum,* &c.? 634. *an hoc per censuras eccles. præmissâ monitione,* &c. *in filiis eccl. emendandum aut coërcendum?* 635. *an ironiæ, hyperbolæ,* &c. *sint mendacia?* 636
Mentalis reservatio: *an hac uti liceat in testimoniis,* &c.? 650. *vide.* 785
Meretrix, *an huic licitum sit pro turpi actu mercedem accipere,* &c. *absque ulla restitutione?* 62
Mimetica vanitas: *vide* Dramata.
Minister verbi, *vide* Cancionator.
Misphat *quid significet?* 224
Misericordia: *ejus actus qui?* 123
Moderamen *inculpatæ tutelæ, vide de eo.* 803
Mors, *an piè & prudenter mortem & excessum quorundam hominum sive Christianorum sive infidelium, considerare & observare possimus, immo debeamus, & in eâ judicium Dei agnoscere,* &c.? 828
Mortui: *an sit calumnia, si quis malè de iis loquatur?* 717

Mundus, *an animâ intellectivâ præditus sit.* 755
Munus à lingua *describitur.* 517. *quænam sint, indicatur.* 549. *vide* Appetitus *officii sacri.*
Preces simoniacæ.
Simonia.
Munus à manu *describitur.* 517. *quid non sit & quid sit, ostenditur.* 540. *an & quibus in casibus pecuniæ dari, & accipi possint pro re spirituali absque labe simoniæ?* 540. *an sit simoniacum ratione beneficii eccles. &c. quidvis accipere, non tanquam strictè sed laxè debitum, quasi obligatione remuneratoria ex gratitudine, &c.?* 541. *an absque simonia, &c. quid dari possit in eleemosynam pro precibus?* 542. *an absolvi quis ab aliquâ censurâ, ut simul ei imponatur mulcta pecuniaria, quæ absque simonia detur, & accipiatur in pœnam peccati?* ibid, *An sapiat simoniam cum pro spirituali temporale datur aut accipitur, sed prout spirituali annexum?* 543. *an absque simonia possit ob consuetudinem temporale accipi pro spirituali?* ibid. *An pro administratione sacrorum licitè detur, & accipiatur ad sustentationem ministrantis; & an liceat de eo pacisci?* 546. *an absque simonia, pecuniæ causa rei spiritualis dari possint ad redimendam injustam vexationem?* 547. *an dari aut promitti possit pars fructuum pro electione, præsentatione, &c. ad possessionem alicujus beneficii?* 248. *an pecuniæ alicui mutuo dari possint câ lege, ut conferat beneficium?* 549. *vide porro* Candela.
Janitor.
Notarius.
Munus ab obsequio *describitur.* 518. *An simonia sit infideles donis, officiis, obsequiis ad fidem allicere?* 552. *Exceptionibus fit satis.* ibid. *& seqq. vide* Simonia.
Munus temporale *ad tria revocatur.* 517
Mutuum *quid significet?* 556. *vide* Usura.

N.

NAboth *an licitè recusârit Regi vineam vendere, &c.?* 217
Navis, *an liceat navem propriam atque adeo seipsum incenso pulvere pyrio tollere?* 256. 281. *negativa sententia variis arg. prob.* 257. 258. *objectionibus fit satis.* 259. 260. 261. *refutatur opponens quis.* 282. 283. *exceptionibus occurritur.* 284 *& seqq.*
Necessitas *sive privata sive publica an in foro poli ex peccato faciat non peccatum?* 88. *variæ quæstiones proponuntur.* 771
Nomen divinum, *vide de usu & abusu eius.* pag. 783
Notarius: *an quicquam accipere possit?* 548
Notio: *disquiritur de notionibus innatis.* 755
Nuditas *hominis post lapsum vel est voluntaria* 404. *quæ subdividitur.* ibid. *vel coacta, quæ describitur.* 406.

O.

O.

OBedientia *variè consideratur, ac distinguitur.* 182. *Cæca Papistarum triplex est.* ibid. *generalis probatur.* 182. 183. *specialis quorum sit.* 184. *exemplum hujus suppeditatur.* ibid. *specialissima est Loiolitica.* 185. *hujus specimina dantur.* 187. *hæc refutatur argumentis variis.* 188. 189. *ad.* 193. *An cuiquam homini viatori erroribus & peccatis obnoxio in omnibus, quæ mandaturus est, absoluta obedientia sit promittenda,* &c.? 194. *an absolutâ & cæca quis parentibus,* &c. *obedire teneatur?* ibid. *an talis præceptoribus præstanda.* 195. *an possit præstari,* &c. *amicis necessariis?* ibid. *an superioribus regularibus?* ibid. *an Ecclesiasticis?* ibid. *Si antecessores ecclesiastici, etiam coëuntes in Synodum, contra Dei præceptum quid imponant, quid tali in casu agendum?* 197. *per varias conclusiones respondetur, & objectioni pontificiorum fit satis.* 198. 199. *An servis, subditis, magistratibus,* &c. 200. *an absoluta debeatur principibus,* &c.? 200. *An contra Ecclesiæ canones,* &c. *aut contra magistratus leges pœnales, unquam in foro poli quidquam committere aut omittere liceat?* 201. *vide quæstiones plures.* 777

Obtestationes *quæ.* 159

Obtrectatio *describitur.* 704. *extra judicium in varias species distinguitur.* 706. *dividitur in species.* 712. *ex objecto reali.* ibid. *ex objecto personali.* 713. *ex objecto coram quo.* ibid. *ex objecto circumstantiali.* ibid. *ex fine proximo.* 714. *ex modo elocutionis.* ibid. *vide porro* Calumnia. Detractio.

Occasio, *an quæcunque objecta peccandi inducat participationem.* 167

Occiput: *circa illud vanitas ostenditur.* 449. 450. *ejus adjacentia indicantur.* ibid.

Odium *duplex est.* 121. *directè erga peccata, indirectè erga peccatores adhibendum.* 173. *An peccatores diligendi sint, & dilectio hæc cum sancto odio consistere possit?* ibid. *An odium erga peccatores, si qui nos offenderunt, huc usque extendendum sit, ut à salutatione,* &c. *eos excludamus?* 173

Odor: *quid de illis apud nostrates,* &c. *sentiendum?* 389

Opera bona *à fidelibus secundum legem præstita quomodo habeant relationem ad vitam æternam?* 39. 40. *vide.* 772

Oppugnatio *peccati, vide* resistentia.

P.

PApa, *an possit committere simoniam?* 538. *an hujus autoritate liceat vendere beneficia ecclesiastica?* 539

Papatus *excellentiori modo crimine falsi se infamem reddidit.* 682

Papistæ: *eorum cæca obedientia. vide* Obedientia.

Parentes, *an teneantur in peccata suorum inquirere?* 169

Participatio peccati *quotuplex.* 164
Patientia *vide quæstiones.* 777
Patriarchæ Græcorum, *an jam inde ab occupatâ per Turcas Constantinopoli ad investituram suam absque simoniâ pendere possint Imperatori Turcico tributum*, &c. 530
Paupertas *vide pag.* 809
Pax *conscientiæ*, *angelorum*, *vide.* 776
Peccata clamantia *citantur.* 97. 98. 99. *illa distinguuntur.* 157. *actus circa aliena peccata.* ibid. *an ob metuendum peccatum*, *speciatim injuriam à proximo nobis aut publico inferendam*, *eum vita privare liceat?* 160. *an quis corpus suum mutilare*, &c. *ut sic proximi peccatum avertat*, &c.? 161. *vide porro.* 772. *hujus impeditio*, *vide* Impeditio.
Peccantes *sunt triplices.* 157
Perfidia, *an datam fidem non servare aliquo in casu honestari possit?* 659
Perjurium *vide.* 785
Pestis, *ejus causa efficiens prima Deus.* 292. *quomodo Deo tribuatur.* ibid. *ejus causa secunda duplex.* 293. *naturalis anxiè quæritur.* ibid. *ejus occulta miracula sunt in ortu*, *veneno*, *contagio*, *effectis*, *concomitantibus & in antidotis.* 294. 295. 296. *causa meritoria.* 297. *finales quæ.* ibid. *definitio pestis ab à Lapide data.* ibid. *prophylactica & remedia hujus sunt tum privata*, *& quæ*; *tum publica*, *quæ partim ecclesiastica partim politica.* 298. 299. *remedia adversus hanc sunt tum communia*, *& quæ.* 300. *tum specialia*, *quæ indicantur.* 301. 302. *antidota ethnica & Pontificia indicantur.* 303. 304. 305. *carnalia quæ.* 306. *an & quomodo pestis*, *hoc est*, *civitates*, *domus*, *homines peste infecti*, *sint fugiendi?* 270. 306. 307. 306. *an concionatores*, *tempore pestis immunes sint ab auxilio fratribus laborantibus præstando*; *& an illis tunc fugere liceat?* 270. 275. *ad* 279. 311. *objectionibus fit satis.* 313. *ad* 316. *vide porro varias quæstiones.* 316. *ad* 325
Philosophicum *non omne tale est*, *quod eo nomine palliatur.* 752. *hinc varia consectaria.* 753
Pictura, *an quævis promiscuè in atriis & cubiculis ad ornatum suspendi debeant?* 428
Plagiarius, *an plagiarii librorum*, *qui aliorum scripta sibi supponunt*, *aut ab aliis inventa sibi tanquam inventoribus tribuunt*, *crimen falsi committant?* 695
Poculum boni ominis, *vide*, sanitates.
Pœna *definitur.* 201. *dividitur.* 518
Pœna vindictæ, *vide* vindicatio.
Popina cupediaria, *an sit licita?* 400
Potentia, *quando hæc judicatur deesse aut cessare?* 229
Potestas, *quando hæc judicatur deesse aut cessare.* 229. *vide* Magistratus.

Potus, *de modo in illo servando.* 387. *an magis salubris præferendus magis delicato?* ibid.

Preces *distinguuntur.* 158. *An universaliter pro omnibus hominibus in terrâ viventibus orandum sit sive absolute sive sub conditione, ut nemo in posterum peccet?* ibid. *an pro omnibus Electis & fidelibus collectim sumtis hoc orandum,* 159. *An orandum sit sigillatim pro unoquoque proximo nostro sive converso, sive non converso, ut per gratiam Dei præservari & immunis possit esse ab hoc aut illo speciali peccato?* ibid.

Preces Simoniacæ, *an sit simonia, si spirituale ob solas humanas preces, &c. petenti, aut alteri alicui, pro quo petit conferatur?* 549. *an simoniacæ quæ armatæ dicuntur?* 551. *an carnales?* ibid.
vide Appetitus, Simonia.

Præcisitas *vide varias quæstiones.* 771

Prædicatio *legis & Euangelii quot modis fiat, ostenditur?* 47. *an Euangelii, an vero legis sit facilior?* 46

Præventio *describitur.* 158

Princeps, *an eo mutato privati cives, &c. priori perpetuam obedientiam debeant?* 228

Proditio *an sit licita?* 653. *quid notet.* ibid. *diversæ ejus sunt species.* ibid. *an in foro poli licitum sit uti proditione & proditoribus?* 655. *an quis etiam justo in bello civem alienæ reipublicæ, &c. ad proditionem & perfidiam suasionibus ac promissis sollicitare possit?* ibid. *exceptionibus fit satis.* 655. 656. *quid de interceptione scriptorum aliorum statuendum.* ibid.

Promissio *generaliter & specialiter definitur.* 31. *an temporales quibusdam non salvandis præstitæ, sint Legis an Euangelii?* ibid. *an temporales electis & fidelibus præstitæ, sint Euangelii?* ibid. *an eæ sint absolutæ, an vero conditionales?* ibid. *an omnes spirituales Euangelio contentæ sint absolutæ?* ibid. *quæ absoluta quæ conditionata explicatur.* 32. *objectionibus satis fit.* 33. 34. *an Euangelii sint universales?* 34

Prophetæ: *an sub V. T. debeant dici præcones Euangelii, an vero legis?* 36

Proximus, *quinam per hunc intelligantur?* 114. *an Deus?* ibid. *an Christus secundum humanam naturam?* 115. *an damnati post diem judicii, an animæ beatæ, &c.?* ibid.
vide Dilectio.

Punitio *peccati quadruplex.* 176

Purgatio *duobus modis fit.* 518. *sex causæ hujus enumerantur.* ibid.

Pythagoras: *an hujus abstinentia à carnibus animalium fuerit laudanda?* 387

Q.

Quærella *est oppositum remissioni.* 178. *quid de illa statuendum.* 179

Quantitas, *an ejus aliqua sit efficacia?* 755

R.

רקד Rakad *quid notet.* 343
Reconciliatio *quid & quotuplex.* 177. 178. *ejus media, & oppositа dantur.* ibid. *vide varia problemata.* 179. 180
Rejectio *peccantium describitur.* 177
Religio, *vide de eâ & oppositus, quæstiones.* 778
Religio Papistica *non est salutaris.* 745
Reliquiæ, *vide* 782
Remissio, *quid & quotuplex.* 177. 178
Remonstrantes *notantur & eorum responsio ad argumentum pro perseverantiâ sanctorum solvitur.* 33. 208. 649. 727. 749. 792
Remonstrantica secta *vide* 746
Reservatio. Restrictio, *vide* Mentalis reservatio.
Resistentia Peccati *variè distinguitur,* 174
Restitutio *in Simonia à quo facienda.* 519
Restitutio, *duo dicit.* 609. *strictè sumta dupliciter consideratur.* 609. *definitur.* 610. *quis restituere debeat?* ibid. *Quid?* ibid. *cui?* ibid. *quomodo?* 611. 623. *quo ordine?* ibid. *ubi & cujus expensis sit restituendum?* ibid. *quando?* ibid. *dividitur.* 612. *an de hâc agendum sit theologis?* ibid. *ad quem locum theologiæ hæc tractatio referenda?* 613. *an hujus præceptum sit affirmativum an negativum?* 614. *an sit actus justitiæ distributivæ?* ibid. *an sit necessaria?* ibid. *an necessaria necessitate præcepti tantum, an etiam medii?* 615. *quibus in casibus ab externa restitutione quis excusetur?* 616. *an etiam restituendum sit τὸ interesse alterius, si suum habuisset?* ibid. *an furto ablatum restituere teneatur, qui justè metuit, hinc famæ hactenus integræ læsionem, & pœnas, &c?* ibid. *an quæ bello, quamvis solemniter suscepto, hostibus ablata sunt, restitui debeant?* 617. *an qui sacrilegium aut peculatum commisit, &c. teneatur ad restitutionem?* 618. *an ubi damnum passi, aut ipsorum hæredes inveniri possunt, illis præteritis, injustè sive per nos sive per parentes nostros parta, retinere ac possidere, &c. possimus.* ibid. *an restitutio facienda sit eorum, quæ quis per pyraticam Aligerienſem, &c. sibi acquisivit, aut à parentibus acquisita jure hæreditario nunc possidet?* 619. *exceptionibus sit satis.* 620. 621. *an regiones, civitates, &c. injustè occupatæ, ablatæ propriis Dominis sint restituendæ?* 622. *An bona naufragantium, &c.* ibid. *An bona ablata, aut damna alicui data in spiritualibus requirant restitutionem?* 623. *quomodo facienda?* ibid. *an sit restitutio quando benefactoribus inter homines, &c. rependimus & ἀνταπλαργεσίᾳ, &c.* 624. *an qui bona fide rem alienam possidet, teneatur restituere, simulac novit esse alienam?* ibid. *an & qualis restitutio requiratur injustè partorum per peccata contra septimum præce-*

ceptum? 625. *an sit facienda restitutio pro morte hominis, vel membro injustè ablato?* ib. *an restitutio malè partorum per artes & praxes illicitas, &c. sit facienda?* 626 *an & quomodo damnum famæ aut honori proximi illatum per diffamationes, &c. compensandum sit?* 627. *variis conclusionibus determinatur.* 628. *quid agendum, cum diffamatore, qui restituere nolit, &c.* 630. *vide plura.* 789

Retaliatio, *an ulla sit licita?* 178

Retractatio *vide* Revocatio.

Retorsio, *an aliqua sit licita?* 180

Revocatio: *ejus modus explicatur.* 628

Rex, *quid dicat?* 224

Risus, *an conveniant peccatis proximi?* 17

Ritus, *vide pag.* 780

S.

SAbbatum, *circa illud sophismata solvuntur.* 13. *an sub.* N. T. *tam rigidè observandum sit, ut in* N. T.? 41. *de ejus sanctificatione variant nonnulli Theologi.* 760. *communior sententia proponitur.* ibid. *vide plura.* 787

שבת schabat *explicatur.* 739

Sacrum *vide pag.* 780

Saltatio *ejus homonymia.* 326. *ejus descriptio.* ibid. *varia ratione dividitur.* ibid. *profanæ sunt trium generum.* 327. *an saltationes sint licitæ?* 328. *affirmantis sententiæ autores citantur* 328. 329. *negativa sententia variis argum. probatur.* 330. 331. 332. 333. 334. *earum adjuncta.* 331. *circa illas consectaria proponuntur.* 335. 336. *objectionibus respondetur* 336. *ad* 344. *an per ecclesiasticam disciplinam saltationum & saltatorum licentia inhiberi possit?* 347. *affirm. sent. prob. rationibus, & actis synodorum.* 348. 349. 351. *ad.* 356. *exceptionibus respondetur.* 349. 350, *vide porro plures quæstiones pag.* 349. *& voces.*

Balettæ.

Choreæ.

Sanctiones *sunt duplices.* 160

Sanitates *unde ortæ.* 500. *an ritus ille bibendi retinendus sit, an potius abolendus.* 502. 508. 509. 510. *affinia hujus indicantur.* 514

Santeæ *vide* Sanitates.

Satisfactio *quotuplex.* 178. *describitur.* 609

Scandalum *ejus synonymum datur.* 146. *describitur propriè dictum.* ibid. *distinguitur.* 147. *distinctio in* universale *&* speciale *à pontificiis exponitur.* ibid. *An omne scandalum sit peccatum?* 149. *objectioni satis fit.* ibid. *An hoc sit speciale peccatum, quod per formalem suam rationem in specie constituatur, & sic ab aliis distinguatur; an vero tantum denominationem ab aliquâ circumstantiâ specifico cuique peccato addat?* ibid. *objectioni respondetur.* ibid. *an cuicunque scandalo activo necessario respondeat passivum?* 150. *An quis se ipsum*

ipsum scandalizet, &c.? ibid. *an bonum spirituale propter scandala sit dimittendum?* 151. *an bona temporalia propter hæc sint dimittenda?* 152. *utrum scandalum passivum aut activum possit cadere in perfectos?* 153. *An scandala sint data, an vero accepta; quibus olim Gentiles & hodie Pontificii aliique errantes, à veritate & professione religionis Christianæ, avertuntur?* 154

Scholastici *notantur.* 729

Scriptura, *an imitatio alterius script., ut discrimen animadverti aut non possit, aut ægerrimè possit, ejusque suppositio sit possibilis, & an unquam tale monstrum extiterit*, &c. 684 *an Papatus contra ecclesiam reformatam hoc egerit?* 687. *exceptioni fit satis.* 689. *an ignorantia aut deceptio sive propria sive aliena circa comparationem viri defuncti scripturæ cum falsâ scripturâ infelicis falsarii*, &c. *ignorantem aut deceptum ab omni participatione culpæ coram Deo*, &c. *immunem præstare queat?* 691

Securitas *quid* 163

Sensus *vide* pag. 765

Silicernium: *quid de eo statuendum?* 396

Simonia: *ejus etymologia, ac varia descriptio* 516. *tria in eâ attendenda sunt*, ibid. *distinguitur, & singularum descriptiones dantur.* ibid. *distinguitur in activam & passivam* 517. *huic tria accidunt, purgatio, pœna, restitutio.* 518. *an sit peccatum seu aliquid per se & intrinsecè malum, & quidem tam turpe, & tam noxium peccatum?* 519. *affirm. sent. variis rationibus prob.* ibid. 520. 521. *exceptionibus fit satis.* 522. *variæ quæstiones proponuntur. vide titulos sequentes,*

Bileam.
Ephron.
Esau.
Giezi.
Jacob.
Jeroboam.
Judæi.
Judas.

Munus *à lingua, à manu, ab obsequio,* Simon Magus.

An primis post excessum Apostolorum seculis in antiquâ ecclesia Simonia obtinuerit? 528. *vide porro.*

Archiepiscopns.
Episcopus.
Candidatus.
Ecclesia Græca.
Ecclesia Romana.
Jus Patronatus.
Leo X.
Patriarchæ Græcorum.
Minister verbi.

Simonia, *an hujus prohibitio sit juris naturæ, seu juris divini moralis & perpetui?* 533. *an ad hanc requiratur studiosa voluntas emendi aut vendendi.* ibid. *an ad rationem simoniæ sufficiat non dare gratis, aut pacti qualiscunque intercessio; an vero requiratur respectus ad pretium temporale?* 534. *an detur peccatum simoniacum veniale ex levitate*

tate materiæ ? 535. *an simonia sit hæresis* ? 536. *an committatur tantum ab illis, qui sunt sub novâ; an etiam ab illis, qui erant sub lege veteri* ? ibid. *an ante legem Mosis.* 537. *vide porro.*
Adamus.
Beneficia Ecclesiastica.
Competitores.
Mediatores.
Papa.
Simoniacus, *an ementes & vendentes è templo per Christum ejecti, fuerint simoniaci*? 627
Simon Magus, *an & cur hic præ omnibus aliis tanquam exemplar hujus peccati in N. T. habitus fuerit, & ab eo omnes simoniaci denominati*? 527. *an rectè ortus secta simoniacæ ducatur à Simone Mago*, &c. ibid.
Simplicius Gentilis, *an huic concedenda sit victoria*? 754
Simulatio, *an aliqua sit licita* ? 637. *an in negotio religionis sit licita*? 638
Sinciput : *de vanitate circa illud agitur.* 449. 450
Societas, *varia est.* 177
Sociniani *refutantur.* 207
Solutio *latius patet restitutione.* 609
Somnus, *modus illius capiendi, quis.* 387.
Sortes, *vide de illis.* 786
Specula : *quid de iis, eorumque usu ad ornatum faciei statuendum*? 448
Spes, *vide de illâ.* *pag.* 775
Spiritus Sanctus *non loquitur secundum erroneam vulgi opinionem.* 753. *hinc quæstio è contrario educitur.* ibid. *de ejus donis quis agat*? 730. *vide* Dona.
Stratagemata : *an omnia politicorum à mendacio liberari possint* ? 640
Subditus, *eorum officia erga Magistratum quæ.* 209. *vide porro.* 809
Superbia, *vide de illâ quæstiones.* 777. 793
Superstitio, *vide de illa.* 779
Supplicium, *quid statuendum de supplicio septem illorum*, &c. 2 Sam. 21. *propter peccatum, cujus illi omnes*, &c. *nullo modo participes videbantur.* 165
Symposia, *quid de illis statuendum* ? 397
Syncretismus, *an iniri possit cum Remonstrantibus.* 756

T.

TAbacum : *an hujus usus sit licitus*? 389
Tabernæ : *an sint licitæ*? 400. *an ministris liceat uti* ? 400
Tentatio : *quomodo ei resistatur* ? 162
Terra, *an moveatur.* 754
Theologia *nostra qualis* ? 1. *quæ Didactica, Elenctica, Historica, Practica, Textualis.* 42. 43. *quomodo una, quomodo plures dici possint* ? 763. *vide plura in Syllabo Quæstionum Decalogicarum.*
Theologicus Elencticus, *ad quæ attendere debeat*? 2. *an theologi accuratam criminis falsi cognitionem affectare debeant* ? 680
Thomas Muntzerus. 209
Timor Dei : *vide quæstiones.* 777
Tolerantia : *ejus synonyma, & quid respiciat, & quotuplex sit indicatur*?

tur ? 163. 177. *an omnis alieni peccati tolerantia inducat ejusdem communionem seu participationem* ? 165. *an ex tolerantiâ publicâ*, &c. *τὸ licitum & honestum mali tolerati concludi possit* ? 166. *quid propriè spectet* ? 177. *medium huic inserviens quodnam.* ibid. *ejus oppositum.* ibid. *media & motiva hujus dantur.* 178

Tragœdia *vide* Comœdia.

Trapezitæ: *an quis piè & bonâ conscientiâ his mutuo dare posset?* 585. *an horum uxores ad communionem admittendæ?* ibid. *instantiæ fit satis.* 386. *an uxori detestanti trapeziticam, liceat maritum deserere* ? ibid. *an piis liberis liceat paternis ædibus excedere, siquidem eos compellat ad praxin trapezitica* ? ibid. *an famuli eorum ad cœnam admittendi* ? ibid. *an uxor, quæ dicitur ὑπανδρος & obnoxia legi mariti*, &c. *insciо aut invito marito trapeziticam directè aut indirectè exercere possit* ? ibid. *an quis necessitate compulsus bonâ conscientiâ mutuum petere possit à trapezitâ*? ibid. *an decorum sit ut pii his familiariter utantur*? 587. *an piè & prudenter trapezitas tolerant principes & Magistratus Christiani.* ibid. *remedia varia suppeditantur.* 588. *vide porro.*

Usura Judæorum, Italorum.

Tyrannis *coerceri potest, & à quibus, ostenditur.* 209

Tripudium *quid designet.* 326

V.

Verbum Dei, *ex illo certam rei scientiam habere possumus,* 753. *hinc quæstio educitur.* ibid.

Verbum Divinum, *ejus contemptus est causa judiciorum Dei.* 99

Verbum injuriosum *describitur.* 707

Veritas, *vide circa illam quæstiones.* 770

Verronus *Jesuita notatur.* 3

Vertex: *circa verticem vanitas ostenditur.* 449. *ejus adjacentia indicantur.* ibid.

Vestis, *dividitur ac subdividitur.* 403. *describitur.* 404. *huic opponitur nuditas.* 404. *horum usus & abusus variis conclusionibus determinatur.* 406. 407. 411. *quod ad modum vestiendi cautelæ tum generales tum speciales suppeditantur.* 408. 409. 410. *an abusus possit esse, & eo homo peccare* ? *affirm. sent. variis arg. motivis, consensu sapientum probatur.* 411. 412. 413. *objectionibus fit satis.* 414. 415. *varia problemata proponuntur.* 416. *An leges divinæ de vestium usu & abusu referendæ ad legem moralem*, &c.? 417. *an & quomodo fuerint, aut non fuerint virtutes illæ ante lapsum* ? 417. *An & cur viri & fœminæ distinctâ formâ vestium uti debeant* ? ibid. *an ergo quis extra honestum finem & casum necessitatis, alterius sexus vestitu uti debeat*? ibid. *vide de hâc materia varias quæstiones.* 418. 419. 420. 421. 422. *varii autores citantur.* 463.

463. *ad.* 493
Vidi *quomodo rectè explicetur.* 740
Vindicatio, *an hæc ab homine privato erga proximum exerceri possit?* 176. *an privato homini vindicta parva sit licita*, &c. ibid. *an omnis vindicta sit odium proximi?* ibid. *an possit mitigari*, &c.? 177
Virtutes Theologicæ *quid secundum Thomam perficiant.* 733
Visitatio infirmorum, &c. *vide.* 791
Vita æterna, *an hanc, quam Lex & Euangelium pariter promittunt fideles accipiant vi utriusque promissionis*, &c.? 39. *objectionibus respondetur.* ibid.
Unctio: *an licitæ sint illæ veterum præsertim orientalium*, &c. 389. *quid de unguentis in fine mensarum adhibitis?* 397
Unguentum armarium *an sit licitum.* 756
Voluntas *vide.* *pag.* 764
Voluptates: *quid de illis dicendum.* 386
Vorstius *citatur ac notatur.* 12. 13
Votum, *vide* *pag.* 786
וראה *quid significet.* 739
Usura *in genere definitur.* 555. *dividitur, ac subdividitur.* 556. *An aliqua sit licita?* ibid. *affirm. sententia variis conclusionibus explicatur.* 557. *thesis variis arg. probatur.* 558. *ad.* 560. *casus quidam ponuntur à pontificiis.* 561. *objectionibus ex scripturâ petitis fit satis.* 563. *objectionibus ex rationibus deductis. respondetur.* 564. 565. 566. 567. *ad.* 569. *objectionibus ab autoritate desumptis occurritur.* 570. 571. 572. *Quæ sit regula & certa usuræ licitæ norma in foro conscientiæ.* 573. *vide plures quæstiones.* 573. 574.
Usuræ Judæorum *in Germaniâ*, Italorum, &c. *in Belgio sunt injustæ ratione creditoris & debitoris.* 575. *exceptionibus respondetur.* 576. 577. *ad.* 385. *Remedia suppeditantur.* 688. *an juri divino & naturali conforme, & consequenter in foro conscientiæ licitum sit usuram* 32½ *aut* 24. *aut* 21. *aut* 19. *aut* 16. *flor. pro minimis super quovis pignore etiam maxime necessario, mutuo datis, tum à pauperibus eleemosynariis, tum à tenuioris sortis hominibus seu attenuatis exigere?* 590. *præsumptæ demonstrationes & argumenta adversariorum enodantur.* 591. *ad.* 602. *præjudicia varia exploduntur.* 603. *ad.* 608. *vide de* Trapezita *&* *pag.* 817
Utensilia *distribuuntur.* 424. *horum usus variis conclusionibus determinatur.* 424. 425. *abusus horum rationibus refellitur.* 426. *variæ quæstiones proponuntur.* 427. 428

Z.

Zelus *quos respiciat?* 173. *vide* 776. 792

FINIS.

ERRATA.

Præter omiſſa, nimium feſtinante prælo, & commiſſa, quæ Æquus Lector facilè feret vel auferet, nonnulla paulò graviora ſic corrigantur.

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
43	6	*dele*, parte.
44	11	prætendenti, *lege* Doctori.
	17	*lege*, & norunt.
45	6	*lege*, οἴκους.
46	1	*lege*, invenire næ.
	17	*lege*, civiles.
55	34	*lege*, impetrandi.
57	22	*dele*, haut.
59	1	*lege*, impellens, irritans.
64	10	*lege*, Chriſtum negaſſent.
89	32	*dele Reſp.*
90	22	*lege*, exſtant.
113	4	*lege*, contemtum.
	7	*lege*, injecerint.
	8	*lege*, Pſaltem.
206	25	*adde*, mediis.
243	21	*lege*, Regis.
244	12	*lege*, *avoit*.
	29	*lege*, *Jodoco*.
326	3	*dele*, me.
397	15	*lege*, quas.
462	31	*lege* adjurationes.
463	32	*dele*, Græcâ.
485	9	Nonnum.
386	8	tempora.
504	24	diſcurſu.
	35	*dele*, inter Germanos.
601	9	*lege*, annuum.
	26	rationario.
604	12	oculos.
616	19	portitori.
	36	æquivalens.
617	28	libertatis.
	29	*dele*, acquiſitionem.
	39	ærariis.
624	11	ἀντιπελαργοῦμεν.
640	13	liberare.
642	21	debeant.
655	18	ſtelitici, *lege* Politici.
658	12	concedo, *lege* commendo.
660	14	Concilium Piſanum.
	29	jura.
666	2	ſtolida ac ridicula.
667	19	*Hippolanus*.
669	19	propoſitis.
674	10	*Laur*.
680	16	inſerenda.
715	33	indicatos.
755	2	*lege*, eſſentia.
757	22	proponuntur.
825	32	*lege*, vi juris.
827	12	conſtitutus.
837	19	ſcil.

Sphalmata reliqua typographica, ut quando comma vel punctum addendum vel delendum eſt, & alia paulò minora, ipſe Æquus Lector emendabit.

N14<02300002022711

N14<02300002022711